Medicina Hippocratica exponens Aphorismos Hippocratis / Auctore Johanne de Gorter.

Contributors

Gorter, Johannes de, 1689-1762.
Hippocrates. Aphorisms.

Publication/Creation

Amstelodami : Apud Haeredes J. Ratelband cum Sociis, 1739-1742.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/u9ukxkfg

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

5,116 / B

coll. spl.
MD

A.X.0.2

177(4)

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30505768

49950

MEDICINA HIPPOCRATICA

EXPONENS

APHORISMOS HIPPOCRATIS,

AUCTORE

JOHANNE DE GORTER,

A: L: M: Medicinæ Doct: & Prof: Ord.

LIBER PRIMUS.



AMSTELODAMI,

Apud Hæredes J. RATELBAND cum Sociis. 1739.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

L. S.

QUæ nunc publici juris fiunt Commentaria, non erant Diſputationibus deſtinata, at Studioſorum deſideriis ſatisfacere volens, antequam in lucem prodeant, ventilanda ſpeciminum nomine exhibui.

Specimen primum, continens *Aph: I. ad IX.* cenſuræ publicæ ſubmiſit JOHANNES BON *Harderovico-Gelrus*, *ad Diem* 30 *Maji* 1739. Alterum vero, continens *Aph. X. ad XXV*, THEODORUS DE GORTER *Enchuſa-Batavus*, *ad Diem*

21 *Junii* 1739. Sed ut aliis quoque Medicinæ cultoribus inſervirem, curavi tot imprimi Exemplaria, quæ ad alicujus Libri editionem ſufficiunt.

Cum vero Aphorismorum Hippocratis Primus Liber eſſet ventilatus & impreſſus, eum nunc in lucem emittere volui, deinceps vero reliquos, quamprimum Publice ventilati fuerint, animus eſt, ut ita Diſputantium & Lectorum deſideriis ſimul ſatisfaciam.

PRAEFATIO.

I.

AD *artem Medicam perveniendam duæ tendunt viæ, altera eſt* Experientia, *quam inter medendum comparamus, altera eſt* Doctrina *ſeu* Dogmatica, *qua quis inſtruitur, antequam Medicinam profitetur.* Medicina quibus modis comparatur.

II. *Sed quia experimentum eſt periculoſum, & ars nimis longa, quam ut poſſit exercitio unius hominis comparari, oportet eum, qui Medicinam profiteri ſatagit, prius addiſcere præcepta & fundamenta hujus artis.* Experientia.

III. *Illa autem præcepta variis modis traduntur: arriſit Hippocrati per breves, ſed tamen ſolidas ſententias, quas vocat* Aphoriſmos, *hanc promulgare artem, ut ſit quævis ſententia abſoluta, non reſpiciens ad priora vel ſequentia.* Doctrina.

IV. *Complectuntur hi Aphoriſmi ſententias ſeu regulas generales, quas paucis verbis propoſuit Hipp. Num iſtas detexerit experientiâ propriâ,* Aphoriſtice.

num

num desumserit ex aliorum observatis, scientiæ Medica nihil interest. Sufficit enim in Medicina veritates cognoscere, sed quisnam istas promulgavit, nihil facit ad usum Medicum. Laudandus autem est, qui tales posteritati consecravit, ne cogamur semper novas detegere cum hominum detrimento.

V. *Præstantius foret, ad formandam doctrinam, certum aliquem sequi ordinem, ille enim facilius in memoria retineri potest, sed rerum multitudine, & permistione, auctor cogitur recedere ab ordine, puras atque absolutas proferens sententias.*

VI. *Illæ autem sententiæ sæpe admodum obscuræ sunt, variasque patiuntur interpretationes, & vix intelligi possunt ab indoctis, quare ampliore explicatione egent. Ita potest Medimæ discipulus paucis verbis concipere Medicinam, & si quid dubii, sit aut obscuri consulere Commentatorem.*

VII. *Non omnibus autem Commentatoribus idem est scopus: quidam enim, uti Literatores, sensum verborum explicant: alii cuncta congerunt in laudem Auctoris, sive sententias veras sive falsas divulgaverit, non multum curant.*

Deni-

Denique alii ad ampliandam ſcientiam unice contendunt, minime curantes, num Hipp: vel quivis alius eam ſententiam divulgaverit.

VIII. *Inter hos ultimos me profiteor, an recte vel ſecus fecerim, aliis dejudicandum relinquo. Ego ſemper exiſtimavi, nos non ad gloriam vel honorem alicujus, ſed ad uſum & utilitatem in Medicina ſcribere debere. Quare vitio non vertat Lector Benevolus, ſi interdum a ſententia Hippocratis recedam, non ut hujus viri eximii cenſor eſſe velim, ſed quia poſt iſtud tempus multa præclara ſunt detecta, quæ hunc virum latuere.*

IX. *Non miretur Lector Benev: me ſententias non firmare Locis ex aliis auctoribus compilatis, multa equidem congeſſi, ut perſpicerem quid alii ſentiant, recitare autem nolui, niſi quædam, quæ ad honorem vel gloriam Auctorum adduci poſſunt; ne videar aliorum labores vilipendere, vel animo malevolo carpere, cum expertus ſim, iſtud remorari ſcientiam, ad quam excolendam unice contendo. Neque ad firmandam meam ſententiam aliorum dicta adfero, quia auctorum ſententiæ apud Medicum nullam habent auctoritatem, ſed*

experientia & ratione firmanda est veritas: in his ad majorem fidem hinc inde auctoris locum recitabo.

MEDICINA HIPPOCRATICA,

EXPONENS

APHORISMORUM HIPPOCRATIS

LIBRUM PRIMUM.

APH: 1.

1. *Vita brevis, ars longa, occaſio celeris, experimentum periculoſum, judicium difficile. Oportet autem non modo ſe ipſum exhibere, quæ decent facientem, ſed etiam ægrum, & præſentes, & quæ externa ſunt.*

I.

APhorismus hic duas res complectitur, prima eſt, qua demonſtratur, ſcientiam medicam difficile comparari poſſe, quia longa ſerie obſervationum eſt ſtabilienda, ad quod vita nimis brevis, occaſio præceps, & non liceat in viventibus hominibus impune facere experimenta. Altera regulam generalem ſuggerit, ſecundum quam Medicus, æger, adſtantes & res externæ ſe gerere debeant.

II. *Vita* hic accipitur pro illo curriculo temporis, in quo homo aptus eſt addiſcere præcepta Medica, eaque valet Vita brevis.

opportuno tempore ad cognitionem & curationem Morborum adhibere: ita excluditur pueritia & decrepita ſenectus, quibus per vitam hominis ſcientia Medica nihil emolumenti accipit. Imo maxima pars ætatis inſumitur, antequam homo poſſit aliquid addere ad artis perfectionem; quam diu enim ad faſtigium ſcientia non pervenerit, artem non valet augere; at laborat ſibi comparare, quod alii obſervaverint vel detexerint: adeo ut pauci reſtent anni in ætate noſtra, in quibus aliquid addere poſſumus ad perfectionem ſcientiæ; imo vix ſufficit unius hominis ætas ad addiſcenda ea, quæ in arte medica inventa ſunt, quare Hippocr: non ſine vera ratione pronunciavit, vitam brevem eſſe, præprimis ſi comparetur ad ea omnia, quæ in arte Medica ſunt addiſcenda.

Ars longa. III. Admodum disputant Medici, num Medicina ſit *Scientia* vel *Ars*. Quia vero in ſcientia ſufficit habere rei cognitionem, etiamſi nihil efficimus, ſed in arte ſupponitur cognitio, quæ quoque operationem exſequitur, magis convenit Medicinam, vocare artem quam ſcientiam, quia Medicina nullius eſt, niſi aliquid præſtet ad ſalutem humanam. Eam artem eſſe longam quisque fateri cogitur, ſive respiciat tempus, in quo illa exculta fuit, ſive ad tempus, quod inſumitur, antequam quis poſſit omnia ſibi comparare, quæ in Medicina ſunt addiſcenda: atque longa eſt, ſi comparetur ad hominis vitam. Quippe ars Medica una cum Morbo habuit originem; quam primum enim homo corripiebatur Morbo, auxilium quæſivit, hoc antem tempore tam imperfecta fuit, ut vix mereatur artis nomen. Et quoniam ad noſtram quoque ætatem duravit, nulla potuit eſſe ars longior. Cum nunc ars Medica ad tantam perfectionem venerit, longum quoque tempus eſt inpendendum, antequam poſſumus cuncta addiſcere: non ſufficit enim, ut Empirici, quædam promta poſſidere medicamina, ſed ars Medica ex ſcientia anatomica, ut habeatur cognitio fabricæ; ex Chemicis, ut cognoſcat humorum mutationes; ex Phyſica, ut intelligat actiones firmarum partium, eſt petenda; dein per experimenta & obſervationes in corpore

pore humano addiſcere oportet, quid ſpeciale ſibi vindicet Morbus. Hucusque verſatur in ſcientia Medica, ſed ut artem excolat virtutes Medicamentorum ſunt addiſcendæ, ut iſtis, atque inſtrumentis, aliisque rebus in Diæta tradendis, valeat præſentem morbum tollere, futurum avertere, incurabilem palliare. Antequam hæc omnia cognoſcuntur, longum tempus inſumi debet. Interim labitur ætas, ut vix aliquid ſuperſit temporis, in quo ars Medica incrementum poſſet capere. Hoc quia viderunt multi, aliquam duntaxat partem excoluere, tota ars nimis multa complectitur, in qua quoque aliquem progreſſum fecere. Laudanda ſunt eorum opera, ſed qui artem Medicam exercere vult, debet omnium habere notitiam, quod autem paucis contigit.

IV. Opportunum agendi tempus a morbo dependet, qui non omni tempore idem agere permittit; imo in morbis acutis, aliisque præcipitibus caſibus promta ſunt adhibenda auxilia, ne cunctando moriatur æger, vel in deterius ruat: at vero in chronicis non tam accurate temporis momentum eſt obſervandum, quia ſubitaneis mutationibus minus obnoxii ſunt. Si vero in præſenti tempore aliquid boni præſtare poſſumus, imprudentia eſſet exſpectare in craſtinum. Monet igitur ſapienter Hipp: occaſionem eſſe celerem, ne ex culpa noſtra per cunctationem aliquod detrimentum fiat homini. Conſtat ex obſervatione hac, Medicum in omnibus oportere verſatum eſſe, ne cogatur primo conſulere libros, quo forſan tempore effluxiſſet occaſio agendi, ſed habere debet omnia auxilia in promtu, quibus levari poteſt æger. Occaſio celeris.

V. Non omne experimentum eſt periculoſum, ita enim Phyſici, & Chemici multa experimenta faciunt, ut ad mojorem perfectionem deducant ſcientiam, in quibus nihil periculi ſubeſt. In medicina autem Experimentum eſt periculoſum, cum temerariæ periclitationis finis ſit mors. Experimenta in arte Medica raro bonum effectum ſortiuntur, ſi enim quis medicamentum incognitum propinat in morbo incognito, ut multi faciunt Empirici, ſi juvat, caſu juvat, & ex decem ne unus curabitur; ita erat in primor- Experimentum periculoſum.

diis artis, ſed poſtquam cogniti ſunt morbi & cognita atque detecta medicamina, temere foret hominis vitam & ſanitatem periclitari. Etiam non caret periculo exhibere in morbo cognito medicamentum, cujus virtus non ſatis perſpecta eſt, ut multi faciunt, qui novis ſtudent, & præſtantiam ex pretio, aut multis laboribus ad præparandum medicamentum, impenſis demetiunt: neque ad curationem aliquid valet virtus medicamenti cognita, ſi lateat morbi cauſa. Sed ut ex arte & ſine periculo curetur æger, morbi cauſa cognita eſſe debet, & quomodo illa poteſt tolli: atque cognitæ debent eſſe virtutes in medicamentis, quæ cauſam illam tollere valent. Tale autem exercitium non vocatur experimentum, ſed eſt experientia, multis experimentis confirmata. Qui ſine prævia harum rerum notitia artem Medicam aggreditur profiteri, peſtis eſt in Republica cenſendus, multos enim trucidat, at paucos ſervat. Dolendum ſane eſt in Republica bene conſtituta ferre, idiotarum periclitatione & experimentis temerariis multos inſontes letho dari, & hominem, arcem animæ immortalis temerariis experimentis committi. Utinam nemini, niſi in arte Medica eruditiſſimo, hanc artem profiteri eſſet licitum.

Judicium difficile.

VI. Judicium in Medicina nititur præmiſſis, ex quibus perpenſis Medicus judicat, quænam ſit iſtius morbi cauſa, & quomodo tolli poſſit aut debeat. Cauſæ antecedentes, natura ægri, & apparitiones ſuggerunt iſtas notiones, ex quibus Medicus concluſionem formare debet. Sæpe vero cauſa præcedens latet, ut ſit in aëre, cibo, potu, vel aliis rebus: quare Medicus & æger neſciat ſæpe eam cauſam anteceſſiſſe; interdum æger quadam idioſyncraſia ipſi tamen ignota laborat. Et apparitiones ſeu phænomena non ſemper eandem cauſam latentem ſignificant. Ex his tamen abſconditis & ſæpe incertis Medicus certum judicium debet proferre, quam difficile hoc ſit, neminem latere poteſt. Triplex eſt judicium in curationibus faciendum; primum, ut veram cauſam, quantum humanum ingenium valet, ex dictis abſconditis ſæpe, inter ſe comparatis, eruat. 2° Si poſt cau-

cauſam detectam quædam naſcuntur ſymptomata, ut judicare valeat, bona ſint an mala, quæ vocatur Criſis bona vel mala: ea cognitio ex experientia multiplici in cauſa ſimili hauritur, ſine qua in morbis nemo valet decernere verum: ad hanc partem excolendam requiritur homo experientia admodum inſtructus. 3° Denique perpendere debet, quid ſit in ea cauſa agendum, vel ſequitur tunc naturam, quæ ſæpe hanc vel illam molitur evacuationem, qua ſuſtulit morbum, eam tunc imitari oportet; vel examinat curationes in ſimili cauſa cum felici eventu factas, iſtas tunc ſequitur. Sed in his omnibus non errare aut decipi, humanum ingenium fere ſuperat; quare multos deterruit harum omnium rerum difficultas, ut potius experimento vago & experientia empirica, quam dogmatibus certis voluerint exercere artem Medicam, cum ſummo ſcientiæ & hominum detrimento.

Altera pars.

VII. Altera pars hujus Aphorismi breves ſed ſolidas ſuggerit regulas, quas Medicus tenetur obſervare, ut feliciter ſuam artem exerceat. Auctor ad quatuor perſonas ſuam orationem dirigit: primo ad Medicum ipſum; 2 Ægrum; 3 Adſtantes, qui auxilium ferunt; 4 ad Res externas quæ incidere poſſunt.

Medicus qualis eſſe debeat.

VIII. Medicum oportet 1° ut ſit magno ingenio præditus, qui poteſt ex omnibus iſtis obſconditis eruere verum, qui vero in judicando ſentiat ſe ineptum, ſe potius abſtineat, ne multi ægri ex ejus inſcitia detrimentum capiant. 2° non præmature ſe accingat exercere artem, cum multa ſint addiſcenda, antequam quis vera a falſis decernere valeat. 3° ſit religioſus, ut nihil in ægris faciat ſciens, quod non feciſſet in ſemetipſo ab eodem morbo correpto. 4° habeat in agendo auctoritatem & conſtantiam, quia ſine auctoritate æger nullam in Medico fidem habet, & ſi fluctuat, ſemper aliud quid agendo, exiſtimabit æger, Medicum morbi eſſe inſcium. Multo plura ſunt in medico notanda, quæ in officio Medici proponuntur.

Adſtantium officium.

IX. Adſtantium officium eſt curam ægri gerere, quia ipſe impotens aliorum auxilio eget, illi igitur ægro ſuccurre-

re debent, & Medicorum præcepta exacte obſequi, ut omnia rite apud ægrum peragantur.

Aeger quomodo ſe gerere debeat.

X. Niſi æger fideliter narrat, quæ ſentit & patitur, quænam præceſſerit cauſa, in Medico non eſt veram morbi cauſam eruere: requiritur quoque in ægro, ut mandatis Medici obtemperet, aliter enim fruſtra laborat Medicus.

Res externæ quales eſſe debeant.

XI. Res Externæ neque ſint impedimento curationi, neque turbare debent criſin in acutis; lectus ſit conſuetus: abſit rumor, ſtrepitus, omneque animi pathema, Medicamenta rite ſint præparata, odore, colore & ſapore quantum fieri poteſt grata.

LIB. I. APH. II.

2. *IN perturbationibus alvi & vomitibus ſponte contingentibus, ſiquidem qualia purgari oportet, purgentur, confert, & leviter ferunt: ſin minus, vice verſa. Sic & vaſorum vacuatio, ſi quidem talis fuit, qualis fieri debet, confert & bene ferunt, Sin minus, vice verſa. Inſpicere itaque oportet regionem, & tempus, & ætatem, & morbos, in quibus convenit, aut non.*

I.

HIpp: in hoc Aphoriſmo præceptum generale præbet in evacuationibus copioſioribus ultro abortis, per alvum, vomitum & alia loca, num illæ ſint permittendæ, promovendæ vel ſiſtendæ: & ut Medicus ſciat, quid ſit faciendum, adjicit cautelas, nempe facilem & difficilem tolerantiam evacuationum; ſed quoniam hoc ſolum non ſufficit, ratio habenda eſt Regionis, temporis, ætatis & Morborum. In expoſitione igitur hujus debemus primo reſpicere ad ſpontaneas iſtas evacuationes, quibuſnam ex

cau-

cauſis oriantur. Dein quænam cautelæ ſint obſervandæ, ut promoveatur vel moderetur illa evacuatio.

Evacuatio ſpontanea.

II. Si per Emunctoria naturalia major humoris copia evacuatur ſine Medicamento aſſumto, & ſine cauſa externa hanc evacuationem concitante, quam in ſanis fieri ſolet, vocamus ſpontaneam vel ultroneam Evacuationem. Complectimur quoque ſub hoc nomine omnes reliquas evacuationes, ruptis vel dilatatis vaſis, factas e locis, ex quibus in ſanis nulla fieri ſolet evacuatio.

Evacuatio copioſior ſalubris.

Ex abundantia.

III. Hæ evacuationes modum excedunt primo, ſi in corpore eſt humoris morboſi abundantia, ſive ille humor ex nimis ingeſtis fuerit genitus, ſive ex morbo factus, ſive bonus tanta copia collectus, ut deſtruat æquilibrium inter cauſas agentes & molem movendam. In his omnibus caſibus ſi natura faciat copioſiorem evacuationem, qua educitur id morboſum, vel quod abundat, ſalubris talis eſt ſtatuenda, homo enim liberatur a morbi materia, & redigitur corpus ad æquilibrium.

Corpoſior mala.

IV. Ultronea etiam 2° fieri poteſt evacuatio in humorum abundantia, quæ tamen non aufert morboſum, ſed eum relinquit humorem, educens ſanum: vel tam magna & ſubitanea eſt evacuatio, quam vires corporis ferre nequeunt, illa autem non eſt laudanda, cum novum ſæpe inducat morbum priori pejorem: ita aqua hydropicorum ex rupto umbilico; vel pus nimis copioſe evacuatum in empyematicis, ſubitaneam mortem induxit.

Copioſior ſine abundantia.

X. Denique 3° natura ſæpe molitur evacuationem copioſiorem, etiamſi nulla adſit abundantia; vel quod humores ſint colliquefacti, aut putredine liquati, ut ſponte effluant: vel oſcula emunctoriorum nimis relaxata, cunctos tranſmittunt liquores. Tales evacuationes ultroneæ ſemper ſunt damnandæ.

Unde cognoſcitur bona vel mala.

VI. Ut autem ſciamus, quænam ex his tribus evacuationibus accidit, obſervandum eſt, num fiat cum *Euphoria* vel *Dyſphoria*, id eſt, num ægri vires per evacuationem hanc augeantur, & morbi vehementia minuatur, quando dicitur evacuatio fieri cum Euphoria, & vocatur Critica, ut fit in

primo caſu. Sed ſi æger nihil emolumenti ex tali evacuatione percipit, imo vires minuuntur & morbus magis exaſperatur, talis evacuatio fit cum Dyſphoria, & vocatur ſymptomatica.

Regulam curationis ſuppeditat.

VII. Hanc obſervationem facilioris & difficilioris tolerantiæ inſtruere medicum, num ſit evacuatio permitenda, augenda, aut moderanda, ſponte liquet. Scimus enim, niſi evacuatione tollatur morbi materia, vel abundantior humor, nos non debere talem permittere, & adhuc minus promovere evacuationem, quare ex obſervatione hac certi ſumus, num conducat, aut non. Hinc recte præcipit Hipp: ſi fiat evacuatio cum Euphoria, eam eſſe promovendam, ſed ſi fiat cum Dyſphoria, eam ſiſtendam eſſe, quia Medicum oportet minuere, non augere morbum.

VIII. Unicum hoc ſignum cum interdum potuiſſet fallere, vel non ſatis obſervari, ut æger non percipiat, num ex bona cauſa leventur vires, cum ſæpe evacuationes fiant, quas mox ſequitur mors, quæ tamen magnum videtur adferre levamen, ut ſæpe in moribundus experimur, neceſſe itaque eſt alia quoque conſulere, ut ſimus certiores. Inter ea primo recenſet *Regionem*. Quædam regio enim non ſolum majorem evacuationem fert, ſed & ſine ea homo vix ſanus vivere poteſt: aliis autem in regionibus quævis evacuatio copioſior damnum infert. Hic autem loci non poſſumus omnes percurrere regiones, ut præcepta tradantur de evacuationibus, quare hoc obſervare ſufficit, ſi exercemus medicinam in quadam regione, ut in ea obſervemus, quid boni aut mali eo in loco faciat evacuatio. Si deteximus in tali regione facile tolerari evacuationes, eas quoque permittimus fieri, ſin vero ſecus ſit, quantum fieri poteſt iſtas evacuationes compeſcimus, & raro excitamus artificialem evacuationem.

Regio quid faciat ad cognitionem.

Tempus quid faciat ad cognitionem evacuationis.

XI. Addit ſecundo loco *Tempus*, quod diſtinguunt in vernale, æſtivum, autumnale, & hyemale, aliter in ſolſtitium & æquinoctium. De his autem temporibus ſuis locis agetur: hoc loco ſufficiet obſervare, id tempus tolerare evacuationes copioſiores, quod in corpore collexit humorum abundan-

dantiam, quæ vix tolerari poteſt in inevitali inſtante temporis mutatione: ita ver ferre poteſt copioſiores evacuationes, quam autumnus, quia inſtans æſtas ſuo calore partes firmas relaxans, non poteſt æqualem ferre liquoris quantitatem, corpora ſana enim hyeme ponderoſiora ſunt, quam æſtate; ergo vernali tempore hæ copioſiores ſunt ſalubriores, quam aliis temporibus.

Aetas quid faciat ad cognitionem evacuationis.

X. Non ſine gravi ratione *Ætatem* addit, quamdiu enim multum increſcit homo, uti infantes & pueri, talis ætas non habet humorum abundantiam, quia quod confectum eſt, in corporis incrementum cedit: huic itaque ætati non convenit evacuatio larga: neque in ſenibus copioſior evacuatio eſt toleranda aut facienda, cum corpora ſenectute debilitata, vix valeant tantum conficere, quantum ad ſuſtentationem ſui requiritur. At conſtans ætas, præprimis ſi non amplius corpus increſcit & valens eſt, largam patitur facile evacuationem, hoc enim tempore ætatis natura in mulieribus concitat menſes, & in viris ſanguinis fluxum ex naribus, facileque copioſiorem evacuationem ſuſtentat, & frequenter incidit in morbos, qui ex majori humorum copia naſcuntur.

Morbi omnes neque vetant neque egent evacuatione.

XI. Non omnes *Morbi* vetant aut exigunt evacuationes, ſed quidam ex his: neque illi, qui in principio ferunt evacuationem, circa finem eandem exigunt. Omnes autem percurrere morbos, non eſt hujus loci, pro generali regula ſufficit notare morbos imflammatorios, acutos, calidos, cum motu humorum validiore, & qui humorum abundantiam arguunt, expoſtulare evacuationem largiorem, quæ ſi non fiat, arte eſt facienda: morbos autem ſuppuratorios, putridos, pituitoſos, frigidos, cum motu minore, vel in quibus anteceſſit copioſior evacuatio, ut in puerperis, omnem reſpuere evacuationem.

Evacuatio per conveniens emunctorium.

XII. Denique diſtinctionem proponit inter evacuationes, quarum tres proponit, 1 vomitum, 2 alvi egeſtionem, 3 alias reliquas evacuationes. In quibus omnibus ſponte contingentibus, qualia purgari oportet, purgentur, confert, & leviter, ferunt. Id eſt per dicta emunctoria talis debet eva-

evacuari humor, qui emunctorio convenit minime alienus. Nam ſi verbi gratia ſanguis redditur copioſior, aut meraca egeruntur vel revomuntur, quamvis copioſior evacuatio fuiſſet laudabilis, nunc vero damnatur, quia non evacuantur, qualia oportet.

Vomitus quando permittendus.

XIII. *Vomitus* igitur ſpontaneus copioſus permittendus & promovendus eſt, ſi reddat cacochyliam in ventriculo collectam, in morbis inappetentiæ & ſtomachi vitiati in ſua coctione, ſi tum per vomitum levantur ſymptomata, & augentur vires, ſcimus, eum vomitum ſuſtiliſſe Morbi materiam: ſed ſi illa abſint indicia, vel quod aliena reddantur per vomitum, vel morbus a vomitu augeatur, abſit credere, vomitum allaturum levamen.

Alvi egeſtio quando permittenda.

XIV. Id quoque ſentiendum eſt de ſpontanea copioſiori *alvi egeſtione.* Hipp: enim hoc loco utitur vocabulo, quod perturbatam alvi egeſtionem ſignificat non mediocrem: quia naturale eſt, ut alvus exoneretur, quod de vomitu dici nequit. Talis immodica alvi egeſtio debet reddere materiem in inteſtinis collectam, vel in ea confluentem, cujus materiæ eductione tollitur morbus: ſæpe hoc in caſu per purgantia evacuationem adjuvamus, ut corpus ab omni alieno liberetur. Sed ſi evacuatio hæc non conveniat morbo, ut Phthiſi, impyemati, aut ſi aliena emittantur; aut ſi æger difficile fert hanc evacuationem, non eſt illa evacuatio promovenda, ſed moderanda vel cohibenda.

Evacuationis regulæ obſervandæ.

XV. Per vaſorum vacuationes reliquas intelligit evacuationes. Solummodo ex primis viis per vomitum vel feceſſum poſſunt reddi humores; ſed reliquæ evacuationes naturales, artificiales, vel quæ ſolutis vaſis contingunt, ex communi maſſa deducuntur. Ergo de evacuatione per urinam, ſudorem, ſalivationem, & de ſanguinis miſſione eædem ſunt obſervandæ regulæ, quæ ſuperius fuere notatæ.

LIB. I. APH. III.

3 *IN Exercitantibus boni habitus, ad ſummum progreſſi periculoſi ſunt, ſi in extremo fuerint. Non enim manere poſſunt in eodem, neque quieſcere. Quum vero non quieſcunt, non amplius in melius augeſcere poſſunt; reliquum eſt igitur ut in deterius. Ob has igitur cauſas bonam habitudinem non tarde ſolvere confert, quo corpus rurſum renutritionis principium ſumat. Neque vero collapſiones ad extremum ducere oportet, periculoſum enim eſt. Sed qualis natura eſt ejus, qui perferre debet, ad hoc ducere convenit. Similiter autem & evacuationes ad extremum ducentes periculoſæ ſunt: & rurſus renutritiones in extremo exiſtentes, periculoſæ ſunt.*

I.

UT Hipp: in præcedenti Aphorismo tradidit generales cautelas in evacuationibus ultro obortis, ita in hoc præcipit canones obſervandos in corporibus ſanis, ſi arte facienda ſit evacuatio aut renutritio, ne utraque modum excedant. Evacuationis neceſſitatem ea ratione firmat, quam ex athletarum bono habitu deſumſit. In expoſitione hujus occurrit. 1 Num corpora ſana egeant præternaturali vel arteficiali evacuatione, & quouſque illa permittenda. vel facienda 2. Qui modus ſervandus eſt in refectione. 3 Ponderanda eſt ratio, quam adduxit Hipp:

Evacuatio in ſanis.

II. Antequam determinari poteſt, num corpora ſana per evacuationes ſint ab eo laudabili ſtatu depellenda, inter Medicos primo conſtare debet, quid intelligant per *Sanitatem* Sanus autem tunc dicitur homo, qui omnes ſuas actiones exercet vel exercere valet cum conſtantia & oblectamento, cui nihil eſt alienum in corpore, cui quoque inter actio-

Sanitas definitur.

Sanitas an egeat curatione.

actiones & humores habetur æquilibrium. In tali igitur corpore nihil eſt, quod ſui ablationem exigit, ceſſat igitur Curatio Curatoria ut vocant Medici, quidquid enim facimus, in deterius ruit. Sed de Curatione præſervatoria inter Medicos maxima lis eſt, & fere omnes ſequuntur auctoritatem Galeni & Hippocratis, non quod ex experientia id deſumtum ſit, ſed ex ratione.

III. Agedum, ſi rationibus eſt dimicandum, ceſſat auctoritas: & quia his temporibus accuratior eſt anatomica cognitio, & plura ſunt facta experimenta chemica & phyſica, audeo ſine arrogantia profiteri, Medicos his temporibus plus valere rationibus, quam Hipp: aut Galenus, vel alii veteres. Nemo tamen exiſtimet, id antiquis vitio dari, quod multa neſcivere, quæ ſerior ætas detexit: forſan hi viri præpolenti judicio fuere præditi, ſed defectu experimentorum non raro fuere allucinati. Quomobrem, ſi veteres rationibus utuntur, non ſumus coacti eorum auctoritatem ſequi.

Nutritionis neceſſitas.

IV. Corpus vivens ſanum in ſe habet motum vitalem, ſemper aliquid deterentem & inutile facientem, quod detritum & alienatum per emunctoria naturalia expellit: inde generatur refectionis ſeu nutritionis neceſſitas. Nutritur autem aſſumtis alimentis, quæ eodem illo motu vitali convertuntur in ſimilia ea, quæ ablata fuere inevitabili lege. Quamdiu in ætate conſtanti, (nam quamdiu homo creſcit, plus conficitur, quam corrumpitur & evacuatur) tantum boni ex aſſumtis præparatur, quantum motu vitali deteritur, & corrumpitur, & expellitur, perfecta manet ſanitas, & nulla eget Medicina. Sed ſi nimium conficitur, generatur humorum abundantia, qua deſtruitur æquilibrium: in hoc caſu neceſſe eſt vel naturalem augere evacuationem, vel arteficialem facere, aut minus ingerere, ut ita corpus redigatur ad ſuum æquilibrium. Talis autem ſtatus non eſt ſanus, ſed eſt morbus ex abundantia, etiamſi non ſentiatur. Sæpe enim adſunt morbi, qui nulla præbent indicia, ut varices vel vomicæ internæ, quæ tamen a morbis non excluduntur.

Evacuationis neceſſitas.

V. Ad

V. Ad præveniendos autem morbos ſæpe coacti ſumus humoris copiam minuere. Ita fœminæ ad pubertatem venientes neceſſe eſt ut menſtruas purgationes habeant, quibus id abundans evacuant: ita juvenes cum euphoria hæmorrhagiam patiuntur, ſed licet non contingunt, manent tamen ſani, niſi a longo tempore, fuere aſſueti. Tantum valet conſuetudo, ut etiamſi fuerint deteriora, indulgendum ſit: ſed tunc non deducitur indicatio ex ſanitate ſed conſuetudine. Praſtantius autem eſt malis non aſſueſcere, aut ſi aſſueti ſumus, ſenſim a concepta mala conſuetudine recedere. In fœminis autem alia eſt ratio, quæ a Deo ita ſunt creatæ, ut ſua corpora valeant, ſi gravida ſint, incrementum præbere fœtui, & poſt partum ſuppeditare lac ſine corporis debilitatione: quæ neceſſario ſequeretur, ſi corpora fœminarum non plus nutrimenti conficerent ex aſſumtis, quam ad nitritionem ſui requireretur. Menſtrua igitur purgatio in fœminis inter naturales evacuationes eſt recenſenda. Quæ ſi fiat, aut ſi gravida vel lactans ſit, non eget evacuatione præternaturali. Si vero fœmina in principio geſtationis abundantia ſanguinis laborat, quod embryo minus convertit in incrementum ſui, quam fœmina ante prægnationem eodem temporis termino ſolebat evacuare, expedit venam ſecare.

Evacuatione boni ſæpe præveniuntur morbi.

Menſtruatio eſt evacuatio naturalis.

VI. In iſtis igitur corporibus, quæ ex aſſumtis alimentis plus boni conficiunt, quam deteritur & expellitur motu vitali, (excipimus autem fœminas, niſi menſtrua purgatio inter naturales evacuationes admittatur) tandem generatur morbus ex abundantia, quæ præternaturali evacuatione tolli debet, ne ex deſtructo æquilibrio pejores generentur morbi.

Quibus ex abundantia fit morbus

VII. Ad evitandam in hujuſmodi corporibus æquilibrii deſtructionem & inde naſcendos morbos, ſolam evacuationem ſine cunctatione faciendam Hipp: præcipit, & merito: præſtantius enim eſt quantitatem detrahere, quam morbos ex deſtructo æquilibrio expectare. Id autem mali eſt in hac medendi methodo, quod homines tunc nimis aſſueſcant huic arteficiali evacuationi: quam tamen conſuetudinem potuiſſe-

Evacuatio facienda in abundantia.

mus evitare parciori diæta, & laboribus durioribus, quibus vel minus ſuppeditatur, vel magis conſumitur, ut non ſit neceſſe corpus arteficiali evacuatione laceſſere.

An ſola ſanguinis miſſione minuenda abundantia.

VIII. Omnes fere Commentatores hic præcipiunt ſanguinis miſſionem. Videtur autem mihi Hippocratem quamcumque voluiſſe evacuationem, ut in præcedenti Aphoriſmo indicavit: nam per vomitoria & purgantia quoque valemus minuere abundantiam. Qui enim frequenti vomitu, aut alvo turbata laborant, tandem pallent, quibus conſtat, has evacuationes etiam poſſe minuere ſanguinis rubri quantitatem.

IX. Multum quoque ſe fatigant hunc locum de mediocri evacuatione conciliare cum *L.* 1. *Aph.* 23. ubi præcipit ad animi deliquium eſſe ducendum, quaſi Hipp: ſibi metipſi obloqueretur, ſed ſi inſpiciatur ratio eo in loco proponenda, facile conſtabit ita fieri debere. Hoc loco præcipit enim *evacuationem* faciendam in humorum abundantia, ne fierent inde morbi, ſufficit igitur tantum ducere, ut reſtituatur æquilibrium, ſed non ultra: peccare enim æque poſſumus defectu humorum, quam abundantia: quare modus non eſt excedendus per nimiam evacuationem. Hoc quoque novit Hipp: neque vero collapſiones, inquit, ad extremum ducere oportet, periculoſum enim eſt. Id eſt in ſanis ceteroquin corporibus ſola abundantia laborantibus, non debemus per immodicam evacuationem facere, ut vaſa inanita collabantur, ſeu evitando malum ruere in deterius.

Evacuatione immodica an Auferenda abundantia.

Refectio quanta debeat eſſe in defectu.

X. Ut eſt modus ſervandus in evacuatione, ita etiam in *Refectione* ſeu *Renutritione*, quam Hipp: ἀνάθρεψιν vocat. Supponitur homo vel ex inedia, vel multis laboribus, vel morbo præcedenti, ita humoribus privatus, ut quoque ab hac parte deſtructum ſit æquilibrium, ſed ceteroquin ſanus. In tali caſu præcipit Hipp: Refectionem non fieri debere ſubito, ſeu magna copia ſimul. Hujus rei ratio eſt evidens, nam ſi appetitui indulgeamus, qui ſæpe nimius eſt, ut poſt curationem quartanæ febris per antidotum, tantum ingeritur, quantum a corporis viribus jam adhuc infirmis ſubigi nequit. Id igitur ingeſtum, ſua copia ſupprimit ulterius vires, &

quia

quia actione vitali non ſubigitur, in ſibi propriam corruptelam convertitur, quæ corruptela multos morbos in nobis producit. Neceſſe igitur eſt, non plus ingerere, quam quod viribus iſtis infirmioribus vinci poteſt: præſtantius enim eſt famem pati, & ſenſim recuperare vires, quam nimia ingurgitatione magis debilitari, & in novos ex corruptela morbos incidere.

Habitus bonus an perſiſtere nequit.

XI. Reſtat examinare Hippocratis Ratio, quæ eſt tanquam fundamentum, cur debeat fieri evacuatio in perfecta ſanitate. Non poteſt, inquit, bonus habitus ad ſummum progreſſus in eodem ſtatu permanere, quia natura ſemper aliquid moliatur, quare, ſi actio hæc nihil boni præſtare poſſit, malum facit. Vera illa eſſet ratio, ſi per motum vitalem, qui hic vocatur natura, duntaxat fieret confectio in melius. At oblitus fuit, vel neſcivit Hipp: eodem illo motu humores quoque bonos corrumpi, & partes firmas deteri, quare natura, etiamſi corpus ad ſummam perfectionem deduxerit, ſemper tamen habeat aliquid elaborandum: nempe ut id alienatum concoquat & expellat; & ut nova ingeſta aſſimulet bonis humoribus. Nulla ergo eſt ratio, cur corpus a perfecta ſanitate ſit deflectendum, ſed præſtat eandem conſervare ſanitatem.

Athletis cur expedit facere evacuationem.

XII. Qui vero genio nimis indulgent & pancreatice vivunt, corpora ſua nimia alimentorum copia ſaginant, & tamen parum exercent, ut illa abundantia motu corporis conſumatur, quemadmodum *Athletæ:* his expedit aliquando detrahere ſanguinem, ut conſervetur ſanitas, quia humorum bonorum abudantia laborant. Sed inde non poteſt in omnibus ſanis generalis deduci regula, nam qui parcius vivunt, & ſuum corpus magis exercent, non egent evacuatione hac & manent ſani, ita multi temperate viventes ad ſummam ſenectutem ſani manent, ſine ulla evacuatione præternaturali, hæc ergo cautio ad ſanitatem conſervandam referenda eſt ad iſtos, qui ſua corpora ſaginant, ſed non eſt propterea generalis regula.

LIB. I. APH. IV.

4. *Tenues & exacti victus, & in longis semper affectionibus & in acutis, ubi non expedit, periculosi sunt: & rursus victus ad extremam tenuitatem progressi, difficiles sunt. Et repletiones ad extremum progressæ, difficiles sunt.*

I.

VErsatur Hippo: in tradendis regulis generalibus, ita in *Aph.* 2. præcepit, quid esset agendum in spontaneis evacuationibus; In *Aph.* 3. autem proposuit evacuationes arteficiales in hominibus sanis. Hoc autem loco tradit regulam generalem de Diæta, qualis oporteat esse in morbis, deinceps acturus est de Diæta moderanda in hominibus sanis.

Diæta quæ dicatur.

II. *Diæta* seu victus Latam & strictam significationem habet: Late si sumitur, indicat sex res non naturales, quæ hodie numero quaternario absolvuntur, ut sunt 1 ingesta, 2 gesta, 3 retenta & excreta, 4 applicata. Strictiori significatione accipitur pro usu alimentorum, in quo sensu hic ab Hipp: sumitur, quoniam hic solummodo verba facit de nutritione.

III. In nutritione autem hic duo extrema attingit, nempe nutritionem pleniorem, & parciorem & observat, quid victus hi maxime distantes faciant in morbis acutis & chronicis. De reliquis autem victus speciebus aliis locis agit.

Diæta tenuis.

IV. De *Tenui & Exacta Diæta* dicit Hipp: eam in longis morbis semper periculosam esse; in acutis interdum, quando nempe non expedit; in sanis autem extreme tenuem difficilem esse. Ergo præcepta tradit de tenui victu in tribus casibus. Initium facturi ab ea, quæ statuitur in sanita-

te,

te, 2° in morbis longis, 3° in acutis, ita meliori ordine ſequetur doctrina.

V. Extrema *Tenuis Diata* proxime accedit ad jejunium, eam dicebant fieri veteres, ſi parum admodum ingerebatur de alimentis facilis admodum materiæ, atque hoc per longum tempus: eam dicit difficilem eſſe. Hoc præceptum opponi videtur Celſi effato & multorum, abſtinentia & quiete multos morbos præveniri & curari. Sed etiamſi parum comedimus, aut mediocrem copiam ingerimus, pergit tamen motus vitalis deterere partes firmas, & corrumpere humores: ſi vero parciore ingeſtione tantum non poteſt reſtitui, quantum conſumitur & corrumpitur, id merito difficile dici poteſt, quia homo inde debilitatur. De hoc autem victu in ſequenti Aphoriſmo amplius agendum. In ſanis.

VI. Si exacta diæta, quæ nutritioni non ſufficit in morbis longis inſtituitur, periculoſa eſt. Morbi enim longi ſenſim debilitant vires, & victus exquiſitus detrahit neceſſarium nutrimentum, quare homo talis binis cauſis dibilitantibus afficitur, quarum una ſufficiebat ad inducendam debilitatem, quare periculum eſt, ne ſufficiat æger, qui mediocri victu erat ſuſtentandus, ut poſſet ferre morbum illum longiorem. Non debemus vero in oppoſitum incidere, imperando his pleniorem victum, uti multi exiſtimant, quo plus ingerimus eo magis nutriri, cum morbo longo corpora debilitata, neque copioſiora, neque concoctu difficiliora, in nutrimentum convertere poſſunt, ſed in curruptelam ſpontaneam abire permittunt. Ex hoc autem præcepto deducimus, ſummam medelam non queri oportere in ſtrictiſſima Diæta, ut multi contendunt in morbis chronicis. In Chronicis.

VII. In morbis autem *acutis* paſſim Hipp: & alii exactam ſeu parcam Diætam præcipiunt, hic vero loci dicit periculoſam eſſe, ſi non expedit. Quare regulariter in Acutis convenit Diæta parcior: ſed invenitur caſus, in quo non conducit: hunc caſum quia non exprimit hic Loci Hipp: ex aliis locis ſupplendus eſt. Intelligi autem poteſt ex iis, quæ mox ſequuntur in Aph: VII. *ubi vero non* (eſt morbus In acutis.

peracutus) *pleniore victu uti neceſſe eſt.* Si enim homo ceteroquin ſanus corripitur morbo, qui ex ſua natura deſiturus eſt inter quatuor dies, ille homo tantum chyloſi habet in ſuo corpore, ut non ſit periculum, eum defectu alimenti debilitari tam brevi tempore: adeoque motus vitalis hoc tempore unice elaborandam habet morbi materiam, cum non divertatur novorum alimentorum concoctione. Si vero morbus ille acutus ultra quatuordecim dies ſit perſeveraturus, tam diu non reſtaret chylus in nutrimentum vel bonos humores convertendus, quare aliquid eſt exhibendum, quod non eget multa corporis actione, & quod vires non ſuperat ſua copia, ne circa morbi finem, & morbi vehementia, & defectu alimenti debilitetur æger. Ille itaque eſt caſus acutorum, in quo exquiſitiſſima diæta non caret periculo.

LIB. I. APH. V.

5. *IN tenui victu delinquentes ægrotantes, magis læduntur. Omne enim delictum, quod committi poterit, magis magnum committitur in tenui quam in paulo pleniore victu. Quapropter etiam in ſanis periculoſus eſt valde tenuis, & conſtitutus, ac exactus victus: quoniam delicta gravius ferunt. Ob hoc igitur, tenuis & exactus victus periculoſus eſt magis quam paulo plenior.*

I.

SUpponit in hoc Aph: *Hipp:* omne nimium naturæ inimicum eſſe, fieri poſſe damnum ex parciore & largiore victu: ſed comparationem nunc facit inter exceſſum & defectum, quid majus damnum inferat, tam in ſanitate quam morbis: & concludit, majus malum fieri ex defectu alimentorum quam ex abundantiore.

II. Ut

II Ut concluſio hæc refutetur vel comprobetur. 1° inſpicienda eſt regula generalis omne nimium naturæ inimicum eſſe & nocere. 2°. Quid faciat victus abundantior. 3°. quid victus parcior. Denique producta horum inter ſe ſunt comparanda, ut conſtet, quid majus malum induxerit.

III. Neminem latet, Deum ita noſtrum creaſſe corpus, ut ſit definitis actionibus limitatum, quos limites ſi tranſcendamus, ſtatim deflactamur de ſtatu bono: in his autem quædam obſervatur latitudo, ut poſſimus decedere aliquomodo a mediocri aſſumtorum copia ſine ſanitatis detrimento; poteſt enim homo paulo plus & minus commedere quotidie ſine ulla noxa: quia vero mediocritas non eſt adſtricta ingeſtioni ſed viribus corporis, eadem itaque quantitas, quæ mediocris eſt debilibus & ocioſis, nimis parca eſt robuſtis & operariis, & vice verſa. Quæ igitur quantitas habita ratione virium corporis, mediocritatis limites excedit, ſive fiat in exceſſu ſive defectu nimium dicitur. Id nimium, quia vel tantum non ſuppetit vel plus ſuppetit, quam requiritur, ut maneat ſanitas, ſemper detrimentum adfert, atque hoc non ſolum in alimentis porrigendis, verum etiam in aliis quoque rebus obtinet, ut demonſtraturi ſumus (ad Aph. LI. Lib. 2.) Alimenta nimia.

IV. Victus plenior non ſolet ita ex copia æſtimari, ſed ex natura aſſumtorum, diluta enim etiamſi ſint copioſiora non faciunt victum pleniorem, cum in minori copia alimentorum difficilioris digeſtionis, ſæpe plus nutrimenti habeatur. Si itaque plus alimentoſi aſſumitur habito reſpectu virum corporis, quam corpus iſtud poſſit mutare in ſuos humores, plenior eſt victus. Id autem quod a viribus vitæ non ſubigitur vel ita manet, ut aſſumebatur, quando vocatur *Crudum*: ſi vero aſſumta diutius retenta in loco calido & humido, quæmadmodum fit in noſtro corpore, per ſponta neum motum, ſive fit fermationis, ſive putrefactionis, commutantur in alienam indolem, humor tali modo natus vocatur in primis viis cacochylia, & per totum corpus diſperſus cacochymia. Qui liquor natus varios morbos inducit. Si vero æger deinceps ſe abſtineat a tali copioſiore ingeſtione Plena diæta.

ſtione, non ſuppeditatur Materia, ex qua cacochylia vel cacochymia formari poteſt: itaque pergente motu vitali id alienum ſenſim ſubigitur & expellitur, quoniam non habet ſcaturiginem; ergo per Diætam ſolam valemus morbos ex pleniore victu natos curare: ita recte præcipiunt, per abſtinentiam multos morbos curari, illos nempe, qui ex pleniore victu fuere nati.

Tenuis Diæta.

V. Tenuis autem ſeu ſtrictiſſima Diæta tunc ſtatuitur, ſi minor alimenti copia ſuppeditatur, quam potuiſſet viribus corporis in propoſito caſu præparari, non reſpicimus hic ad quantitatem ingeſtam, ſed ad comparationem virium corporis, & conſumtionem corporis noſtri. Ita homo ſe multum exercens tenui victu fatigatur, ſi non ingerit plus, quam alius otioſus: ita robuſtus tenui victu utitur, ſi iisdem alimentis & eadem copiâ utitur, ut homo debilior. Si minus ſuppeditatur itaque, quam deteritur & corrumpitur actione vitæ, neceſſe eſt, ut tale corpus laboret defectu, qui quoque ſimul inducit debilitatem: & quia non ſuppeditatur novum, id quod corruptum & detritum eſt, omne non evacuatur, ſed portio relicta bonis miſta, etiam generat cacochymiam. Si tunc ille homo pleniore victu utitur, ea quæ ingeſta ſunt ob vires debilitatas non convertuntur in bonum ſuccum, ſed tunc ſæpe laborat duplici genere cacochymiæ, nempe ex humoribus propriis inutilibus factis, & ex crudis vel ſponte alienatis alimentis. Id quoque incommodi accedit, quod quæ a bona ſua indole per nimiam actionem degenerarunt, deinceps nequeunt in bonum ſuccum converti, ſed fiunt actione vitali ſenſim deteriora, ut ſemper debeant evacuari: interim ſuccurrere non poſſumus ſubſtituendo bonum ſuccum, quia ingeſta non præbent bonum ſuccum, niſi præceſſerit concoctio virium vitæ, quæ cum nimis debiles ſint potius ex aſſumptis ſuppeditatur crudum vel corruptum, quam bonus humor. Inde toties reconvaleſcentes ex morbo ex pleniore victu in cocochymiam & cachexiam incidunt: & niſi ægri vires reſtaurentur, & mediocrem victum ſervent, diu manent valitudiarii.

VI. Si

VI. Si nunc conferamus ea, quæ ex parciore & largiore victu eveniunt, ſine hæſitatione pronunciare poſſumus *Delinquentes in Tenui victu ægrotantes magis lædi.* Quippe producta ex victu pleniore ſponte potuere emendari, & expelli, ſi autem reſtitiſſent in primis viis, aut per purgans potuiſſent eliminari, & ex tota maſſa per diuretica & ſudorifera; imo ſola abſtinentia morbi cauſam eradicare valet detracto pabulo; vel motu muſculari id crudum quoque ſubigi poteſt & expelli: ſed alienum ex tenuiore diæta natum, & inducta debilitas, neque motu, neque largiore victu tolli poteſt. Quare ſi ſit peccandum, minus malum eſſet, in abundantia quam in defectu committere errorem. Hoc quoque verum eſſe in morbis Acutis & Chronicis, ſuperius demonſtravimus.

Tenuis victus magis lædit.

LIB. I. APH. VI.

6. *AD Extremos morbos, exacte extremæ curationes optimæ ſunt.*

I.

IN tradendis regulis de victu hunc interpoſuit Hipp: Aphoriſmum, ut ſit pro fundamento generali, cujus ſpecies etiam illa eſt curatio, quæ per victum curat. Si ergo generalis regula procedit, ſpecialis de victu quoque eſt admittenda, quod nempe debeamus tenuiſſimum victum vel perfectam inediam imperare in morbis extremis.

II. *Extremus*, *ultimus*, *poſtremus* aut *ſummus morbus*, ita ut nihil ſupra ſit, tunc dicitur præſens, cum morbus minatur interitum, cui niſi ſuccurramus promte, breve vel certe interficiat. Tales morbi ſunt 1° acutiſſimi, qui tanto impetu exagitant corpus, ut niſi compeſcatur, omnia deſtruat: in hoc præcipiti caſu largiorem mittimus ſanguinem, & duci-

Morbus extremus.

mus alvum, & abſtinemus ob omni victu; quæ omnia in mitiori malo non eſſent facienda. 2° Chronici tales multi ſunt, quorum cauſa vi vitæ tolli nequit, neque ſolita medela emendari. Ita os carie infectum reſpuens medelam, exſtirpationem exigit; Cancer ſi fieri poſſit, ſimul & ſemel abſcindendus; angina quæ minatur ſuffocationem, bronchotomiam indicat; pus in pectore paracentheſin; fractura cranii terebrationem. Ita *curationes* omnes dicuntur *exacte extremæ*, quia violentes ſunt & nunquam niſi in ſummo diſcrimine adhibentur; cum præſtantius ſit truculentam ſubire operationem, vel amittere aliquam partem, quam ut homo moriatur. Regula igitur eſt generalis, violentæ & extremæ curationes ſunt adhibendæ, ſi malum neque vi vitæ, neque mitioribus ſuperari queat, & minetur interitum vel majus malum.

Curatio extrema.

LIB. I. APH. VII.

7. UBi quidem peracutus eſt morbus, ſtatim etiam extremos labores habet, & extreme tenuiſſimo victu uti neceſſe eſt. Ubi vero non, ſed pleniore victu uti licet, in tantum ſub deſcendendum eſt, in quantum morbus extremus mollior fuerit.

I.

Diæta in morbo acuto.

IN hoc aphoriſmo determinat victus quantitatem ex morbo præſenti, & ex omnibus morbis eam eligit claſſem, quæ eſt acutorum; hos iterum acutos diſtinguit in peracutos & minus acutos, vel molliores. Et in peracutis imperat tenuiſſimum victum; in molliore autem ſeu remiſſiore victum pleniorem.

II. Omnes morbi, qui brevi tempore vel ceſſant vel ad interitum vergunt, ſive cum ſive ſine periculo ſint, vocantur

Acuti.

Acuti. (vid. T. 53. XLVII.) modo non durant ultra viginti quatuor, vel ad ſummum quadraginta dies; qui vero ante diem quartum terminantur, *peracuti*, & *acutiſſimi* vocantur.

III. Peracuti ſunt vel cum laboribus, id eſt validiſſimis ſymptomatibus, quæ ab irritata vi vitæ concitantur, quales hic ab Hippocrate proponuntur; vel ſunt ſine laboribus multis, uti morbus peracutus benignus, Ephemera febris vel Synochos ſimplex; vel peracutus malignus, uti Peſtis, & aliæ Febres malignæ brevi tempore interficientes; vel peracutus periculoſus, uti Apoplexia, Lethargus, Angina. Morbi peracuti.

IV. Si incipit morbus acutus cum magno æſtu, ſiti, ſiccitate, pulſu duro, reſpiratione frequenti, magna moleſtia, anxietate & aliis vehementioribus ſymptomatibus motus validioris circulationis, cognoſcimus eum morbum fore peracutum; nam initia tam valida ſenſim increſcentia diu tolerari nequeunt, quin omnia ſint deſtructa: appoſite itaque adjecit Hipp: *ſtatim etiam extremos labores habet*, ut cognoſcamus ſpeciem morbi acuti, & eum peracutum futurum eſſe. Peracutus futurus conjicitur.

V. In tali peracuto morbo expertus eſt Hipp: tenuiſſimum victum prodeſſe, quoniam tenuiſſimus victus, & ob minorem quantitatem, & qualitatem facile ſuperabilem, non eget multa virtute agente corporis, quare conducit corpori debilitato ex morbo. neque verendum eſt ex defectu alimentorum, uti in chronicis, cum corpus diu ferre debeat morbum: & in peracutis, ubi vires ſunt debiles, & tempus breve, non eſt verendum, defectu alimentorum vires debilitari. Tenuiſſimus victus in peracutis.

VI. *Ubi vero non.* Ubi ſcilicet morbus ille acutus non ſtatim incipit cum multis laboribus, ex quibus judicamus, morbum diutius duraturum & ſimpliciter acutum fore. In tali ſtatu non debemus victu tenuiſſimo uti, quia tunc tantum alimenti eſt ingerendum, quantum ſufficere poteſt ad ſuſtentationem corporis. In quo acuto vetatur tenuiſſimus victus.

VII. Differentiâ victus expoſitâ, quæ eſt inter victum morborum acutiſſimorum intra quatuor dies deſinentium, & inter victum acutorum diu durantium ultra viginti imo Qualis diæta in acutis.

40 dies, Hipp: voluit reliquos quoque intermedios determinare. Ad hoc dicit, quo acutus morbus magis accedit ad acutiſſimorum genus, eo parciori diæta eſt utenda; quo vero ad diuturniores accedit, eo meraciori & copioſiori victu utendum, ne vires cadant defectu alimenti. Nam in morbis acutis, qui prope accedunt ad acutiſſimorum genus, tantus defectus ex parciori victu non eſt exſpectandus, quam in iis, qui ad longiſſimum genus accedunt: & in his minor eſt vehementia ſymptomatum, quæ victum largiorem vitarent, quam in illis; quare quo acutior eſt morbus eo parcior debet eſſe victus; & viciſſim quo morbus eſt longior eo largior victus eſt concedendus.

LIB. I. APH. VIII.

8. *QUum in vigore fuerit morbus, tunc tenuiſſimo victu uti neceſſe eſt.*

I.

Tenuiſſimus in morbi vigore.

IN præcendenti demonſtratum eſt, qualiſnam victus debeat eſſe in vehementiore & mitiore morbo; nunc proponit ſine diſcrimine omnem morbum acutum, ſed in eo vult diſtinguere tempora morbi, quæ accuratiſſime paſſim ab Hipp: citantur. Ex temporibus morbi eligit *Vigorem* ſeu *Morbi ſtatum*, qui vocatur ἀκμὴ; in quo tempore morbi cauſa validiſſima infert ſymptomata; id eſt quando ab initio morbi ſymptomata non amplius increſcunt, ſed nunc perſiſtunt, poſt quod tempus, vel moritur æger vehementia cauſa obrutus, vel morbus declinare id eſt miteſcere incipit, prævalentibus viribus vitæ, quibus ſuperatur & denique expellitur morbi cauſa.

II. In hoc temporis articulo ſummum eſt diſcrimen, & maxime laborant vitæ vires, quæ ſi deficiunt, æger ſuccumbit.

bit. Per ſe itaque patet, Medicum nihil agere debere, quod vires avocare vel ſupprimere poteſt. Si nunc probari poſſit, alimenta ingeſta vel avocare vires vel iſtas ſupprimere, dicti veritas conſtat. In præcedentibus demonſtratum eſt & nemini quoque dubium eſſe poteſt, quin alimenta ingeſta ſubigenda ſint viribus noſtri corporis ; itaque hoc dum peragunt, a duabus cauſis urgentur vires, a materia nempe morbi, & ab alimentis ingeſtis, quare eæ vires, quæ vix ſufficiebant ad ſuperandam morbi materiem, nunc deficere debent, cum deſiderantur inſuper ad alimentorum ſubactionem.

III. Neque hoc tantum, ſed in morbi vigore materia morbi diſponitur, ſi ſupervicturus ſit æger, ad criſim ſeu evacuationem criticam, quæ debet fieri ad naturalia emunctoria, ut præparata materia eliminetur: ſi vero hoc tempore contraria fiat humorum determinatio ad interiora, ſalubris critica evacuatio perturbatur, retinetur materia, obſidet interiora, homo non liberatur a morbo, ſed materia retenta, vel opprimit, vel novam facit exacerbationem, ut hoc ſemper pronunciatur, ſi ex ſignis conſtat, poſt morbi vigorem, materiem criticam non evacuari.

IV. Reſtat itaque probare, ab alimentis ſumtis determinationem fieri ad interiora. Hoc deducimus ex generali lege in noſtro corpore obſervata, qua conſtat, ſi alicubi quædam functio ſit peragenda, copioſiores eo verſus derivantur humores. Ita inter maſticandum affluit ſaliva in os; dum ventriculus eſt plenus, copioſior ſuccus pancreaticus & bilis funditur in duodenum: omneſque humores conſpirare videntur, ut commune adferant auxilium ad elaboranda alimenta. Hoc naturale in ſanitate non definit, dum morbus quoque adeſt: Imo ita creatum eſt corpus, ut, ſi alicubi noxium hæreat, eo mandet copioſiorem humorum fluxum, oculus enim irritatus lachrymas fundit & acria maſticatoria ſalivam eliciunt, imo anus vellicatus ſuppoſitorio rejicit contenta. Hic quoties fit alia ſecretio, evacuatio ſolet minui; quare vomitorium & purgans a cute ad interiora derivat liquores, non quod copioſiorem faciant evacua-

Alimenta ad interiora determinant.

tionem, ſed quod partes agitatæ eo verſus derivent humores. Inde naturalis criſis, quæ exſpectanda erat per emuntoria, aliam directionem patitur, atque materia ea cum humoribus copioſius ad ventriculum confluentibus poſt cibum ſumtum, eo ducuntur, quo motu inverſo perturbatur ea criſis ſalubris, retinetur materia, & derivatur in interiora loca.

V. Quamvis itaque Hipp: conſtanti obſervatione didicit, victum pleniorem hoc tempore obfuiſſe & ægros aggravare, non caret ratione, ut non ſolum dicta Hipp: quotidiana obſervatione videamus confirmata, ſed & ratione quoque comprobata. Ne autem nimius eſſet alimentorum defectus, ſelegit talia alimenta, quæ vix egent aliqua corporis actione.

Tenuiſſimus in paroxyſmo.

VI. Quæ dicta ſunt de vigore morbi acuti continui, optimo jure ad *Paroxyſmos* quoque referri poſſunt, cum in febribus intermittentibus ſinguli paroxyſmi tanquam integri morbi acuti haberi poſſint. Caute propterea evitant Practici in vigore paroxyſmi largius nutrire, ſed eligunt apyrexiam, ut nutriant, quando corpus minus vexatur vehementia morbi.

LIB. I. APH. IX.

9. *Simul autem conjectare oportet, an æger ex victu durare poſſit ad morbi vigorem: & utrum ille prius deficiet, & ex victu durare non poſſit: aut morbus prius deficiet ac obtundetur.*

I.

Diæta in morbi incremento.

DE Diæta in morbi vigore egit in præcedenti, nunc vero de *Diæta* in *morbi Incremento* vult agere. At certam regulam proferre non valet, ſed exigit conjecturam vel judicium, ex quo concludere debemus, num parcius vel largius æger in Morbi Incremento nutriendus.

II. Præ-

II. Præmonendum eſt, vires noſtri corporis æque debilitari ex defectu alimenti, quam ſuperari multitudine: nam ita eſt noſtrum corpus creatum, ut ſuis actionibus ſe deſtruat, quod nutritione nova eſt reſarciendum; quæ refectio ſi non ſatis fiat, minuuntur vires, quod tam in ſanitate quam morbo verum experimur. Itidem plus ingeſtum quam quod viribus vitæ poteſt vinci & in bonum ſuccum converti, vires opprimit, & in corruptelam abit. Quantum alimentorum dandum in morbis.

III. In morbis itaque, qui vi vitæ ſunt ſuperandi, tantum debet dari, quantum ſufficit ad conſervandas vires, ne ex defectu alimenti debilitentur; neque plus dandum, quam a viribus ſuperari poſſit, ne ſuprimantur vires, & ingeſta malum ſuccum ex defectu præparationis ſuppeditent. Ad hoc Medicus præcipue attendere debet in morborum acutorum Incremento, cum tempus, nempe ἀκμὴ, inſtat, in quo maxime laborare debent vires ad morbi cauſam ſubigendam: quod ſi tunc diminutæ ſint vires ex defectu, vel oppreſſæ ex majori copia aſſumtorum, periculum erit, ne vincat materia morbi & pereat vel ſuccumbat æger.

IV. Ut medicus itaque cognoſcat, quanta quantitas ſit danda, hoc ſola conjectura aſſequi poteſt, nam quo acutior eſt morbus, eo parcius nutriendum; quo vero diuturnior morbus eſt, eo largius nutrire debet (ut ex *Aph* 7. conſtat) inde victum in morbi incremento debet determinare ex ſignis morbi acutioris vel longioris futuri.

V. Quia vero hoc judicium deſumitur ex vehementia ſymptomatum, quæ validiora ſunt, ſi acutiſſimus futurus eſt morbus, ſed mitiora, ſi longior morbus exſpectatur, cautelam neceſſariam adjecit ad evitandum errorem in ſupputatione his verbis, *aut morbus prius deficiet ac obtundetur*. Quippe mitia conſpiciuntur ſymptomata ex bona & mala cauſa. Si cauſa morbi eſt parva, mitia ſymptomata conſpiciuntur, cum vis vitæ non multum inſtigatur ad vehementia ſymptomata inferenda: ex hoc judicaret itaque medicus largius nutriendum eſſe, quia vires valentes facile diætam largiorem ferre poſſunt, & quia acme longe diſtat. Sed fiunt etiam mitia ſymptomata ex mala cauſa, ſi nempe vires vitæ a morbi Ex ſymptomatum vehementia

cau-

cauſa ſuperantur. Quippe non eſt in nobis morbi cauſa, quæ vehementia ſymptomata infert, ſed vires corporis inſtigatæ per morbi cauſam. Si igitur tam valida ſit cauſa, ut vires emergere nequeant, pauca & mitia conſpiciuntur ſymptomata, non quod morbi cauſa ſit parva, ſed quod ſuperentur vires. Hoc prudentiſſimos ſæpe fefellit medicos, non attendentes, num mitia fiant ſymptomata ex bona vel mala cauſa, quare ſæpe ægri moriuntur, extra opinionem medici. Tale quid fieri, perpetua obſervatione in morbis acutis conſtat, qui abeunt in ſphacelum; præcedentia ſymptomata validiſſima mitia incipiunt fieri, & ita ægri cum ſumma ſpe levaminis, & futuræ ſanationis, ex improviſo moriuntur. Hoc monet Hipp: ne decipiamur lenibus his ſymptomatibus, dum morbus deficit vel obtunditur. Nam ſi tunc largius nutrimus, magis obruentur vires, quæ forſan eluctatæ fuiſſent.

Quid ſymptoma vehemens & mite.

VI. Ut melius intelligatur quid *Hipp:* intelligat per mitia ſymptomata, diſcrimen ponendum eſt inter ſymptomata Vehementia, Maligna & Benigna; nam ſi in corpore notabilis obſervatur mutatio in actionibus, aut actiones admodum auctæ, illæ actiones conſpectæ vel obſervatæ dicuntur Symptomata Vehementia; non quod ſigna illa conſpecta ex morbi cauſa proveniant, ſed actione vitæ mutata vel aucta; inde in vehementibus ſymptomatibus non ita veremur interitum ex morbi cauſa, ſed ex actione vitæ deſtruente omnia. Symptomata autem Maligna tunc fiunt, quando a cauſa morbi actiones vitæ minuuntur, quare cum vix ulla fiat actio in corpore exigua quoque fiunt ſigna; ſed quoniam illa oriuntur ex magnitudine cauſæ morbi, adeoque verendum eſt, ægrum non ſufficere poſſe; & inde conſtat, quo ſunt mitiora ſymptomata, eo periculoſiora eſſe; nam declarant eo majorem eſſe cauſam. Mitia autem & Benigna tunc fiunt, ſi præceſſere vehementia ſymptomata per auctam vim vitæ, quæ nunc, minuta inſtigante cauſa, ſenſim leniora fiunt.

LIB. I. APH. X.

10 *QVibus igitur ſtatim vigor eſt, his ſtatim tenuis victus exhibendus eſt. Quibus vero vigor poſterius, his ad illud & paulo ante illud tempus ſubtrahendus eſt. Antea vero uberius æger victu tractandus eſt, quo durare poſſit æger.*

I.

PRæceperat Hipp: (*Aph:* 8.) in acutiſſimis morbis tenuiſſimum victum præſcribi debere, eandem quoque in vigore (*Aph:* 8.) & in præcedente vero regulam præbuit, qua evitatur error ex mitioribus ſymptomatibus : nunc iſtud nutriendi genus ulterius inculcat in morbi Incremento: proponit quidem in Incremento acutiſſimorum tenuiſſimum victum; in Principio autem acutorum plus dandum eſſe: hujus victus rationem iſtis locis dedimus. Diæta in morbi incrementi principio.

II. Sed in hoc loco differentiam victus deſcribit in principio incrementi, ejus progreſſu & circa finem ſeu initium ſtatus. Statuit in principio incrementi, poſt datam regulam generalem victus tenuiſſimi in acutiſſimis, & victus largioris in acutis, largius nutriendum eſſe, quam circa finem hujus ſtadii, rationem addit, ut *ſufficiat æger.*

III. Regula eſt generalis, ex alimentorum defectu vires cadere, & ex abundantia in morbis vires ſupprimi. Ex hac cauſa in morbis acutiſſimis, qui ſunt brevis durationis, tenuiſſimum victum præcipit, & quandoque perfectam inediam; ita etiam in morbi vigore, quia tunc vis vitæ ad morbi materiam coquendam multum laborat: quo ergo incrementum morbi propius eſt ad ἀκμὴν, eo magis de cibo eſt detrahendum, ne tamen deficiat.

Diæta in duobus generibus acutorum.

IV. Ne autem de victu regula in omni morbo acuto accipiatur generalis, parcius vel uberius in morbi incremento eſſe nutriendum, duo genera morborum acutorum proponit, unum quod brevi tempore ad ſtatum venit, alterum autem quod ad quatuordecim dies & ulterius ſit duraturum, antequam ad vigorem pervenerit; in illo tenuiſſimum victum vel inediam imperat, in hoc largiorem victum concedit, qui ſenſim minuendus, quo magis morbus ad ſtatum venerit. Regula hæc eſt utiliſſima, quoniam circa ſtatum tenuiſſimus victus eſſe debet, ne vires corporis premantur in elaboranda materia morbi & alimentis aſſumtis: ſed ſi non niſi poſt aliquot dies ſit vigor exſpectandus, æger defectu alimenti nimis eſſet debilitatus, ita ut circa vigorem ob defectum alimenti non ſufficeret ad ſubactionem & expulſionem materiæ morbi.

V. Hæc pulchra regula paucis poteſt eſſe uſui medicis, nam medicus ad ægrum vocatus in principio morbi acuti, præſcire debet, num brevis vel longus ſit futurus morbus: ſi enim brevem exſpectat, tenuiſſimum, ſi longiorem, pleniorem victum concedere debet: at paucis datum, hanc differantiam ex præcedentibus phænomenis eruere, propterea, niſi ſimul indicetur futura longitudo vel brevitas, nihil emolumenti ex hac regula habet æger.

Brevitas morbi.

VI. Febris acuta continua brevis ſolet obſervari, in juvenibus, robuſtis, æſtate; calida & tenuia præbens excrementa; ſtatim in initio, ſi ſigna critica apparent in urina & ſudore; ſi morbus ex ſua natura brevis eſt, ut febris ſcarlatina, Ephemera, morbilli; ſi in pleuritide & peripneumonia ſtatim apparent ſputa cocta. Ne igitur multitudine ingeſtorum laudabilis concoctio & expulſio materiæ morbi turbetur, tenuiſſimus victus eſt concedendus: nam æger talis cum exiguo victu ſufficere poteſt per paucos iſtos dies, donec ſubacta & expulſa ſit materia.

Longitudo morbi.

VII. In morborum acutorum initio cognoſcimus, longiorem fore morbum ex dictorum (VI) abſentia; ſi morbus vehementioribus ſymptomatibus incepit, ſed ſtatim deliteſcere videtur ſine ratione, id eſt ſine laudabili evacuatione; urina

urina intenſe rubra, tenuis, clara, ſpumoſa; frigida & craſſiora excrementa; inconſtantia in omnibus ſignis; evacuationes per inconſueta loca; in morbis pectoris ſputum nullum; corpus vehementer pallidum aut citrinum; ſudores frigidi, exigui, vel nulli: hæc ſi adſunt, paulo largius nutriendum, donec ex ſignis coctionis in urina vigorem inſtare, ſciamus, quando parcius dandum, ne perturbetur criſis. Quamobrem autem dicta ſigna brevitatem & longitudinem præſagiunt, aliis locis exponetur.

LIB. I. APH. XI.

11 *IN exacerbationibus cibum ſubtrahere oportet. Exhibere enim noxium eſt. Et quicumque morbi per periodos exacerbantur, in exacerbationibus ſubtrahere oportet.*

I.

Dixta in & Inter paroxyſmos.

VErſatur Hipp: in tradendo victu morbis acutis accommodato, ſed quoniam duplex genus eſt acutorum, unum, quod eodem tenore increſcit, ſtat, decreſcit & finitur, qualis *febris* hodie vocatur *Continua:* alterum genus autem totam periodum illam non æquali vigore abſolvit, ſed uno tempore ſymptomata magis urgent, quam alio, ita tamen, ut nunquam æger a febre integre liberatus ſit, quam *febrem* hodie vocant *Remittentem.* Itaque ſi morbus acutus nunc occurrat per exacer ationes ingraveſcens, ſciendum quoque erat, an non ipſæ exacerbationes & remiſſiones aliquam facere debuiſſent in victu mutationem.

II. Traditam hanc regulam in victu morbi acuti remittentis etiam ad ampliorem uſum adducere vult, quamobrem in fine hujus aphoriſmi repetit priorem regulam, & eam applicat ad reliquos quoque morbos, tam febriles Inter-

termittentes, quam Chronicos, qui per paroxyſmos fiunt. Quare non parum allucinantur, qui exiſtimant, Hippocratem eandem rem bis repetere, cum repetitione hac hanc regulam de victu ad multos morbos utilem facere, quod ſine repetitione non potuiſſet fieri.

Diæta in Remittentibus.

III. Quid ſit Paroxyſmus in morbis, expoſuimus (*Comp.* T. 53. XXI.) Tunc vel nullo vel tenuiſſimo victu uti debere, ſuperius (*Aph.* 8. VI.) notavimus. In hoc nunc caſu ita eſt accipiendum; omni tempore exhibere potuit cibum ab intio morbi ad ſtatum, ſed ſenſim parcius; verum ſi morbus increſcat per paroxyſmos ſenſim graviores, non eſt licitum omni tempore dare cibum, ſed præcedenti regulæ id inſuper eſt addendum, nos in vigore iſtius particularis paroxyſmi quoque cibum detrahere debere, & ſi quid dandum ſit, id exhibendum eſſe, dum paroxyſmus quieſcit, ne corpus paroxyſmo graviore preſſum, magis aggravetur a cibo ſumto.

In Intermittentibus.

IV. Alterum genus febrium eſt Intermittens, quæ inter paroxyſmos aliquod tempus permittit, in quo nulla febris ſymptomata ſentiuntur, quod proprie vocatur Apyrexia. Uti eſt febris quotidiana, tertiana, quartana & ſemitertiana, in his inſtante paroxyſmo corpus non eſt nutriendum, ſed finito paroxyſmo, quia non ſolum corpus a paroxyſmo & cibo onuſtum magis laborat, ſed etiam ingeſtus cibus per motum turbatum febrilem in ſuccum alienum commutatur. Idem quoque ſentiendum in Intermittentibus protractis, induentibus naturam remittentium; poſſunt hujuſmodi febres, ut ſæpe experimur in quartanis autumnalibus reduplicatis & prolongatis, per longum tempus durare, ut æger tam diu inedia vexari nequeat, ſed cogantur in ipſo paroxyſmo cibum capere: eligendum tunc eſt tempus decrementi paroxyſmi.

In Intermittentibus Chronicis

V. Morbi Chronici intermittentes, ut Epilepſia, Podagra, ſi periodos regulares habent, eandem regulam exigunt, quæ præcepta eſt in febribus; ſi enim inſtat paroxyſmus, a cibo abſtinendum; & in paroxyſmo podagræ tenuis diæta concedenda, quoniam paroxyſmus diu durans, non permit-

tit

tit tam diu a cibo abſtinere: ſed Podagræ generalis paroxyſmus aliis curtioribus paroxyſmis, ut recte obſervavit Sydenham, componitur, quare ſecundum hanc regulam in generali paroxyſmo id eſt obſervandum, quod ſuperius in remittentibus (III) notavimus. In Epilepticorum paroxyſmis, quia ægri nequeunt cibum capere, non eſt opus hanc regulam adducere.

LIB. I. APH. XII.

12. *EXacerbationes autem & conſtitutiones indicabunt morbi & anni tempore, & periodorum ad invicem collata incrementa, ſive quotidie, ſive alternis diebus, ſive longiore fiant tempore. Sed etiam iis, quæ mox apparent, eadem indicantur, velut in pleuriticis ſputum, ſi ſtatim appareat veniente morbo, abbreviat: ſi vero poſtea appareat, producit. Et urinæ, & alvi excrementa, & ſudores, cum apparent, vel judicatu faciles, vel difficiles, vel breves, vel longos morbos fore indicant.*

I.

SEnſum hujus Aphoriſmi quia quidam non recte capiunt, non erit inutile aliis verbis perſpicuum facere. Morbi judicatu faciles & difficiles, longi & breves deſumuntur: ſed 1 ex acerbatione ſeu modo invaſionis morbi: 2 ex morbi conſtitutione ſeu natura: 3 ex anni temporibus: 4 ex paroxyſmis ſe invicem excipientibus longiori, breviorive intervallo: 5 ex epiphænomenis, ſignis nempe poſt morbi invaſionem apparentibus in ſputo, urina, alvi excrementis, ſudoribus.

Morbus facilis & difficilis.

II. Morbi faciles & difficiles duobus modis a medicis accipiuntur. 1° Morbi ex ſua natura raro multum damni inferentes, uti febris ephemera & tertiana vernales, aliique morbi ſponte deſinentes vel medicamentis facile abigendi, dicuntur judicatu faciles: verum qui ſæpe hominem interficiunt, aut diu durant, multa & gravia inferunt ſymptomata, medicamentis & diæta vix obtemperant, dicuntur judicatu difficiles; ut omnes morbi maligni, putridi, acuti vehementes. 2° Morbi nomen ſervantes, licet ſint benigniores vel vehementiores, ita habetur pleuritis, peripneumonia, febris, morbus acutus & chronicus facilis & difficilis judicatu, ad quod detegendum, & præcipiendum multa ſigna attulit paſſim Hippocrates.

Longus & Brevis.

III. Duplici quoque modo accipitur morbus Longus & Brevis. 1° Quidam morbi ex ſua natura Breves ſunt, cum vel ſine periculo, ut ephemera, apoplexia, phrenitis. In quibus ſcilicet vel morbi materies actione vitæ facile ſuperari & expelli poteſt, vel tam multa & valida, ut vim vitæ ſuperet: alii vero ſunt longiores ex ſua natura, uti quartana febris, phthiſis, ſcirrhus, cancer, omneſque morbi chronici; in quibus non reſpicimus ad periculum, ſed ad ſolam durationem. 2° Morbi autem ejuſdem brevitas & longitudo multis ſignis paſſim proponitur ab Hippocrate & aliis Practicis, ut in morbo, qui diu durare potuiſſet & breve finiri ſigna habeamus, ex quibus talem exitum præſagire valemus. (*Conf. Aph:* 10. VI. VII.)

Longus &c: ex Invaſione.

IV. Quinque fontes proponit Hipp: ex quo derivat cognitionem morbi Longi & Brevis, facilis & difficilis judicatu. Primus eſt ex Invaſionis modo. Utinam obſervatione practica conſtaret ſtatim ex invaſione morbi num longus, brevis, facilis aut difficilis eſſet exſpectandus morbus. Hoc autem didici obſervatione practica, & ex aliis intellexi, qui morbi cum duritie alicujus partis incipiunt, & qui longo tempore increſcunt, antequam ad ſummum vigorem pervenerint, iſtos *Longos* futuros eſſe, cum ad duritiem ſolvendam natura diu laborare ſolet; & longum incrementum quoque ſecutum fuiſſe, a longo ſtatu & decremento.

V. Qui

V. Qui morbi ex ſua natura Longi habentur, ſuperius recenſiti ſunt. (111) ſi verò morbi, qui breviores fuiſſent, prolongantur, ipſa prolongatio multa mala parit: nam ingeſta alimenta minus debito præparantur, cum actio vitæ diuturnitate morbi debilitata & turbata, non valeat nova ingeſta in eam bonam indolem mutare, qualis in ſanitate requiritur, atque ipſi humores naturales ante morbi invaſionem ſani, perſeverante morbo hanc ſenſim exuunt bonam indolem, & corruptam non omnino evacuatam generat in corpore cacochymiam. Partes etiam firmæ alienis humoribus irrigatæ enervantur, & laxantur, ipſa caro invenitur laxa & flaccida poſt morbos diu toleratos. Atque ex ita alienis humoribus parcior ſpirituum proventus facit debilitatem virium, imo obſervavimus cum Sydenhamo, ſtultitiam ex febre protracta natam, ſolis roborantibus curandam, exſtincto morbo ita prolongato. Ex protracto morbo ultra modum certum eſt, vel materiem pertinaciorem eſſe, vel vires non valere materiem ſubigere, inde vel materies recrudeſcit ſenſim & recidivam facit, vel in aliam ſæpe pejorem corruptelam abit, atque producit novum morbum, vel denique longitudine morbi ita deteruntur vires, ut pereat æger, qui non ſuccubuiſſet ex eodem morbo, ſi non fuiſſet ultra modum prolongatus, quare quidam morbi per ſe non periculoſi, prolongati autem hominem interimere valent.

Longus ex morbi natura.

VI. Vere & æſtate morbi breviores, autumno & hyeme iidem morbi longiores & pertinaciores obſervantur, ita ut vernali tempore, ſi oriatur febris tertiana vel quartana, (quod autem raro,) brevitatem promittamus: Sed tertiana vel quartana menſibus autumnalibus invadens, ſæpe totam hyemem perſeverat, & quamvis antidoto exſtinguatur, poſt aliquot ſeptimanas recrudeſcit, non cedens ante vernale tempus. Cui autem cauſæ hæc differentia ſit adſcribenda, non ſatis conſtat, an dependeat ex hyemis frigiditate, minuente inſenſibilem perſpirationem, & materiæ morbi exhalationem; an vero ex pertinaciori cauſa præcedente æſtate ſolis calore nata. Forſan binæ hæ cauſæ concurrunt.

Longus ex Temporibus anni.

Æſta-

Æstate autem ob majorem solis calorem, uti quoque in regionibus calidis omnia fieri acriora & magis deleteria, constans observatio affirmat; hyeme autem & in regionibus frigidis mitiora manere: quod alienum ergo in æstate confectum est, si infecit corpus, deterius, quam quod hyeme conficitur; inde liquere videtur, æstivos morbos periculosiores esse debere quam hyemales. At tali modo res non est concipienda; nam morbi hyemales non producuntur a noxia materia, quæ hyeme confecta est, neque æstivi ex materia in æstate nata, sed vicissim hyemales morbi fiunt ex materia æstate confecta, & vernales ex materia in hyeme facta. Nam dum in æstate solis calor humores in terræ ambitu excoxerit, circa finem æstatis admodum sunt exaltati, & corrupti; accedens tunc frigus autumnale non emendat, quod antea corruptum fuit, sed corrupti exhalationem impedit, facitque, ut id quod telluris calore expellitur, alte adscendere nequeat, aëris enim frigiditas vaporis sublationem inhibet, quare nos materiem circa telluris superficiem vagantem inspirantes, nostrum corpus illa virulentia inquinamus, quam non facile excutere vel subigere possumus, minuta perspiratione in autumno, unde autumnales morbi frequentes & pertinaces. Vernali autem tempore, quia corpus mitiorem materiem hyeme confectam inspirat, & sequente calore æstivo eam facilius expellit, aër, elevatis vaporibus in altum, magis depuratus quam autumno, citius liberat a morbo, dum autumnus post infectionem non subsistit novum suppeditare virus, quo aër est imprægnatus.

Brevis & Longus ex Paroxysmo.

VII. Paroxysmorum durationem, anticipationem, postpositionem, reditus tempus, prolongationem, abbreviationem, augmentum, decrementum, intervalla temporis, reduplicationem & multa alia promittere morbi longitudinem & brevitatem morbi, expositum inveniet Lector in *Comp:* 7. 53. XXII. quare non opus eadem hic repetere.

Longus ex epiphænomenis.

VIII. Dum morbus in corpore est natus, quædam alia conspiciuntur, sive dependeant ex morbi causa vel alia re accedente, quæ in textu dicuntur *mox apparentia*, epiphæ-

no-

nomena: hæc multa admodum morbi longitudinem & brevitatem atque reliqua indicant. Ex his pauca attingam, nam de his omnibus, ubi examinaturi ſumus ſigna epiphænomena, fuſius eſt agendum. Adducit auctor *ſputum*, *urinam*, *alvi excrementa* & *ſudores*.

IX. Pleuritis & peripneumonia duo præcipui ſunt morbi, qui ex ſputo judicantur, in his enim quo citius bonum ſputum apparet, eo citius quoque homo liberatur a morbo: & contra ſputum malum, olens, amurcoſum, ſpumoſum, tenax, ſero apparens, non ſolum morbum producit ſed & periculum portendit. Non eſt hujus loci cuncta de ſputo, quæ ad hunc titulum collegi, proferre. Hoc ſolum eſt adſtruendum, ſputum cito prodeuns abbreviare morbum, ſero apparens morbum protrahere. Quamdiu morbus acutus intenditur, omnia inveniuntur ſicca, & humores ulterius compinguntur; ſed ſi morbus ſubſiſtit, ea compacta ſenſim incipiunt ſolvi, quod ſolutum tunc aliquam portionem emittere incipit per emunctoria naturalia, inde cutis ſiccitas commutatur in levem humiditatem, urina nubeculam & aliquid ſedimentoſi profert: ita etiam in morbis pectoris, trachea arteria & bronchia hucusque ſicciſſima, nunc incipiunt humectari, & quod rudimentum ſedimenti in urina aliorum morborum, id eſt in morbis pectoris ſputum coctum, quod expectoratione redditur. Cito itaque apparens ſputum indicat, ſubſiſtere morbum, & in ſolutionem tendere; ſed ſi ſputum in his non apparet niſi ſero, certum eſt, morbi materiem tam tenacem eſſe, ut non potuerit niſi longo tempore & iterata actione vitali ſubigi; itaque cum finem exſpectare non poſſumus, niſi præceſſerit morbi ſtatus, ergo quo diutius durat antequam perventum eſt ad ſtatum, eo quoque longior futurus eſt morbus. Brevis & Longus ex ſputo.

X. Quoniam omnia obſervata practica morbi brevitatem & longitudinem exhibentia, collecta inveniri poſſunt in *Comp.* T. 36. LVII. 22. & 29. non erit opus eadem hic recenſere (*Conf. Aph.* 31 & 34 Lib. 7.) Brevis & Longus ex urina

XI. Alvi excrementa viridia, porracea potiſſimum in acutis, ſpumoſa meraca, valde liquida & rurſus compacta, va- Brevis & longus ex alvi excrementis.

varios colores habentia, cum vehementi ſtrepitu emiſſa, copioſa in pectoris morbis, longitudinem præſagiunt: quia viridia & porracea in acutis corruptam bilem indicant, quæ brevi tempore in acutis ſubigi nequit, & talis quoque evacuatio non eſt critica, levamen adferens, ſed ſymptomatica: ſpumoſa colliquatæ pinguedinis & putredinis eſt indicium, & quoniam morbi putridi per longum tempus durant, talia excrementa quoque longitudinem præſagiunt. Reliqua autem indicia ex excrementorum colore, odore, conſiſtentia & quantitate ex *Comp.* T. 90 peti poſſunt.

Brevitas & Longitudo ex ſudoribus.

XII. Frequentior non eſt via, qua morboſa materia e corpore eliminatur, quam per cutim ſub forma ſudoris; arteriæ enim & nervi in poros cutaneos deſinentes, totius maſſæ humorum aliena hac via eliminare valent, inde roridi calidi ſed copioſi ſudores ad febris finem venientes poſt peractam coctionem (vid *Aph.* 36. L. 4.) corpus liberant a materia morboſa: verum ſi ſudores ſecum non ferunt morbi materiem, auferendo humorem bonum majorem debilitatem inferunt; tales ſunt copioſi & diffluentes alieno tempore, nullumque levamen adferentes: hujuſmodi ſudores longitudinem portendunt, nam niſi tollatur in acutis morbi materies, non definit morbus; & quoniam poſt tales ſudores corpus magis fuit debilitatum, eo minus valet materiam morbi ſubigere: imo ſi cum ſudore copioſo non evacuatur morbi materies, ſignum eſt, eam pertinacem eſſe, ad quam tenacitatem ſubigendam & expellendam longum tempus eſt inſumendum. Interdum quoque ſudores prodeunt ex colliquatis humoribus, uti ſunt frigidi & copioſi, nam ſudor bonus vi vitæ majore, qua ſimul concitatur calor corporis, eſt expellendus, quare frigidus ſudor certum ſignum præbet, ſudorem vel ex colliquatis humoribus vel relaxatis oſculis profluere: utræque hæ cauſæ longitudinem portendunt, nam putredo ſeu colliquatio & debilitas virium in acutis brevi tempore curari nequit.

XIII. Reſtaret in hoc explicandum, quomodo ex his fontibus demonſtraretur morbus judicatu facilis, & difficilis, ve-

verum quia hoc ex brevitate & longitudine morbi facile intelligi poteſt, dicta ſufficere reor.

LIB. I. APH. XIII.

13. *SEnes facillime jejunium ferunt, ſecundo ætate conſiſtentes. Minime adoleſcentes. Omnium minime pueri: ex his autem, qui inter ipſos ſunt alacriores.*

I.

Alimentorum defectus in ætatibus.

CORpus noſtrum ſenſim incrementum accipit, & ad ſtatum perventum in eo conſervatur alimentis aſſumtis, quæ etiamſi nobis ſint aliena, tamen aſſumta, ita actione corporis commutantur, ut veros noſtros humores & partes firmas conſtituant. Quamdiu creſcit homo vel animal, ex alimentis aſſumtis non tantum conficitur, quantum actione iſtius corporis conſumitur, deteritur & expellitur, verum plus conficiendum eſt, quod cedit in incrementum. Itaque actio conficiens validior eſt in creſcentibus, quam in corporibus non amplius creſcentibus. Ita eſt noſtrum corpus creatum, ut motu vitali ex aſſumtis alimentis præparentur partes noſtræ, & eodem quoque motu deteratur & conſumatur, quod confectum eſt. Sed quo propiores ſumus origini, eo actio, qua præparatio abſolvitur, comparata ad cauſam deterentem, eſt major: quo ſeniora fiunt animalia, eo illa præparans actio comparative eſt minor. Ex hac creata lege conſtat, eandem alimentorum quantitatem in creſcentibus, ceteris paribus, citius commutari in bonos humores, quam in ætate provectioribus. Inde quo origini animalia ſunt propiora, eo citius commutarunt alimenta, quo vero magis ad ſenectutem accedunt, eo diutius durat, antequam alimenta fuere commutata.

Puer difficile, ſenex facilius fert jejunium.

II. Si igitur æqualis quantitas in junioribus & adultioribus alimentorum ingeritur, in junioribus citius conſumta erit, quam in adultis: Poteſt itaque in junioribus alimenti defectus eſſe eodem tempore, in quo nulla eſt in adultioribus ingerendi neceſſitas: ſi igitur puer & ſenex ad id tempus exſpectant, ad quod ſenex ferre poteſt inediam ſine detrimento, puer necabitur alimentorum defectu.

III. Quoniam hæc actio cum ætate ſenſim decreſcit, inde, quo ſucceſſive magis diſtant ab origine, eo facilius longiorem inediam ferre poſſunt, ex qua regula generali ſeu creata in nobis & aliis animalibus lege facile capitur totum myſterium, ſenes facillime &c: jejunium ferre poſſe, cum eam actionem immutantem minus validam habent.

Alacriores difficilius ferunt jejunium.

IV. Addit Hipp: *qui inter ipſos ſunt alacriores.* Sed & hoc etiam ex generali regula deduci poteſt; corporis enim exercitiis citius cibi ſubiguntur, nam tunc non ſolum motus vitalis hoc abſolvit opus, verum etiam motus animalis, qui dum operatur, auget quoque circulationem, quare operarii & exercentes plus alimenti aſſumere coacti ſunt, quam quieſcentes & otioſi. Pueros autem alacriores, agilioreſque, cum corpus ſuum magis movent, quam ſegnes & torpentes, eodem modo ut exercentes citius ſubigere ingeſta.

LIB. I. APH. XIV.

14 *QUæ creſcunt, plurimum habent calidi innati: plurimo igitur egent alimento: ſin minus corpus conſumitur. Senibus autem paucus calor: propterea paucis fomitibus indigent, a multis enim extinguitur. Idcirco etiam febres ſenibus non ſimiliter acutæ, frigidum enim eſt corpus.*

I.

QUod nos in præcedente aphoriſmo ex creata a Deo actione vitali in nobis aliiſque viventibus deduximus, id Hipp: Calido innato adſcribit in hoc loco Si quis exiſtimat, Hippocratem magis cognitam reddidiſſe cauſam, quia citat Calidum innatum, nos vero legem a Deo creatam, eum exiſtmo rem non ſatis perſpexiſſe: nam dicere ex Calido innato fieri, ſenſum magis intricatum facit, ſi ulterius enim urgemus, unde ille veniat calor nativus ſeu Emphyton thermon, id creationi, ut nos actionem vitalem, adſcribendum eſt; & tum habet hanc difficultatem, Calidum innatum quoque eſſe explicandum, quod a Veteribus non peractum eſt: malo itaque ſtatim in principio ad Creationis opus confugere, quod a nemine exexplicari poteſt, ad quod ſi veniant hodierni Medici & Phyſici, contenti acquieſcunt, quam ut aliquid inſuper incogniti interponam. Si qui ſunt dicentes, ſe intelligere, quomodo actio vitæ ſit creata, credo mentiri, fateor ego me latere. Invenio tamen, vitæ actionem eſſe in omnibus viventibus, qua diſtinguuntur a rebus mortuis.

Incrementum an a calido innato vel actione vitæ.

II. Calidum innatum multa obtinuit nomina, nonnulli Flammam, Auram, Animam vitalem, Archeum eum vocarunt, putarunt eſſe Humidum primigenitum calore & ſpi-

Calidum innatum.

ritu perfuſum, quod a parentibus acceptum vocarunt Inſitum, ſed alimentis conſervatum & revocatum dixerunt, Influens, mera verba omni ſenſu carentia. Num planta, inſecta, & piſces vivunt, creſcunt, nutriuntur, uti animalia calentia, dum tamen non magis quam alia mortua caleant; quare vitæ actioni non ſemper junctus eſt calor. Et quoniam animalia frigida viventia eodem modo creſcunt & nutriuntur, uti animalia calentia, Calor non eſt vitæ attributum inſeparabile. Quid autem volumus per actionem ſeu motum vitalem, id in ſpeciali *Exercitatione.* 1 Expoſuimus; de Calore corporis egimus in *Comp.* T. 49.

Corporis incrementum an a Calido innato?

III. Quod Hipp: obſervatione Practica detexit, invenimus vera fide nobis reliquiſſe, quod autem ex placitis Philoſophorum ſui temporis, quando hæc diſciplina defectu experimentorum admodum erat manca & mutila, deduxit, non parum a veritate ſæpe recedit. Non conſtat experimentis, infantes plus calidi innati continere, quam viri: imo ex apparitione videretur, calidum in adultis abundare, nam eorum corpora ad thermometrum calidiora inveniuntur, & a frigore externo non tam facile vincuntur, quam in tenella ætate: ſi ergo ex mente Hipp: magnitudo incrementi penderet a copia calidi innati, majus incrementum fieret in adultis, quam infantibus. Quod cum experientia contrarium comprobat, hujus aſſerti abſurditas facile patet. Atque frigida animalia etiam creſcere non potuiſſent, ſi ex innato calido pendeat incrementum. Quare augmentum non adſcribimus Calido innato cum Hipp: 1° quoniam ſine eo quoque quædam animalia creſcunt: 2° quia in calidis animalibus incrementum non eſt proportionatum calori.

Quæ corpora plurimo alimento egent.

IV. Quatuor genera corporum invenimus multo alimento egere. 1° Corpora origini propiora, quoniam obſervavimus actionem immutantem aſſumta in his validiorem eſſe, quam in adultis, & quia talia quoque corpora pro incremento elaborant: nolo tamen, ut ſenſus hic accipiatur, acſi vellem, infantem plus cibi capeſſere, quam adultum, ſed habito reſpectu molis corporis, ſi enim decuplo ponderoſius ſit corpus adulti quam pueri, puer plus quam decima

parte

parte alimenti eget, qua fruitur adultus, ut vivere poſſit ſine detrimento ex cibi defectu. 2° Aſſuetos multum cibi capere, hi enim cum mediocri quantitate dicuntur defectu laborare. 3° Operarii & ſuum corpus exercentes, quoniam in his non ſolum motu vitali uti in quieſcentibus citius convertuntur aſſumta alimenta; verum etiam motu animali, & motu vitali tunc quoque validiore facto, in his ſubiguntur aſſumta. 4° Corpora ex morbis ſubito reconvaleſcentia, quemadmodum poſt quartanam febrem ſanatam; in his autem cavendum eſt, ne nimium ſimul ingeratur, famelici quidem ſunt & alimento copioſiore egent, ſed ſi appetitui indulgeamus corpus adhucdum debilius, multitudine obruetur, & verſabitur in recidivæ vel alterius morbi periculo.

Senes cur egent calefacientibus?

V. Tandem ad ſenectutem perventa corpora labaſcunt, motus vitalis a Deo in corporibus viventibus creatus ſenſim languere incipit & debilitari, unde omnia fiunt in ſenibus, quæ mala ex infirmiore actione vitali etiam in junioribus conſpiciuntur, in quibus tamen recuperatis viribus, nata mala emendantur, in ſenibus autem, quia vires recuperari nequeunt inevitabili lege deperditæ, ſenſim in deteriora abeunt: quæ igitur mala ex deficiente actione vitæ nata ut evitentur & aliquomodo præveniantur, adhibemus auxilia, actionem vitæ ſuſcitantia; Hipp: dicit, egere *fomitibus*, id eſt adhibenda ſunt auxilia, quæ majorem calorem ſua potentia in corpore excitant, qualia hodie vocamus Calefacientia, qualia ſunt ſpirituoſa & aromatica (*Conf. Comp.* T. 84) Ita enim eſt noſtra vitæ actio comparata, ut a quibuſdam aſſumtis ſe validius agitet. Talia Calefacientia ſenibus, minime vero Juvenibus ſunt adhibenda, utpote his actio vitæ ſatis valens non eget ſtimulo, quem ſi adhibes, morbus fit ex nimia agitatione, ſed ſenum corpora languenti ſtimulo exagitanda. Hanc autem adjicit cautionem, a multis fomitibus extinguitur, & ut Galenus: Lampas modico olei nutritur, nimio autem obruitur: nam ut modico ſpirituoſo refocillantur ſenum vires, uſque ad ebrietatem vero aſſumto, eædem exſtinguuntur.

VI. Quo-

Senibus an non fiant febres acutæ?

VI. Quoniam ſenum corpora ſunt frigida, dicit Hipp: non corripiuntur febre acuta: experientia autem teſtatur, non raro ſenes febre acuta corripi. Quare hic ſenſus alio modo eſt capiendus. Si ſenes eadem febre calida tentantur, quam juvenis, illa in ſenibus multo minorem calorem concitabit; atque levior cauſa qua in juvene febris calida concitatur, in ſenibus modicum calorem ſuſcitabit, quod ex hac lege generali facile deduci poteſt. Motus vitalis a nativitate uſque ad perfectum incrementum ſenſim redditur robuſtior, in eo perſtat, dein languere incipit; ſtimulus idem applicatus eo validiorem motum ſuſcitat, quo vis vitæ eſt robuſtior, inde pueri & ſenes parum, adulti vero maximum calorem experiuntur a ſtimulo.

LIB. I. APH. XV.

15. *VEntres hyeme & vere natura ſunt calidiſſimi & ſomni longiſſimi. In his igitur temporibus etiam alimenta plura exhibenda. Innatum enim calorem majorem habent. Nutrimento igitur copioſiore indigent. Judicium ſunt Ætates & Athletæ.*

I.

HUjus aphoriſmi ſenſus ut facilius capi & exponi poſſit, ejus aliquomodo mutabo ordinem: Alimenta plura ſunt exhibenda hyeme & vere 1 quia ventres hoc tempore ſunt calidiſſimi; 2 ſomni longiſſimi; 3 innatum calorem majorem habent; 4 judicium ſunt Ætates & Athletæ. Examinaturi ſumus primo, quæ præmittuntur, ut videamus, an exinde per legitimam concluſionem inferre poſſimus, copioſiora alimenta danda eſſe.

Hyeme an ventres calidiſſimi?

II. *Ventres* multas ſignificationes habent, interdum enim omnem cavitatem; aliter tres notabiles cavitates, caput, pectus

pectus & abdomen; vel ventriculum cum inteſtinis ſignificat. Ex his in hoc loco Hipp: intelligit ventriculum & inteſtina, quoniam ab his partibus recipiuntur alimenta & in iis præparantur. Itaque ex ſententia Hippocratis ventriculus & inteſtina hyeme & vere ſunt calidiſſima. Hanc autem ſententiam deſumſit ex communi opinione, qua ſtatuitur, hyeme interiora magis calere quam æſtate: ſed quoniam hæc ſententia iteratis experimentis per thermometra captis ſatis refutata ſit, non eſt opus his amplius inſiſtere, conſtat enim, æſtate contenta ventris magis calere quam hyeme, quare hæc adducta ratio nihil ſuggerit ad probandum, nos egere pluribus alimentis hyeme quam æſtate.

Ventris ſignificatio.

III. Alterum argumentum eſt, quia ſomni hyeme & vere longiſſimi corpora egerent plus alimenti. Ex aſſumta hypotheſi, a ſomno fieri coctionem, dictum Hipp: firmari poteſt, ſed experientia contrarium probat, non ſolum enim animalia totam hyemem quaſi dormientia non egent alimento, ſed etiam quidam homines ſopore oppreſſi per plures vivunt dies ſine alimento, vel multo minori copia, quam quæ ſufficeret ad ſuſtentandam vitam in vigilantibus: atque experientia confirmat, ſomnum longiorem vitam conſervare cum exiguo alimento. An igitur ratio experientiæ contrariatur? imo ſi falſa ſit, quemadmodum hæc eſt hypothetica, nam a ſomno fit laudabilis coctio, ut expoſuimus (*Perſp. Cap.* 6. v.) ſed per coctionem, quæ fit in ſomno, non intelligitur citior aſſumtorum ſubactio, nam in vigiliis citius ſubiguntur alimenta, quam in ſomno, utpote ſolo blando motu vitali in ſomno alimenta ſunt ſubigenda; ſed in vigiliis actione vitali validiore & ſæpe etiam motu animali promovetur ſubactio. Hinc ſatis conſtat, quam perverſe nonnulli ſtatuunt, largiorem cœnam eſſe ſumendam, quoniam optima fit a ſomno ſequente coctio, quoniam alienam de coctione fovent ſententiam. Satius itaque eſt in infirmis largiorem evitare cœnam, ne ſomnus multitudine alimentorum turbetur, & cibus nimis diu quieſcens corrumpatur. In robuſtis autem, qui ſolo vigente motu vitali omnia ſubigere valent, non eſt opus ſtrictam hanc regulam ſervare.

Somnus longior an egeat pluribus alimentis.

Ventres an hyeme & vere majorem calorem innatum habent?

IV. Superius (11) demonſtravimus, ventres hyeme & vere non habere majorem calorem, ſed hæc eſt alia quæſtio, an vero calidum innatum (*Aph* 14. 11) his temporibus ſit majus, nam ſtatuunt in pueris, quibus ad thermometrum minor eſt calor, majus eſſe calidum innatum, adeoquidem exiſtimant, maximum eſſe poſſe calidum innatum, etiamſi ejus calor detegi nequeat thermometro, quemadmodum in aromate, & ſpiritu vini dicitur ineſſe calorem, quamvis is ad thermometrum non percipiatur. Si pro Calido Innato, de quo multum litigant veteres, aliam rem cognitam ponamus, nempe eam actionem vitæ in nobis viventibus a Deo creatam, qua corpus noſtrum ſuum accipit calorem ſine calore vel igne adventitio, quem fieri demonſtravi (*Perſp. Cap.* VIII) ex attritu, reſponſio erit facilis. Nam hyeme & locis frigidioribus hæc actio magis valens eſt. Nos verſamur ſemper in aëre ambiente frigidiore, quam eſt gradus caloris noſtri corporis, certum itaque eſt, in nobis eſſe cauſam hunc majorem calorem producentem, quæ tanta eſt, ut corpus ab ambientibus refrigeratum tamen ſuum caloris gradum conſervet: ſi igitur in majore frigore externo æqualis maneat caloris gradus in corpore, vel ſi tantum non minuitur calor corporis, quantum augetur externum frigus, evincimur, cauſam calefacientem in nobis in eo aëre frigidiore validiorem eſſe, quam in aëre calidiore. Experimur quoque omnes, ex ſubito ingruente frigore corpus noſtrum ad thermometrum magis refrigerari, quam ſi idem frigus aliquamdiu perſtetit: quare in frigore perſeverante cauſa calefaciens in nobis validior fit. Neque hoc eſt contra rationes, nam demonſtratum eſt, pro validiore attritu augeri calorem, eum autem attritum a frigore in nobis viventibus majorem fieri, conſentaneum eſt, quia partes firmæ noſtræ a frigore uti omnia corpora contrahuntur & accurtantur, ſi ergo motus vitalis idem manet, ſed cum aucta applicatione unius partis ad aliam, validior fit attritus, & inde major iſtius effectus, nempe calor. Hac igitur actione validiore transfluentes humores plus patiuntur, ſeu quæ ſunt aliena, uti alimenta, citius com-

commutantur in bonos humores, atque ex alimentorum defectu novi assumendi nascitur necessitas. Inde roboratis visceribus hyeme major necessitas capiendi alimenta nascitur. Si igitur per Calidum innatum intelligunt Actionem vitalem, allati veritas satis constat.

Athletæ & Ætates indicant copiosiora alimenta.

V. Quænam Ætas copiosioribus & paucioribus eget alimentis, superius (*Aph.* 13. 1) notavimus. *Athletæ* autem ex consuetudine & corporis exercitio plurimo alimento egent; nam qui assuescunt sua saginare corpora, paucis alimentis non possunt contenti esse; atque corpora exercitata quia plus deterunt, citius defectu alimenti laborant. Hoc autem an ex calido innato majore proveniat, ex superius dictis facile colligi potest.

Conclusio.

VI. Ex allatis rationibus & experientia constat, hyeme largiora assumenda esse alimenta, sed non ex dictis rationibus Hippocratis, quia per se non satis firmæ sunt. Num vere quoque id sit faciendum, admodum dubito, quia, si corpus multitudine fuit onustum, accedens calor enervans actionem vitalem, partesque firmas laxans, facit humores non satis enervatis actionibus agitatos, in alienam naturam degenerare.

LIB. I. APH. XVI.

16. *Victus humidus febricitantibus omnibus confert, maxime vero pueris, & aliis tali victu uti consuetis.*

I.

Victus humidus.

TRibus in casibus Hipp: dicit, victum humidum conducere; 1° in febricitantibus omnibus; 2° maxime pueris; 3° consuetis. Videtur ex textu constare, Auctorem velle febrientes pueros & consuetos humido victu u-

tentes. Ergo ſciendum eſt omnium primum, quid ſit humidus victus. Qui nihil ſolidioris cibi capit, ſed cuncta liquida magnaque copia aquæ diluta, victu humido utitur, ergo nihil tunc ingeritur, quin ita ſit ſolutum, ut forma liquida intret, quare ad ſubactionem non eget corporis actione, & affuſione liquidi, quæ requiruntur in cibo ſolido & ſicco, antequam eo uſque perveniat, ut lactea vaſa intrare poſſit. Si liquida mediocri copia ingeruntur, non dicitur humido victu uti, ſed humida copioſius ingeruntur vel & applicantur. Denique auxilia, quæ dicuntur ſaponacea aceſcentia & fructus horæi, mediocri quantitate ingeſta humectant, horum uſus etiam dicitur victus humidus. Videndum nunc eſt, num tria hæc genera victus humidi omnibus febricitantibus pueris & conſuetis conferat.

Febricitantibus. II. Febris omnis ſive ſit eſſentialis ſive ſymptomatica nunquam eſt præſens, niſi concitet majorem circulationem, calorem, & corporis ægritudinem. Ex febris cauſa non poſſumus ratiocinari quia latet, ſeu res eſt nobis incognita, quæ ſe per hæc criteria prodit. *Major* autem *Circulatio* non ſolum ex morboſa, ſed etiam ex mechanica cauſa ſeu motu muſculari ſemper inducit ſanguinis lentorem, ſeu ſanguis acquirit majorem concreſcendi potentiam, atque quidquid ita compingi non poteſt, extruditur: maſſa ſanguinis ita compacta multa mala facit, quæ non ſunt hujus loci citare (vid. *Comp.* T. 45.) Ut autem hæc evitetur compactura, non ſolum humida ſunt ingerenda copioſiora, verum etiam quæ humectant, qualia hodie dicuntur antiphlogiſtica; nam iis temperatur motus ille major & prævenitur nimia illa concreſcibilis potentia in ſanguine. *Calor æſtuans* in febribus breve omnia in putrilaginem convertens egregie iiſdem temperatur, & quoniam dicta Antiphlogiſtica non facile per majorem calorem in putredinem convertuntur, quoniam ſunt Aceſcentia, præ omnibus aliis in febribus ſunt laudabilia: miror igitur perverſitatem multorum, qui in omnibus febribus non dubitant dare decocta carnis, quoniam in corporibus a febre calentibus cito in putrilaginem convertuntur. Non novi, me unquam ſine *ægritudine* ſeu infirmitate

mitate obſervaſſe febrem, quæ ergo cauſa eſt, ut nova ingeſta imperfectius elaborentur: noſtrum itaque eſt evitare ea, quæ multa ſubactione egent, ut ſunt cibi ſolidi, ſed quæ facile vel minima corporis actione in bonos humores noſtros converti poſſunt, uti ſunt liquida, quæque ſoluta ſunt antequam ingerebantur: imo quia in febricitantibus diſſlatur tenuiſſimum, ad ſubigenda ingeſta alimenta non confluit ſatis magna copia liquidi; atque corpus humido privatum, hoc victu humido etiam ſuppetias accipit. Quare non ſolum ex ſententia Hipp: verum etiam ex ratione & experientia conducit victum humidum præſcribere febricitantibus. Practicis graviter obſtat, quid ſit faciendum in Hydropico febricitante, nam victu humido augetur hydrops. At tales multæ in praxi occurrunt difficultates, ſi ſigna contra indicantia occurrunt, in quibus Medicus judicium ferre debet, quid ex his contra indicantibus præcipue tollendum ſit. V. G. ſi hydrops magis urget, quam febris, non eſt victus humidus imperandus, ſecus vero ſi æger ex febre magis periclitatur. Non eſt ex hydropis natura febricitare, ſed ſi accedat, eſt morbus novus alteri accedens, vel producitur ex corrupto latice. Atque in morbis compoſitis generalis regula non valet, unde allata difficultas illa non eſt alicujus momenti, nam ſi vellem plures alios quoque compoſitos caſus fingere, hæc regula generalis de victu humido febrientium ſæpe pateretur exceptiones.

III. Noſtrum corpus obſervatur a nativitate ad perfectum incrementum non ſolum augeri mole, verum etiam robore, ut quo propius eſt origini, eo minus ſit valens; ante nativitatem enutritur enim ſolo præparato a matre ſucco; poſt nativitatem lacte & pauxillo panis, non fert ſolidiora alimenta; ſenſim vero increſcens viribus etiam pollet; eſt ergo ex ſua natura puerorum corpus debile, & alimentis liquidis concoctu facilibus ſuſtentandum. Quod ſi oboritur in tali corpore per febrem major infirmitas, in hoc itaque omnino debemus abſtinere a cibo ſolido & concoctu difficiliori. Recte igitur Hipp: imperat victum humidum, præprimus in pueris febricitantibus. Pueris.

Conſuetis. IV. Corpus noſtrum etiam malis rebus aſſueſcere, notavimus (in *Perſp: Aph.* 208 & 231.) hæc conſuetudo hic eſt perſequenda in victu humido. Qui a longo tempore nihil niſi humida & digeſtu facilia accepit, ejus ventriculus & reliqua organa ita emolliuntur & relaxantur, ut imparia fiant duriora ſubigere: hoc experiuntur illi, qui ad evitandam podagram vel phthiſin protrahendam utuntur diæta lactea; quod ſi lac amplius ferre nequeunt, & tunc volunt ad victum communem redire, haud facile priorem victum ferunt: ita operarii ſi longo tempore fuere otioſi, ad labores accedentes citius fatigati erunt, qui ſe domi continere ſunt conſueti, in apricum vel ventum venientes, magis læduntur quam conſueti. Igitur maxime confert victus humidus omnibus febricitantibus, ut dictum eſt, ſed præprimis conſuetis, nam hi ob duas rationes per alium victum læderentur, 1° ex natura febris, 2° ex conſuetudine.

LIB. I. APH. XVII.

17. *ET quibus ſemel aut bis, & plura vel pauciora, & per partes offerri conducat, videndum. Concedendum autem aliquid & conſuetudini & tempeſtati & regioni, & ætati.*

I.

Hic Aph. rigide primo examinat ingerendi tempora, ſeu quoties in die cibus ſit dandus; dein quantitatem determinat. Sed monet deinceps, recedendum interdum eſſe a rigidiſſima hac regula ob conſuetudinem, tempeſtatem, regionem & ætatem. Quare primo generaliter inſpiciendum, quid magis conducat in ſanitate & morbo, ſemel aut bis, multum vel parum ingerere.

II. Cum

II. Cum quidam homines ſemel, alii bis, imo ter quaterve de die cibum capientes omnes manent ſani, experientia non conſtat, quid ſit eligendum ſanitati maxime conveniens in ſanitate conſervanda; itaque ratione quadam ſatagunt hoc examinare, tam in ſanis quam ægrotantibus. Quidam ſolummodo aſſerunt, bis vel ter de die tutius eſſe quam ſemel (*vid. Pſp C.* II. XIII) alii vero contrarium ſtatuunt. *Videndum eſt* habetur in textu, quid itaque videbo, ſi experientia non comprobat unum vel alterum; & ratio vario modo a Medicis accipitur. Ponderabimus itaque rationes, ut inde aliquid certi petere poſſimus. 1° Capiuntur alimenta ut reſtituatur id, quod inevitabili actione corporis deteritur, ex hac itaque ratione omni tempore & parum ſimul eſſet ingerendum, ut ſuppleatur amiſſum. 2° Ventriculus & reliqua organa chylopoiëtica facilius poſſunt parvam quantitatem ſimul ſubigere, quam magnam ſemel ingeſtam; atque ſaliva, bilis, ventriculi & pancreatis ſuccus aſſiduo affluens, melius poſſunt parvam quantitatem ſimul ingeſtam ſuperare & ſolvere quam magnam, quia tanta copia horum liquorum confluit eo tempore dum ſemel in die comeditur, cum hærent alimenta in ventriculo & inteſtinis, quam affluit, ſi eadem quantitas partitis vicibus fuiſſet ingeſta. Conſtat ergo ex cauſa, quæ alimenta exigit, & quæ alimenta præparat, conducere, ſæpius de die capere cibum ſaluberrimum eſſe. Sed *Sanctorius* (*vid Perſp: Aph.* 306.) Peſſis eſt inquit, *comedere ante cibi præcedentis concoctionem.* Hoc ergo confirmat bis aut ter de die capere cibum conducere, modo tantum ſpatium intercurrat temporis, ut præcedens ingeſtus cibus perfecte coctus ſit. Iſtud ex hac recepta hypotheſi adſtruit, coctionem, quæ ad minimum quinque vel ſex horas inſumit, novo ingeſto turbari, ut alimenta ebullientia in olla ab affuſa nova aqua deſinunt ebullire. At longe abeſt, nam in infantibus, qui fere omni hora lac ſugunt, experimur, non turbari coctionem ventriculi, & in reconvaleſcentibus & infirmiſſimis, quo ſæpius & parva copia ſimul ſumunt alimenta, eo facilius hæc ſubigere, & eo minus aggravari; atque rationi-

Quoties capienda alimenta,

bus

bus allatis conſentaneum eſt, eo melius eſſe quo ſæpius aſſumuntur alimenta. Patet itaque ex his, falſam aſſumtam fuiſſe hypotheſin, qua contendunt, coctionem turbari novo ingeſto. Decepti utique ſunt exiſtimantes, coctionem turbari novo ingeſto, quia hoc deſumunt ex comparatione coctionis per ignem ſubſtratum, cum in nobis dicitur coctio, ſi actione vitali organorum, & affluxu humorum ſaponaceorum ſubiguntur ingeſta, minime vero ab igne ſubſtrato, uti illi exiſtimarunt. Videntur autem duæ obſtare rationes. Prima eſt, omnes homines in victu communi nunquam omni hora capere alimenta, ſi melius eſſet omni hora ſumere, cur non faciunt iſtud? Hoc autem Dei benignitati eſt tribuendum, qui noſtrum corpus ita creavit, ut quidem omni momento alimento egeat, ſed huic moleſtiæ proſpexit, ut quoque valeat ſemel in die ſi capiat alimentum, iſtud coacervare: eodem modo quoque cum excretionibus conſtitutum eſt, omni momento ſecernitur urina & ſegregantur fæces, ſed non ſumus coacti excrementa omni momento reddere: hoc argumentum igitur non deſtruit utilitatem capiendi frequentiſſime cibum in ægrotantibus & ex ætate debilibus. Alterum eſt, non concedi tempus ſufficiens collectioni bilis in veſica fellea, quia ventriculus ſemper manens in æquali diſtenſione eodem modo ciſtam urget, dum vero a ventriculo vacuo ciſta minus compreſſa in ſe bilem colligere valeat, quam evomit, ſi deinceps ventriculus impletur. Innuitur hoc argumento, requiri bilis collectionem, quaſi collecta ſtagnans redderetur melior & efficacior ad præparanda alimenta, quis hoc probavit? exiſtimo acervaculum bilis nobis a Deo datam eſſe, ne eſſemus coacti omni momento cibum capere, ſed ut eo tempore, quando ventriculus eſt vacuus, non efflueret fruſtra ad præparanda alimenta per duodenum tranſeuntia, ſed tunc eo copioſius, ſi poſt jejunium copioſiora alimenta ingererentur, ut ſimul præſto eſſet major copia humoris præparantis. Ex his itaque omnibus colligo, ſanitati admodum conducere aliquoties de die capere cibum, & maxime debilibus ex ætate vel morbo: ſed ſanos & firmos in ſanitate permanere poſſe, etiam-

ſi

ſi ſemel in die cibum ſumunt, quia in nobis ita ſunt fabricata organa, ut unica vice tantum poſſimus ingerere, quantum intra viginti quatuor horas requiritur ad nutritionem; quemadmodum hoc quoque in excrementis exonerandis experimur: ſed propterea non ſequitur eum modum optimum eſſe ad conſervandam & recuperandam ſanitatem.

Quantum aſſumendum.

III. Si attendimus ad ſcopum, cur ſumuntur alimenta, facile eſt definire quantitatem generalem, nam in creſcentibus paulo plus eſt ingerendum quam corpus deterit, quia ab aſſumtis incrementum debet formari; ſed in ætate conſtante tantum eſt ingerendum, quantum conſumitur, modo non ſit cauſa vetans tantam ingeſtionem, uti ſæpe in morbis. Ut itaque homo in ſanitate ſciret, quantum ſit ingerendum, Deus nobis dedit monitorem, famem ſcilicet, quæ in ſanis ſatis fideliter declarat, quantum aſſumendum ſit: ſed hanc minus quam ſaporem conſulunt, quare gratiora nimia copia ſæpe aſſumunt, minus grata vix ad ſuſtentandam vitam. Qui vero ſani viventes corpus nutriunt tanta quantitate alimentorum, quantum fame indicatur, & in potione a ſiti, non egent aliis regulis ſanitatis quantitatem indicantibus, cum non omnes homines, omni ætate, & anni tempore, in otio & quiete, eandem quantitatem requirant: ſemper tamen in ſanis pari paſſu augetur fames & ſitis cum alimentorum neceſſitate (vid noſtram Exercitationem de fame & ſiti.) In morbis autem longa alia eſt ratio: ſæpe enim vitiata fames & ſitis plus vel minus petit quam requiritur; corpus ex ægritudine debile non valet modicam præparare copiam; ſatius eſt emaciari parciori cibo, quam aſſuetam quantitatem ingerere, quæ ſubigi nequit, & tamen permittit corpus macie conſumi, & inſuper crudo & corrupto opplet.

Ex Conſuetudine.

IV. Tempus ſumendi & alimentorum quantitas, tam in ſanis quam ægrotantibus, aliquam mutationem patitur ex Conſuetudine, quod, etiamſi in præcedentibus ea fuere definita, interveniente tamen Conſuetudine, debeamus aliquomodo a receptis regulis recedere. Tantum e-

nim valet Conſuetudo, ut dicatur altera natura, & qui certis temporibus conſuetus eſt cibum capere, ſi idem tempus recurrat, appetitu aucto moneatur tempus eſſe capiendi alimenta: hi ſi alio tempore comedunt, alimenta difficilius digeruntur; ita multi ex Conſuetudine contenti ſunt & ſani vivunt ſemel in die capientes cibum: alii vero quater de die aſſueti, non niſi difficultur ferunt ſemel comedere. Idem quoque verum eſt de quantitate, nonnulli enim glorioſi ſe multum devorare vel bibere poſſe arteficioſi fiunt heluones & bibones. His autem diu aſſuetis difficillime reſtituitur victus, quamvis id in ſanitate tentant, ſed morbo correpti aliquomodo perſeverare debent in conſueto vitæ genere; nihil enim in podagricis periculoſius, quam dum doloribus langueant potum ſpirituoſum in aquoſum commutare; vidi quoque in hydrope poſt abuſum ſpirituoſorum damnoſum eſſe omnino a ſpiritu fermentato abſtinere. *A multo tempore conſueta etiamſi fuerint deteriora, inſuetis minus turbare ſolent. Lib.* 2. *Aph.* 50.

Ex Tempeſtate. V. Tempeſtates hic duplici modo capi poſſunt, vel ſignificant variam aëris conſtitutionem, calidum, frigidum, humidum, ſiccum, nebuloſum, pluvioſum &c. vel reſpicere poſſunt ad ſolita anni tempora, æſtatem, hyemem, ver & autumnum, æquinoctium, ſolſtitium. In his præcipit auctor, aliquid concedendum eſſe, uti hyeme frequentius & copioſius eſt dandum; æſtate autem parcius; ſed cuncta quæ præcipienda ſunt in victu his temporibus & tempeſtatibus aliis in locisexponitur: debemus autem ſi morbus in tali aëris conſtitutione vel anni tempore occurrit, ſimul perpendere, num iſtis temporibus non debeat fieri quædam in victu mutatio, ut quoque ad ea aliquomodo noſtram curationem dirigamus.

Ex Regione. VI. Regiones calidiores pauca ſed diluta & humida magis egent; frigidiores vero ſolidiora & copioſiora: atque humidiores alimenta ſicciora poſtulant, ſed ſicciores humidiora. Interdum quibuſdam locis unum præ alio genus victus magis conducit: quæ omnia ex locorum inabitatione ſunt obſervanda, ut ſi in iſtis locis incidit mor-

morbus, aliquomodo recedamus a regula generali, noſque magis accommodemus ad victum tali in loco ſaluberrimum.

VII. Ex iis quæ ſuperius (*Aph.* 13. 1) notavimus, facile eſt determinare, in exhibitione, tam quoad copiam quam qualitatem, quando & quomodo debemus recedere a generali regula in ætate varia: in pueris enim & junioribus copioſiora & dilutiora exhibemus; in ſenioribus autem ſolidiora & parciora. Ita ſemper eſt in medicina ratiocinandum, primo proponendus eſt caſus ſingularis & abſolutus, in quo cuncta præcepta traduntur; itidem in alio ſingulari caſu: ſed tunc deinceps hi duo inter ſe ſunt conferendi, ut ſi differentia occurrat, eligatur temperamentum, ut nempe de ſingulis aliquid detrahatur & addatur, quo in caſu compoſito non peccemus in nimis ſtricta regula hujus vel illius. Ex Ætate.

LIB. I. APH. XVIII.

18. *Æſtate & autumno cibos difficillime ferunt: hyeme facillime, deinde vere.*

I.

IN Aphoriſmo præcedente præceptum generale tradidit, aliquid in alimentis porrigendis concedendum eſſe Tempeſtati (*Aph.* 17. v.) in hoc nunc quatuor anni partes agitat, ut cibus parcior ſit exhibendus æſtate & autumno, ſed copioſior hyeme & vere. Ex quibus autem cauſis hæc regula firmatur, videndum: nam his temporibus quædam naturalis debet fieri mutatio, quæ copioſiora, vel pauciora alimenta exigit vel tolerat.

II. Æſtate ſolis calorem majorem partes firmas non ſolum noſtri corporis, ſed & alia relaxari, minus contracti- Æſtas difficile fert cibos.

lia & elaſtica eſſe, atque humores omnes citius ſuſcipere corruptelam, omnia experimenta ſuffragantur, cum calore enim majore chorda, corium, laxantur, in frigore vero contrahuntur, ita ut ipſa metalla flexibiliora fiant æſtate, dum autem in frigore heyemali rigeant: atque caro, piſces & cuncta corruptibilia brevi tempore in æſtate putrilaginem contrahant, quæ hyeme diu ſine corruptela potuerunt ſervari. Eſt ergo in partibus firmis noſtris æſtate minor actio quam hyeme; ſed ingeſta alimenta corporis actione erant ſubigenda, quæ nunc debilior facta non valet ut antea tam cito ingeſta ſubigere: itaque ſi eadem ſervatur ingerendi quantitas, aliquid de ingeſtis reſtabit in corpore non ſubactum. Hoc dein per ſpontaneam ſeu inſitam actionem commutatur in corruptelam, quæ non eſſet exſpectanda, ſi tantum fuiſſet detractum de ingeſtionis quantitate, quantum vires fuere diminutæ per ſupervenientem calorem. Imo non ſolum enervatur ex calore contractilitas in partibus firmis, verum infirmior etiam fit motus animalis & vitalis, corpora enim noſtra cum eodem pondere ſentiuntur graviora, quia vires moventes fuere enervatæ. Quod non ſubactum eſt de ingeſtis, citius quoque in corruptelam convertitur, ſi itaque per abundantiam hyeme peccatum fuerit, quoniam tarde in corruptelam convertitur, ſequentibus diebus id abundans ſæpe emendatur; ſed in æſtate protinus abundans in corruptelam converſum morbos parit: quare æſtas minorem copiam alimentorum ferre poteſt quam hyems.

Autumnus difficile fert alimenta.

III. Ex allatis rationibus, cum aucto calore corporis vires minui, patere videtur, autumno facilius ferri poſſe alimenta, cum aër tunc frigidior fieri incipiat: ſed pari modo non procedit, ab accedente frigore vires augeri, quemadmodum fit virium diminutio cum caloris augmento: nam per calorem ut diximus laxantur ſolida & exhauriuntur ſpiritus; ſed per frigus augetur quidem contractilitas, verum non adduntur ſpiritus, qui generandi ſunt propria actione noſtri corporis. Inde ingruente frigore autumnali ſolida quidem contrahuntur, verum quia

vires

vires ſimul non augentur, a quibus validis alimenta ſunt ſubigenda, & quia minuitur inſenſibilis perſpiratio, alimenta tam copioſa ferri nequeunt: nam ingeſta a viribus infirmioribus minus præparantur, &, quod exhalare debebat, retentum, morbos parit: tum aër a præcedente calore maligna infectione inquinatus pronior eſt ad producendos morbos. Quare, qui morbos autumnales ſtudet evitare, caveat a nimia ingeſtione alimentorum hoc tempore; & ſtudeat, ut conſervetur corpus in eodem pondere, ut erat pondus æſtivum, id eſt ut ſervetur corpus perſpirabile.

Facile ferunt alimenta hyeme.

IV. Tandem vero continuato frigore ſenſim magis roborantur corpora, nam ex frigore ſubito veniente non ita augebatur ſpirituum copia, ut valerent majorem alimentorum copiam ferre, neque ſtatim emendatum fuit corruptum ex antecedenti calore æſtivo, verum ſi hyeme diu continuatum fuit frigus, corpora ferendis oneribus reddantur paria; & tandem liberatur aër ab omni inficiente: Quare hoc tempore alimenta copioſiora non ſolum facilius feruntur, uti experimur omnes, nos hyeme plus comedere quam æſtate, ſed etiam in morbis victus humidus & parcior minus conducit, quam æſtate. Hipp: autem rationem hujus redderet ex majore calido innato, cum ventres hyeme ſint ex ejus ſententia calidiſſimi. (vid *Aph.* 15. IV.)

Vere.

V. Diſcrimen ponere videtur Hipp: inter hyemem & ver, nam non dicit hyeme, & vere, ſed *hyeme facillime dein vere*, quaſi innueret hyeme facillime ferri alimenta, ſed vere minus, facilius tamen quam autumno & æſtate. Hoc non eſt ſine ratione, nam hyeme & ob majorem contractilitatem in partibus firmis, & ſpirituum copioſiorem proventum facile fertur major alimentorum copia, magiſque deteritur & inde copoſiora alimenta tam in ſanis quam ægrotantibus deſiderantur: ſed vere ob accedentem calorem ſenſim relaxantur partes firmæ, verum quia calor non eſt nimius, ſola valida adhuc actione vitæ ſubiguntur alimenta, inde vere minus ferri poteſt, quam hyeme, plus vero, quam æſtate & autumno.

LIB. I. APH. XIX.

19 *His qui per circuitus exacerbantur, nihil dare oportet, neque cogere, sed auferre de appositionibus ante judicationes.*

I.

IN præcedente *Aph* XI. egerat Hipp; de Diæta generali in paroxysmis morborum, qui dicuntur Remittentes & Intermittentes: deinceps dixit in morbis judicium desumi ex exacerbatione, natura morbi, anni temporibus, paroxysmis, & æpiphænomenis: hinc dat regulas diætæ ætate varia, tempestatibus anni, consuetudine; concludit aliquid concedendum esse consuetudini (*Lib.* I. *Aph.* XVII. majorem dandam quantitatem hyeme & vere, minorem autem æstate & autumno; hanc nunc arripit occasionem ut dicat, quando nihil dari oportet. Tria enim in victu observari possunt, ut plus vel minus, vel nihil detur, ut itaque hoc ultimum traderet, vel debebat antecedentem Aphorismum XI. repetere vel locum citare, ad clariorem autem doctrinam verba quam locum repetere: Hoc Hippocrati non est infrequens, nam sæpe eadem verba repetita invenies, si ejus opera pervolvuntur: & quando ordo pertractationis nos eo deduxit, ut eadem res antea fuerit explicata, locum præcedentem indicabo. Sensum hujus quia iste ex præcedente peti potest, non est opus hic proponere.

LIB. I. APH. XX.

20 *QVæ judicantur & judicata ſunt perfecte, neque movere oportet, neque innovare, ſive purgantibus, ſive aliis irritamentis, ſed ſinere.*

I.

HUc uſque egerat Hipp: de dirigenda diæta in morbis, nunc autem mutat ſermonem & agere vult de evacuationibus faciendis in morbis, initium ſumens a morbis acutis, nam agit de criſi in morbis, quæ non ita in chronicis obſervantur: in acutis præceptum dat de irritamentis & purgantibus adhibendis determinato tempore acutorum, nempe dum morbus acutus judicatur vel judicatus fuerit; & hoc perfecte: nam ſi imperfecte judicatur vel judicatus fuit morbus, hæc regula non valeret, ut infra conſtabit. Quare in hoc aphoriſmo primo determinandum venit, quid ſit intelligendum per judicantur perfecte, & perfecte judicatum, deinceps quamobrem eo tempore irritamenta & purgantia ſunt evitanda.

II. Criſis doctrina ab Hipp: accuratiſſime obſervata & deſcripta a neotericis vario modo agitata, hodie admodum incerta & fallax, imo nullius momenti a quibuſdam habita, facit, ut tiro medicus incertus, num obſervanda vel repudienda ſit hæc doctrina, anceps hæreat. Veteres autem ex obſervationibus practicis in ægris, dum verſabantur in locis calidioribus, atque ex ratione, qua ſtatuebant pugnam vel luctamen fieri inter morbi materiem & vires vitæ, ſtatuebant in morbis fieri criſin ſeu judicium: Sed neoterici, vel quod minus attenderunt naturales morborum Criſis.

rum mutationes; vel eaſdem præpoſtera curatione perverterunt; vel in regionibus frigidioribus minus obſervabiles ſint, totam hanc doctrinam, ex aſſumta hypotheſi; naturam non habere mentem, qua obſervaret tempora, omnino delerunt & repudiarunt. Quid autem ſit ſentiendum, paucis videbimus.

III. Omnes fere morbi acuti, qui nempe ſenſibili evacuatione finiuntur vel metaſtaſin faciunt ad aliquam partem, (nam inveniuntur quoque, qui materiem ſenſibilem non habent, ut peſtis; atque alii, qui deſinunt per inſenſibilem perſpirationem, ut levis ephemera; vel criſin non ſubeunt, ut putridi & eryſipelatoſi atque maligni morbi.) certo tempore morbi ex ſua natura, ſi nulla inducitur mutatio vel per artem vel res non naturales, moliuntur evacuationem, qua eliminant morbi materiem. Hoc tantum intereſt, num ea evacuatio fiat certis diebus morbi, an vero indifferenter omni tempore & die. Neoterici contendunt certum tempus obſervare non poſſe naturam anima carentem, at qui obſervat accuratiſſime ſtadia, quæ ſervant variolæ, nemo negare poteſt hodie adhuc morbi materiem ſervare tempora. Quod autem hodie criſium doctrina ſit incerta, ex allatis rationibus facile colligitur, præprimis ſi quis morbos putridos & eryſipelatoſos obſervans, detegit, incertis diebus naturam moliri evacuationem, facile concludet omnia incerta fore: ſed aliquid certi eſſe in diebus criticis, morborum obſervatio affirmat.

IV. Criſis apud veteres duobus modis accipitur, vel intelligunt ſymptomata, quæ concitantur, dum morbi materia præparatur & expellitur, vel intelligunt ipſam evacuationem. Dum vis vitæ verſatur in elaboranda materia morbi, quando in excretis quædam ſigna hujus confectionis conſpiciuntur, dicebant, criſin inſtare: ſi vero dein augentur ſymptomata & procedit evacuatio materiæ præparatæ, concipiebant fieri Criſin; poſt hanc evacuationem cum mitescebant ſymptomata, dicebant criſin factam eſſe.

Quæ judicantur.

V. Quam primum ergo ac in urina vel aliis excretionibus apparent ſigna, quæ præcedere ſolent in morbis acutis

tis, poſt quæ laudibilis ſecuta fuit evacuatio cum morbi diminutione, morbus dicitur judicari, atque etiamſi natura verſatur in expulſione, etiam dicunt, morbum judicari.

Quæ judicata ſunt.

VI. Ultimum hoc & quando facta ſeu abſoluta eſt evacuatio, morbus dicitur judicatus, nam dum evacuatio fit, quia anteceſſere ſigna hanc evacuationem præſagientia, res quidem verſatur in judicio, ſed reſpiciens ad præcedentia, dicitur judicata. Si vero evacuatio fuerit peracta, abſoluta eſt judicatio, & morbus dicitur judicatus.

Criſis perfecta & imperfecta.

VII. Tria hæc tempora, primo futura evacuatio, ſecundo evacuatio ipſa, & tertio quando evacuatio fere abſoluta eſt, diſtinguuntur in perfecta & imperfecta; nempe ſi in futura evacuatione deteguntur omnia, quæ bonam evacuationem præcedere ſolent, perfecta dicitur: ita quoque in evacuatione & poſt evacuationem: ſed ſi quædam notæ deficiunt, vel aliena ſimul conſpiciuntur hoc tempore, criſis dicitur Imperfecta.

Criſis perfecta.

VIII. Multi contenti ſunt dicere, perfectam criſim bonam eſſe, imperfectam vero malam, ſed junior medicus neſciens, ex quibus ſignis colligere debet, num in ægro perfecta vel imperfecta fiat criſis, æque incertus eſt in prædictione & modo agendi, ac ſi nihil ſciviſſet; quare opere prætium erit iſtas hic addere notas, quas praxis detexit in morbis perfectam criſin concomitari, ut junior medicus ex iſtis detectis & obſervatis dejudicare valeat de perfecta & imperfecta criſi. (1) Omnis perfecta criſis fieri debet per *Evacuationem*, quoniam morbi materia ad aliquam partem depoſita omnem quidem materiem deponere poteſt, ſed quia non fertur extra corpus, illa liberatio eſt imperfecta. (2) *Evacuatio ſignis* antea debuit eſſe *indicata*, id eſt aliquid ſedimentoſi in urina præcedere debuit, ut conſtaret, præparationem materiæ morbi inceptam fuiſſe, cum unico momento materia cruda non convertatur in coctam, ſed ſenſim: ſi ergo ſtatim magna fit evacuatio, illa critica eſſe nequit in morbis acutis. (3) *Satis copioſa*, id eſt reſpondens magnitudini morbi, quare copioſior in magno, quam parvo

morbo eſſe debet: ſi enim parvus morbus magnam molitur evacuationem, hæc partim ex morbi materia, partim etiam ex bonis humoribus provenit, quare non eſt perfecta criſis, quia ablatione boni alium ſæpe inducit morbum. (4) *Per locum conveniens*; ita enim noſtra ſunt creata emunctoria, ut ſpecialem materiem a communi maſſa ſegregare valeant, non vero ſine diſcrimine omnem materiem morboſam, id quoque non fit in ſanis, cerebrum enim ſecernit ſpiritum, hepar bilem, renes urinam, ſed hi humores non ſegregantur a communi maſſa ſine diſcrimine per quodcumque organum ſecretorium vel excretorium; fruſtra enim laborarem omnem urinam ducere per cutis ſpiracula, vel perſpirabile omne per renes trajicere. Ita quoque ſentiendum eſt, morbi materiam purulentam commodiſſime per renes ſegregari a communi maſſa, minus commode per alvum vel cutis ſpiracula: interdum tamen pus aliam affectat viam, ſed in criſi perfecta reddi debet per renes, vel ſi in pectore hæret, etiam per ſputum. (5) *Debito tempore.* Multi ut monuimus indiſcriminatim omni tempore perfectam criſin fieri contendunt, Hippocrates autem paſſim inculcat, excretionem perfectam fieri debere diebus Criticis: ſi verum fateor, quod obſervavi in morbis acutis, Hippocratis ſententiam veram inveni, ſi morbus perverſa curatione vel errore in diæta non turbatur, optima criſis a me obſervata fuit diebus criticis: & ut non errarem in ſignis, ſedulo perſcrutatus ſum variolarum ſtadia, in quibus mutationes magis quam in aliis morbis acutis ſunt manifeſtæ, ſemper detexi, minime periculoſas eſſe variolas hæc tempora obſervantes; ſed ab iis temporibus recedentes, erant periculoſiores: quare minus irridendi ſunt veteres, quam a quibuſdam fieri aſſolet. Tamen tempus non ita valet, ut criſis alio tempore ſine vitæ diſcrimine non potuiſſet fieri. Experimur etiam, malas herbas florendi & ſemen maturum proferendi tempus accurate quoque obſervare, non eſt ergo mirum, ſemina morboſa ſua quoque tempora ſervare: valeo tamen præmature flores & ſemina generare conciliato majore calore; & retardare, detracto calore naturali; hoc quo-

que

que fieri in morbis, experientia practica confirmat: optimæ tamen fruges debito tempore colliguntur, quare optima quoque eſt criſis, quæ critico die perficitur. (6) *Tollens omnem morbi materiem*, nam ſi aliquid relinquitur, id novum morbum faciet, vel recidivam inferet, quod cognoſcimus ex virium incremento poſt eam evacuationem: nam ſi bonus humor evacuatur, vires inde non recuperantur, neque minuuntur morbi ſymptomata. Si omnes hæ notiones adſunt, *perfecta* dicitur ſeu optima; ſi multa vero, *bona* poteſt vocari; ſi quædam, *mala*; & quo pauciora adſunt vel his contraria, eo *pejor* habetur.

In Criſi perfecta non movendum.

IX. In Criſi dictis ſignis indicata, quæ ad ſalutem tendit, vetat nunc Hippocrates *Moventia*, hoc expertus eſt obſervatione practica, ſi tunc irritamentum addatur, turbabitur illa criſis laudabilis, quia omnis mutatio inducta unum alterumve bonum ſignum detrahit. In vitæ actione modus eſt, a quo ſi recedit, vel quod motus fiat major, vel minor, in utriſque malum producitur, nam motus major invertit laudabilem præparationem & corrumpit bonos humores: ita tepor naturalis avium imprægnatum ovum facit producere pullum, minor impedit, major corrumpit. Inde contra hanc regulam non parum peccant, qui in variolis cum optimis ſignis erumpentibus exhibent calefacientia, moventia, quibus fictam malignitatem excuterent, dum experiuntur variolas nunc bonas, his auxiliis in corruptelam verti.

Perfecta Criſis vetat purgantia.

X. Motus vitalis æqualis eſt per totum corpus in ſanitate, ſed in exonerandis liquoribus ſuos contentos liquores in vaſis magis ad aliquam partem dirigit: atque in morbis obſervamus, impetum majorem interdum fieri ad caput, pulmones, hepar aliaque organa; in ulceribus etiam ſi inſtat hæmorrhagia, præcedit partis pulſatio indicans ſanguinis fluxum magis ad eam partem dirigi motu vitali arteriarum: hoc etiam in menſium fluxu inſtante. Valemus etiam medicamentis ad aliquam partem dirigere fluxum, ut in purgantium, diureticorum, emmenagogorum, ſialogogorum exhibitione obſervatur: cuncta enim hæc ore

aſſumpta, proprias tamen ſuas exequuntur operationes: hoc etiam tota doctrina derivantium comprobat, motum vitalem in arteriis ſanguinem majore impetu ferri poſſe ad aliquam partem. Sed inſuper obſervatur, ſi talis vel ex natura vel medicamentis fiat derivatio, reliquas excretiones minui & ſiſti, ut in ſudoribus, ſi alvus fluat, in alvi fluxu, ſi ſudor erumpat. Si ergo natura in morbo moliatur criſin bonam vel per ſudorem vel urinam, illa directio ex dato purgante pervertitur ad alvum; at vero quia illa morbi materia adaptata eſt, ut poſſit per cutis ſpiracula duci, ad inteſtina delata exonerari nequit, quia quodcumque emunctorium ſuum proprium liquorem ſeparat & exonerat. Quare per purgans exhibitum retinetur id, quod in criſi perfecta fuiſſet evacuatum. Aliquis tamen dubitare potuiſſet, ſi criſis fieret per alvum, an tunc illa non eſſet promovenda purgantibus: neque hoc faciendum in criſi perfecta, nam in ea evacuaretur omnis materia, ſi addas purgans, plus eliminetur, ſed quia tantum non eſt de materia morbi, id quod purgantibus evacuas, eſt de bonis humoribus, qui cum detrimento ægri evacuantur. Ergo non ſine ratione concludit Hipp: *ſed ſinere.* Nihil enim præſtari poteſt medicamentis ad melius.

LIB. I. APH. XXI.

21 *QUæ ducere oportet, quo maximè vergant, eo ducenda, per loca convenientia.*

I.

IN generali evacuatione facienda Hipp: hæc tria obſervat. (1) Ut ſit materia apta ad evacuandum, & quæ ablatione ejus mitigare vel curare poteſt morbum (2) Ut obſervetur naturæ directio, nam reluctante natura difficul-

ficulter procedet evacuatio, vel aliena evacuabuntur. (3) Sed quia interdum per alienam viam, quæ magnum damnum inferret, natura evacuationem molitur, in eo casu ductio derivanda est ad alium locum minus periculosum.

Quæ ducenda sunt.

II. Qualia ducere oportet, in sequente Aphorismo præcipit, nempe *Cocta* non *Cruda*. Tria sunt humorum genera, quæ evacuari possunt. (1) Sola materia morbi evacuationi adaptata, sed talis nisi hæreat in primis viis, eliminari nequit in morbi principio, nisi talis sit naturæ, quæ præparatione non eget, ut materia perspirabilis retenta. (2) Cocta, quæ in sequente aphorismo tradetur. (3) Bonus humor, ut in venæ sectione, qui aufertur ad temperandum nimium motum & minuendam abundantiam humorum, si peccat: ex his ea ducere oportet, quæ cum emolumento ægri auferri possunt, & quæ natura evacuare solet, si hominem in sanitatem restituit. Verum talis sæpe fit evacuatio sine ullis auxiliis, tunc illa quoque medicamentis non est turbanda, sed si experimur, naturam languere, suppetias ferre debemus, nam materia erat evacuanda & non satis evacuatur, quare ejus evacuatio medicamentis est promovenda, hoc denotat *quæ ducere oportet*.

Observanda naturæ directio.

III. Sanguis materiâ morbi infectus ex cordis ventriculo sinistro in aortam pulsus, si sola cordis actione & elatere arteriarum propellitur, secundum leges hydraulicas æquali quantitate feretur per omnes ramos arteriarum, seu quantitates per æquales canales fluentes erunt eo majores, quo minor est resistentia. In vasis igitur integris & corpore quiescente, uti in decumbentibus ægris, nulla fieri potest directio ad hanc vel illam partem major: nam si cor validius operatur, per omnes arterias æquabiliter augebitur velocitas, ut experimur in fontibus salientibus per varia emissaria ex eadem scaturigine provenientia; & viciſſim languente cordis actione, per omnes arterias fit tardior fluxus. Certum itaque est ex observatis hydraulicis, si in nobis sola actione cordis peragatur circulatio, natu-

ram facere non poſſe directionem, quæ tamen toties in morbis obſervatur: veritate itaque victi, cogimur admittere cauſam aliam, circulationem facientem, quæ poteſt in quodam ramo majorem & minorem concitare motum. Talis eſt motus vitalis in fibris arteriarum, nam ſi in alicujus arteriæ ramo major fit motus vitalis, in eo ramo accipit ſanguis majorem impetum, quam in aliis: ſed quoties liquor circulans in itinere accipit novum impetum, ſanguis a tergo veniens, in eo ramo minorem inveniens reſiſtentiam, ob magis propulſum in eo ramo ſanguinem, majori copia eo derivabitur. Ergo natura poteſt ad aliquam partem facere directionem, ſi modo concitetur in quodam ramo motus vitalis validior. Hanc directionem poſſumus quoque præſtare topicis medicamentis, nam ſtimulantia applicata in iſtius loci arteria, majorem motum concitant: ſed an directionem quoque facere poſſumus exhibitis internis medicamentis, minus liquet: quæ enim ſtimulant, quia toti maſſæ miſta ſunt, non videntur in ſpeciali parte motum concitare poſſe. Verum aliter ratiocinamur in rebus mortuis & aliter in viventibus, multa fiunt in nobis, quæ longe ſuperant detectas leges motuum in phyſicis: & interdum fit in viventibus actio a nemine mente conſecuta. Quis phyſiologicorum ex alimentis in machinis mortuis fecit lac? quis potuit ex ſanguine ſolam ſeparare urinam? bilem? ſemen? ſpiritus? ſi deficit organum motu vitali inſtructum, nihil horum ulla arte aſſequi poteſt: nam ſanguis per organum tale mortuum trajectus, non conficiet urinam, ſemen, ſpiritus, bilem: quare directio vaſorum, fabrica organi, tranſitus liquoris per id organum, non ſunt ſufficientes cauſæ ad horum liquorum præparationem & ſecretionem, adeſſe inſuper debet motus ſeu actio, quæ in viventibus ſolis præſens eſt: imo hanc actionem in viventibus non omni tempore præſentem eſſe, docet obſervatio in ſeminis & lactis confectione, nam ſi illi humores non conficiuntur, præſens tamen eſt organum & fluxus humorum per iſtud in viventibus: verum naturaliter lac ſolummodo poſt partum formatur

in

in mammis, & ſemen in matura ætate. Quare admittere debemus, in organis his requiri præter ſtructuram & generalem motum vitalem, alium ſpecialem motum, quem Deus in diſtinctis organis locavit. Eum autem motum ſeu actionem majorem & minorem fieri poſſe, experientia dictitat; ſentiunt enim fæminæ lactantes quodam tempore lac veluti ad mammas pelli, quando etiam facilius & copioſius ab infante attrahitur; ſed motus ille non dependet ab arbitrio lactantis, quare non eſt voluntarius motus, neque motus a generali cauſa dependens, cum in tali lactis copioſiore ad mammas affluxu nulla obſervetur in cordis vel arteriarum actione commutatio, ſed dependet a ſola agitatione organi in mammis. Neque hoc ſolummodo in mammis, lachrymæ enim, ſaliva, & aliæ ſecretiones ex animi pathemate augentur, non quod totius corporis circulatio augeatur, ſed in iſtis ſolis organis, ut taceam, quid fit in generationis actu. Negari ergo nequit, in organis ſpecialem fieri poſſe motum, eum non pendere ab arbitrio noſtro, neque a generali motu vitali. Hunc motum vocat Hipp: *Naturam*; & vult *ſi natura vergat ad aliquod organum excretorium, ut eò ducamus.* Conſtat ex dictis præſtare poſſe confectionem motum illum ſpecialem in quibuſdam organis; non ergo eſt abſurdum, eundem quoque motum concedere renibus, inteſtinis, cuti, aliiſque organis excretoriis, cui, ſi fiat, facilius eſt medicamentis ſuppetias ferre, quam eum auxiliis ſuſcitare. Atque altera ſubeſt ratio: morbi materia non ſine diſcrimine per quodvis organum ſecretorium a communi maſſa poteſt ſegregari, pus enim commodiſſime per urinæ vias, melancholicus humor per inteſtina, infectio venerea per glandulas ſalivales, varioloſum per cutim, ſegregatur. Si ergo ex inchoata evacuatione percipio, motum ſpecialem in quodam organo augeri, materiem aptam eſſe, ut per iſtud organum poſſit eliminari, non ſolum difficile erit ad aliud organum eum ducere liquorem reluctante natura, verum etiam ſæpe fruſtra hoc contendimus, cum materia evacuanda inepta poſſit eſſe, ut per iſtud organum ſepa-

rari

rari poſſit: quare inducta perturbatione per noſtram præpoſteram ſapientiam, non raro retinetur morbi materia in corpore cum ægri damno.

Evacuatio per locum convenientem.

IV. Quiſnam ſit locus conveniens evacuationi, non ſatis conſtat apud practicos; unus laudat cutim, alter alvum, urinam, vomitum, imo arteficialem viam. Ut hoc generale in morbis cum judicio tractetur, diſtinguendum eſt inter humorem generalem & ſpecialem: nam quidam humores per omnia loca patiuntur educi, & tunc eligimus commodiſſimum: vel humores unico organo ſegregari poſſunt & tunc debemus imitari naturam. Hæc autem regula in exemplis clarior fit. V. G. ob majorem motum vel plethoram requiritur ſanguinis evacuatio, ſanguinis miſſionem inſtituo in pede vel brachio, quia locus eſt conveniens, in quo operatio poteſt inſtitui: ſed ſi natura conatur ſe exonerare per hæmoptoen vel mictum aut vomitum cruentum, non ſequor naturam, ſed conor naturam divertere per aliam viam, quia æque facile per venam brachii vel pedis communis abundantia poteſt tolli, quam per vias iſtas periculoſas. Aliter autem faciendum in particularis humoris eductione; ſi enim empyematicus deponat materiem ad alvum, tali evacuatione non liberabitur, cum omnis alvi fluxus malus ſit in phthiſicis & empyematicis, inteſtina enim non valent pus ſegregare a ſanguine, renes id commodius peragunt, vel per ſputum eliminatur, ſi ergo in empyematicis natura moliatur evacuationem per alvum, ea cohibenda, & promovenda expectoratio & diureſis. Et quoniam obſervatur in praxi, materiem tenuem per alvum evacuandam, etiam duci poſſe per cutim, & viciſſim ad alvi fluxum cohibendum exhibentur ſudorifera. Conſtat ergo ſecundum Hipp: præceptum, nos interdum recedere debere a naturæ conamine, ſi per alienam viam affectet evacuationem; atque hoc arte fieri poſſe, ex iis quæ ſupra diſputavimus, ſatis firmari poſſe, reor.

LIB. I. APH. XXII.

22. *Concocta purgare & movere oportet, non Cruda, neque in principiis, nisi turgeant. Plurima vero non turgent.*

I.

MAxime fatigavit Commentatores hic Aphorismus, variam hinc adduxere interpretationem, & inversionem sensus, & ad probandum varia loca Galeni adferunt: sed quia auctoritas nihil valet in medicina, sed experientia, & inde deductis rationibus veritas est adstruenda, videbimus quid Experientia & Ratio dictitat. (1) Examinandum, num concocta sint purganda & movenda. (2) Num Cruda neque purganda neque movenda sint. (3) Num Cruda non sint movenda & purganda in principio, nisi turgeant. (4) Plurima non turgere.

II. Cuncta, quæ alimenti nomine ingeruntur, nobis sunt aliena, sed sensim actione vitæ & affluentium humorum ita commutantur, ut maxima ingestorum pars convertatur in liquida & firma nobis propria, qualis elaboratio dicitur Nutritio: altera autem pars assumtorum huic nutritioni inepta, commutata tamen, ut præbeat alvi excrementa, urinam, & perspirabile, si actione corporis etiam fuerit subacta & a materia nutriente separata, vocatur Cocta: nam si illæ excretiones præbent materiem minus elaboratam, vel & partem nutrientem, dicuntur Cruda emitti. Formatur ergo ex assumtis duplex genus materiæ coctæ (1) Humor sanus perfecte elaboratus nostris assimulatus. (2) Humor alienus nobis inutilis, sed excretioni adaptatus, ex assumtis confectus, si

Concocta quænam dicantur.

emittitur, Coctum evacuari dicitur (*vid. Perſp. Cap.* VI.). Sed ſi humor ille bonus evacuatur, vel quod emittendum erat retinetur, dicimus evacuare & retinere Crudum. Nam bonus & utilis humor ratione evacuationis, dicitur Crudus; & bonus ad evacuandum retentus etiam dicitur Crudus.

In morbis. III. In morbis alio ſenſu accipitur Coctum. Quædam morbi materia actione vitæ elaboranda eſt, antequam cum levamine emittitur, alia vero ulla virtute corporis præparari nequit: nam omnis materia morbi non ita mutabilis eſt, ut actione corporis ſubigi poſſit, quemadmodum non omnia, quæ per os aſſumuntur, in laudabile nutrimentum converti poſſunt; ſed manent immutabilia, ut aſſumebantur, vel abeunt in ſibi propriam mutationem. Morborum inflammatoriorum materia, quæ præcipuam partem acutorum generat, obſervatur actione vitæ commutari; vel forſan in nutritium ſeu bonum iterum liquorem, ſi parva fuit facta mutatio, ut in leviſſima febre, vel lentore nato validiore exercitio corporis; tunc poteſt ille lentor ſine materiæ coctæ evacuatione in bonum ſuccum commutari: ſed ſi materia illa ſit copioſior, attenuatur, interdum exit per inſenſibilem perſpirationem, deſinit etiam morbus ſine criſi ſenſibili. Sed ſi major fuerit degeneratio, conſtans obſervatio practica docuit, evacuationem & retentionem hujus dici Crudum evacuari & retineri, de quibus infra: ſed ſi materia hæc continuata corporis actione fuerit ſubacta & evacuationi adaptata, dicitur Coctum, quando per emunctoria evacuatur: ſed retentum dicitur Crudum. Ut evitetur ambiguitas, res ipſa in exemplo clarius concipi poteſt: ſi quis in morbo acuto reddat urinam cum multo ſedimento, albo, lævi, conſtanter, is dicitur evacuare coctum, & morbi materies ab omnibus practicis ſtatuitur cocta. Verum ſi in eodem morbo iſtud ſedimentoſum diſpareat & reddatur urina tenuis ſine ſedimento, dicunt crudum retineri & talem urinam arguere cruditatem, quam materiem antea vocarunt coctam. Ergo eadem materia morbi, quæ reſpectu evacuationis eſt cocta, reſpectu retentionis eſt cruda.

IV. In

IV. In Cocti diſcriptione quaſdam ſpecies Crudorum delibavimus, omnes vero in hoc loco, quantum ex practicis colligere potui, recenſebo. (1) Alimenta ingeſta ſine commutatione per os, vel alvum, rejecta. (2) Eadem quoque corrupta & dein ejecta vel retenta. (3) Chylus bene elaboratus per emunctoria evacuatus. (4) Chylus corruptus evacuatus vel retentus. (5) Sanguis & reliqui humores boni evacuati: interdum tamen ſanguis bonus in plethora vel impetu majore emiſſus cum levamine non vocatur cruda evacuatio. (6) Materia inutilis facta actione corporis & dein retenta. (7) Morbi materia quævis retenta ſive ſit inepta ſive apta evacuationi. (8) Morbi materia non ſatis ſubacta & ita evacuata Cruda vocatur. Sunt ergo multæ ſpecies materiæ Crudæ, & id ex vario reſpectu, vel quia evacuatur id, quod retinendum erat; vel retinetur id quod erat evacuandum; vel quod evacuatur non ſatis ſubactum. De his omnibus plura videri poſſunt in *Comp. T.* 39. *Perſp. Cap.* v. & paſſim in *Pſp. Aph.* Cruda quæ dicantur.

V. Præcipit Hipp: *Cocta medicanda eſſe.* Liquet facile, qualem materiem Coctam intelligit, nempe (1.) Materiem ex alimentis confectam evacuationi adaptatam (II, 2.) Nam ſi talis in morbo retinetur, ulteriori mora & motu perturbato corrumperetur, conducit ergo collectum illum evacuare per emunctoria naturalia; inde licitum eſt omni morbi tempore, ſi talia fuere collecta, purgare corpus, id eſt liberare a materia illa cocta, ne retenta novum morbum pariat, vel præſentem augeat. (2) Materiem morborum acutorum actione vitæ eouſque elaboratam, ut evacuationi (III.) ſit adaptata: hæc quamvis matura ſit non tamen ſemper ſubſequitur ejus evacuatio, ſed arte eſt facienda, uti in abſceſſu diutius clauſo iſtud pus diutius ſtagnans corrumpetur in ichorem, qui abſorptus novum morbum putridum facit. Talis ergo materia morboſa vel per naturalia vel arteficialia emunctoria eſt educenda, ſi ſponte hujus evacuatio non procedit. Cocta purganda.

VI. Cum duplex ſit coctus humor; alter bonus ex alimentis in corpore retinendus; alter evacuationi adaptatus, Cocta movenda.

& evacuandus, videndum, num hi humores ſint movendi. Chylus in primis viis optime confectus, ſi diutius retineatur commutabitur in cacochyliam, neceſſe igitur eſt ut moveatur, id eſt ducatur majore motu ad ea loca, ubi ſervire debet, quare diætetici admodum extollunt corporis exercitia & ſtomachica calefacientia eo tempore, quando chylus eſt coctus. Morbi materia ut eſt Lentor ſi converſus ſit in pus, aut Inflammatio in abſceſſum, omnino alia indicatio curativa naſcitur, quam ante iſtud tempus: hucuſque enim minuimus motum per antiphlogiſtica, ſanguinis miſſionem, & refrigerantia; ſed nunc, ſi hæc facta ſit mutatio, moventia adhibemus, & evitamus omnia motum minuentia; hinc in ſtadio variolarum ſuppuratorio licitum eſt calefacientibus uti, quæ damnum inferunt, ſi ante ſuppurationem propinantur. Utrique igitur peccant, qui ſemper calefacientia, & qui ſemper refrigerantia in acutis, inflammatoriis morbis, & variolis adhibent.

Cruda non evacuanda. VII. Duplex genus Crudi quia obſervatur, (1) bonus humor corpori inſerviens, (2) alienus ineptus nutritioni & evacuationi, videndum, cur noceat horum evacuatio. Vires vitæ materiem morbi ſubigere debent & expellere, hæ quoniam generaliter minuuntur evacuatione boni humoris, tali itaque evacuatione minuendo cauſam præparantem, morbi curatio protrahitur: neque evacuatione boni detrahitur materia morbi, quare hujus evacuatio non valet morbum tollere, qui unicus eſt ſcopus medicinæ. Conſtante etiam obſervatione experimur in morbis inflammatoriis, evacuationem materiæ ante maturitatem exaſperare morbum, qui enim apoſtema ante maturitatem aperit, morbum protrahet: quare Chirurgi monent, abſceſſum ante maturitatem non eſſe aperiendum. Hoc imitantur medici in curatione febris ardentis acutæ, quæ eſt veluti inflammatio generalis per totum corpus; ſi conantur lentorem evacuare per emunctoria, morbus exaſperabitur.

Cruda non movenda. VIII. Niſi adjiciatur, quid ſit intelligendum in hoc loco per Crudum, hæc regula, cruda non eſſe movenda,

non

non procederet. Nam si virium defectu nata fuit Cruditas, uti in multis morbis chronicis, nisi moveamus crudum, id ad Coctionem deducere non possumus: sed Hipp: hic intelligit Lentorem seu materiem morborum acutorum majore motu febrili compactam; si huic addas moventia, magis compingetur & ad maturitatem non perveniet: inde Chirurgi numquam Emplastra vel Cataplasma a calefacientia & moventia adhibent tumori inflammatorio, quamdiu pus non est factum: neque Medici prudentiores in febris inflammatoriæ incremento adhibent calefacientia & stimulantia, ne lentorem ultra modum compingant.

IX. Turgere hic significat copiam humorum majorem impetum facientem, ut exeat. Ita in principio morborum acutorum sæpe turget sanguis, tunc oborta hæmorrhagia sedatur impetus & corpus minus turget: quamvis itaque per sanguinis eductionem emittimus sanguinem seu humorem crudum, conducit tamen eam tunc facere evacuationem, non ut tollatur morbi materia, ut multi existimant, sed ut nimius impetus, quo partes vel totum corpus turget, & qui laudabilem coctionem inverteret, temperetur: nam æque ex nimio, quam languidiore motu vitali pervertitur materiæ concoctio. Ita etiam in morbis chronicis, si ventriculus & intestina cacochylia turgent, in principio conducit eliminare contenta. Evacuare & movere si turgent.

X. Ne ergo medicus crederet, in omni principio Acutorum & Chronicorum sanguinem esse mittendum, vel Vomitorium aut Purgans esse dandum, addit *Plurima non turgere.* Hanc raro practici observant regulam, nam invenio, nonnullos statim, vel venam secare, vel vomitorium aut purgans dare, sine ullo discrimine, existimantes hæc auxilia tollere morbi materiem; & in sua praxi confirmantur, quia sæpe levamen ex tali medicatione observarunt; si vero successum bonum non habuit medela, id morbi naturæ adscribunt. Sed monitus hac regula, sedulo observavi semper in morbi Cruditate, num turgeret materia, tunc adhibui evacuantia cum summo successu, aliter vero utiliter a me omissa sunt. Si quis variolas curandas habet, quæstio est, num in princi- Plurima non turgent.

pio ſanguis ſit mittendus, aut alvus ducenda, unus hanc, alter illam ſententiam tuetur, & acriter litigant. Verum lis illa ſtatim componi poteſt admittendo evacuantia, ſi materia turgeat ut ſæpe in juvenibus; & omittenda ſi non turgeat, ut in infantibus.

LIB. I. APH. XXIII.

23. *Quæ prodeunt, non copiâ ſunt æſtimanda, ſed ſi prodeant, qualia oportet, & facile ferat. Et ubi ad animi deliquium ducere oportet, hoc etiam faciendum, ſi æger ſufficiat.*

I.

DUo diverſa complectitur hic Aphor: (1) Ex quibus notionibus petenda ſit cognitio bonæ & malæ evacuationis. (2) An non interdum licitum ſit evacuare uſque ad animi deliquium. In evacuatione præcipit, æſtimationem non fieri debere ex *Copia*, ſed ex *Qualitate* & *facili tolerantia*: Quæ res ſenſim examinandæ ſunt.

An Evacuationis copia non ſit æſtimanda.

II. Quæſtio hæc bipartita poteſt concipi. (1) Num nullo modo debeamus ad quantitatem evacuationis reſpicere. (2) Num vero minus ſit ponderanda, quam evacuati qualitas & facilis difficiliſve tolerantia. Primum hic velle Hipp: haud credo, quoniam utiliſſimum eſt in morbis, ſi evacuatio reſpondeat magnitudini morbi: nihil enim parvum eſt criticum; & nimia evacuatio debilitat: neque in morbo parvo magna debet eſſe evacuatio, neque in magno morbo parva evacuatio: ſed tantum debet evacuari, ut judicare poſſimus, materiem omnem morbi ablatam eſſe. Minus enim evacuatum pro magitudine morbi declarat, portionem materiæ

riæ morbi relictam esse, quæ vel recidivam faciet, vel novum pariet: magis autem evacuari nequit, quin id abundans desumatur ex bonis humoribus, & ita non levat, verum debilitatem inducit.

III. Cum humores boni & mali evacuati copiam egestionis præbeant, sola observatio quantitatis non sufficit ad cognitionem; nam incertus sum, num illa copia ex bonis vel malis sit petita. Necesse ergo est, simul respicere ad qualitatem egestorum. Quidnam vero horum magis sit ponderandum, ita accipi potest: quantitas relinquit dubium, num sit ex bonis vel malis, atque facilis est copiæ æstimatio: verum qualitatis observatio declarat, num bonus vel morbosus humor educatur & morbo conveniens, & summo judicio est opus, ut videamus, num sit qualitas conveniens. Igitur magis attendendum ad qualitatem, quam quantitatem; sed non debemus propterea totam quantitatis observationem negligere.

IV. Si omnibus in morbis eadem esset evacuanda materia, facile esset judicare qualia prodire deberent ad morbi solutionem, humores enim evacuati graphice cum omnibus his notionibus describi potuissent: sed qui prodeunt in uno morbo, damnosi sunt in aliis; quare decerni nequit, nisi addatur morbus, imo interdum morbi tempus, num, quæ prodeunt, bona sint vel mala. Nimis longum foret omnes percurrere casus, quare unum alterumve adferam ad hujus rei clariorem intellectum. Bonum est in Pleuritide & Peripneumonia si sputum æquale, album, inodorum prodeat; sed varium, spumosum, flavescens, fœtens, malum. In morbis acutis urina est bona modice tincta cum sedimento lævi & albo; sed clara tenuis, vel cum nigro sedimento lethalis. Sanguinis fluxus in acutorum principio bona, circa finem autem lethalis. Sudores boni calidi ex toto corpore erumpentes; sed frigidi olentes, tantum circa collum & pectus, mali. Ex quibus rationibus autem dicta dicuntur bona & mala, aliis locis exponitur. Qualia oportet evacuari.

V. Ponamus hominem materia morbi obsessum, quæ materia irritat vires vitæ, ut inde quædam nascantur symptomata. Evacuationis judicium ex facili tolerantia

mata. Si motu illo concitato ſuperatur & expellitur morbi materia, conſtat, corporis vires prævalere ad ſubigendum & expellendum; & ſi ſecuta fuit evacuatio, talis æger liberatus eſt ab ea materia, quæ vires opprimebat: ergo neceſſe eſt, ut facta evacuatione æger roboretur. Talis evacuatio dicitur fieri cum facili tolerantia, & propterea bona eſt, quia recuperantur ægri vires, & aufertur cauſa morbi. Si vero vires vitæ minus valent, ſæpe etiam fit evacuatio, ſed tunc victis vitæ viribus quivis humor ad emunctoria veniens tranſmittitur, non poteſt tunc fieri mali a bono ſeparatio, ſed effluit ſine diſcrimine bonum & malum ſimul: quia vero bonorum evacuatio debilitat, & crudorum exoneratio recrudeſcere facit morbum, æger ille nullum levamen ex tali evacutione percipit, imo qui antea non valebat morbi materiem ſuperare, nunc hac evacuatione magis debilitatus, ſuccumbet.

Quando oportet ad animi deliquium ducere.

VI. Superius (*Aph*, 3, IX) demonſtravimus ex Hippocratis ſententia immodica evacuatione abundantiam non tollendam eſſe, hic vero contrarium videtur ſtatui. Quare multi Commentatores refugia quæſiverunt, alii vero omnino contradixerunt: ſed ſi res ipſa penitus inſpiciatur, a veritate non recedit Hipp: nam ponit caſum, in quo facienda eſſet evacuatio uſque ad animi deliquium, ut homo ſervetur, quæ ſi non fieret, periiſſet homo; ſatius tunc eſt tam copioſam facere evacuationem & ſervare hominem, quam permittere, ut vi morbi opprimatur. Hoc ergo loco perſtringit meticuloſos, qui in morbo ſola magna evacuatione curabili, exiſtimant, ſatiffeciſſe, ſi parvam fecerunt. Sed *ad Extremos morbos, extrema remedia exquiſite optima.* (*Aph.* 6) Si aliquis pleuritide, peripneumonia, angina, phrenitide, febre inflammatoria tam valida corripiatur, ut timor ſit, ne homo ſervari poſſit, dum tantus ſit in corpore motus, qui omnia deſtruet, vel imminet ſuffocationis periculum, ſi ſubito ſumma non adhibentur auxilia, tali in caſu præſtans eſt ſanguinem ducere ad animi deliquium ex lata plaga: nam minor evacuatio tam ſubitaneum levamen adferre nequit, quin prius exſtinctus ſit æger. In his igitur oportet du-

ducere ad animi deliquium, ſed tam vehemens non eſt facienda medicina, ſi faciliori & leviori auxilio levare poſſimus: ſed ſi aliter homo ſervari nequit, ut monet Auctor, id quoque faciendum eſt, cum ex inducta lipothymia per majorem evacuationem non tantum periculi ſit exſpectandum, quam immineret ex morbi vehementia.

LIB. I. APH. XXIV.

24. *IN acutis affectionibus raro, & in principiis, purgante utendum, atque hoc diligenti prius adhibita cautione faciendum.*

I.

UT intelligatur, an ex uſu ſit purgans exhibere in principio morbi acuti, ſciendum eſt. (1) Qualia purgantia fuere Veteribus in uſu. (2) Quinam morbi dicuntur Acutæ Affectiones. (3) Quodnam tempus habuere pro morbi principiis. Ex his dein inter ſe comparatis judicium ferri poteſt. His perſpectis tandem examinandum, quæ Cautio ſit adhibenda.

II. Veteribus in frequenti uſu fuit Helleborus, medicamentum validiſſimum, vel Colocynthis, Scammonium, Agaricus, aliaque draſtica, quibus hodie, cum mitiora, ut Rhabarbarum, Sennam, Mannam, Caſſiam poſſidemus, vix uti audemus. Veterum itaque purgantia magnam vim exercebant & corpus mirifice turbabant; hodie autem iſtis lenioribus ſatis commode alvum ducere valemus: quare hoc tempore licitum eſt etiam turbare alvum, quod olim non erat licitum. Quare olim in morbis exhibitum purgans ſæpe criſin pervertebat, quod hodie minus verendum eſt. Purgantia Veterum.

III. Acutarum affectionum apud veteres lata eſt ſignifi- Acutus morbus.

catio. (1) Omnes morbi breves ſunt acuti, ſive ſint cum vel ſine periculo, ita febris Ephemera, Apoplexia, Phrenitis ſunt apud ipſos morbi acuti, dum tamen nullum ſubſit in Ephemera periculum. (2) Acutæ quoque affectiones erant cum vel ſine febre, ut ex allegatis morbis conſtat; modo brevi tempore morbus ex ſua natura ad finem perducatur, vocatur Acutus. Acutæ autem affectiones, vel morbi, ſi abſolute ponuntur ab Hipp: intelligit fere ſemper morbos breves, cito deſinentes vel in ſanitatem vel mortem, cum adjuncta febre, & non ſine periculo. Hi acuti morbi calidi febriles ſunt. (1) Inflammatorii. (2) Eryſipelatoſi. (3) Putridi; (4) Maligni. In quibus cum magna fiat ſignorum differentia, ſæpe Aphoriſmi Hipp: ſibi mutuo contrariari videntur: quare utiliſſimum foret in praxi medica, ſi ſemper adderetur in quanam ſpecie morbi acuti hoc vel iſtud ſignum bonum, vel malum fuit obſervatum. In hoc loco intelligit Auctor morbum acutum Inflammatorium, ut infra patebit.

Morbi principium.

IV. Morbi acuti Principium triplicem habet ſignificationem. (1) Notat ipſam morbi invaſionem, id eſt id tempus, in quo prima ſigna morbi apparuere: nonnulli pro principio accipiunt id tempus, in quo æger lecto affigitur, ſed tali modo nunquam accipitur ab Hipp: & hodiernis Medicis, nam ſi fieri debet numeratio dierum, V: G: in variolis, primus dies ſtatuitur, dum æger corripitur febre varioloſa, nam quarto die ſolent primo apparere puſtulæ vel ſtigmata rubra, & in diſcretis variolis ne quidem tunc lecto affiguntur ægri. Interdum vero ponitur principium, dum homo â morbi cauſa inficitur, etiamſi nulla ſigna morbi appareant, quemadmodum in Hydrophobia, Venerea Lue, Peſte, morbo Epidemico & Endemico, dum virus morboſum in corpore latitat. Communi autem ſignificatione intelligunt tempus id, in quo ſigna morbi apparent. (2) Totum quoque morbi tempus ab invaſione uſque ad ſtatum pro principio capitur, adeo ut morbi Incrementum complectantur auctores ſub generali titulo principii. (3) Interdum ipſum etiam morbi vigorem intelligunt, modo ſigna

coc-

coctionis non conſpiciantur. Tria hæc tempora Hipp: hic velle videtur; quia ἀρχὴ utitur in plurali.

Raro in acutis adhibendum purgans.

V. Purgantia omnia ſive ſint validiora ſive mitiora, ſemper tamen contenta inteſtinorum ejiciunt, & faciunt humorum corrivationem ad inteſtina, fortiora autem magis, mitiora minus. Si ergo in acutorum principio inteſtina cacochylia ſint oppleta, quam maxime conducit eam eliminare, ne increſcente morbo in majorem corruptelam convertatur & morbum augeat: verum his ejectis, non eſt iterum dandum purgans, nam tam brevi tempore ex ingeſtis nova fieri nequit accumulatio; quare ſemel & ad ſummum bis alvum ducere in morbi principiis ſufficit ad hunc ſcopum ſatisfaciendum. Si vero exhibeatur purgans ad eliminandam materiem morbi ex reliquo corpore, duæ naſcuntur difficultates. (1) Inteſtina non ſunt organa ſecretoria naturalia ad eliminandas humorum impuritates ex circulatoriis organis; huic muneri deſtinat ſunt renes, & pori cutanei, quare raro in acutis critica evacuatio obſervatur per alvum (*vid. Comp. Tr:* 90, CXII.) (2) In morbi principiis omnia ſunt cruda, ſed *cocta purgare, minime cruda oportet* (*Aph.* 22). Si autem morbus acutus naſcatur ex bile corrupta, quæ hac via commode educi poteſt, conducit præprimis ſaponaceis acescentibus & ſalibus ſaponaceis neutris alvum ducere. Hodie autem multi exiſtimant, parum differre operationem purgantis in morbis inflammatoriis a ſanguinis miſſione; ſed quia purgans omne ſemper aliquam in corpore commotionem facit, atque dirigit humorum fluxum ad alvum, quæ in ſanguinis miſſione non obſervatur, atque raro criſis fit per alvum, ut monuimus, ſed in principiis frequentiſſime per hæmorrhagias, minus præſtans tamen in acutorum principiis, ſi ultra debitum terminum non apparebat in urina ſignum coctionis, inducta turbatione per purgans, poſtero die laudabile ſedimentum in urina apparuiſſe cum ægri levamine: ſed tunc non licitum eſt repetere purgans, nam perturbaretur criſis. Ergo conſtat, nos raro id eſt ſemel debere; & raro, id eſt non in omni morbi acuti principio purgans exhibere.

Qualis ſit adhibenda cautio.

VI. Qualis ſit adhibenda cautio, ex exhibitione purgantium in morbis acutis colligi poteſt ex *Comp: T.* 90, CXII. His dictis conſtat, exhibendum eſſe purgans in principio, ſi corpus cacochylia ſit onuſtum, ſi progrediente morbo adeſt in corpore materia morbi cocta, ſed quæ retinetur; ſi materia morbi impetum ad caput faciat, ut derivetur ad alvum, his abſentibus plus mali quam boni per purgans facere ſolemus. Si ulterius ponderare volumus in morbis acutis aliis morbis junctis, omnes morbi ſunt percurrendi, in quibus alvi fluxus & purgans prodeſſe & nocere poſſunt, quos citavimus *Comp: T.* 90, LXXI ad CXLVIII.

LIB. I. APH. XXV.

25 *SI qualia purgari oportet, purgentur, confert & facile ferunt: ſi vero contraria, difficulter.*

I.

EAdem fere verba inveniuntur (*Aph.* 2.) ſcilicet *In perturbationibus alvi & vomitibus ſponte evenientibus*, hic vero agit de generali evacuatione arteficiali, ſi natura non moliatur evacuationem, ſed medicamentis faciamus evacuationem, illa ſi reddat talia, qualia oportet, id confert & ægri facile ferunt: ſi vero ducas, quod non oportet, id quoque non confert & ægri difficile ferunt. Ergo videndum, quales debent eſſe notiones, quibus conſtat, nos talia ducere, qualia oportet: dein cur hoc confert & facile fertur, & contra.

Qualia purgari oportet.

II. Ducimus qualia oportet. (1) Si ducuntur cocta (*Aph.* 21, IV). (2) Per emunctorium conveniens (*Aph.* 2 XII) (3) Morbo conveniens (*Aph.* 23. IV. (4) interdum evacuandus

andus bonus humor (*Aph.* 3. v.) ſi abundat vel nimium impetum faciat.

III. Talis evacuatio *Confert*, id eſt, præveniet ea mala, quæ ex retentione materiæ morbi, vel ex boni humoris abundantia aut majore motu erant exſpectenda. Nam materia morbi ad maturitatem deducta ſi diutius retinetur, corrumpetur, atque ita vel prolongabitur morbus, vel in alium degenerabit: ut ſi pus maturum ſit in abſceſſu, confert educere pus, retentum enim diutius, vel inquinabit totum corpus, vel abiet in ichorem. Confert etiam bonum ducere ſanguinem in abundantia & majore motu; nam ſæpe in morbis cum aucta circulatione generatur gangræna & ſphacelus deſtructis partibus majore motu, qui prævenitur, ſi in principiis debita quantitas ſanguinis detrahitur. Qualis evacuatio confert.

IV. Quæ vero evacuatio educit materiam crudam, non conducit, nam tali eductione non prævenietur morbus, imo potius morbus recrudeſcet, ut tumoris apertura ante maturitatis tempus: & ſanguinus miſſio, dum non abundat & non facit majorem impetum, quemadmodum in fine morborum acutorum & multis morbis chronicis. Qualis non Confert.

V. Omnis evacuatio in *ſanis* debilitatem infert, niſi ſit evacuatio naturalis educens id, quod inevitabili actione noſtri corporis fuerit corruptum & detritum, nam plus educi nequit, quin auferatur de bonis humoribus, atque ita diſtruitur æquilibrium inter liquores & partes firmas Sed ſi adſit *abundantia* aut major *Impetus*, deſtructum æquilibrium reſtituitur evacuatione, & motus nimius temperatur, atque ita ſtatim ægri percipiunt levamem ex hac evacuatione. Id quoque ſentiendum eſt de evacuatione materiæ morbi, quamdiu enim morboſus humor eſt in corpore, ægri vires ab eo opprimuntur, & extinguuntur: nam ægrotantes, amittentes vires agentes, non poſſunt ferre ſine moleſtia ſolitam humorum quantitatem; & morbi materia humoribus miſta laudabilem confectionem & ſecretionem ſpirituum invertit: inde qui ante morbi invaſionem mediocrem copiam humorum ad cauſas agentes habebat in corpore, nunc debilitatis viribus in deſtructum æquilibrium ex ſuperante humo- Facile ferunt.

moris copia incidit; nam non fit ſupputatio æquilibrii inter quantitatem partium firmarum & fluentium, ſed inter cauſas agentes & copiam humoris: poteſt ergo æquilibrium deſtrui ſolis diminutis viribus, ut fit in ſanis, ſi corripiuntur morbo vires debilitante. His igitur ſi detrahuntur humores, ſive ſint ſani, ſive morboſi, reſtituitur æquilibrium, facta evacuatione ſpontanea vel arteficiali tam humoris ſani, quam morboſi, inde toties per ſanguinis miſſionem & alvi ductionem, quæ evacuat etiam humores bonos, vires eriguntur copia majore preſſæ. In morbis quoque acutis cum aucto motu invadentibus ſummo cum levamine ſtatim in principio concitantur evacuationes: nam motu circulatorio aucto, ut alibi demonſtratur, arteriæ magis implentur & turgent humoribus, quam in quiete, qua turgeſcentiâ vaſa arterioſa latitudinis modum excedentia moleſtiam adferunt, non niſi largiore evacuatione tollendam. Quibus igitur morbis ſtatim adeſt valida circulatio, his conducit, niſi ſponte fiat, arteficialem facere evacuationem, ut ad mediocrem diſtentionem redeant arterioſa vaſa. Hi homines igitur facile ferunt evacuationem largiorem boni humoris. Quod, ſi in iſtis caſibus fieri potuiſſet reſtitutio æquilibrii, detractione materiæ morbi, non ſolum inde, ſed & depuratione reliquæ maſſæ, ut ita perfectius præparentur ſpiritus, facile ferunt evacuationem largiorem. Cognoſcimus itaque ex facili tolerantia, num talia fuere evacuata, qualia oportet.

Difficile ferunt.

VI. Difficilis autem Tolerantia contrarium fieri indicat; nam quibus larga fit in perfecta ſanitate evacuatio, his inducitur debilitas; atque eo magis, ſi defectu humorum deſtructum ſit æquilibrium: vaſa enim modice diſtenta optime operantur, ſed inanita collabuntur & languent. In morbis autem pluribus modis per Evacuationem generatur difficilis tolerantia. (1) Si evacuantur Cruda (2) Boni humores in ægro, neque abundantia, neque majore impetu laborante. (3) Copioſior evacuatio humoris alieni ſeu morboſi. Horum dabimus exempla.

Evacuationem Crudi.

VII. Sæpe fiunt in morbis tam Acutis quam Chronicis copioſæ evacuationes pravorum humorum, ex quibus non ſa-

ſatis in medicina expertus judicaret, omnem morbi materiem auferri, dum tamen inveniat, ægrum tali evacuatione aggravari, & interdum breve poſt perire. Ita ſi morbi hi abierunt in corruptelam ſeu colliquationem, non raro magnam copiam vitioſorum reddunt per alvum, ex qua evacuatione magnum exſpectant levamen: ſed quia illa eſt indicium corruptelæ & Evacuatio ſymptomatica, ægri deinceps aggravantur. Atque in principio acutorum magnæ evacuationes pravorum humorum, quia denotant morbi materiæ abundantiam, difficile ab ægris feruntur. Phthiſici quoque in alvi fluxum incidentes, plerumque periunt. Has omnes Evacuationes difficile ferunt ægri.

VIII. Bonorum humorum, id eſt eorum, quales ſunt humores corpori inſervientes, evacuatio, niſi fiat in abundantia & majore impetu, difficile ab ægris toleratur. Qui verbi gratia in principio acutorum incidunt in hæmorrhagiam largam, aut quibus inſtituitur venæ ſectio, ex ægri facili vel difficili tolerantia judicare valemus, num evacuatio ea proderit vel nocuerit. Qui enim poſt talem ſanguinis emiſſionem minus dolent & calent, quietioreſve redduntur, ſignum eſt profuiſſe. Qui vero inde non levantur, ſed potius debilitantur, atque inquietiores fiunt, non ſolum ſcimus ex difficiliori tolerantia, nocuiſſe hanc Evacuationem, ut talem proferamus prognoſin; ſed egregiam curationis quoque regulam præbet, quid faciendum ſit: nam talis ſpontanea tunc evacuatio eſt cohibenda, atque evitanda eſt iterata venæ ſectio. Evacuationem Bonorum.

IX. Paradoxum videtur, Evacuationem malignorum difficile ferri poſſe ab ægro, cum auferatur morbi materia, quæ neceſſario levamen adferre videtur: invenitur tamen in praxi frequentiſſime, ut in ſequentibus conſtabit. Quibus hydropicis in cruribus fit abſceſſus magnus fundens ingentem puris copiam, quo major fit evacuatio, eo magis aggravantur. Sedimentum copioſum in urina demonſtrans morbi materiæ evacuationem, quo copioſius cernitur in morbis chronicis, eo difficilior fit tolerantia, & niſi minuatur ſedimenti quantitas cum faciliore tolerantia, æger non con- Evacuationem malorum.

convaleſcet. Ulcus cacoëthes quo majorem copiam virulenti ichoris fundit, eo difficilius ferunt morbum. Ita morbi omnes fomitem intus habentes, vel qui ex colliquatione interna naſcuntur, quo majorem fundunt copiam virulenti humoris, eo difficilius tolerantur. Quare obſervatio Tolerantiæ tam in ſpontanea, quam arteficiali Evacuatione admodum neceſſaria: confert enim per eductionem juvare, non lædere, atque hoc quammaxime cognoſcimus ex facili vel difficili Tolerantia.

MEDICINA HIPPOCRATICA,

EXPONENS

APHORISMORUM HIPPOCRATIS

LIBRUM SECUNDUM.

APH: 1.

26. *IN quo morbo ſomnus laborem facit lethale: ſi vero ſomnus juvet, non eſt lethale.*

I.

QUid in hoc loco per *Laborem* ſit intelligendum, facile ex oppoſito ſequente colligi poteſt, nam ſi ſomnus *juvet* non eſt lethale, ergo hic per laborem intelligitur moleſtia, læſio, ærumna, noxa: ita deſcribuntur a practicis febres laborioſæ, in quibus ſumma eſt corporis inquietudo & moleſtia, & morbos difficile ferre. Si ergo æger abſoluto ſomno ſe ſentiat pluribus novis ſymptomatibus preſſus, vel ſi præcedentia magis fuere aucta, dicitur ſomnum attuliſſe Laborem. Tunc autem quam maxime, ſi in ægris major naſcatur moleſtia & inquietudo, taliaque ſymptomata, quæ malignitatem potius quam vehementiam declarant, dicitur ſomnus laborem facere, quia ægri tunc inquieti ſe jactantes, quaſi laborarent, geſtiunt. (Conf. *Perſp. Aph.* 441.)

Somnus laborem faciens.

Juvans. II. Si vero æger ex ſomno prægreſſo ſe ſentiat agiliorem, paucioribus vel benignioribus ſtipatus ſymptomatibus, nunc facilius quieſcere potens, talis ſomnus dicitur juvans, quoniam declarat morbi magnitudinem per ſomnum fuiſſe minutam, ſed ægri vires auctas. Cur autem illæ mutationes poſt ſomnum apparentes bonum & malum portendant non poteſt intelligi, niſi præmittantur effectus naturales in nobis, qui ex ſomno fiunt; qui cum morbo comparati firmabunt doctrinam.

Mutationes in ſomno. III. Quæ in *Exerc. ſecunda* fuſe diſputavimus de ſomno collecta proferam, ut unico aſpectu res fiat perſpicua. Si comparemus hominem dormientem ad vigilantem, invenimus motum animalem omnino nullum, ſenſus externos & internos ſopitos, carnem laxiorem, pulſum æquabiliorem minorem & rariorem, reſpirationem rariorem minus profundam, ſed ſæpe ſtertoroſum, membra omnia laxa & flaccida, perſpirationem parciorem. Quæ omnia ſimul ſumta declarant vitæ actionem minorem eſſe, minuſque conſumi ſpiritus, quibus in vigiliis peraguntur ſenſus interni & externi atque motus animales. Itaque in ſomno naturali poſt vigilias reſolvuntur humores, præcedente motu majore compactos; fit ſpirituum materiæ accumulatio; concoquuntur humores, qui motu minore præparandi ſunt; colliguntur humores magis in venis & cellulis, ex quibus in præcedente motu fuere depulſi; ſpatiola inter partes firmas humiditate implentur, quare partes firmæ fiunt humidiores & laxiores; materia ad inſenſibilem perſpirationem præparatur; vires augentur collectis ſpiritibus; ſitis lenitur & alvus humectatur (*Perſp. Aph.* 398); Caloris æſtivi moleſtiam tollit.

Somnus in morbo. IV. Qui autem aliquo morbo correptus eſt, non acquirit ea bona, quæ aliter ex ſomno placido in ſanis profluunt: nam ex mutationibus in dormientibus mali cauſa augeri vel minui poteſt: quare ut cognoſcamus an proſit vel noceat ſomnus, alicujus morbi cauſa comparanda eſt cum ſomni mutationibus. Morbi generaliter dividuntur in Acutos & Chronicos, ſeu in morbos cum aucta & minuta circulatione.

Quia

Quia in ſomno circulatio ſit minor, facile liquet generaliter ſomnum magis conducere Acutis quam Chronicis: tamen ſi iſti morbi ſeorſim examinentur, facile patebit, ſomnum in utriſque prodeſſe & nocere poſſe.

V. Concitatur ſomnus in acutis, primo ſi homo ob præcedentem motum majorem impeditus fuit dormire, nunc ceſſante illo motu auctо & perturbato in ſomnum labitur, qui ſi ſit placidus, egregium ægrotantibus præbet auxilium: nam æger per majorem illum motum ſpiritibus privatus, laborans lentore ſeu ſanguine compacto, atque ſolidorum ſiccitate, a ſomno ejus corpus temperato calore fruetur, viribus erit auctum, leutor erit diſpoſitus ad criſim faciendam. Talis igitur ſomnus non ſolum *non lethale*, ut dicit Hipp: ſed admodum ſalubre eſt. Huncque bonum ſtatum cognoſcimus ex viribus auctis, diminutione ſymptomatum, temperatiore calore & motu, ſubſequente critica evacuatione, urina minus tincta, multo ſedimento albicante ſaturata, pulſu minus duro & minus citato, reſpiratione liberiore & faciliore, madoris ſuffuſione per totum corpus, faciliore morbi tolerantia. (2) Si autem in acutis ob majorem ſanguinis impetum ad caput opprimatur cerebrum, ut æger in ſoporem incidat, talis ſomnus ut ſignum malum eſt accipiendus: nam quod æger dormiat, morbi cauſa non augetur, imo potius minuitur, quia in majore impetu conducit temperare motum ut fit in ſomno, ſed quia talis ſomnus concitatur ex mala cauſa, declarat ægri ſomnum non eſſe naturalem, ſed ſymptomaticum, & inde id boni, quod ex ſomno provenire ſolebat, non producitur. (3) Somnus inductus medicamentis hypnoticis, neque ſalutem, neque mortem declarat, nam omni tempore talis poteſt concitari: experientia docuit in principio acutorum ſomnum hypnoticis inductum raro profuiſſe, quoniam tempus non eſt in quo lentor mutari poteſt in materiem criticam; at ſuppurationis tempore conducit hypnoticis conciliare ſomnum, ut diu fuit obſervatum in variolis, quæ multo felicius curantur, ſi ſuppurationis tempore nimius motus compeſcatur hypnoticis

Somnus in acutis.

diluentibus. Hinc Papaverina miſcent pectoralibus in fine peripneumoniæ & pleuritidis.

Somnus in Chronicis.

VI. In morbis autem Chronicis, ut ſignum & cauſa malum inferre poteſt: morbi enim hi fere omnes languidiorem habent circulationem, minoremque actionem vitalem, ſi tunc ex viſcidi copia opprimatur cerebrum, ut inde homo fiat ſomnolentus, & obdormiat, talis ſomnolentia indicans pituitæ in encephalo collectionem, malum eſt ſignum; atque ipſe ſomnus non ſolvit pituitam, ſed debilitata actione vitæ in ſomno major fit pituitæ collectio: quare in his neque ſomnus longior, neque hypnotica conveniunt. Interdum vero in Chronicis ex humore tenui & acri natis, aut quibus eſt motus perturbatus, ut in mobilitate & paſſionibus hyſtericis, ſomnus & ſomnifera conveniunt; omnium optime humores tenues ſomno & ſomnifero craſſeſcunt, quod dicitur coctio in his humoribus; & niſi quies inducatur motui perturbato, non ſolet ceſſare paroxyſmus. Ita a priori determinare valemus, num proderit ſomnus, vel damnum ſit allaturus: in noſtra autem opinione firmiores ſimus, ſi peracto ſomno æger ſentiat levamen vel laborem.

VII. Ex dictis facile liquet, in quo ſenſu capi debeat *Lethale* & *non Lethale:* nam experientia docet, ſæpe ſomnum attuliſſe laborem ſine morte ſubſequente, ut hæc vox indicare videtur: quare pro lethale mallem ponere *malum*, & pro *non Lethale*, *bonum*, quia poſt ſomnum, ſi æger percipiat levamen, inter præſtantiſſima ſigna ſalutis inſtantis obſervatur.

LIB. II. APH. II.

27. *Ubi ſomnus delirium ſedat, bonum.*

I.

In Delirio ſomnus.

HIc Aph: eſt veluti exemplum prioris, nam poſuit in quovis morbo ſomni indicia, hic vero duntaxat in Delirio, quoniam morbus hic exemplar præbere poteſt, tam in Acutis, quam in Chronicis. Omnis enim mentis abalienatio Paraphroſyne ſeu Delirium dicitur, ſive fiat cum vel ſine febre, tam a cauſa externa & cognita, quam interna latente. Quam maxime laborant Commentatores Delirii ſpecies perſcrutaturi, ut ſit vel continuum, vel interpolatum, cum ſtudio, triſtitia, mœrore, furore, ſtultitia & aliis notionibus, ac ſi multum faceret ad prognoſin & curationem: hinc multa quoque finxerunt nomina, quæ magis retardant, quam promovent Medicam ſcientiam. In omnibus autem morbis nomen mutuantibus ex phænomeno, quale eſt Delirium, perſcrutandæ ſunt cauſæ variæ eum morbum producentes; præcipuas earum delibabimus, nam omnes recitare nimis longum foret.

Delirii definitio.

II. Qui ex morboſa cauſa aliena percipit, cogitat, & agit, quam idem homo ſanus antea vel cogitare vel agere ſolebat, a Medicis talis cenſetur Delirare: nam aliena facere ex voluntate, malevolentia, vel quavis alia actione voluntatis, a Medicis non dicitur Delirare, quoniam mentis aberratio ex morboſa cauſa ſola ad forum medicum pertinet.

Delirii cauſæ.

III. Si perſcrutemur morbos eorumque cauſas Delirium inferentes invenimus iſtas in Externas & Internas ſatis commode dividi poſſe. Quæ omnes, (1) turbant æquabilem per cerebrum circulationem; (2) Defectum ſpirituum pariunt; (3) Spirituum naturam mutant. Neque hæc generalis di-

viſio ad cognitionem, num ſomnus proderit nec ne, ſufficit, ad hujus enim diviſionis ſimplices ſpecies eſt deſcendendum, antequam certum poteſt comparari judicium.

Cauſæ Externæ. IV. Cauſæ externæ *Turbantes* ſpirituum æquabilem motum ſunt omnes cerebri læſiones a vulnere, contuſione, fractura cranii &c: in his, niſi tollatur Delirii ſenſibilis cauſa, ſomnus obrepens nihil boni præſtare poteſt, talis tunc ſomnus ex Cerebri oppreſſione generari ſolet, & tunc eſt mortis indicium: ſed ablata cauſa, ut in fractura cranii ſublato fragmento oſſis, vel educto humore ex encephalo, ſi obrepit ſomnus, valde bonum, quia ſignificat mali cauſam turbantem, ablatam eſſe. *Detrahentes* autem cauſæ ſunt omnes evacuationes copioſiores, ſtudia ſeveriora profundiora, vigiliæ protractæ: in his ſi ſomnus juvat valde bonum, quoniam declarat, per ſomnum illum reſtitutos fuiſſe ſpiritus: ſed ſi non ſedat ſomnus, delirium tale malum eſt, quia inde ſcimus, non ex ſolo defectu ſpirituum, ſed ex eorum etiam mutata indole Delirare hominem. *Mutantes* naturam ſpirituum multæ ſunt externæ cauſæ: ita omnis ſpiritus fermentatus, ſtramonium, cicuta aquatica, aliaque philtra, atque morſus canis rabidi, & in fervidis regionibus Opium. In his omnibus ſi ſomnus ſedat Delirium, ſervantur, ſed ſi non levat, admodum periculoſum eſt.

Cauſæ Internæ turbantes. V. A multis cauſis internis *Turbatur* æquabilis ſpirituum fluxus, ut generetur Delirium. Ita Inflammatio, Eryſipelas Meningum; ſanguinis impetus major ad cerebrum; commotio febrilis præprimis in capite, ſerum, lympha, acris quivis humor in encephalo collectus; morbus ad caput metaſtaſin faciens; conſenſus præprimis affecto pulmone, hepate, diaphragmate. In quibus omnibus optimum eſt, ſi ſomnus delirium ſedat, nam, niſi minuantur vel evacuantur illæ morboſæ cauſæ, non ceſſabit Delirium: ut ſi quis obdormiat auctis iſtis cauſis, ſopore premitur, non vero fruetur placido ſomno. Hypnotica in his omnibus non æque bona ſunt; nam in Inflammatione & Eryſipelate non tollunt cauſam, ſed inducunt ſoporem, nihil levaminis afferentem, neque evacuant humorem acrem in encephalo collectum: ſed in majo-

majore impetu, ſi ſimul adhibentur derivantia, ſanguinis miſſio, & refrigerantia, cum levamine conciliant ſomnum; atque ex conſenſu delirantibus egregium præbent hypnotica auxilium.

Detrahentes ſpiritus.

VI. Non raro poſt lochiorum profluvium in puerperis, vigilias diuturniores ex morbo diu toleratas, febres intermittentes & longas invaletudines, exhauſtis ſpiritibus, generatur Delirium, ſolis recuperatis viribus abigendum, quale etiam fit in ſumma ſenectute: vel ſpiritus exſtincti commutatis humoribus in ſphacelum, ut in moribundis ex acutis; vel ſpiritus inviſcati lentore morborum acutorum, aut viſcoſo chronicorum generant Delirium, in quo ſomni obſervatio multum valet. Nam qui ex debilitate virium delirant, ſi a ſomno levantur, magna ſpes eſt, tandem vires recuperari poſſe iterato ſomno. Delirium ex Lentore egregie levatur ſomno, quia ſomno placido Lentor commutatur in materiam, quæ critice evacuari ſolet: Sed in viſcoſo, quoniam augetur quiete & ſomno, ſomnus Delirium aut ſtultitiam augere ſolet.

Mutantes ſpiritus.

VII. Ut quædam externa (IV) valent ita commutare naturam ſpirituum, ut mens omnino ſit alienata, ita etiam in nobis generantur Morboſi humores craſin ſpirituum invertentes, qualis eſt bilis corrupta, materia melancholica, pus corruptum, deliquata materia chronicorum, urina retenta ad cerebrum delata. In his omnibus, quia per ſomnum non fit commutatio in melius, ſive ſomnus fiat ex naturali cauſa, ſive ex cerebri oppreſſione, nihil boni ex ſomno in hujuſmodi Delirio eſt exſpectandum; neque propinanda ſunt hypnotica: ſed tale Delirium eductione & emendatione illarum cauſarum eſt curandum.

LIB. II. APH. III.

28. *Somnus, vigilia, utraque modum excedentia, malum.*

I.

OMnes fere Commentatores hunc Aph: abſolute ponunt, tam in ſanitate, quam morbo, & inde in ſequentibus, *ſomnus vigilia utraque modum excedentia, morbus*, eodem modo exponunt; ſed ex nexu hujus cum duobus præcedentibus facile liquet, in hoc loco ſomnum & vigiliam ut ſigna epiphænomena capienda eſſe: nam in primo hujus libri exponit ſomnum in quovis morbo; in altero autem qualis eſſe debeat in Delirio; nunc vero dicit ſomnum & vigiliam longiorem quam exigit natura morbi, malum facere. Duplici modo ſomnus & vigilia excedentia, ut ſignum nempe & cauſa, malum indicant.

Somnus modum excedens.

II. In ſanis hominibus quamdiu ſomno ſit indulgendum, expoſuimus (*Exc:* 2, LVI.) Sed & ex iſtis conſtat hominem ex neceſſitate interdum longius, interdum vero brevius tempus, quam octo horarum, concedere debere ſomno, atque in omni ætate idem tempus non ſervandum eſſe: in his longius & brevius tempus non dicitur modum excedens, quia ſanitati conducit. Sed ſi homo, cui competit ſomnus brevior, utitur longiore, & viciſſim: aut qui longo eget ſomno, adhuc magis ſomno indulget, quam exigit ſanitatis conſervatio: in his omnibus ſomnus modum excedit. Ita etiam in morbis hic ſenſus capiendus; nam qui poſt diuturnas vigilias longe fruitur ſomno, is non dicitur excedere modum, ſed eſt conveniens, quia ſupplet defectum præcedentis temporis.

In acutis.

III. Multi in ea ſunt ſententia, quo plus & diutius dormiunt

miunt ægri in *Acutis*, eo melius eſſe, quaſi non potuiſſet ſomnus in acutis modum excedere., contrarium vero inculcat noſter Auctor: nam in acutis oppreſſo cerebro ex mala cauſa, diutiſſime dormiunt, ut in *Caro*, in quo ſomno, quo diutius detinentur, eo pejus ſignum, quo enim cerebrum magis eſt oppreſſum, eò profundior & diuturnior *Caros*. Sed ſomnus longior ut cauſa in acutis modum non excedit; nam relaxatis partibus firmis, temperatiore motu Lentor morborum acutorum optime diſponitur ad criticam evacuationem.

IV. In morbis autem *Chronicis* ſomnus modum excedens, ut ſignum & ut cauſa malum portendit. Omnibus fere morbis chronicis eſt tardior vitæ actio, quo humores abeunt in ſpontaneam corruptelam, & minus commutantur ingeſta deficientibus viribus in bonum ſuccum, quare talia corpora frequentiſſime laborant Corruptela ſpontanea & Cruditate, quæ cauſæ morboſæ ex minori actione in ſomno (Conf. Exc: 2, XLII. XL, XIV, XXXV, &c.) augentur: ſed majore agitatione ſunt concoquendæ & expellendæ; quare in Chronicis raro per ſomnum longiorem curantur morbi, vid. (*Aph.* 26, VI.) Qui ſomnus ex morboſa cauſa modum excedit, quale exemplum habetur in *Lethargo*, nunquam bonum præſagium præbet: cerebrum enim Pituita oppreſſum non facile liberatur. In Chronicis.

V. Frequentius in acutis vigiliæ modum excedunt, & malam præbent prognoſin: nam vigiliis protractis, conſtat cerebrum continuo in morbo turbari, ut non concedatur quies pro ſomno capiendo; quare in perpetuo vigilantibus, quoniam Lentor in acutis formatus, continuato illo motu raro ad criticam evacuationem deducitur: interim vigiliis & motu aucto in acutis quam maxime exhauriuntur ſpiritus, unde ſumma debilitas generatur. Vigilia modum excedens in Acutis.

VI. Minor & quietior motus in Chronicis diſponit quidem corpus ad longiorem ſomnum capeſſendum, ſed ſi æger nimis vigilat, inde ſcimus, aliquid acre latitare, quod hunc languidiorem motum turbat: atque vigiliis protractis exhauriuntur quoque ſpiritus, quorum privatione In Chronicis.

corpus ſenſim magis debilitatur. Et quoniam viribus auctis ſuperandus eſt morbus Chronicus, corpus vigiliis debilitatum, morbum quoque auget. Inde in Chronicis hypnotica corpus ad naturalem ſomnum redigentia, vera videntur eſſe Cardiaca.

LIB. II. APH. IV.

29. *Non ſatietas, non fames, neque aliud quicquam bonum eſt, quod naturæ modum excedat.*

I.

Senſus Aphoriſmi.

GEneralem de omni exceſſu, & ſpecialem de fame & ſatietate complectitur ſententiam. Omne nimium naturæ inimicum non eſt opus adſtruere, utpote omnibus ſatis cognitum: quid autem hic per Satietatem & Famem ſit intelligendum, non conſtat inter Auctores: maxima pars ſenſum hujus ad parciorem & copioſiorem ingeſtionem alimentorum refert; de his autem in morbis ſuperius egit Hipp: in Lib. 1. Neque hic regulam tradere vult de quantitate alimentorum aſſumenda in ſanis; nam ſtatim in primo Aph: hujus libri incepit *quo in morbo*, & in eo examinavit ſomnum; conducit ergo, ut nunc regulas præbeat de ſenſu famis, quia verſatur in corporis actionibus obſervandis, quid boni aut mali portendunt in quovis morbo.

Satietas. II. Per ſatietatem intelligo hoc loco, ſi corpus præcedentia ingeſta alimenta omnia ſubegit, ita ut ſi fuiſſet ſanum, nunc debuiſſet eſurire, ſed quamvis nihil alimentoſi ſit in corpore, tamen talem ſenſum percipit ac is qui ſaturus eſt, id eſt, cibum non appetit, aut ſi parum ingerit, ſtatim ſaturus eſt.

III. Quid

III. Quid ſit Fames, ſatis expoſuimus (*Exc:* 3.) In hoc loco intelligitur ſenſus famis præter modum urgens, ut fames non placetur modica ingeſtione alimenti, citiuſque redeat quam in ſanis hominibus redire ſolebat poſt aſumta alimenta, imo urgeat ventriculo pleno. Utrumque hoc dicit Hipp: in morbis eſt malum, quod paulo altius ex ſuis cauſis eſt eruendum. Fames.

IV. Ad famem naturalem concitandam (1) requiri Chyli defectum in ſanguine; (2) ventriculum vacuum alimentis; (3) bilis bonæ confluxum in ventriculum vacuum, quæ nuda ventriculi latera tangens ſenſum famis excitat, olfactus ab odoriferis & guſtus a ſapidis applicatis in *Exc:* 3. demonſtravimus; ſi vero ventriculi latera muco nimis obducta, vel bilis ſit iners, cum alimenti defectu in ventriculo & chyli in ſanguine, homo non ſolum ſaturus videtur, & minima ingeſta alimenti quantitate oppletus, verum etiam multo difficilius quoque ingeſtum cibum in bonum chylum convertit. Satietas non bona in morbis.

V. Conſtante obſervatione practica experimur, in fine morborum acutorum hominem non ſecurum eſſe, quamdiu fames naturalis non redit; ut enim vires præcedente morbo amiſſæ reſtaurentur, bonus chylus eſt ſuppeditandus, qui in tali inappetentia imperfecte conficitur, ut notavimus *Exc:* 3, XL. Et vigente morbo acuto ſemper minor eſt fames, quam in ſanis, ſi æger vero nihil appetit, ſed ſemper ſaturus videtur, multo pejus eſt, quam ſi alimenta petit. Acutis.

VI. Frequentiſſime in Chronicis obſervatur, famem deletam eſſe, vel quod ventriculus pituita ſcateat, vel bilis ſit iners: in his quia inappetentia malam latentem declarat cauſam famem exſtinguentem; & quia tunc imperfecte concoquuntur ingeſta alimenta, quæ morborum Chronicorum cauſam fovent, ſatietas illa in Chronicis mala eſt cenſenda. In Chronicis.

VII. Ut olfactus & guſtus interdum a morboſa cauſa concitantur, & tunc pro natura materiæ iſtos ſenſus excitante bonum & malum ſignum præbent hi ſenſus, ut odor fœtidus ſine fœtente applicato naribus; ſapor ſalſus, dulcis, Fames nimia in morbis non bona.

cis, putridus ſine applicatione earum rerum, ita etiam fames ex non naturali cauſa excitatur in *Bulimo* (*Exc:* 3, XLIII,) & *Cynorexia*, (*Exc:* 3, XLIV.) denotat morboſam eſſe cauſam, hanc alienam famem excitantem.

In acutis. VIII. Naturale eſt in acutis parum comedere, ſi vero tantam Famem ſentit, vigente morbo, ac ſentitur in ſanis, talis tamen fames dicitur modum excedere: ſed finito morbo acuto, aut in morbis acutis, qui per paroxyſmos exacerbantur, bonum eſt ſentire naturalem famem: quia ſignificat, cauſas famem excitantes naturales intactas eſſe, ſed in tali caſu cavendum eſt a nimia ingeſtione alimentorum, corpus enim debilius non valet, ut ſanum, mediocrem quantitatem concoquere, ſed permittit, portionem manere crudam, vel abire in ſpontaneam corruptelam.

In Chronicis. IX. In Chronicis autem morbis melius eſt, ſi fames modum excedat, quam ſi ſit deleta; interim non eſt bonum nimia fame laborare, nam talis non fit ex ſanitatis cauſa; & quoniam nimium quoque ſolet ingeri, quam id corpus ex ægritudine debile poteſt ſuperare, corpus morbo & multitudine alimentorum onuſtum in graviorum ſolet incidere morbum. Paulo itaque minus, quam in ſanis requiritur, eſt ingerendum, licet fames plura exigit, & interim nimiæ famis cauſa eſt curanda.

LIB. II. APH. V.

30. *SPontaneæ laſſitudines morbos denunciant.*

I.

Laſſitudo laboriosa. QUi poſt Labores vel exercitia multa ſentit in membris ad movendum ineptitudinem, ita ut, ſi membra movere conatur, debeat plus virium adhibere, quam

quam antea ſolebat, atque in ipſo motu aliquam moleſtiam percipiens, dicitur laſſus vel defatigatus; illa autem laſſitudo ſequente quiete & ſomno iterum evaneſcit. Talis conveniens laboris magnitudini non recenſetur inter morbos, & vocatur *Laſſitudo laborioſa.* Qui vero ex minori labore fit laſſus, talis dicitur debilis. Laſſitudo hæc laborioſa erat præmittenda, ut conſtaret, quid eſſet ſentiendum de cauſis Laſſitudinem ſpontaneam inducentibus. Motum membrorum fieri copioſiore ſpirituum influxu, eoque motu ſpiritus conſumi, colligi poteſt ex iis, quæ in *Comp:* T. 18. expoſuimus. Hac ſpirituum conſumtione naſcitur major movendi difficultas, & frequentiore muſculi agitatione relinquitur dolor ſeu moleſtia in ea parte; quæ utraque ſomno & quiete ſatis longa emendantur, regenerantur enim ſpiritus, & rediguntur humores atque partes firmæ muſculorum æquali motu vitali in priſtinam ſanitatem, nulliſque eget medicamentis.

II. Qui vero in ſuis membris ſimilem difficultatem & ineptitudinem ſine laboribus prægreſſis ſentit, is *Laſſitudine ſpontanea* laborare dicitur: eſt ergo in corpore cauſa morboſa, ita minuens vel immutans ſpiritus, ut ad hunc motum peragendum ſit defectus vel ineptitudo. Spontanea igitur eſt, non quia ſponte ſine cauſa naſcitur, ſed quia generatur ſine laboribus præcedentibus, qui Laſſitudinem in ſanis inferunt. Hanc autem ſpontaneam laſſitudinem veteres non ſine ratione diviſerunt in *Squalentem*, *Laborioſam*, *Ulceroſam*, *Tenſivam*, *Phlegmonoſam*, ex adjunctis ſymptomatibus cauſas Laſſitudinis indicantibus. Laſſitudo ſpontanea.

III. Qui in membris citra labores prægreſſos obſervat Laſſitudinem cum cutis colore ſqualido, hæc ſigna juncta ſatis denotant, ex Cacochymia vel Cachexia hanc generari laſſitudinem: atque ita formatur Curatoria indicatio, nos debere anticachecticis hanc diſcutere Laſſitudinem, corpus eſſe movendum & fricandum. Talis laſſitudo mane ſurgenti ſolet ſentiri major, atque moderato labore levatur, quia id crudum aucto motu ſolvitur & expellitur, ſed ſomno & quiete magis accumulatur. Squalens.

Laborioſa. IV. Laſſitudine autem preſſus ſi ne quidem per momentum in eodem ſitu manere poteſt, ſed continuo præ anxietate membra hinc inde jactat, uti fit in febre laborioſa, talis Laſſitudo periculoſiſſima eſt, nam laſſitudine conſtat virium defectus, & ex inquietudine, organa vitalia affici, hominemque anxietate urgeri.

Ulceroſa. V. Moleſta vero ſenſatio in membris, quemadmodum in membris ulceribus obſeſſis, cum laſſitudine tunc obſervatur, quando ex materia purulenta, per corpus diſperſa generatur laſſitudo; ſæpe etiam in ſcorbuto & cacochymia in acrimoniam converſa. Talis ergo laſſitudo ſi ſit ex pure, quietem exigit & medicamenta, quæ puris corruptelam inhibent: In chronicis autem Antiſcorbutica & Diaphoretica præcipua ſunt.

Tenſiva. VI. Ex humoris abundantia æque, quam ex diminutis viribus naſcitur laſſitudo, ſed quia copia major non ſolum inducit laſſitudinem, verum etiam impletionem, inde plethorici Laſſitudine tenſiva laborant, quæ facta naturali vel arteficiali evacuatione evaneſcit: ita unica inſtituta venæ ſectione vel ſuperveniente alvi fluxu tollitur ſæpe vernali tempore laſſitudo.

Phlegmonoſa. VII. In febribus acutis, ardentibus, Inflammatoriis frequentiſſime obſervatur Phlegmonoſa Laſſitudo, quia aucta circulatione & compacto lentore diminuti ſunt ſpiritus, ſed irritamento concitatus motus vitalis non deſinit urentem calorem in corpore producere: admodum periculoſa hæc eſt Laſſitudo, antiphlogiſticis curanda.

Spontanea morbos denunciat. VIII. Omnes ſpecies ſpontaneæ Laſſitudinis ex morboſa oriri cauſa, jam ſatis conſtat; ergo non eſt ambigendum, quid denotat *morbos denunciat*, nempe Laſſitudo illa ſemper oritur ex latente Morboſa cauſa. Hæc autem phraſis ſæpe in futuro ſumitur, id eſt morbum præſagit. Laſſitudo enim a quibuſdam non accipitur ut morbus, ſed ut ſignum indicans morbum inſtare; hoc declarant multi, ſi ſine labore corpus ſentiunt laſſum, ajunt, morbum exſpecto, nam plus ſolito ſum defatigatus. Hoc non eſt ſine ratione, nam Laſſitudo ſemper indicat minorem agendi potentiam, qua in-

ingeſta alimenta nova non ſatis ſubiguntnr, & quæ ſunt evacuanda, retinentur, ipſique boni humores ex laudabili ſtatu recedunt: ita ex his corruptelis inductis per motum infirmiorem varii naſcuntur morbi. Ut igitur præveniantur morbi, ſpontanea laſſitudo eſt curanda.

LIB. II. APH. VI.

31. *Quicumque aliqua corporis parte dolentes, dolorem ferè non ſentiunt, his mens ægrotat.*

I.

Quam maxime laborant Commentatores in hoc Aph: explicare, quomodo Dolor, qni ſenſus eſt moleſtus tamen poſſit dici non ſentiri, quia ſentire & non ſentire ſimul conſtare nequeunt. Sed ſi verum capimus ſenſum, facile hæc dictio admitti poteſt, & non erit contradictoria, nam ſi pars quædam dolet, &, manente cauſa dolorem ante inferente, pars illa non amplius a nobis percipitur dolere, vero ſenſu dicimus, nos non ſentire iſtius partis dolorem. Senſus hujus.

II. Ita creavit Deus noſtrum corpus vivens, eique junxit animam, ut ſi in organis ſenſui dicatis, (nam non omnia organa communicant ſuas mutationes animæ) quædam a rebus externis vel internis inducitur mutatio, anima alicujus mutationis in iſtis organis redditur conſcia: & quamdiu durat mirabilis ille nexus inter animam & corpus, atque organum manet integrum, ſemper omnis mutatio in tali organo facta a mente percipitur: experimenta autem probant, animam agere in nervorum principia, & eorum prin- Sentire quid ſit.

ci-

cipiorum mutationes, quæ in encephalo fiunt, immediate percipere; & quia ſenſuum mutationes a rebus externis fiunt in nervorum extremitatibus, igitur ipſa inducta finibus nervorum mutatio per nervum vel ejus ſpiritus, eſt propaganda ad nervorum principia, ſeu aliquid aliud per nervum vel ſpiritus propagatur a finibus ad principia, quod productum menti communicatur, ut mens percipiat aliquid fieri in nervorum extremitatibus. Hanc propagationem a finibus nervorum ope ſpirituum fieri, qui continentur & fluunt in canaliculis nervorum, alibi (*Comp.* T. 16.) demonſtravimus, & quidem hoc modo, fluunt ſpiritus ex encephalo æquabili & continuo fluxu per canaliculos nervoſos ſenſui famulantes; quoties ille liber fluxus retardatur, mutatur, aut turbatur in finibus eorum canaliculorum nervoſorum, ſtatim quoque influxus in principia eorum mutatur, quæ mutatio a mente percepta dicitur ſentire. A cauſa autem interna non raro circa medium hujus canaliculi in transfluxu inducitur mutatio, qua in principio hujus canaliculi quoque turbatur ſpirituum influxus, quia tunc mens eandem mutationem percipit, quam antea percipiebat ex affectione extremitatis, mens errare dicitur, quamvis error non ſit in mente, ſed in organo, quod afficitur alieno loco.

Dolor quid ſit.

Omnis cauſa ſenſum excitans in organo quovis ſentiente validius agens nobis ideam doloris præbet, quamvis multi dolores ad ſolum organum Tactus referant: nam dolent oculi ex nimia luce; aures ex acutiore ſono; lingua a nimis ſapidis; & nares ab acrioribus odoriferis. Cauſam excitantem dolorem exiſtimant conſiſtere in tanta fibrarum tenſione, qua ruptioni imminent: verum ſi omnes perſcrutemur dolorem inferentes cauſas, detegimus, eas ſiſtere liberum fluxum ſpirituum per canaliculos nervoſos ſenſui dicatos, ſive fibra nervoſa tendatur, ut ita fiat anguſtior, ſive prematur, ſive ipſa contrahatur, ut in nimia exſiccatione & levi combuſtione, omne impedimentum hujus fluxus æquabilis ſpirituum per ſenſuum nervos, dolorem infert: leve autem impedimentum facit ſenſum, majus Dolorem, & quo impedimen-

mentum eſt majus, eo acrior fit Dolor, donec tandem totus ſubſiſtat fluxus, quando etiam ſubſiſtit Doloris perceptio: inde in ſenſim increſcente cauſa doloris tandem ſubito omnis exſtinguitur dolor, tunc nempe, quando impedimentum hujus fluxus eo uſque fuit auctum, ut fluxus omnino ſubſiſtat. Mens ergo noſtra percipiens in principiis nervorum impeditum influxum, in nervis ſenſuum Doloris ideam præbet. Hinc, quo partes pluribus nervis ad ſenſum ſunt ditatæ, eo vividior in iſtis Dolor; quo vero pauciores, eo Dolor obſcurior, verbi gratia in oſſibus; his autem nervis deſtitutæ licet afficiuntur ab iiſdem cauſis, quæ in aliis partibus Dolorem intuliſſent, nullus tamen ſentitur Dolor, ut ſæpe in pulmonibus & hepate: ſed loco Doloris ſæpe generatur Anxietas, quemadmodum obſervatur in Doloris metaſtaſi ad interiora viſcera minus ſentientia.

IV. In Senſibus & Doloribus duo loca ſimul occupantibus obſervamus, ſi unus præ alio ſit major, majorem non ſolum minuere, ſed interdum omnino exſtinguere perceptionem mitioris, imo profundiore cogitatione ſenſus hebeſcent. (2) Si nervus ſentiens in organo deſtructus ſit, ut in parte quadam ſphacelata: ita pars contuſione deſtructa, vel combuſtione valida exuſta non infert Dolorem: & pars antea vehementer Dolens per ſupervenientem ſphacelum exſtincta, ſtatim deſinit dolere. (3) Quia alio in loco hæret Doloris cauſa, quam ubi mens Dolorem percipit, inde intercepta via communicationis, cauſa aliter Dolorem inferens nunc nullum Dolorem inducit; ita ligato, abſciſſo, compreſſo, vel deſtructo nervo, tendente ad partem Dolore correptam, ſtatim facit omnis Doloris exſtinctionem. Tandem (4) quando principia nervorum, quibus mens conſentit, ita immutantur, ut ad mentem debita non feratur mutatio, hoc in caſu dicitur, mentem aberrare. Poteſt ergo mens eſſe incorrupta, & tamen non ſentire Dolorem. Ex his igitur conſtat, nos non ita certos eſſe, ſemper mentem ægrotare, ſi non percipitur Dolor alicujus partis.

Dolorem fere non ſentire.

V. Si vero conſtat ex ſignis, neceſſario in quadam parte Dolorem adeſſe, vel ex ratione ſciamus, Dolorem non potuiſ-

Mens ægrotat.

potuiſſe ceſſare, atque pateat, partem ipſam non eſſe deſtructam, aut nervum intermedium compreſſum vel deſtructum, his tamen non obſtantibus, æger non conquerens de Dolore, demonſtrat, vel principia nervorum non communicare menti, vel mentem ipſam ita ægrotare, ut mutationes principiis nervorum inductas non animadvertat. In utroque caſu a medicis dicitur, mentem ægrotare, nam ſi vitiatis ſpiritibus aut perturbatis principiis nervorum, quibus conſentit anima, aliena percipiuntur, mens tamen, etiamſi eſſet integra, diceretur ægrotare. An vero ſemper vitio corporeo, an vero mutatione mentis, an utriſque vitiatis æger non ſentiat Dolorem, non eſt hujus loci amplius perſcrutari.

LIB. II. APH. VII.

32. *Quæ longo tempore extenuantur corpora, lente reficere oportet: quæ vero brevi, celeriter.*

I.

Nexus

Multi Commentatorum exiſtimant, hunc Aph: abſolute poni, minime cohærere præcedentibus; contrarium vero ſtatuo, quia nullus eſt magis conveniens præcedentibus, quam hic: in primo hujus libri Aph: inchoat deſcriptionem in quovis morbo, nempe Acuto & Chronico; examinavit in his ſomnum, vigiliam, ſatietatem, famem, ſpontaneam laſſitudinem, atque dolorem fere non ſentire: nunc vero regulam tradere vult de Refectione in maciatis poſt morbos tam Acutos, quam Chronicos. Nam poſt morbos Chronicos extenuata corpora præcipit lente re-

reficienda esse: post Acutos autem brevi. Perscrutemur hujus asserti rationes, ut in refectione macilentorum post morbos certas comparemus regulas.

II. Refectio duplici significatione recipitur a medicis; (1) Corporis vires præcedente morbo debilitatas restaurare, ne corpus ex Debilitate relicta morbum recidivare faciat, vel alium novum morbum producat. Talis Refectio tunc post morbum acutum statim facienda, quare Hipp: Alteram Refectionem hic intelligit, quæ fit ingestione alimentorum, ut deperdita quantitas in extenuatis post morbum restituatur. Præmonendum est de alimentis ingestis, ea quidem augere humorum quantitatem, sed ut suppleant amissum bonum, illa alimenta actione nostri corporis ita sunt mutanda, ut amissis bonis fiant similia: quare ingesta alimenta in corpore debiliore non subeunt hanc bonam hujus actionis mutationem, sed vel manent cruda, ut ingerebantur, vel per corruptelam alimentis propriam, in alienam indolem convertuntur. *Conf. Aph.* 3, X. Refectio quid sit.

III. Constat corpus nostrum partibus firmis & liquidis; firmæ partes in morbis parum consumuntur, sed liquores evacuantur sæpe copiose, unde corpus humiditate ea privatum dicitur Aridum; Si vero Pinguedo naturaliter multis partibus firmis interstrata auferatur, talis corporis extenuatio dicitur *Macies.* In qua varias species notant Medici, ut si quis ex inedia vel improbo labore multum de hac Pinguetudine amittat, proprie vocatur *Macies* aut *Corporis Extenuatio.* Qui vero toto corpore extenuantur sine his prægredientibus causis, & sine aliquo visibili morbo, nisi quod ingesta alimenta defectu actionis corporis non convertantur in bonam pinguetudinem, tales dicuntur *Atrophia* laborare. Similis extenuatio ex quodam membro, vel quod nutriens actio deficiat, vel influxus sanguinis arterioſi in id membrum remoretur, pars illa *Aridura* dicitur correpta. Verum consumptio totius, corruptione totius massæ inducta, sive fiat ex Deliquatione, sive ex pure toti massæ misto, eam vocant *Phthisin* seu *Tabem*, eam autem distinguunt in *Tabem nervosam*, si fiat ex colliquatione, uti fit in multis Maciei species & causæ.

Chronicis; & in *Purulentam*, ſi adſit abſceſſus vel ulcus internum: ſi vero ulcus hæreat in Pulmonibus, *Phthiſin veram* vocant. Summam vero Extenuationem, ut corpus ſit inſtar ſceleti pelle tecti, vocant *Maraſmum*. Ex his nunc ſpeciebus videndum, quamnam intelligit Hipp: Ex nexu cum præcedentibus conſtat, Hipp: eam intelligere Maciem, quæ vel ex morbo Acuto vel Chronico fuit nata, remanens poſt morbi curationem, ut nulla alia ſit in eo corpore labes morboſa, niſi quod humores & præprimis pinguedo conſumta ſint, quæ ſunt reſtituenda nutrimentis ingeſtis. In hac refectione præcipit, Maciem relictam a morbo Acuto brevi ſupplendam eſſe; ſed poſt morbum Chronicum corpus lente reficiendum eſſe. In reliquis autem ſpeciebus hæc regula non procedit, nam manente cauſa Maciem inducente, fruſtra tentamus refectionem; imo obſervamus, quo largius nutriuntur talia corpora, eo ſæpe magis extenuantur.

Refectio poſt Acutos.

IV. Qui morbi *Acuti* ſalubri critica evacuatione finiuntur, relinquunt corpus Laſſum ſeu Defatigatum prægreſſo motu aucto, & Extenuatum expulſis humoribus, ceteroquin id corpus ponitur ſanum: nam aliquod vitium morboſum ſi relictum fuit, abiit morbus Acutus in Chronicum, quando refectionis regula ex natura morbi relicti eſt petenda, & præceptum hoc ab Hipp: allegatum locum non habet. Tale corpus laſſum brevi tempore recuperat priſtinas vires, ut omnis Laſſitudo inducta, ſi ejus ſit ablata cauſa, ita ergo valet nova ingeſta alimenta brevi convertere in bonum ſuccum, quo ſuppletur defectus humorum prægreſſo morbo Acuto inductus. Statim autem finito morbo, non ſunt multa ingerenda alimenta, ſed ſenſim eorum eſt augenda copia, cum incremento virium.

Poſt Chronicos.

V. Alia autem eſt in *Chronicis* ratio, hi enim morbi Defectu virium nati, quamvis evacuatione materiæ morbi ceſſa t, non ſolum relinquitur in partibus firmis laſſitudo, ſed Debilitas quædam, quæ longo tempore eget, antequam ſuperatur: itaque multo lentius ſuppeditanda ſunt alimenta reficientia, nam ſi paulo plus ingeris, ſuperentur vires, &

in-

ingeſta commutentur in corruptelam. Regula Refectionis erat in Acutis cum augmento virium augere copiam nutrimenti; eadem etiam in Chronicis eſt obſervanda; ſed quia poſt morbos Chronicos lentius recuperantur vires, quam poſt Acutos, lentius quoque erit procedendum in Refectione: imo in his conducit ſtomachicis & roborantibus adjuvare reſtaurationem virium; & promovere ingeſtorum concoctionem.

LIB. II. APH. VIII.

33. *SI a morbo cibum quis capiens non roboretur, indicat corpus uberiore alimento uti Si vero cibum non capienti hoc eveniat, evacuatione opus habere, noſſe oportet.*

I.

CONvaleſcens ex morbo, ut monuimus, laborat tamen virium aliquo defectu & æquilibrio inter partes firmas & fluentes deſtructo, ablata nimia quantitate liquoris; ut igitur vires reſtaurentur & æquilibrum reſtituatur, nova erant ingerenda alimenta tanta copia, quæ viribus increſcentibus reſpondebat. Hæc autem comparatio difficillime fieri poteſt: fames enim major & minor hanc quantitatem præprimis definire debet, quæ ſæpe ſanato morbo non eſt naturalis, interdum plus exigens, quam corpus ſubigere valet: imo interdum ceſſantibus omnibus morborum ſignis morbifica materia depoſita hæret in ventriculo & inteſtinis, ubi ſtagnans nova ingeſta alimenta corrumpit. Igitur neceſſe eſt ad reſtaurandas vires & reſtituendum æquilibrium, ut habeamus ſigna, quibus cognoſcimus, num corpus iſtud nimio utitur alimento, num vero hæreat in

primis viis cacochylia expellenda: Ita enim valet medicus moderari Diætam, vel exantlare alienum, ut priſtina ſanitas recuperetur. Totum hoc ſtatuit Hipp: conſiſtere in obſervatione virium multum vel parum comedentium.

Poſt morbum multum comedens ſi non roboretur.

II. Poſt morbum quemcumque perfecte curatum, relicta debilitate & deſtructo æquilibrio ex humoris defectu, neceſſe eſt ut fames fiat major: quippe ipſe nutrimenti defectus eſt famis cauſa, & tunc ſemper etiam in ſanis hominibus ſentitur. Debilitas non eſt cauſa ſenſum famis impediens, niſi per debilitatem mali fuere nati humores, qui in perfecta ſanatione ſupponuntur non adeſſe. Ita igitur conſtitutus homo ſi tantum ingerit, quantum fames exigit, ingeſtum omne ſubigere nequit: fames quidem indicat corpus alimento egere, ſed corporis vires non valent tantam ingeſtam copiam alimentorum commutare in bonum nutrimentum. Quare corpus ex morbo convaleſcens, etiamſi fames urget, non debet tantum ingerere, quantum ingerit corpus ſanum, adeoque magis peccat, ſi plus ingerit, ut ſatisfaciat fami auctæ: nam id ſuperfluum non ſolum corrumpetur, verum id ſimul corrumpet quoque, quod minori copia ingeſtum fuiſſet ſubactum & in nutrimentum converſum. Cui ergo fames reconvaleſcenti redit, huic parum edenti, ſeu tantum, quantum viribus debilitatis vinci poteſt, corpus roborabitur, plus vero comedens debilitabitur. Nam alimenta ſubacta roborant, eadem autem corrupta debilitant. Ex obſervatione reconvaleſcentis bene comedentis non ſolum cognoſco, id corpus a præcedente morbo omnino fuiſſe depuratum, & non roborari nimia ingeſtione alimentorum verum etiam quid ſit agendum, quod auctor non præcipit, nam exquiſitiore victu comparabitur robur, & ſi cacochylia interim in primis viis ſit collecta, ea expellenda ſemel leni purgante.

Non roborari in cibum non capiente.

III. Cui vero ex morbo convaleſcenti non redit fames, quæ neceſſario adeſſe debebat, ut ſuperius demonſtravimus, ſignum eſt alienum remanſiſſe humorem in corpore, naturalem ſenſum famis exſtinguentem: quod hoc modo ſæpe fit. Si morbi materia toti maſſæ circulanti miſta morbum

bum faciens, ſeparata fuit in inteſtina & ventriculum, ut exoneretur, liberatur quidem corpus a præcedente morbo, ſed materia in his locis collecta, non ſolum exſtinguit appetitum alimentorum, verum etiam nova ingeſta alimenta huic materiæ miſta, in alienam nutritioni ineptam convertuntur. Cui ergo fames a morbo convaleſcenti non redit, ſignum eſt in primis viis morboſam collectam hærere materiem. Pro *Cibum capiente* intelligo famem, pro *Cibum non capiente* inappetentiam: nam id manifeſtiſſime patet ex ſenſu hujus aphoriſmi; nemo enim ex morbo reconvaleſcens ſine cibo ſumto roborari poteſt, hoc quoque ſcivit Hipp: Quare ſi loco dictorum intelligatur fames & inappetentia, verus eſt hujus aphoriſmi ſenſus.

IV. Præcipit Hipp: in cibo non capiente poſt morbum, ſi non roboretur corpus, Evacuationem eſſe faciendam, ſed qualem vult evacuationem, non determinat. Exiſtimo autem facile determinari poſſe ex ſuperius allatis rationibus: nam in his non redit fames, quia in primis viis collecta hæret Cacochymia; igitur talis eſt facienda evacuatio, quæ hanc cacochymiam evacuat, ut eſt purgans vel vomitorium. Eligerem purgans, quoniam tunc via ab ore uſque ad anum expurgatur, & quia hujus operatio mitior magis conveniens eſt corpori debilitato, & quia naturalis eſt via pro excrementis ejiciendis. Vomitorium eſt vehementius, inverſam faciens evacuationem, neque totam hanc viam evacuans. Nullam hic de Sudoriferis aut Diureticis facio mentionem, quæ aliena ex tota maſſa circulatoria eliminant, nam quamdiu his humoribus miſta eſt morbi materia, morbus non eſt finitus.

In inappetentia relicta indicatur evacuatio.

LIB. II. APH. IX.

34. *Corpora ubi quis purgare voluerit, facile fluentia reddere oportet.*

I.

Diviſio. DUplici ſenſu hic Aph: accipi poteſt; vel ut reſpiciat ad præcedentem aph: ſi corpus non roboretur in eo qui cibum non capit, cum facienda ſit evacuatio; vel ut ſit generalis regula in quovis morbo, ſi ſit evacuandum. Utrumque examinaturi ſumus, quando conſtat, quid ſit intelligendum per *fluentia reddere oportet.*

Præparatio. II. In Liquoribus vaſis coarcitis nullus eſt motus ad evacuandum urgens, ſi excipias motum inteſtinum & gravitatem liquoribus proprium; ſed ut contentus liquor expellatur, a partibus firmis eſt protrudendus: verum tenacitas in liquoris partibus & cum partibus firmis, quibus adhærent, impedimentum eſt expulſioni: atque liquores ducendi per canaliculos minimos, ut fit in excretionibus corporis noſtri, exigunt aliquam convenientiam (*Aph.* 2, XII.) ut non quilibet humor per quodlibet Emunctorium poſſit duci. Fluentia tunc ergo redduntur evacuanda, ſi deſtruatur illa major tenacitas, & adaptetur alienus humor ad hanc vel illam Evacuationem, qualis mutatio medicamentis vel aliis auxiliis inducta hodie dicitur *Præparatio.*

Præparatio in convaleſcentibus. III. Qui ex morbi materia toti maſſæ miſta ægrotat, tunc demum convaleſcit, ſi materia ea ſit ſubacta; ſed ſi ſimul evacuatur, perfecta ſequitur curatio; verum retenta, vel alicubi depoſita, videtur convaleſcere æger, ſed vel recidivam patitur, vel in alium morbum, corrupta ſtagnante materia, relabitur. Imperfectam hanc curationem cognoſcimus, ſi corpus cum inappetentia manet debile, ut

in

in præcedente Aph: notavit Hipp. Sed in tali caſu, quia materia evacuationi eſt apta, verum retenta, magis conducit ſtatim moliri evacuationem, quam præmittere præparantia, nam vitium non eſt in concoctione, ſed expulſione. Sin vero poſt longiorem moram concreverit humor, fieri poteſt ut humor evacuandus præparandus ſit. Hanc itaque regulam ad generalem curationem mallem, quam ad ſpecialem convaleſcentium referre, quia ſæpe ſine prævia præparatione difficile ſequitur evacuatio.

IV. Materia autem Morborum acutorum, ut eſt Lentor, evacuationi eſt inepta; aut ſi extruditur, morbum exaſperat: ita per moventia in acutorum principio ſi materia quædam expellitur, ipſa evacuatio morbum auget binis rationibus; nam lentor eo majore motu magis compingitur & ex bonis humoribus novus generatur; ipſa etiam eductio recrudeſcere facit morbum, uti experiuntur, qui apoſtema ante maturitatem aperiunt, quia forſan inchoata coctio in reliqua maſſa cruda præparationem promovet, ut fermentum integram maſſam panis in fermentationem citiorem conducit, & adjecto putrefacto reliquorum putredo acceleratur. Obſtare autem videtur venæ ſectio educens materiem in morbi principio, quæ promovet morbi acuti ſolutionem: at longe abeſt, venæ ſectionem materiem inflammatoriam evacuare, bonum enim educit ſanguinem, qualis tunc eſt in toto corpore majore motu acutorum compactus, ut evacuatione hac nimius ille motus pervertens lentoris præparationem, temperetur. Hinc ſanguinis miſſiones & hæmorrhagiæ præcipua ſunt præparantia in acutis, cum frequentius motu aucto quam minuto impediatur lentoris concoctio. Itaque præparantia in acutis ſunt præprimis illa auxilia, inter quæ quoque ſanguinis miſſio & refrigerans alvi ductio eſt numeranda, quæ motum circulatorium temperant, ut Lentor commutetur vel in materiam criticam vel purulentam. Hæc auxilia tamdiu ſunt adhibenda, donec Lentor hanc mutationem induerit, antequam ipſius materiæ eſt tentanda evacuatio. Interdum ob majus imminens malum ante maturitatem evacuatio eſt facienda, In Acutis

ut ſi tumor inflammatorius ad interiora minetur ruptionem: ſatius eſt protrahere hac evacuatione morbum, quam permittere, ut ruptione ad interiora æger pereat.

In Chronicis. V. Eandem hanc regulam Præparationis in morbis Chronicis fere omnes practici ſtrictiſſime ſervant, ut non audeant cortice peruviano vel alio antidoto abigere febrem intermittentem, niſi præceſſerit præparans; ſemperque antequam moliuntur aliquam evacuationem, præmittunt aliquod præparans. Sed morborum Chronicorum longe alia eſt ratio quam Acutorum, quia varia ſunt Chronicorum genera, quæ non omnia præparationem exigunt, ut ſunt omnes morbi ab humore tenui provenientes; ſed qui viſciditatem adjunctam habent, ejus ſolutio loco præparationis præcedere debet, ut eo commodior fiat iſtius humoris evacuatio. Omnes etiam morbi firmarum partium, uti laxitas, rigiditas humiditas, ſiccitas, ſine prægreſſo præparante ſtatim curandi ſunt. Quare præparationis regulam magis generalem in Acutis ſtatuo quam Chronicis.

Præparatio ad alvi ductionem. VI. Purgare late ſignificat omnem depurationem, qua aliena ſeparantur a bonis & auferuntur, quare in medicina denotat ſæpe omnem evacuationem alienorum humorum e corpore: utplurimum autem proprie denotat evacuationem per alvum, in quo ſenſu hic ab Hipp: videtur accipi. Videndum igitur, qualis præparatio tam in Acutis quam Chronicis præcedere debet, antequam exhibetur purgans. In morbo Acuto correptis omnes medici ſtatim ſine ullo præparante præmiſſo exhibent purgans; in Chronicis etiam a purgante dato initium curationis multi inchoant: videntur ergo contra hanc regulam Hippocratis peccare, in qua præcipit, *ubi quis purgare voluerit, facile fluentia reddere oportet.* Verum qui inde intelligunt ſemper præmittenda eſſe ſolventia, non intelligunt ſenſum: quippe ſi contenta inteſtinorum ſatis fluentia ſint, non eſt opus ſolventia præmittere; ſi vero in inteſtinis hærent craſſa & tenacia, quæ difficulter educi poſſunt, neceſſe eſt tenacia hæc primo ſolvere & dein educere. Hoc etiam hodie in praxi verum eſt. Quare hoc modo hic. Aph: intelligi poteſt. Si alvus ducenda

cenda ſit, eſt attendendum, num contenta ſint craſſa & tenacia, num vero facile mobilia, quod ſi tenacia ſint, præmitti debet ſolvens, ut commodior non ſolum ſed & perfectior fiat contentorum evacuatio.

LIB. II. APH. X.

35. *IMpura corpora, quo magis nutriveris, eo magis lædes.*

I.

SEnſus hujus abſolute in omnibus poteſt accipi morbis, quando tradit regulam victus in omni corpore impuro, ut debeamus minorem alimentorum copiam dare impuritatibus laborantibus. Vel reſtringitur ad præcedentem (33.) in Convaleſcentibus ex morbis, ſi cibum capiens non roboretur, nos tunc non debere copioſiore ingeſtione alimentorum onerare corpus. Utrumque examinaturi.

II. Antequam aliquid certi ſtatuere poſſumus de nutritione in Corporibus Impuris, conſtare debet inter Medicos quid ſit intelligendum per Impuritatem, de qua hic agit Auctor, nam multæ ſunt impuritates quæ neque indicant, neque vetant nutritionem, ut ſunt externæ corporis vel ulceris ſorditates, tam ex morbis quam neglectu depurationis. (1) Quæ corpora valetudinaria ſolitum ingeſtum cibum convertere nequeunt in bonos humores, qui cibus dein longiore mora corruptus & non evacuatus, vel in primis viis hæret, vel circulantibus eſt permiſtus, ea corpora tali ſucco onuſta, dicuntur impura. (2) Quæ corpora ſana nimiâ copiâ alimentorum onuſta non valent cuncta ſubigere & expellere, tandem multitudine corruptorum oppreſſa & infecta etiam dicuntur Impura. (3) Si

Impuritas quid ſit.

morbi materia ex præcedente morbo facta non expellatur, ſed intricata manet aliis bonis liquoribus, vel alicubi detineatur, ita ut antecedens morbus videatur omnino curatus, ſed homo tamen ad perfectam ſanitatem non redeat ob alienam retentam materiem; talia corpora etiam dicuntur impura. (4) Denique humores actione noſtri corporis inutiles facti, partesque firmæ detritæ, quæ per emunctoria naturalia debebant evacuari, in corpore retenta, ut ſæpe fit impedita perſpiratione, ea faciunt quoque corpus Impurum.

Nutrire quid denotet.

III. Videndum nunc eſt, an talia corpora ſint nutrienda. Hipp: dicit, *quo magis talia corpora nutriveris, eo magis lædes.* Nutrire proprie ſignificat per ingeſta alimenta id reſtituere, quod inevitabili vitæ actione fuit deperditum: ſi hoc ſenſu hic reciperetur nutritio, abſurdum foret interdicere nutritionem, cum vitæ actione ſemper quædam periant, quæ ſunt reſtauranda. Sed per nutrire, uti in hoc loco, ſolam ſæpe intelligunt alimentorum paulo copioſiorem ingeſtionem. Hunc nutritum non ſine ratione interdicit Hipp: nam ut ingeſta alimenta nutriant, corporis actione in nutrimentum ſunt convertenda, quod difficilius fit in corporibus impuris, ut ſtatim videbimus.

Impura corpora non nutrienda.

IV. Vis vitæ valens, omnem morbi materiem ſubigit & expellit; ea vero retinetur in corpore vel deficientibus viribus, vel obſtinata reſiſtentia materiæ, ne tamen homo defectu nutrimenti pereat, aliquid eſt porrigendum, de qua exhibitione ſuperius multis locis, ſed hoc tempore cavendum eſſe præcipit, ne alimentorum multitudine ægri collapſas vires conemur refocillare, corpuſque emaciatum ex præcedente morbo ſaginare, non ſortiemur bonum effectum, cum ingeſta illa copioſiora alimenta non convertentur in bonum nutrimentum corporis noſtri, quo fiet refectio virium & corporis ſplendor, ſed in corruptelam, qua corpus magis debilitabitur & potius emacietur. Corpus enim impurum manens ex virium defectu, vix valens modicam cibi quantitatem in bonum convertere ſuccum, multitudine obrutum ſuccumbet, permittetque, ut non ſolum ſuppreſſis viribus

boni

boni humores etiam corrumpantur; ſed etiam ingeſta, per inſitam ſpontaneam mutationem in loco calido, convertantur in ſuccum nobis alienum; ita ut ea, quæ nutritioni erant deſtinata, præbeant novam morbi materiem. Quod vero corpus manet impurum per obſtinatam materiæ morbi reſiſtentiam, eadem hæc materia ingeſtis miſta tanquam fermentum malignum, alimenta in alienam indolem nutritui ineptam convertit. Quare corpora ea modicâ copiâ cibi ſunt ſuſtentanda, minime vero majore quantitate opprimenda.

LIB. II. APH. XI.

36. *Facilius eſt replere potu quam cibo.*

I.

APhoriſmus hic poteſt vel abſolute poni, adſtruens corpus tam in ſanitate quam morbo facilius impleri poſſe potu quam cibo; vel reſtringi ad Refectionem corporis ex præcedente morbo debilitati. De curatione enim eorum jam ante (*Aph:* 32) inceperat agere, quæ ex morbo erant relicta, in qua præceperat *Refectionem* (Aph: 32) *Evacuationem* (*Aph.* 33) *Præparationem* iſtius evacuationis, atque in præcedente (*Aph:* 35) *nutritionem*, in hoc nunc appoſite agere poteſt, num nutrire debeat medicus Potu vel Cibo. Poteſt ergo hic Aphoriſmus duplici modo exponi, vel ut regula generalis vel ſpecialis. Quonam in ſenſu hic ab Hipp: ſumitur, non curo, quia ſcopus non eſt ſenſum auctoris interpretari, ſed propoſitas ſententias explicare, ut Aphoriſmi nobis duntaxat agendi normam præbeant.

Nutrimentum quot modis ingeritur.

II. Veteres exiſtimarunt tres diſtinctas partes eſſe nutriendas, firmas nempe, liquidas, & ſpiritus, inde cibus ſolidus, potio, & vapor has tres diverſas nutrirent: verum non cogitarunt non admodum magnam inter corpora firma & fluentia intereſſe deferentiam, cum Caro in gelatinam vel jus coctione converſa, & lac coagulando concretum cibi nomine veniens, propterea non nutrirent differentes partes, ſed fluentes & firmas partes eodem cibo ſive fluido ſive firmo nutriri: imo vapor ab his non differt, quia eſt humidum ſolutum aëri miſtum. Præter dictos modos tres addi poteſt applicatio in forma epithematis; atque injectio ope clyſmatis. De duobus his poſterioribus quam maxime litigant multi exiſtimantes nihil corpori communicari poſſe quod non intrat per vaſa lactea, & quia ex cute & inteſtinis craſſioribus ſtatuunt nulla oriri vaſa lactea, contendunt his viis alimentum communicari non poſſe. Verum ex his partibus per vaſa abſorbentia, deferentia receptum liquorem tandem in venas cruentas, recipitur, quod alio loco fuſius eſt exponendum.

Facilius repletur potu quam cibo corpus ſanum.

III. Facilior repletio in ſanis, his modis accipi poteſt. (1) Facilius fit impletio, quia potio ſine prævia manducatione deglutiri poteſt. (2) Facilius quoque quoniam minimo tempore impleri poteſt ventriculus potione, ſed longius tempus exigit, antequam impleatur cibo ſolido. (3) Quoniam alimenta in forma liquidi regulariter minore egent actione corporis, ut convertantur in noſtros humores nutrientes.

Ægrotans.

IV. Si Repletio reſpiciat ad præcedentes aphoriſmos, idem ſignificat quam *Refectio*. Qui igitur ex præcedente morbo ſunt emaciati & debiles, hi facilius ingeſto potu quam cibo refocillantur. (1) Nulla alimenta nutriunt niſi in fluorem ſint redacta, aliter enim non poſſunt ingredi lactea vaſa, quæ igitur ingeruntur liquida, non egent organorum chylopoïeticorum actione, ea in fluorem redigente, ſed ſtatim prompta ſunt; adeoque facilius tradi poſſunt corpori toti. (2) Ex morbo convaleſcentes plerumque oris ſiccitate & inappetentia laborant, quibus cibi ſolidi deglutitio red-

redditur moleſta, & interdum impoſſibilis, dum tamen admittunt potionis ingeſtionem: ſi vero accedit ſitis, quod ſæpe fit, avidiſſime potum ingerunt. (3) Solet quoque ad cibum ſubigendum major requiri corporis actio, quæ in convaleſcentibus parva eſt, quam ad commutandum potum; inde conducit in his refectionem facere alimento liquido & tenui, donec corpus recuperatis viribus magis ſit firmatum, cibum ſolidum ſubigere valens. Inde etiam infantes ſolis potionibus quoque ſuſtentantur, denique ſenſim ad cibum ſolidiorem veniunt.

LIB. II. APH. XII.

37. *Quæ in morbis poſt criſin relinquuntur, Recidivas facere ſolent.*

I.

DUo in hoc Aph: ſunt examinanda, (1) quid ſit Recidiva; (2) quomodo ea generari poſſit ab iis, quæ in morbis poſt Criſim relinquuntur.

II. Non omnis reditus in morbis a Medicis vocatur *Recidiva*, quare a ceteris congeneribus rite decernenda. (1) Requiritur ut redeat morbus priori ſimilis, nam ſi poſt morbum ſanatum alius naſcitur, vocatur morbi Mutatio ſeu Tranſitus in alium morbum, ita morbi acuti ſæpe tranſeunt in chronicos: talis Tranſitus ſi morbo eſt naturalis & frequens, etiam dicitur morbi Exitus; ita abit inflammatio in abſceſſum, ſphacelum, & ſcirrhum; Tranſitus in ſanitatem & mortem dicitur etiam morbi Exitus. (2) Ut totus morbus vel integre vel fere deſinat, antequam ſequens novus priori ſimilis incipit, nam citius inchoans ſævire, Recrudeſcentia aut morbi Exacerbatio vocatur. (3) Ut reditus Recidiva.

non

non ſit ex morbi natura, inveniuntur enim morbi, qui ex propria ſua natura per Exacerbationes id eſt Paroxyſmos totam periodum abſolvunt, talis autem reditus nunquam vocatur Recidiva, ſed Paroxyſmus: ſi vero ille morbus, qui vocatur intermittens, non amplius ſuis temporibus paroxyſmum concitat, ſed deinceps poſt aliquot tumpus, talis reditus vocatur Recidiva; ut ſi quartana intermittens v: g. per quatuordecim dies nullum paroxyſmum faciat, dein vero redeuns dicitur quartanam Recidivare. (*Conf. Comp.* T. 53, XVII.)

Recidiva duplex.

III Duplici modo fieri poteſt recidiva. (1) Si morbi materia ita fuit ſubacta, ut morbus lateat, verum ſi materia non omnino ſit exſtincta vel expulſa, quæ dein adoleſcens morbum priori ſimilem profert, ut in nephritide & ictero a Calculo, venerea lue, febre quartana, totus morbus plane evaneſcere videtur, ſed ex latente cauſa deinceps recrudeſcit. (2) Si morbi materia omnino ſit expulſa vel ſubacta, verum relinquatur ea cauſa quæ priorem morbum regenerare poteſt; quemadmodum in Hydropis curatione ſi relinquitur debilitas, ſenſim novum hydropem generans; ita Cacochymia per intemperantiam nata ſi curata fuit, homo in eadem intemperantia pergens Cacochymiam recidivare facit. Prius genus hic vult Hipp: nam dicit Recidivas fieri ab iis, quæ poſt criſim a morbis relinquuntur, ergo a materia præcedentis morbi non ſatis ſubacta vel expulſa.

Quæ poſt Criſim relinquuntur.

IV. Per Criſim intelligi morbi commotionem aut ipſam evacuationem, ſuperius, (*Aph.* 20, IV) notavimus: utroque ſenſu hic accipi poteſt; nam ſi perturbatio Critica præceſſerit ſine ſubſequente evacuatione, relicta morbi materia Recidivam facere poteſt: atque ipſa facta evacuatio, modo ſit imperfecta, relinquens aliquam portionem de materia præcedentis morbi, etiam Recidivam producere valet: uterque hic modus a medicis vocatur Criſis imperfecta. Non ſine ratione dicit Auctor *Recidivas facere ſolent*; nam ea materia relicta non ſolum Recidivas facit, ſed & materia commutata non raro degenerat in alium morbum, imo

imo interdum interimit; vel ad quædam loca depulsa parit metastasin. Quare ex iis, quæ post crisin relinquuntur prædicimus Recidivam, verum etiam Transitum in alium morbum, mortem & metastasin.

V. Ut itaque ex arte prædicatur Recidiva ex iis, quæ post Crisim relinquuntur sciendum est. (1) Nobis proponi morbum, qui crisi finitur, cum non omnes morbi per Crisin terminantur. (2) Illa Crisis debuit esse Imperfecta, quia post Crisim perfectam (*Aph.* 20, VIII.) nunquam fit Recidiva. (3) Remanere signa, quæ declarant, materiem retentam potius resuscitare Recidivam quam metastasin, vel aliam mutationem morbi (*Conf. Comp:* T. 53, XX). Signa hæc graphice depinxit *Hipp:* a, 444. („ *Recidivæ fiunt in his, quibus febribus desinentibus vigilia fortes accednnt, aut somni turbulenti, aut corporis robur, aut dolore uniuscujusque membri: & quibus febres sedantur, neque signis solutoriis contingentibus, neque in judicatoriis diebus: & si deficiente febre, & sudore accedente, urinam fulvam minxerint, albam subsidentiam habentem, his febris recidivam eadem die exspecta. Hæ vero recidivæ quinto die judicantur extra periculum. Et si ex judicatione facta urinam rubicundam, rubram subsidentiam habentem minxerint, etiam his recidiva febris fit eadem die, & pauci ex hac servantur. Quum recidit febris ardens, plerumque etiam exudat. Et si revertens tot diebus detineat quot prius, etiam tertio recidivat, si non impari die dimiserit reversa. Plerumque si crudæ sint urinæ, & alia signa non secundum rationem eveniant, morbus in die judicatoria recidivat. Quandoque etiam revertitur in die judicatoria, his talibus relictis.*) Quibus si addantur signa Recidivam præsagientia ex urina (*Comp:* T. 36, LVI, 29) admodum certa habetur Recidivæ prædictio ex iis, quæ in morbis post Crisim relinquuntur

Recidivæ prædictio post imperfectam crisim.

LIB. II. APH. XIII.

38. *QVibus Criſis fit, his nox ante exacerbationem gravis eſt. Subſequene vero levior plerumque.*

I.

NUm quædam in morbis poſt Criſim relinquantur, quæ Recidivas facere ſolent, hic aphoriſmus definiet, perfecta enim Criſis (Aph: 20, VIII) nihil relinquit, ſed imperfecta ſemper aliquid, vel omnem materiem: utriſque antecedit nox gravis: ſed poſt perfectam Criſim nox ſequens levior; poſt imperfectam vero nox gravior. Hoc loco Hippocratem per Criſim intelligere ipſam evacuationem, minime vero perturbationem criticam, facile colligitur, quia per noctem ante paroxyſmum gravem perturbatio critica intelligitur, quod augmentum morbi indicat inſtare Criſim, quæ ſi bona fiat & perfecta, faciet ſubſequentem noctem quietiorem; ſi vero imperfecta fuerit, ſequens nox etiam erit gravis, quoniam corpus a materia morbi non fuit liberatum.

Nox gravis ante criſim.

II. Iſtud tempus in morbis dicitur grave ſeu moleſtum, in quo ſymptomata morbi fiunt vehementiora & plura, quam antea: inſtante Criſi neceſſe eſt ſymptomata augeri & interdum alia accedere, nam in morbi ſtatu ſolo fit Criſis. Quippe vis vitæ inſtigata a morbi acuti materia ſenſim majorem facit motum, quod verum eſt in omni irritatione, donec tandem vel hoc motu ſubigatur & expellatur cauſa irritans, vel motus ſe ipſum deſtruat, parſque deſtruatur & motus vitalis exſtinguatur: ſi alienum irritans ſubigatur vel expellatur, brevi poſt ſedatior fit motus: ſed ſi vis vitæ

tæ exſtinguatur parſque ſphaceleſcat poſt validum motum, ceſſant quoque ſymptomata ex majore motu nata, ſed naſcuntur alia, quæ dicuntur maligna, etiamſi videantur mitiora: ſed ſi neque materies morbi vincatur aut expellatur, neque vis vitæ deſtruatur, poſt pugnam aliena relinquuntur ſymptomata. Poſt hunc conflictum ergo ſi nulla fiat evacuatio aut metaſtaſis, nox ſequens manet gravis, quia morbi materia irritans fuit relicta: ſi vero ſequitur evacuatio, hæc ſi educit morbi materiem, nox ſequens levior; ſi autem alius evacuatur humor faciens ſymptomaticam evacuationem, ſequens nox iterum gravis eſt, quoniam corpus a morbi materia non eſt liberatum. Qualia vero ſymptomata hac nocte conſpiciuntur, quæ noctem graviorem faciunt, determinari nequit, etiamſi illa a practicis annumerantur: nam prout varia inſtat Criſis (*Comp.* T. 53, XLV) vel morbus terminatur in Abſceſſum, vel in aliquam Metaſtaſin (*Comp.* T. 48, XVI.) ſymptomata differunt. Hæc quia quoque turbant ſomnum, qui nocte fieri debet, non ſine ratione dicit Hipp: nox ante exacerbationem gravis eſt, atque regulariter nocte ſolent graviora obſervari ſymptomata, quam de die.

LIB. II. APH. XIV.

39. *IN alvi profluviis mutationes excrementorum juvant, niſi in prava mutentur.*

I.

QUoniam poſt criſium diſcriptionem ſtatim hunc Aph: de Alvi profluviis ponit, poteſt itaque hoc alvi profluvium tanquam critica evacuatio capi. Sed ſi hic Aphor: non cohæreat præcedentibus, abſolute ſententia eſt

exponenda de mutatione excrementorum in alvi profluviis: Utrumque ſumus examinaturi.

Excrementorum mutatio in alvi profluvio critico.

II. Critica tam bona quam mala alvi dejectio obſervatur a practicis in morbo acuto (*Comp.* T. 90, CXIII) & febre (*Comp.* T. 90, CXXIX) At raro Morbus acutus vel febris legitima per alvum deponit morbi materiem, cum inteſtina non ſunt creata ad impuritates totius corporis eliminandas, in ſtatu enim ſano inutilia facta in ventriculo & inteſtinis, atque recrementa aſſumtorum hac via eliminantur: reliquæ autem impuritates in circulantibus natæ, vel per renes, vel per cutim a communi maſſa ſegregantur & eliminantur; quare non eſt via regia ad eliminanda aliena toti maſſæ miſta alvus. Si vero inde confluunt humores morboſi, colliquationis ſignum eſt, quod humores ſoluti labe morboſa, non vero cocti & organis excretoriis adaptati, in inteſtina confluant, & ita exonerentur. Hinc tam pauca a Practicis recenſentur ſigna criticum alvi fluxum præſagientia (*Comp.* T. 53, XLV.) Quibus vero febris vel morbus acutus concitatur ex cacochymia hærente in inteſtinis, meſenterio & hepate, aut in quibus morbis acutis hæc ſimul adeſt materia, his critica alvi perturbatio poteſt fieri, auferens alienum illum humorem: nam non ſolum ex inteſtinorum cavo evacuari poteſt humor alienus ibidem collectus; ſed & alienus in vena portarum coacervatus, ad Hepar delatus, per ductum choledochum in duodenum exonerari poteſt: quare morbi acuti a bile corrupta vel materia melancholica alvi profluvio non raro tolluntur. In hujuſmodi critica alvi evacuatione *Excrementorum mutationes* ſunt obſervandæ. Nam dum corruptus talis humor deponitur, Alvi Excrementa admodum varia ſunt; verum tandem naturalia & magis compacta prodire debent, quibus deſignatur, omnem eam materiam ablatam eſſe: ſi vero continuatur talis evacuatio malorum, malum eſt ſignum, quia denotat fontem eſſe perpetuum, ut fit, ſi iſtis in locis per putredinem continuo ſuppeditetur novus morboſus & alienus humor: adhuc pejus eſt, ſi Excrementa ſenſim deteriora evacuantur, nam in augmento putredinis aut corruptelæ ſenſim magis a ſanis diſtantia

ſtantia excrementa ejiciuntur. Non parum ergo allucinantur multi, exſpectantes ſolutionem ex pravorum continuata vel aucta dejectione, cum tandem reliqui boni humores hac cotruptela commutati eliminentur.

III. Si alvi copioſior egeſtio, ut in Diarrhœa (*Comp.* T. 90, LXXXIII.) Lienteria *Comp* T. 90, XXVIII.) Dyſenteria (*Comp.* T 90, CXXIV.) Cholera (*Comp:* T. 90, XLIX.) Fluxu hepatico (*Comp.* T. 90, c.) Excrementa diu ſimilia ejiciuntur, malum eſt ſignum. Quippe ab aſſumtis alimentis non poteſt tanta ſuppeditari copia excrementorum, ut ſemper ſimilia maneant, quin ipſa alimenta, quæ lactea intrare debebant, egerantur ut in *Lienteria*: conducit vero in hoc morbo excrementa mutari in naturalia, ut conſtet, chylum intrare lactea vaſa; ſi vero loco chyli emittantur humores corrupti, id eſt ſi in prava commutentur, id malum ſignum præbet, nam talis dejectio non emittit, quod retinendum erat, ſed inſuper deſignat chylum corrumpi: melius autem eſt, ut bonus evacuetur humor, qui poteſt inducere debilitatem & defectum humorum, quam ut bonus ille humor primo corrumpatur & dein educatur, quia talis evacuatio non ſolum dicta quoque infert mala, ſed inſuper deſignat corruptionem, & facit corruptus ille humor, ut ceteri liquores, qui boni manſiſſent, hac corruptela inquinentur, et ad vitam ſuſtentandam inepti fiant. Nec minus valet in ceteris morboſis alvi dejectionibus obſervare Excrementorum mutationes. Senſim debent ad conſiſtentiam, colorem, & odorem naturalem redire, ut promittatur ſanitas, ita enim conſtat, minui in corpore morbi materiem. Si vero morboſa continuantur emitti, certum eſt, fomitem eſſe intus continuo ſuppeditantem, vel bonos humores ad inteſtina delatos corrumpi & egeri, qualis evacuatio nunquam eſt critica. In prava vero mutari, eo pejus eſt, quia quo morbus fit major, quo corruptelaque magis intenditur, eo praviora generantur & emittuntur. Qui vero ex pravis dejectis bonam proferunt prognoſin, non parum decipiunt ægros, quoniam ſignum eſt augeri corruptelam, bonoſque humores etiam corrumpi.

In alvi profluvio morboſo.

LIB. II. APH. XV.

40. *UBi fauces ægrotant, aut tubercula in corpore exoriuntur, excretiones inſpicere oportet: ſi enim bilioſæ fuerint, corpus una ægrotat: ſi vero ſimiles ſanis fiant, tutum eſt corpus nutrire.*

I.

DE Excretionum inſpectione in faucium morbis & tuberculis per corpus obortis hic agit Auctor, ut ſciamus num illi morbi ſint particulares ex vitio iſtius partis, num vero totum corpus una ægrotet, ut ſciamus, tutum an ſit corpus nutrire, vel medicamenta ſint adhibenda. Faucium autem morbi & Tubercula corporis duplici modo accipi poſſunt, vel ut morbi ipſi particulares, vel ut metaſtaſes. Excretiones hic accipi poſſunt, vel pro ſola alvi egeſtione, quia de ea in præcedente Aphoriſmo egit, vel ſimul hic intelligi poteſt urinæ inſpectio.

In faucium morbis bilioſa alvi excrementa.

II. Faucium morbi difficilem deglutitionem aut reſpirationem facientes ſpeciali nomine Anginæ vocantur, ſed ſi illa ſymptomata non adſunt vel non admodum difficilis habetur deglutitio cum libera reſpiratione, uti in parotidibus, atque tonſillarum, vel palati mobilis, vel uvulæ tumore, generali nomine hi morbi dicuntur ab Hipp: ſi fauces ægrotant. *Pharynx* eſt in textu, quo nomine intelligit totam partem poſteriorem oris, quæ oculis conſpici poteſt hiante ore & radice linguæ depreſſa; hodie vero ſolum caput œſophagi vocatur Pharynx, & per fauces, plures adjacentes partes intelligunt. Hæ fauces ſi vitio organico corripiantur, uti reliqui morbi particulares, ſana relinquunt excrementa, & urina

urina quoque inde non mutatur; nutrire ergo licet, ſi deglutitio fieri poſſit, quia intus omnia ſana bene ſubigent alimenta. Sed ſi bilis corrupta hæret in ventriculo, illa eructans fauces comburit, tunc vero ex bile ſimul exeunte excrementa fiunt bilioſa: in hoc caſu magis a cibo abſtinendum, quia bilis corrupta nova ingeſta corrumpet, quare ab alimentis aſſumtis non generabitur corpori noſtro nutritius humor, ſed morboſus, qui morbum augebit vel novum inſuper pariet. (Conf. *Comp.* T. 90, XLIX.)

III. Morbi autem faucium ex generali cauſa duplici modo generantur. (1) Si morbus generalis vehementiſſima ſua ſymptomata in faucibus exerceat, quemadmodum Inflammatio, Eryſipelas, Hydrops: tunc tota maſſa ſimili morbo infecta reddit urinam morbo convenientem. Ex his eligit urinam bilioſam, id eſt quæ intenſiorem flavum colorem habet, (*Comp.* T. 36, XIII *ad* XVIII.) nam in tali urina etiamſi non adeſſent morbi faucium, non eſſet licitum nutrire, cum morbi Inflammatorii, Eryſipelatoſi, Prutridi &. Icterus, plura alimenta vetant. (2) Morbi faucium ex Metaſtaſi, ut ſunt Parotides (*Comp.* T. 48, XVI.) indicant corpus ab omni morbi materia non eſſe liberatum; ſi tunc redditur urina bilioſa, ſummam cruditatum arguit, in qua non eſt licitum nutrire. Bilioſa urina.

IV. Alvi Excrementa bilioſa indicantia, bilem corruptam eſſe in primis viis, largiorem nutritionem vetant ſive Phymata adſint vel non adſint: eo magis quia veriſimile tunc eſt Phymata, ſive puſtulæ ſint parvæ, ſive tubercula majora, uti furunculi, ex bile acri per corpus diſperſa generari. In corporis tuberculis, alvi Excrementa bilioſa.

V. Talia autem Tubercula nata ex bile corrupta per totum corpus diſperſa, vel ex alia materia flaveſcente, ut eſt pinguedo colliquata, vel pus in ichorem converſa, ex quibus redditur urina quoque bilioſa, omnino non convenit nutrire corpus. Nam excretiones illæ morboſæ deſignant, totam maſſam circulantem materia corrupta infectam eſſe, cum tales evacuationes ex communi maſſa depromantur. Urina bilioſa.

VI. Quando tale corpus nutritur, malum eſt, quia aſſumta alimenta priusquam in ſanguinem veniunt, a cacochymia in inteſti- Vetant nutrire.

teſtinis, cui admiſcentur ingeſta alimenta, ita invertuntur, ut omnino laudabilem naturam ſuam exuant, vel per alienos admiſtos humores impediuntur in bonum chylum converti. Ita igitur cruda vel & corrupta cum chylo in ſanguinem delata multorum etiam aliorum morborum cauſæ ſunt. Ergo non conducit, his ſignis in alvi excrementis apparentibus, nutrire corpus. Neque prodeſſe poteſt, ſi bilis corruptæ ſigna in urina apparent; licet bonus chylus tradatur ſanguini, corrupta bile infecto, ad ulteriorem perfectionem perduci nequit, quia a bile corrupta laudabilis coctio invertitur.

Quando nutrire licet.

VII. Si vero tam ex alvi excrementis, quam ex urina conſtat, primas vias non ſcatere corruptis humoribus, atque ex urina ſana maſſam ſanguinis puram eſſe, etiamſi tubercula adſint, vel fauces ægrotent, nulla eſt manifeſta cauſa, quæ nutritionem vetaret: nam morbi illi non ſunt nati ex vitio generali, cui alimenta admiſcentur, ſed quia pars illa morbum in ſe fecit, reliquum autem corpus purum nutriri debet, ut vires valeant, quæ requiruntur ad morbi particularis ſubactionem. Præterea morbi particulares diuturniores eſſe ſolent, quam ut poſſet tam diu ferre inediam æger, donec morbus ille curatus ſit.

VIII. Regula hæc ſpecialis, magis generalis poteſt accipi, quia ſigna in excrementis, ex quibus deduximus, num tutum vel non tutum eſſet nutrire, non deducta ſunt ex faucium ægritudine vel tuberculis, ſed quoniam morbus alicujus partis, ſi deſignat totam maſſam infectam, vetat nutritionem, ſed aliter permittat. Hinc inferri poteſt eadem regula de omnibus morbis particularibus ad dirigendam diætam. Ex eadem quoque doctrina patet, fruſtra ſæpe examinari ad eruendas morborum particularium cauſas excrementa; quia ſæpe ſana prodeunt, etiamſi corpus laboret particulari morbo.

LIB. II. APH. XVI.

41. *UBi fames, non oportet laborare.*

I.

UT hujus conſtet veritas, examinandum (1) quid faciat Labor, (2) Qualis fames hic ſit intelligenda. (3) Denique quam ob rem non ſit laborandum, ubi fames.

II. Utut corporis Exercitium moderatum ſaluberrimum habeatur ab omnibus, invenitur tamen tempus, in quo hoc ſaluberrimum ceteroquin damnum inferre poteſt. Conſtat omnibus, Exercitium peragi motu muſculorum, qui voluntati obtemperant; ad quem peragendum requiritur ſpirituum influxus, qui hac actione conſumuntur: ſi ergo eodem hoc motu in nobis non fieret humorum reſtauratio & coctio, corpus neceſſario magis debilitaretur conſumtione ſpirituum per moderatum etiam motum muſcularem, quam ſi quieſceret. Sed ſi in nobis habentur humores crudi majore motu ad perfectionem deducendi, quia Exercitio fit motus major, major proventus ſpirituum ex crudo ſucco habetur, quam diſpendium ſpirituum per hunc moderatum motum, & inde ſæpe corpora moderato motu reficiuntur & robuſtiora fiunt. Itidem alimenta aſſumta in chylum converſa, circulantibus miſta, ſolo motu vitali minus debito aſſimulantur, verum accedente motu animali ad perfectiorem concoctionem rediguntur: Quare præſtantiſſimum eſt, ut aſſimuletur chylus, exercere corpus; major enim bonorum humorum habetur proventus ex eo motu muſculari, quam ex eodem habetur diſpendium bonorum & ſpirituum: atque corpus perfectius liberatur ab inutili humore per largiorem inſenſibilem perſpirationem. (*Conf. Pſp:* 18, XI.)

Labor quid faciat.

Fames quotuplex.

III. Quid ſit fames, ex *Exercitatione Tertia* ſatis conſtat, quare in hoc loco ſolummodo videndum, quotuplici ſenſu fames a Practicis accipiatur, & quali ſenſu hic ſit capienda. Fames ex ſanitatis & morbi cauſa concitatur. In ſanitate & victu moderato tunc in nobis concitatur fames, ſi Alimenta ex ventriculo & inteſtinis tenuibus ſunt depulſa, atque Chylus ſanguini traditus commutatus fuit in alios humores, his peractis Deus voluit, ut in nobis concitetur ſenſus hunc defectum declarans, quem famem vocamus. In ſanitate permanens quoque obſervatur fames in iis, qui ex voluntate inediâ ſe macerant, & ut olim fiebat in rigidiſſima diæta. At vero in morbis per varias cauſas (vid. *Exerc:* 3, XLII.) fames concitatur, quarum quædam ſubigerentur motu muſculari, ut eſt acrimonia acida nimiam famem excitans. Quia vero Hipp: vetat laborem, ſatis conſtat, eum in hoc loco velle famem naturalem in ſanitate, vel in rigidiſſima diæta, quia fames morboſa interdum labores exigit.

Ubi fames, non laborandum.

IV. Corporis motu muſculari conſumi ſpiritus, concoctoſque humores degenerare in excrementitios, atque chylum & crudum humorem in noſtros bonos commutari humores, alibi demonſtravimus. Igitur quamdiu ex Crudis & Chylo major fit bonorum humorum proventus, quam conſumptio bonorum per exercitia corporis, ipſa exercitia ſaluberrima ſunt. Verum ſi in ſanis excitatur fames, ſignum eſt, omnem chylum eſſe conſumtum, aliter enim in nobis ſanis non fit fames, itaque motus muſcularis facit degenerationem bonorum in excrementitios humores, & fit ſpirituum conſumtio; verum quia in tali corpore nulla eſt materia, quæ eodem motu in bonos poteſt commutari humores, neceſſe eſt, defectum fieri bonorum, qui mutati, vel colliguntur in corpore, & ita pariunt cruditatem ex alienis retentis; vel expelluntur, facientes majorem humorum bonorum defectum.

An corpus movendum ante cibum?

V. Quidam contendunt, ante cœnam & prandium corpus movendum eſſe ambulatione; alii vero contrarium ſtatuunt: quia vero ad ſanitatem conſervandam hoc ſcire maxi-

me

me intereſt, hanc quæſtionem, quia ex præcedentibus facile determinari poteſt, hoc loco agitare volui. Qui perfecte ſanus eſt, quique ex evacuato ventriculo & inteſtinis, atque defectu chyli in ſanguine fit eſuriens, non conducit huic ex ſuperius allegatis rationibus ſuum corpus ante cibum exercere: Qui vero antequam fames nova alimenta exigit, quique ventriculum & inteſtina alimentis ſemiplena habet, multumque chyli in ſanguine, volens tamen, quia tempus eſt cœnæ vel prandii, cibum capere, huic conducit prius ſuum corpus exercere, ut chyli viæ exonerentur, & chylum in ſanguine abundantem conſumere, antequam nova ingerit. Quia vero mores ſæpius ſuadent nondum fame monitis ingerere alimenta his temporibus, ut plurimum ſalubrius eſt, ante prandium & cænam movere corpus. Illa autem regula damnoſa eſt concionatoribus publicis, non audentibus cibum ſumere in prandio, cum ſequens oratorius labor, ſi fiat cum alimenti defectu in corpore, maximam debilitatem inferat. Propterea non ſuadeo, ut corpus ſuum multis alimentis hoc tempore onerent, corpus enim cibo onuſtum multo minus eſt agile, quemadmodum hoc in ſequente aph: explanabitur.

LIB. II. APH. XVII.

42. *UBi cibus præter naturam copioſior ingreſſus fuerit, id morbum facit. Oſtendit autem ſanatio.*

I.

IN hoc obſervanda veniunt (1) Quinam ſit Cibus copioſior præter naturam ingreſſus; (2) Cur morbum pariat & qualem; (3) Num, *oſtendit ſanatio*, ut ſignum, vel curatio capiendum.

Cibus copioſior in ſanis.

II. De Pleniore Diæta ſuperius (*Aph:* 5, IV) verba fecimus: in hoc autem loco examinaturi Cibum copioſiorem in Sanis, Morbo laborantibus, & Convaleſcentibus. Sani homines tantam exigunt Cibi quantitatem, quæ ſufficit ad reſtaurandum id, quod inevitabili actione corporis fuit conſumtum. Qui vero plus ingerit, id ingeſtum, vel iterum redditur vomitu, aut alvi copioſiore evacuatione; vel corpori traditum plethoram aut obeſitatem generat, modo tamen actione corporis id ingeſtum in laudabilem ſuccum converti poſſit; ſi vero etiam a nobis ſubigi nequit, varia genera morborum parit, ut infra exponetur.

In morbis.

III. Morbo autem aliquo afflictus, qui corpore eſt debilis, ipſam ſalubrem cæteroquin mediocritatem non fert: nam actiones corporis enervatæ, quæ debebant ingeſta alimenta in bonum convertere ſuccum, nunc permittunt ingeſta permanere tali indole, ut erant ingeſta; vel permittunt corrumpi, ex quibus igitur non ſolum alienus generatur humor, ſed copia majore ingeſtorum vires preſſæ ſuccumbunt: Quare ægris ne quidem mediocris ſanorum quantitas eſt porrigenda, multo minus major copia. Hinc patet, quam perverſe multi agunt ægrorum corpora ultra farcientes, ut languentibus addant vires, cum cibo corpora onuſta magis debilitentur.

Convaleſcentibus.

IV. Convaleſcens ex morbo corpus obtinet ſanum, omni morbi materia liberatum, ſed tamen debilitatum ex morbo præcedente: in hoc itaque corpore conſumtus eſt chylus ex maſſa ſanguinis, ablatæ ſunt cauſæ in ventriculo famem exſtinguentes, hinc fiunt famelici, quemadmodum obſervatur poſt febrem quartanam antidoto curatam; hoc corpus itaque debile & famelicum ſi tantum ingerit, quantum expoſtulat fames, nimium aſſumet: nam fames illa magnum chyli defectum indicat, ſed vires debiliores non valent tam magnam ſubigere ingeſtorum quantitatem; quare ſi in Convaleſcentibus famem conſulentibus nimium ingerimus, quod abundans opprimens vires, & degenerans in alienam indolem, vel novum parit morbum, vel priorem recidivare facit. Utile eſt igitur in Convaleſcentibus, non indulgere fami, neque vulgi opinioni, qua ſtatuitur, virium reſtaurationem

tionem ingeſtorum quantitati proportionatam, ſed paulo minus ingerere, quam fames & communis victus ratio expoſtulat.

V. Cibus præter naturam copioſior in ſanis. (1) Sua multitudine opprimit vires. (2) Actione corporis & humorum commutari nequit in bonum ſuccum, nam ſi hæc abſint, non dicitur Cibus præter naturam copioſior. Ex poſitis his ſequentia fiunt. (1) Corpus onere preſſum ſe ſæpe liberare conatur per Vomitum, vel Alvi ſeceſſum: aut Cibus toti corpori traditus ſudorem vel urinam copioſiorem parit. (2) Pars ingeſtorum abundans propriam ſuam ſervans indolem, tam in primis viis, quam in circulantibus, mole ſua ſuperat agendi æquilibrium, unde præcordiorum gravitas, oppletio, corporis languor, laſſitudo, pigritia, ſomnolentia, quæ omnia ſenſim evaneſcunt per ſubſequentem inediam, & corporis exercitia, quia novo non addito, corporis continuata actione, id quod antea erat abundans, tandem facta evacuatione inutilium, ad mediocritatem redigitur, atque ita ſolâ abſtinentiâ & corporis motu tollitur abundantia, & prævenitur inſtans morbus. (3) Non ſemper autem copioſior ingeſtus cibus tam diu ſuam bonam & commutabilem ſervat indolem, ſæpe citius in corruptelam convertitur per motum inteſtinum cibo proprium, priuſquam iterata corporis actione id, quod abundat ſubigi potuit, præprimis ſi continuetur in copioſiore ciborum ingeſtione. Si Cibus ita fuerit corruptus in primis viis, præbet Cacochyliam, in reliquo corpore Cacochymiam, imo Cachexiam: illi autem morbi non ſemper ſubſequente abſtinentia & corporis motu ſuperantur, cum actio corporis non valeat quamcumque corruptelam inductam emendare & expellere. Ex hac igitur corruptela multi & varii fiunt morbi, quorum vix poteſt exhiberi enumeratio, ipſa enim aſſumtorum varietas diverſos morbos parit, & corporis partes variæ phænomena diſtincta præbent. Quales præterea morbi fiunt in Morbo decumbentibus & Convaleſcentibus ex copioſiore Cibo, nimis longum foret enumerare. Morbum parit.

Oſtendit autem ſanatio.

VI. Ultimum eſt demonſtrare, num verba *Oſtendit autem ſanatio* ut ſignum vel curatio ſint capienda? ſi quis præter naturam copioſiorem ingeſſerit cibum, & dein ſequente uſu alicujus medicaminis non corripitur morbo, ipſa curatio oſtendit nimium fuiſſe ingeſtum: ſic ſæpe ex juvantibus & lædentibus, id eſt ex modo curationis expiſcamur cauſas. Qui vero nimis ingeſſerit, & perpendit deinceps, corpus ſuum non valere tantam copiam in laudabilem humorem convertere, vel ſi ſentiat corpus inde onuſtum, vel oppletum, format hanc indicationem curativam, corpus liberandum eſſe ab eo onere, ne deinceps in graviorem morbum incidat: ergo in hoc etiam ſenſu oſtendit ſanationem. Uterque modus ut Signum & Curatio admitti poteſt. Mihi autem magis arridet amplecti poſteriorem ſententiam, quia non eſt opus, tam anxie per ablationem ſequentem examinare, num nimis fuerit ingeſtum, ipſe æger hoc facile indicabit: ſed quid agendum, ſi Cibus ultra naturam ingreſſus fuerit, id medici eſt perpendere. Sanare debemus illam abundantiam, ne ſupra recenſita mala fiant, ergo ſuggerit indicationem Curatoriam. Quali autem modo curari debeat, alibi tradetur.

LIB. II. APH. XVIII.

43. *EOrum, quæ confertim, & celeriter nutriunt, celeres etiam fiunt egeſtiones.*

I.

TRia in hoc Aph: exponenda veniunt. (1) Quæ confertim & celeriter nutrientia dicantur. (2) Cur ea celeres quoque faciant egeſtiones. (3) qualem inde medici in dirigenda diæta uſum habeant.

II. Vo-

II. Vocabulum ἀθρόως, quod hîc *Confertim* exponitur, a Commentatoribus & affatim & univerſim exponitur, reduciturque vel ad quantitatem, vel qualitatem ingeſtorum. Sed quoniam ſcopus eſt res ipſas, quæ in Aphorismis proponuntur, ad majorem uſum medicum redigere, minime autem ad eruendum verum Auctoris ſenſum, Commentatoribus de vero ſenſu hujus vocabuli relinquimus ſuas ſententias. *Hoc loco conabimur adſtruere, alimenta facilis coctionis, id eſt quæ celeriter nutriunt, magna copia, brevi temporis ſpatio, aſſumpta, Celeres quoque facere Egeſtiones. Confertim nutrientia

III. Quæ alimenta celeriter nutriunt, eorum partes tam laxe inter ſe cohærent, ut brevi actione ſeparari poſſint, & adaptari ad ingreſſum vaſorum lacteorum; quæ vero tarde nutriunt, earum partium firmior eſt cohærentia, & diutius in ventriculo & inteſtinis morantur, antequam in lactea intrare poſſunt: quæ itaque celeriter ſoluta ſunt, brevi tempore maſſæ circulanti traduntur, & quæ tarde ſolvuntur, longius tempus inſumunt, priuſquam circulantibus permiſcentur. Sed Circulantibus tradita alimenta non tamen ſtatim evacuationibus ſunt adaptata, in hoc quoque organo ulterius ſunt elaboranda; non eſt ſine ratione adſtruere, quæ in prima officina facile potuere actione corporis ſubigi, eadem quoque in ſanguificationis organo celeriter adaptari poſſe, quare facilis digeſtionis alimenta non ſolum citam nutritionem præbent, ſed actione corporis quoque celeriter ad egeſtiones faciendas adaptantur: hæc mediocri copia aſſumta largam non faciunt egeſtionem per urinam, vel inſenſibilem perſpirationem, aut ſudorem, ſed confertim ingeſta, id eſt, magnâ copiâ ſimul brevi tempore copioſas evacuationes faciunt; cum hoc tempore multum ſuppeditetur materiæ. Sed difficilis digeſtionis alimenta mediocri quantitate aſſumpta, non poſſunt augere Egeſtiones, & majori copia ingeſta vires opprimunt, ut corpus non valeat ſe liberare ab opprimente onere, neque talia patiuntur tam brevi temporis ſpatio excretionibus adaptari. Celeres egeſtiones faciunt.

IV. Quibus itaque debilibus poſt confertim ingeſta celeriter Uſus hujus obſervationis.

riter nutrientia oboritur urina vel ſudor copioſior, talis evacuatio, neque eſt colliquationis ſignum in Chronicis, neque criſis in Acutis, ſed ab aſſumtis inducta: ſed eadem evacuatio ſine tali aſſumtione alimentorum, præcedentia indicare potuiſſet. Si morbi acuti materia evacuationi adaptata propter corporis ſiccitatem non exit, optimum eſt, præprimis ſi vires ſimul defectu alimenti ſunt debiles, exhibere confertim alimenta celeriter nutrientia, ſuppeditato enim humido, tanquam vehiculo, facilius eliminatur illa concocta materia, & corpus defectu alimenti languens refocillatur. Quibus ob ſuſceptum externum frigus prohibita fuit inſenſibilis perſpiratio, cum ex materia illa retenta acri febricitant, ſummum quoque auxilium experiuntur, ſi confertim celeriter nutrientia cubitum ituri aſſumant, ſubſequens in aurora largior perſpiratio, vel ſudor, id acre retentum ſimul per cutim vel renes eliminans, ſpecificum febris antidotum prædicatur.

LIB. II. APH. XIX.

44. *Acutorum morborum non omnino certæ ſunt prædictiones, neque mortis, neque ſanitatis.*

I.

PRædicere poſſe in morbis aliquid Divinum eſſe, veteres exiſtimarunt, & quam maxime in hac parte laborarunt, ut ita non ſolum apud ægros, ſed & adſtantes & amicos honorem, fidem & auctoritatem aucuparentur. Equidem eximia eſt pars in medica ſcientia, in qua nemo plus præſtitit, quam Auctor noſter, totum enim ejus opus Prædictionibus eſt plenum, ſed in hoc Aph: ſtatim monet, etiamſi

etiamſi in ſequentibus abſolute dicat, hæc vel illa ſecutura, ita eſſe accipienda, ut interdum fallant; nempe omnes prædictiones non ſunt tam abſolute certæ, ut nunquam aliter evenire potuiſſent. Ut igitur conſtet, unde petatur in morbis Prædictio certa, fontes Prædictionis rimandi.

II. Quidam morbi, inter quos excellunt Acuti, certum ſequuntur ordinem, quem omnes fideles Practici graphice depingunt: V: G: experientiâ conſtat, quarto die ab invaſione morbi varioloſi incipere ſtigmata rubra; ſeptimo omnia ſtigmata in puſtulas mutata eſſe, quarum quædam incipiunt ſuppurari; undecimo omnes puſtulas ſuppuratas eſſe & quaſdam exareſcere; decimo quarto omnes eſſe in cruſtulas matatas & jam incipere decidere. Sed inſuper obſervant, victu & medicatione refrigerante hæc ſtadia longius inſumere tempus; ſed victu & curatione calefaciente ſtadia illa citius abſolvi; addunt præterea phænomena, quæ in his ſtadiis fuere obſervata, tam in iis, qui convaluere, quam qui moriebantur. Hucuſque medicus ſolam fidelem hiſtoriam exaravit, ex qua deinceps formabit Prædictiones: nam ſi in morbi curſu detexit conſtantiam, intrepide audebit in morbo jam præſente præſagire eadem, quæ antea conſtanti obſervatione didicit, in antecedentibus ſemper fieri. Quod enim in antecedente morbo erat Obſervatio, in ſequente commutatur in Prædictionem. Ex hac doctrina facile liquet, quinam prædicere poſſunt & qui non valent: nam ſolus is novit præſagire, cui hiſtoria certa iſtius morbi eſt cognita, indoctus vero ſi hanc artem excerceat, mirum eſt, ſi res prædictioni reſpondeat. Vidi tamen & doleo, hanc artem æque ab indoctis quam expertis ad magnum vituperium ſcientiæ exerceri, & quia ægri neſciunt, num prædictio ex conſtante obſervatione vel figmento cerebri ſit petita, docto & indocto æqualem præbent fidem, donec tandem ſuo detrimento experiantur, quiſnam horum ex Arte Prædictionem formaverit. Prædictionis fons.

III. Si omnes morbi ſemper ſimili modo decurrerent, ut nunquam a tramite eo ſecederent, Prædictiones tandem æ ue certæ potuiſſent formari per longam ſeriem obſerva- Non omnino certa.

tionum, ut quævis alia in rerum natura res certa; ſed idem morbus uno tempore aliquo alio ordine abſolvitur, aliaque profert phænomena, & exitum habet, quam alio tempore aut in alio homine: hoc mutabile per artem immutabile fieri nequit, & magnam in Prædictione præbet difficultatem. Hinc recte ſtatuit Hipp: Prædictiones non omnino ſunt certæ, ſed propterea non ſunt ſemper fallaces & incertæ, ut omnem Prædictionem debeamus repudiare. Mathematicum certum in his rebus nullus quærere debet, ſed quod fere ſemper ita obſervatur in morbis, pro certo admittere tenetur. V: G: Si quis aſſumſit mediocrem doſin purgantis, & ejus non laxatur alvus, de hoc medicamento non dicet, incertum eſt purgans, quamvis ſemel, aut bis in ſpeciali caſu fallit, habetur tamen inter certiſſima purgantia, modo fere ſemper talem præſtet operationem: ſimili quoque modo deducimus præſagium certum ex apparentibus ægrorum phænomenis.

In Acutis. IV. Morborum generalis diviſio eſt in Acutos & Chronicos. Cur autem Hipp: ſeleget Acutos, quam maxime ſe torquent Commentatores, quaſi Auctor hic vellet innuere, Chronicorum Prædictiones certiores eſſe. Verum Hipp: longe plures Prædictiones habet in ſuis operibus de morbis Acutis, quam Chronicis, quæ certum exitum ad ſalutem vel mortem complectuntur, ne igitur in his quæ præcipua ſunt & videntur certiſſima, aliquis judicaret, has Prædictiones nunquam fallere, hoc aphoriſmo indicare voluit, ne deinceps ſemper hæc verba repetere deberet Forſan ad ſolos morbos Acutos attendere voluit, non indicans Prædictiones Chronicorum certiores eſſe, nam hic quoque Aphoriſmus eſſet verus, ſi dixerat Acutorum & Chronicorum morborum Prædictiones ſunt non omnino certæ, cum veritatem praxim exercentes paſſim experiantur, Chronicos non minus quam Acutos interdum recedere a conſueto ordine

V. Opportunus hic mihi videtur locus, referare difficultates, quæ in Acutis præbent Prognoſin incertam. Morbus Acutus non eſt unicum morbi genus, nam Inflammatorius,

torius, Eryſipelatoſus, Putridus, & malignus, uno nomine Acutorum morborum recipiuntur. Quum vero inter hos magnum ſit diſcrimen, non eſt mirum, ſi quædam phænomena conſpiciuntur morbi putridi, & inde formatur Prædictio, ac ſi orirentur ex morbo Imflammatorio, quod talis Prædictio non reſpondeat exitui. V. G. ſalubre eſt in acutis, ſi oboriatur homorrhagia larga, quia compeſcit impetum, temperat calorem, minuit capitis dolorem & pulſationem: At eadem larga hæmorrhagia in morbo putrido mortem præſagit, deſignans tantam corruptelam in humoribus, quæ vaſa perrodit, tantamque fluiditatem, ut undique effluant. Id quoque verum eſt de ſudore & alvi egeſtione copioſiore, quare medicus etiam peritus ſæpe anceps hæret, an bonum vel malum ex ſenſibili evacuatione ſit præſagiendum, non ſatis attendens ad diſcrimen, quod eſt inter dictos morbos, qui tamen, omnes dicuntur Acuti. Ex hoc facile tanquam fundamento multa loca Hippocratis, quæ ſibi invicem obſtare videntur, nos facile & cum ſcientiæ incremento conciliare poſſe autumo. Hipp: enim noſter ſe ubique fidelem geſſit obſervatorem, non ex ingenio depromſit ſententias, ſed hauſit iſtas ex obſervationibus coram ægris. Non eſt ergo mirandum, ſi plures morbi naturâ diſtincti eodem nomine proferantur, quod poſt eadem phænomena bonus & malus exitus fuerit ſecutus.

LIB. II. APH. xx.

45. *Quibus, dum ſunt juvenes, alvi ſunt humidæ, iis ſeneſcentibus ſiccantur. Quibus vero, dum ſunt juvenes, alvi ſunt ſiccæ, his ſeneſcentibus humectantur.*

I.

SI duo ſunt Juvenes eodem victu utentes, quorum unus alvum magis conſtrictam & ſiccam habet, alter vero alvum humidam, magiſque lubricam, hi ſi ſeneſcunt, fere ſemper hanc mutationem ſubeunt, ut alvus ſicca mutetur in Lubricam ſeu humidam, & quæ erat humida, mutetur in Siccam: ſi vero talis fiat mutatio ex mutato victu, non debet referri ad hanc obſervationem, ut recte monet Galenus; qui etiam dicit, hanc obſervationem ſufficere, licet nulla adjiciatur ratio. Commentatores tamen varias inquiſiverunt hujus mutationis rationes, quas non ſumus examinaturi, ne refutando conſumatur tempus, noſtram ſolam proferemus rationem, quæ num ſit valens, aliis dejudicandum relinquo.

Alvi ficcioris naturalis cauſa.

II. Quoties per alvum egeruntur fæces compactæ, duræ, paucæ, Alvus dicitur ſicca a medicis; talis fit, vel quia ab ingeſtis alimentis & deglutitis & confluentibus in inteſtina humoribus nimis cito abſorbeatur omne humidum, ut nihil niſi craſſum, quod lactea intrare nequit, in cavo inteſtinorum relinquatur: vel ita fit, quia minor humoris copia in inteſtina confluit, nam ſi tale fiat ex parciore ingeſtione, vel victu exſiccante, talia ſicciora excrementa ad hanc obſervationem non pertinent. Ergo in tali juvene vel eſt promtior humidi abſorptio, vel parcior ad inteſtina confluxus.

III. In

III. In cujus autem inteſtinorum cavitatem plus humorum confluit, vel in quibus parcior fit abſorptio, huic fiunt alvi fæces humidæ, liquidæ & copioſiores, quales quoque fieri poſſunt per victum humectantem, ſed tunc ad hunc titulum non referuntur. Alvi Humidioris naturalis cauſa.

IV. Cauſæ mutantes alvum ſiccam in humidam, humidam in ſiccam, ſunt eædem, nempe ſola mutatio juvenis in ſeniorem, quoniam eadem cauſa in eodem ſubjecto eundem effectum edit, ſed in diverſis ſubjectis ſæpe contrarium effectum, ita igne liqueſcit cera, ſed argilla in lapidem commutatur, per ſe igitur patet, nos hujus diverſi effectus cauſam quærere debere in corporibus juvenum, quod nempe cauſa alvi ſiccæ per ſenectutem fere ſemper convertatur in cauſam alvum humectantem; & viciſſim cauſa alvi humidæ naturaliter commutetur cum ætate in cauſam exſiccantem. Cauſæ mutantes.

V. Quibus juvenibus eſt corporis robur, quo humores quam maxime compinguntur, & qui compingi nequeunt, per inſenſibilem perſpirationem difflantur, his caro durior, compactior, corpus gracilius, ſed tamen viribus pollens; quoniam talis juvenis confluentes in inteſtina humores promte abſorbet, & derivatio ad cutim pro inſenſibili perſpiratione largiore eſt major, quæ in inteſtinis reſtitant, ſicca eſſe debent & compacta. Talis autem juvenis robuſtus ſenior factus, naturali lege naturæ iſtius corpus ſenſim fit minus potens; minus igitur compinguntur humores, abſorptio ex inteſtinis languidior, perſpiratio minor, ergo ab eodem victu nunc, & in inteſtinis, & in reliquo corpore, plus humidi colligitur, inde ſæpe ob abundantiorem humiditatem alvus ſenſim incipit magis humectari, & corpus pingueſcit. Alvum ſiccam in humidam.

VI. Quorum vero juvenum corpora ſunt humida, ſucculenta, mollia, & tamen valentia, facile hæmorrhagiam ferentia, qualia corpora fæminarum ſolent multum ſanguinis menſtrui fundere, & copioſum poſt partum generare lac. Talia autem corpora juvenum cum ætate debiliora facta, minorem humorum confectionem faciunt, quemad- Alvum humidam in ſiccam.

modum quoque tales fœminæ ſenſim parciores menſes habent, & minorem lactis copiam generant. His igitur, quia parcior ſucci pancreatici, hepatici, ventriculi copia in cavum inteſtinorum ferri incipit, contenta inteſtinorum minus diluta, ſicciora & magis compacta debent reddi, atque hoc ſolummodo ex naturali mutatione, quæ omnibus hominibus accidit: nam ſi ex morboſa cauſa hæ mutationes inducantur, obſervatio hæc non deberet reſtringi ad ſanam mutationem, ut fecit Hipp: ſed ad morboſam.

LIB. II. APH. XXI.

46. *Famem vini potio ſolvit.*

I.

FAmes duplici modo accipi poteſt: naturalis nempe in ſanitate, vel præternaturalis in morbis, quia vero hîc abſolute ponitur, videndum, quomodo fames tam naturalis, quam morboſa ſolvatur vini potione.

Fames naturalis an ſolvatur vini potione.

II. famem naturalem in nobis concitari, ſi ventriculus ſit vacuus, Chylus fere omnis in reliquo corpore conſumtus, quando vel a proprio ſucco, vel ſucco pancreatico refleunte, vel bile, excitetur quidam in ventriculo ſenſus, quem alimentis ſolemus placare, demonſtravimus (*Exerc.* III.) ſi vini potio poteſt tollere iſtas cauſas famem concitantes, Hipp: veritatem dixit. Verum ſi quis vinum bibat, quod confectum eſt ex ſucco uvarum, fermentatione mutatum, aliquid ingerit nutrititii, itaque poſt vini potionem ventriculus non amplius eſt vacuus, atque vini dilutione temperatur naturalis acredo in confluentibus & jam collectis humoribus in ventriculo, quare ſenſus hujus affectionis redditur minor: ſed quia eo major eſt fames, quo major fit affectio

fectio, inde neceſſe eſt in perfecta ſanitate, ut vini potio minuat famem.

III. Huic ſententiæ quam maxime obſtare videtur, multos homines ante prandium & cœnam potare vinum, ut deſidem appetitum erigant: ſi enim vini potio ſolvit famem, hi homines perverſe agerent, cum tamen experiantur, a vini potione augeri appetitum. Qui ita ſimpliciter hæc dicta perpendit, exiſtimaret, hæc ſibi invicem omnino obſtare, verum qui animadvertit, nos poſuiſſe perfectam ſanitatem, & in eo caſu agitur de quadam inappetentia, ſi ergo quædam ſit inappetentiæ cauſa, quæ vini potione tolli poteſt, certe in hoc homine vini potione ad prandium vel cœnam intenditur fames. V. G Qui laborat ventriculi laxitate & viſciditate, ita ut ventriculus affici non poſſit muco obſeſſus a refluente bile in ventriculum; huic, ſi ingerat vinum, vel & ſpirituoſa, quæ ſolvunt mucum & ventriculum vi calefaciente & conſtringente exagitant, fiet fames major, cum poſt aſſumptionem vinoſi, vel a vinoſo aut ſpirituoſo ipſo, vel validiore applicatione laterum ventriculi ad contenta, aliquis in ventriculo concitatur ſenſus, quem famem vocamus.

Cur quidam potant vinum ad famen excitandam.

IV. De fame morboſa non tam certum poteſt ferri judicium, illa enim ex multis cauſis poteſt generari, quarum quædam minuuntur, quædam vero non per vini potationem. Eligamus ex multis unicam cauſam excitantem famem non naturalem, ut in bulimo, quod ventriculi contenta acriora inter plicas ventriculi hærentia præternaturalem famem excitent: quæcunque id acre applicatum diluunt & removent a ventriculi lateribus, quibus applicata ſuâ vellicatione ſenſum famis excitabant, equidem in tali caſu per ipſam dilutionem temperaretur ſenſus famis.

Fames morboſa an ſolvatur vini potione.

LIB. II. APH. XXII.

47. *A Repletione quicumque fiunt morbi, evacuatio ſanat. Et quicumque ab evacuatione, repletio: Et aliorum contrarietas ſanat.*

I.

DUas profert Hipp: curationis regulas in hoc Aph: unam in Repletione per Evacuationem: alteram in Inanitione per Repletionem. Ex quibus denique generalem Concluſionem format, *Contraria contrariis medentur.* Quare primo examinaturi ſumus, an in Repletionis & Inanitionis morbis hæ curationis regulæ ſint univerſales & ſemper obſervandæ, deinceps, num concluſio illa generalis ad omnes morborum curationes poſſit applicari.

Quinam ſint Repletionis morbi.

II. Repletio tunc eſt, quando major humorum eſt copia in corpore, quam ad ſanitatem conſervandam requiritur: Quoniam triplex eſt in nobis humor. (1) Chyloſus ex alimentis aſſumtis confectus, quo nomine quoque complector ipſa alimenta aſſumta, nondum in chylum converſa: hujus repletio *Satietas* vocari poteſt, quam quoque ſignificationem admittit πλησμονὴ. (2) Bonorum humorum tanta copia, ut inde æquilibrium inter humores & cauſas agentes deſtruatur, qualis Repletio plerumque vocatur πληθώρα. (3) Humorum excrementitiorum & morboſorum in corpore redundantia, quæ κακοχυμία vocatur. Hæc tria genera humorum ſuos morbos per ſolam abundantiam inferre poſſunt: qualia tunc conſpiciuntur ſymptomata, illa dicuntur morbi Repletionis. Vel dicti humores diutius in corpore manentes, inductâ corruptelâ nova ſymptomata inferunt, ſeu fiunt alii morbi Repletionis. Hos autem morbos,

bos, quamvis producantur ex aliena qualitate, ad morbos repletionis referri, conſtat ex annumeratione morborum, qui formantur ex menſibus retentis vel hæmorrhagia conſueta ſuppreſſa, quamvis non ſint ſymptomata repletionis ſed corruptelæ ſupervenientis.

An quoſcumque Repletionis morbos vacuatio ſanat?

III. Satietatem & plethoram evacuatione ſanari, nullum eſt dubium, nam per ablationem abundantiæ reſtituitur æquilibrium: an vero hoc quoque procedat in Cacochymia, & quando reliqua abundantia per corruptelam mutata, non tam liquide conſtat. Nam quibus ex ſuppreſſis evacuationibus, vel per degenerationem humorum fuit nata Cacochymia, ſolis evacuantibus a morbo liberari nequeunt, quoniam materia illa, antea evacuationi apta, per corruptelam inverſa, non tam promte eliminari poſſit; & etiamſi educatur, morboſa labes partibus firmis illata, poſt omnem evacuationem reſtaret. Omnis enim materia morboſa non eſt educenda, niſi ſit præparata (vid. *Aph*, 22, v & vii.) Igitur diſtinctione opus eſt, qui hanc regulam generalem ad praxin vult applicare, ne cujusvis humoris repletionem hoc loco intelligat.

Evacuationis & defectus humorum morbi quinam?

IV. Ut ex humorum abundantia deſtruitur æquilibrium, ita etiam ex humorum Defectu, per auctam evacuationem inducto, ab altera parte deſtruitur æquilibrium. Si per copioſiores Evacuationes Defectus ſit natus, remanens humor non eſt opus ut alienam poſſideat qualitatem; ſed non diu durat, quin ex hoc deſtructo æquilibrio multi quoque generentur morbi. Quare etiam duplex genus morborum ab evacuatione: vel merus defectus & ſymptomata inde nata, atque morbi ex ſuperveniente corruptione.

An hi morbi Repletione curandi?

V. Quoniam in defectu humorum nihil alieni eſt in corpore, facilius videtur ille morbus curari poſſe, quam qui fit abundantia, quoniam ſæpe adjunctam habet alienam qualitatem: ſed ſi penitius inſpiciantur auxilia, multo facilior erit morborum ex abundantia curatio, quam ex Defectu per Evacuationem. (1) Evacuatio ipſa ſi morbum fecit per Defectum, non ſubſiſtit protinus, ſed valemus imperatâ abſtinentiâ abundantiæ ſuppetias ſubtrahere, quibus detractis, corpus ipſum ſine medicamenti auxilio, minuit abundan-

tiam; Evacuationum autem ſæpe multi laboris eſt compeſcere, vel moderari. (2) Purus defectus difficilius ſuppleri poteſt, quam pura abundantia minui. Copioſiore addito nutrimento non ſuppletur Defectus; quippe alimentis non ſatis actione corporis ſubactis & in bonos humores converſis, reſarcire defectum fruſtra molimur (vid *Aph.* 3, v ;) his enim impletum corpus ſcateret crudis. Et quia ſemper in humorum Defectu eſt virium imbecillitas, non erit facile per Additionem reſarcire, quod deficit. Verum abundantiam ſolam promte valemus vomitoriis, purgantibus, ſanguinis miſſione, & abſtinentiâ ita minuere, ut non amplius abundet. (3) Quod ſi per Defectum alii fuere inducti morbi, illa materia corrupta ſi educatur, major inducitur Defectus; tale corpus Replere, addit cruda; inde ſumma in curatione difficultas, ut ſuperius (*Aph.* 32, IV & V) demonſtravimus.

Contraria contrariis medentur.

VI. Tandem examinare reſtat, num ex præcedentibus regula generalis curationis elici poſſit *Contraria contrariis mederi.* Ex iis, quæ diſputavimus ſatis conſtat, non omnem Repletionem curari ablatione, neque omnem Defectum tolli Repletione, non valemus itaque inde generalem formare concluſionem, ſed duntaxat ſæpe Contraria contrariis curari. Quoniam hanc regulam multi univerſalem faciunt, operæ pretium erit, quaſdam proponere exceptiones, ut ſatis conſtet, quam circumſpecte nos debeamus ad omnem caſum hanc applicare regulam. Qui laborant hæmorrhagiâ ex abundantia & impetu majore, curantur ſanguinis miſſione. Febris cacochymica febre curatur. Pars gelu conſtricta ſolvitur nive applicatâ. Quæcumque perfrigerata ſunt, excalefacere oportet, præterquam a quibus ſanguis erumpit, aut erupturus. Alvi fluxus ſæpe per purgans, & vomitus per vomitorium tollitur. Inflammatio miteſcit tepidis applicatis, recrudeſcit ab actu frigidis. Pars combuſta non fert actu frigida. Ex iſtis & multis aliis exemplis, quæ adduci potuiſſent, abunde conſtat, hanc regulam non eſſe generalem, ſed ſæpe locum habere.

II. APH. XXIII.

48. *Acuti morbi in quatuordecim diebus judicantur.*

I.

QUid ſit morbus Acutus, & quinam varii morbi hoc nomine intelligantur, ſuperius (*Aph.* 24, III.) definivimus; hos morbos nunc dicit judicari (vid. *Aph.* 20.) quatuordecim diebus, id eſt: intra iſtud temporis ſpatium, ſive ſeptimo, undecimo die ab invaſione, ſive ipſo die decimo quarto notabilem facit mutationem, vel ad mortem, vel ad ſalutem; vel ad melius, vel deterius. Cum vero morbi Chronici ſæpe longum tempus inſumant ſine notabili mutatione.

Cur Acuti intra quatuordecim dies judicantur?

II. Qui omnium apparitionum reddere conantur rationem, ſæpe ipſa ratio obſervatione conſtante eſt obſcurior, & in multos non raro incidunt errores: Quod morbi acuti veri intra quatuordecim dies notabilem mutationem faciant, tam conſtans eſt obſervatio, ut ſi non fieret in aliquo morbo, is non reciperetur in Acutorum morborum claſſe. Qui ulterius urget, exigens hujus temporis termini rationem, exiſtimans ſe tale ex veritatis amore petere, meo arbitrio eum a vera ratione aberrare, puto, ut facile liquebit, ſi terminus temporis ad alias res applicetur. Ut ſi quis quærat, cur non omnes plantæ eodem tempore florent, fructuſque maturos proferunt? Cur non omnia animalia idem tempus geſtationis habent? Cur una planta quotannis, alia perennis? & centena talia. Equidem tandem invitus cogeretur fateri, Deum in creatione omnibus his terminum temporis præſcripſiſſe, nos neſcire, ex qua lege

alia cuncta hæc eundem ſemper ſervent. A nobis tamen plus exigunt ſciſcitantes materiæ morbi mutationes, num ex quadam lege alia hunc temporis terminum ſervent. Cum vero rerum naturalium perſcrutatores ſint contenti, perpetua obſervatione conſtantem temporis terminum in aliqua re invenire, nos quoque non nimis curioſi contenti eſſe debemus, morborum acutorum materiem intra hoc tempus ſemper notabilem ſubire mutationem, hocque conſtare intes medicos a vetuſtiſſimis, ad hoc uſque tempus per continuam obſervationum ſeriem Hunc autem terminum non tam fixum eſſe, quin poſſit prolongari & minui, nihil derogat, idem quoque in reliquis rebus naturalibus obſervatur; calor enim major applicatus præcoces profert fructus, & frigus maturitatem retardare valet. Quare tempus hoc ſolum nititur conſtanti practica obſervatione, quæ ſi non fuiſſet indagata, fateor, nos nunquam potuiſſe ex fabrica corporis, vel examine humorum hoc tempus in morbis rimari. Ita multa ſunt in morbis, quæ latuiſſent phyſiologicos, cum talia per ſolas obſervationes in praxi ſunt eruenda. Hinc quiſque facile perſpicit, ſubtilitates phyſiologicas in ſcientia medica utiles eſſe, nondum tamen valere cuncta, quæ in morbis accidunt, perſcrutari. Morbus enim eſt res aliqua diverſa, non ſemper ſervans leges in ſanitate detectas: quare utile eſt praxin exercenti, ut non minus ſe in obſervationibus practicis exerceat, quam ut ſolis ſubtilitatibus theoreticis totum tempus terat.

LIB. II. APH. XXIV.

49. *Septimorum quartus eſt index. Alterius ſeptimanæ octavus eſt initium. Notandus vero undecimus: is enim quartus eſt alterius ſeptimanæ. Notandus rurſum decimus ſeptimus: hic enim eſt quartus quidem a decimo quarto, ſeptimus vero ab undecimo.*

I.

Dierum criticorum annumeratio.

POſtquam poſuerat Hipp: Acutos morbos in quatuordecim diebus judicari, hoc loco voluit iſtos intermedios dies accuratius definire. Dividit igitur XIV. dies in duas ſeptimanas; prioris initium eſt ipſe dies invaſionis; alterius eſt dies octavus ab initio, adeoque utrique ſeptimanæ tribuit ſeptem dies integros, nam finis prioris ſeptimanæ eſt dies VII. & finis poſterioris, dies XIV. Iſti dies Critici dicuntur, ſed dies IV. & dies XI. ſunt Dies judices, quibus diebus conſpicerentur in morbis Acutis mutationes, indicantes, vel VII. vel XIV. die futuram eſſe criſin. Si ergo ponatur dies octavus pro initio ſecundæ ſeptimanæ, utræque ſeptimanæ pari diviſione dierum diſtinguuntur. In morbis autem intermittentibus quivis paroxyſmus pro uno die numeratur, dies vero apyrexiæ vel induciarum non numerantur, adeo ut paroxyſmus quartus, ſeptimus, undecimus & decimus quartus habeantur pro tot diebus, etiamſi multi dies interim præterlapſi fuerint, in quibus nullus fuit morbi paroxyſmus. Quomodo vero fit reliquorum dierum annumeratio & denominatio, aliis locis tradetur.

Num dies Critici ſint obſervandi?

II. Inter Practicos longo tempore fuit diſſidium, num Dies Critici, quemadmodum traduntur ab Hippocrate & Galeno, in ægris obſerventur, num aliquem habeant in arte medica uſum. Nonnulli tanquam pro aris & focis contendunt, in morbis obſervari, non quod ipſi iſtos obſervarunt in Praxi, ſed quia ab Hippocrate & Galeno rotundis verbis, quemadmodum in hoc Aphoriſmo & multis aliis locis, deſcripti inveniuntur, quaſi quæ ab his ſunt dicta, quamvis non obſerventur in praxi, ſatis eſſent firma. Alii vero hanc ſententiam oppugnant, non ſolum rationibus ex non reſpondente lunæ curſu, ſed experientiâ in multis ægris, in quibus incertis diebus evacuationem criticam obſervaverunt Acutorum; verum etiam loca multa ex Hippocrate adducunt, ex quibus conſtat, his diebus Criſin non fuiſſe factam, ſed omnino alio die. Et ut tamen rationem reddant, cur Hipp: hos dies ita deſcripſerit, exiſtimant morem ſectari medicorum ſui temporis, atque veteres, qui arcana in dierum numero quæſiverunt. Res ergo de diebus Criticis, de quibus tot libri ſunt conſcripti, relinquitur in incerto. Id autem certum eſt, ſi Dies Critici in Acutis magni momenti ſunt æſtimandi, male ageret medicus, ſi hos non obſervaret: ſi vero nullum certum habent, fruſtra laboramus tam accurate iſtos ſectari.

Impedimenta obſervationis.

III. Hanc ſententiam tam miſere agitatam fuiſſe, anſam dedit. (1) Morborum diverſitas, qui uno nomine Acutorum proferuntur: ſi enim acutorum morborum unica & ſimplex eſſet cauſa, forſan aliquid certi in terminis dierum quiſque medicus obſervaſſet; ſed ſi varias cauſas, varias ſpecies morborum uno nomine complectimur, quorum una cauſa ſuggerit conſtantibus temporibus ſuas mutationes, altera vero omnino ſine ullo ordine incedit, non eſt mirandum, a quibusdam in diebus Criticis aliquod certum inveniri; ab alio vero medico cuncta incerta; imo non erit quoque mirum, ſi Hippocratis ſcripta, qui ex fide paſſim, quemadmodum in ægris detexit, obſervationes vel inde deducta dogmata ſcripſit, rimamur, ſæpe inveniri, aliis quoque temporibus bonam fuiſſe factam criſin, vel omnino nullam diebus

(1) Acutorum varietas.

cri-

criticis. Medicos autem per morbum acutum intellexiſſe Inflammatorios, Eryſipelatoſos & Putridos, atque interdum Malignos, modo haberent adjunctam ſebrem, imo quoſdam ex morbis cum minore motu vitali, uti Apoplexiam & multos alios, ex iis, quæ ſuperius diſputata ſunt (*Aph.* 24, III) abunde colligi poteſt. Quia vero dicti morbi in mutationibus producendis toto cœlo ſæpe diſtant, non eſt mirum, cum tamen omnes iſti morbi uno nomine proferuntur, quod in compoſitis hujusmodi morbis ſæpe contraria obſerventur.

IV. Alterum impedimentum, quod non minorem difficultatem parit, eſt *Diæta* varia & Regimen; quidam verſantur in calidis & calefacientibus, alii laudant Regimen frigidum; alii venam ſecant, alvumque ducunt, & nil niſi antiphlogiſtica in acutis crepant; dum alii in eodem morbo per Alexipharmaca malignitatem ſatagunt ex cutis poris eliminare: ætas quoque varia & habitationis loca citiori vel tardiori maturationi favent. In tanta quæſo rerum diverſitate ſi agitetur morbus, qui ex ſua natura certum habet temporis terminum, nonne unus bis potuiſſet abſolvere totam periodum, dum alter vix perveniſſet ad acmen. Imo vero hodie norunt media hyeme calore arteficiali conciliato æſtivos producere fructus. Atque media æſtate in locis ſubterraneis creare glaciem. Sed ſi quis inferret, omnino incertum eſſe rerum ordinem, nemo huic haberet fidem; & tamen fidem præbent medicis, qui perverſa curatione ſua totum invertunt rerum ordinem, in morborum criticis diebus nihil certi inveniri.

(2) Varia Diæta, medicatio, Clima, Ætas.

V. Ex iis, quæ diſputavimus, Criticorum dierum oſores nullam gloriam aſportare poſſunt, niſi quod in omnibus morbis ſic dictis Acutis non obſervetur certus temporis terminus; ſed propterea non ſequitur, omnes morbos acutos diebus criticis carere. Quia vero maxima pars Acutorum ex Morbis Inflammatoriis conſtat, qui vel reſolvuntur, vel abeunt in ſuppurationem, aut ſphacelum, atque interdum in putrilaginem, in his, inquam, ſi naturæ ordo non turbetur, accuratiſſime tempora Critica obſervantur, niſi morbus

Criticos dies in Acutis Inflammatoriis obſervari.

bus tranſeat in Putrilaginem. Fidem habeo ex manifeſtiſſimo morbo inflammatorio, variolis nempe benignis; nullus medicorum eſt, quin novit, quarto die erumpere exanthemata, ſeptimo die ſuppurari, undecimo incipere exareſcentiam, decimo quarto decidere arefactas variolas. Tantum in hoc valet naturalis & conſtans morbi mutatio, ut inde probati medici hunc morbum in quatuor ſtadia diſtinguant; eandem quoque conſtantiam in febre inflammatoria obſervamus. Qui vero variolas regimine calido tractat, citius facit, non tamen minori periculo abſolvi hæc ſtadia: qui vero variolas aggreditur refrigerantibus, ſtadia ſæpe ad longius tempus protrahit; nondum tamen conſtat, Criticos dies inde ex ſua natura incertos eſſe. Si vero variolæ abeunt in putrilaginem, quemadmodum in confluentibus non raro obſervatur, poſt eruptionem ſtadia omnino incerta ſunt, adeo ut variolæ ultra viginti dies perſiſtant. Ex hac ratione ſtatuo, Criticos dies eſſe obſervandos in morbis Acutis, ſed ne fallamur ex adjunctis ſignis, morbus Acutus in ſuas ſpecies eſt diſtinguendus, atque ſolummodo in Inflammatoriis hæ rimandæ mutationes, quæ a veteribus ad Criticos dies referuntur.

Cauſa criticorum dierum.

VI. Hac non contenti obſervatione practica, in morbis inflammatoriis cauſas hujus temporis conati ſunt inveſtigare, eamque plerique quæſiverunt in lunæ curſu, alii in ſtellis; ſed quia Criticorum dierum oſores facile perſpiciebant, omni tempore, & etiam contrariâ Lunæ phaſi fieri Criticorum dierum annumerationem, eamque non referri ad Lunæ curſum, ſed incipi numerari ab invaſione morbi, quæ omni die fieri poteſt, hanc totam doctrinam non immerito repudiarunt. Quare theoria Criticorum dierum huic doctrinæ ſemper obfuit. Verum quia, ut ſupra monui (*Aph.* 48, II.) conſtantes mutationes ſunt petendæ ex materiæ morbi natura, quæ eodem modo, ut plantarum ſemina, certo tempore ad maturitatem veniunt, florent & ferunt fructum, ſolummodo reſtat ſedulo perſcrutari, an non poſſimus ex obſervationibus practicis Criticos dies magis firmare, & ab erroribus, qui ex præpoſtera theoria irrepſerunt, depurare.

VII. An-

VII. Antequam Criticam evacuationem molitur natura, quæſtio eſt, an non prius concitet in corpore mutationes, quæ ſenſibilia proferunt phænomena, eaque finito tempore prægrediantur; an vero criſis fiat ſine præviis phænomenis. Si vero natura talia moliatur, quæ inſtantem Criſim præſagiunt, & in iis ſervat ordinem, non erit ſine ratione æque admittere Dies Indices, quam Criticos. Nullam hîc inveniri impoſſibilitatem, ex iis, quæ ſuperius diſputata ſunt, plane conſtat: Quippe non eodem tempore planta floret & fert ſemina matura, ſed flores ſunt frugum prodromi, & ex florendi tempore dejudicamus quoque, quo tempore matura ſunt exſpectanda ſemina, neque puſtulæ erumpentes in variolis ſtatim ſunt pure plenæ, ſed ex tempore eruptionis determinatur maturitatis tempus. Illi igitur ſunt Dies Indices, in quibus oboriuntur phænomena, inſtantem evacuationem præſagientia. Dies Indices.

VIII. Hippocrates paſſim aliique Practici notant, ſi quarto die quædam apparent phænomena, ſeptimo die futuram eſſe Criſin, ſi vero undecimo conſpiciuntur, nos decimo quarto die expectaturos evacuationem Criticam: adeoque inter florendi & maturitatis tempus præterlabitur tempus trium dierum; num vero hoc ſit poſſibile, vel impoſſibile, non diſputo, quia ſola obſervatione practica veritas hæc firmatur, quæ me multoſque alios practicos docuit, regulariter ea fieri, quæ Hippocrates notavit. Nonne unuſquiſque liberrime fatebitur, ſi videat ſeptimo die ab invaſione variolarum inchoare hinc inde puſtularum ſuppurationem, regulariter omnes puſtulas undecimo die maturas fore & decimo quarto decidere. Quod ſi itaque quarto vel undecimo die in urina conſpicio rudimenta ſeu inchoatam coctionem, nulla eſt ratio diſſuadens, ex his ſignis apparentibus, hoc tempus vocare Diem Indicem. Dierum itaque Criticorum & Indicum doctrina firmo nititur talo, ſed ex oſcitantia, perverſa medela, permiſtione multorum morborum a non ſatis in praxi attendentibus ad veterum nugas, hæc temporum obſervatio damnata fuit. Quantum diſtant a Criticis.

LIB. II. APH. XXV.

50. *Quartanæ æstivæ plerumque fiunt breves: autumnales vero longæ, & maxime, quæ prope hyemem incidunt.*

I.

Criticorum dierum observatio firmatur Quartanâ.

Antequam redditur ratio, cur Autumnales febres quartanæ vernalibus plerumque sint longiores, non erit inutile, ex hoc Aphorismo adstruere veritatem Dierum Criticorum. Superius notavimus, solos dies paroxysmi numerari, ad intermedios apyrexiæ non attendi. Regulariter autumno incipientes Quartanæ evanescunt vere; adeoque æger per 180. dies circiter premitur a febre, in quo tempore fiunt 60 paroxysmi. Hippocrates observavit in morbis longioribus quam dies 40, annumerationem fieri debere per vicenarium numerum. Inde 60, 80, 100 sunt ipsi dies Critici. Itaque febris quartana legitima, nulla perversa curatione aut errore victus turbata, satis respondet huic termino. Sydenham (Cap. v. *de Febribus Intermittentibus. Annorum* 1661, 62, 63, 64) sedulus morborum perscrutator, nulli addictus hypothesi, ex meris observationibus, ut fecit noster senex, firmare & excolere studens medicam scientiam, in eadem quoque est sententia, in Quartana scilicet febre Criticorum temporum habendam esse rationem, victus constante observatione, hic sola naturæ vestigia premens, hæc profert verba, *quod Continuæ conceptam semel efferveſcentiam συνεχῶς, unoque tenore perficiant, Intermittentes autem partitis vicibus, ac diverſis temporibus, eâdem defungantur. Interim in utrisque fermentatio naturæ ductu peragitur ſpatio horarum* 336. *aut circiter.* Hic igitur vir in practica observatione

ne fidelis, victus obſervatione conſtante, voluit per numerationem horarum, ad tempus quatuordecim dierum reſtringere ſeu ad ſpatium 336 horarum, poſuit pro ſingulo paroxyſmo quinque horas cum dimidia. At vero inter noſtrum & Sydenhami calculum nulla eſt differentia eſſentialis, volumus enim utrique quartanam febrem diebus criticis finire, ille ad hoc faciendum facit additionem horarum, quibus premitur æger a paroxyſmis, ego autem pro ſingulo paroxyſmo poſui integrum diem, ſed ſive quis meum vel Sydenhami ſequitur calculum, conſtat tamen, febrem Quartanam ſequi Dies Criticos: dum Sydenham Quartanam perſtringere voluit ad morbos acutos, ego vero ad morbos longiores, ſeu qui ultra XIV. dies excurrunt.

Quartana febris.

II. Antequam de febris Quartanæ longitudine & brevitate agitur, conſtare debet, qualem febrem medici intelligant per Quartanam. Omnes febres Eſſentiales dividunt in Continuas, Intermittentes & Remittentes. Ex Intermittentibus, quæ per paroxyſmos invadunt, & intermedias inducias faciunt, una eſt, quæ relinquit duos inter paroxyſmos dies ſine ulla febrili exacerbatione, hanc vocant Quartanam legitimam, quam quoque Hipp: hoc loco intelligit. Hæc vero ſi duplicatur, duobus diebus ſucceſſivis paroxyſmum facit, unum diem pro apyrexia relinquens, hæc dicitur duplex quartana, denique ſi omni die exacerbatur, eam vocant quartanam triplicem. Interdum aucto morbo & corporis viribus debilitatis, ita protrahuntur duplicati paroxyſmi, ut mentiantur febrem Remittentem vel Continuam. Ex his ſolis, hoc loco intelligit puram, legitimam febrem Intermittentem Quartanam, quæ nullam commotionem febrilem duobus intermediis diebus facit, nullumque alium habet adjunctum morbum, in corpore ceteroquin ſano & robuſto.

Vernalis cur brevior?

III. Inutile foret tempus vernale deſcribere, & adſtruere, hyemem ſemper prægredi; at inde deducere, cur vernales Quartanæ propterea fiant breviores, quam quæ adoriuntur autumno, altioris eſt indaginis. Ut ordine proce-

damus, inveſtiganda ſunt, quæ nobis naturaliter fiunt hyeme, & qualem mutationem vere ſubeant. Hyeme aëris frigiditas facit, nos ſine incommodo ferre poſſe majus pondus humorum (vid. *Perſp.* 193.) Eodem quoque tempore vix ulla fit in humoribus putredo: ſuperveniens vero calor copioſiorem difflationem facit (*Conf. Aph* 12, VI.) Qui morbi igitur ex deficiente motu, parciore difflatione in corpore fuere nati, ab accedente calore facilius ſolvuntur & per inſenſibilem perſpirationem difflantur; quare regulariter non ſolum febris quartana, ſed & alii morbi vernales obſervantur breviores.

Autumnalis cur longior?

IV. Ut Hyems Ver, ita Æſtas prægreditur Autumnum; ſed in æſtate ſolis calore corpora magis ad putredinem diſponuntur, quod attenuatum inviſibiliter exhalat, verum accedente Autumno minuitur inſenſibilis perſpiratio, colligitur corruptum in corpore, nam corpora Autumno ſolito fiunt ponderoſiora. Atque corruptibilia in ambitu telluris hærentia corrupta, virus emittunt, quod tam diu elevatur, ac aëris calor valet diſcutere vapores; ſed vero accedente frigore, non deſinunt tamen corrupta exhalare virulentiam, verum hæc in aëre, quem inſpiramus, hærens, noſtrum corpus coïnquinat; unde toties naſcuntur morbi Autumnales præprimis poſt æſtatem æſtuantem. Adeoque hoc tempore frequentior eſt cauſa corpus inficiens autumno, quam vere: atque nos, ob parciorem difflationem, receptam infectionem retinemus frequentius: imo quod inficit, pertinacius eſt, utpote corruptum, quod non patitur actione noſtri corporis emendari, dum cruda vere accepta iteratâ tandem corporis actione aſſimilentur. Si igitur ex tali recenſita cauſa formetur in Autumno febris quartana, non eſt mirandum, eam diutius perſiſtere, quam ſi materia vernalis, quæ emendari & expelli facilius poteſt, quartanam concitaverit. Hæc omnia vera inveniuntur, ſi actione vitæ quartanæ materia ſit ſubigenda & expellenda; ſed ſi detectum habeatur antidotum, exſtinguens illam virulentiam, ut acidum & alcali ſe mutuo exſtinguunt, non erit opus

opus tam diu tolerare quartanam. Sed quia Hipp: hîc agit de quartana, ſi actione vitæ curetur, curatio per antidotum hîc non debet examinari.

V. Obſervavit præterea, quo propius hyemem, id eſt, menſe octobri, vel novembri, adoritur quartana, eo longiorem eſſe. Ego vero in praxi febris quartanæ obſervare non potui; ſed an verum vel falſum ſit, non diſputo: hoc autem inveni, non in omnibus epidemicis conſtitutionibus febris quartanæ, eas æque pertinaces eſſe.

Quo propius hyemem ingruunt, eo longiores.

LIB. II. APH. XXVI.

51. *FEbrem convulſioni ſupervenire melius eſt, quam convulſionem febri.*

I.

CORpus morbo tentatum, non immune propterea eſt aliorum morborum, ſed interdum alio inſuper corripitur: novus accedens morbus vel poteſt ex eadem oriri cauſa, ut prior, vel ſua cauſa propria. Regulariter quo una cauſa plura profert mala ſymptomata, quæ ſeorſim conſiderata tot dicuntur morbi, eo majorem cauſam declarat: interdum vero quædam ſymptomata ex eadem cauſa concitantur, quæ futuram ſolutionem potendunt, ſit ſudor copioſus in febre, ſi abſolute conſideretur ſudor copioſus, vocaretur morbus, ſed nunc in febre oboriens, ſignum eſt ſolutionis. Si vero novus morbus accedat ex alia cauſa, illa poteſt corpus quoque aggravare, quia pejus eſt duobus morbis affligi, quam uno; interdum tamen accedens cauſa valet priorem exſtinguere, aut concitato motu, vel evacuatione priorem curare. Ergo non poteſt ex generalibus conſtare, quid ſit melius aut pejus, ſed debemus hoc perpendere in ſingularibus caſibus, quemadmodum hîc

Morbus morbum ſæpe ſupervenit.

facit Hipp: faciens comparationem , inter febrem & convulſionem, quinam horum morborum primus veniat, melius vel pejus indicium præbeat.

II. In propoſito aphoriſmo duo citantur morbi, Febris nempe & Convulſio, qui ſe mutuo ſequi poſſunt, non tamen perinde eſt, quiſnam horum primus veniat. Aliis in locis dicit Auctor, febrem ſupervenientem ſolvere Convulſionem, & a convulſione ſuperveniente perire, qui correptus eſt febre: hoc autem loco comparationem facit melioris & deterioris. Obſervavit quidem noſter Senex hanc in praxi veritatem, qualis vero ſubſit cauſa differentiam ponens, Commentatores maxime laborant inveſtigare Inde provenire debet, quod febris poſſit minuere, vel expellere Convulſionis cauſam, verum Convulſio non valeat febris cauſam tollere, verum eam potius augeat, vel denotet, novam morbi cauſam aggravantem acceſſiſſe. Igitur opus eſt, generales Febrium & Convulſionum cauſas & effectus rimari, ex quibus hæc veritas eſt elucidanda.

Convulſionis definitio.

III. In noſtro corpore vivente duo diverſi præprimis motus obſervantur, unus qui vocatur vitalis, in quem nullum exercemus imperium; alter vero animalis, qui a noſtro arbitrio dependet. In motu vitali, qui conſiſtit in alterna conſtrictione & relaxatione, quam diu ſumus ſani , hanc invenimus legem , ab omni irritatione vel ſtimulo facere vel vibrationes ſuas frequentiores & potentiores, vel producere continuam conſtrictionem , quem motum Tonicum vocant, ſed ab Hippocrate Tetanus. Quod ſi motus alternus fiat potentior & regularis, adjacentes humores quam maxime propellit , & corpus aucto attritu incaleſcere facit; ſed inordinate ſi fiat & ſimul valide, tunc in organo vitali vocatur Convulſio; ſi vero ſucceſſive fiat per aliquod organum & adjacentes partes, vocatur Convulſio flatulenta. Talis motus alterne conſtringens violens in muſculis motus animalis, etiam vocatur Convulſio , quæ ſi validior cum ſenſuum exſtinctione, Epilepſiam vocant. Conſtante obſervatione practica experimur, ex multo minore cauſa generari

Con-

Convulſionem in organo vitali, quam animali, frequentior enim fit convulſifica inteſtinorum & ventriculi agitatio, quam Convulſio in membris externis.

IV. Febrem autem definire haud facile eſt, quia tria ſtadia diverſa obſervantur, quæ tamen omnia vocantur febris: ita in initio dum frigus urget cum motu vitali minore; in vigore dum Calor eſt ingens cum motu vitali aucto; in remiſſione dum ſudor erumpit, redeunte motu vitali ad ſolitum tenorem, cuncta hæc ita diſtincta tamen vocantur uno nomine febris. Si hæc ab aliqua interna cauſa inferuntur, plerumque noxium hoc incipiens agere, ſiſtit motum vitalem, ſed dein pergens, quammaxime motum vitalem inſtigat, quo transfluentes humores commutantur fere omnes (nam putrefactum & compactum, hoc motu non aſſimulatur) ex ſua natura in indolem noſtram primo, ſed Dein pergente motu aucto vel compinguntur in Lentorem vel deteruntur in Excrementitium. Hoc abſoluto ſtadio, dum languere incipit ille motus, quod in excrementitium fuit converſum, per emunctoria cutanea ſub forma ſudoris eliminatur, atque ſanguis hoc majore motu compactus ſenſim iterum incipit liqueſcere. Febris definitio.

V. Si nunc cauſæ & effectus convulſionis & febris inter ſe conferantur, facile erit definire, cur in convulſionibus quibuſdam, ſi febris veniat, fiat ſolutio. Frequens enim cauſa convulſionis eſt acrimonia cruda, quæ ex ſpontanea mutatione eſt nata, quæque motu circulatorio aucto ſubigi poteſt & expelli, hæc ergo irritans nervos, faciens convulſionem, per motum vitalem auctum in ſecundo ſtadio febris ſubigitur ſæpe, atque demum una cum ſudore febrili in tertio ſtadio febris expellitur. Quare quoque hujuſmodi Convulſiones per calefacientia aromatica curantur: non quod illa medicamenta ſpecifica virtute exſtinguant acre, Convulſionem faciens, ſed inſtigando & roborando motum vitalem hæc materies vel aſſimulatur, vel expellitur. Utique omnis naturalis concoctio in nobis viventibus hoc motu abſolvitur, ſi moderatus ſit, vel & paulo major: Febrem convulſioni ſupervenire melius eſt.

jor: verum ſi multum augetur, multa quoque deſtruit, & optimam præparationem invertit. Eſt enim in nobis Coctio talis materiæ morbi commutatio, quâ amplius non valet ſymptomata morboſa producere, vel qua ita invertitur, ut, quæ antea non potuit evacuari, nunc poſſit per organum ſecretorium a reliqua maſſa ſegregari. Quæ commutatio producitur motu circulatorio moderato, aut paulo majore, quam qui fit in ſanitate. Nam languidior circulatio permittit ſpontaneam corruptelam, & validior nimis compingit.

Convulſionem febri ſupervenire pejus eſt.

VI. Si autem quis febre correptus convulſione tentatur, ſive illa oritur ex eadem febris cauſa, ſive ab alia accedente, nihil boni inde poſſumus exſpectare: nam ex eadem cauſa veniens, declarat accedens convulſio in motu vitali cauſam fuiſſe auctam, quia ex multo minore cauſa commotio febrilis poteſt concitari, quam Convulſio: illa ſi præterea fiat in muſculis motus animalis, adhuc majorem cauſam ſignificat, quia leviore cauſa motus vitalis inordinate convellitur, quam motus animalis. Neque juvat, ex nova accedente cauſa generari Convulſionem, quia non cognita eſt cauſa Convulſionem faciens, quæ cauſam febrilem exſtingueret, ergo homo duabus cauſis morboſis laborans, quæ ſe invicem non deſtruunt, in majore diſcrimine verſatur, quam antea. Neque quidquam boni ex effectibus Convulſionis exſpectamus, ipſe enim motus convulſivus major non ſubigit, neque aſſimulat, neque expellit febrilem cauſam, ille motus non eſt talis, qualem in motu febrili notavimus, qui humores concoquit aut præparat, ſed ſemper mala parit. Hiſtoriæ quidem teſtantur, motu febrili multos morbos curari, ſed non novi, ab aliquo obſervatum fuiſſe, per motum Convulſivum unicum morbum fuiſſe ſublatum. Ergo recte ſtatuit Noſter Senex in hoc brevi, ſed & utiliſſimo Aphoriſmo, melius eſſe, ut febris ſuperveniat, quam Convulſio.

LIB. II. APH. XXVII.

52. *His, quæ non ſecundum rationem levant, credere non oportet, neque timere valde, quæ præter rationem fiunt prava, multa enim horum ſunt inconſtantia, nec admodum permanere, neque durare ſolent.*

I.

TOtum myſterium hujus Aphoriſmi in cognitione rei, quam Rationem vocat Hipp: conſitum eſt, quæ enim ex Ratione fiunt, ſunt Conſtantia & permanentia, quare ſi bona phænomena fiant ex Ratione, certa ſalus inſtat; ſi vero mala fiant, valde timendum. Quæ vero bona fiunt ſine ratione, his fidere non debemus; & mala non admodum debemus vereri. Ut igitur omnibus conſtet quid ſit Ratio in Morbis, in memoriam revocandum eſt, omnem materiem morboſam rem eſſe diſtinctam in corpore vivente, quæ non erat in ſanitate præſens, ſive lateat ſine ullis phænomenis, ut ſæpe materies Luis venereæ, & multorum aliorum morborum, antequam indicia præbet, ſive manifeſta ſigna exhibeat. Hæc res ſui juris eſt, ſed agitatur actione vitæ, quare ut ſemina malæ herbæ tandem adoleſcit, & in morbum perfectum erumpit. Ille autem morbus cognoſcitur ſuis ſignis propriis, diſtinguiturque iiſdem a ceteris, ita ut multa ſigna aliis quoque morborum cauſis ſint communia, ſed tamen quædam profert diverſa, quæ in nullo alio morbo conſpiciuntur, vel quædam phænomena unà profert, qualia unita in nullo alio morbo inveniuntur; aut facit conſequentiam ſingularem cauſarum antecedentium & ſignorum præſentium, quæ

Ratio in morbis quid ſit.

ſimili ordine in aliis morbis non occurrunt. Ex his tribus valet peritus Medicus unam morbi cauſam ab altera diſtinguere. Si tali modo rimatus eſt cauſam, non amplius verſatur in perſcrutandis ſignis, ſed mentem applicat ad detectam cauſam, conſulit dein vel fideles Auctores practicos, vel propriam experientiam de natura & naturali mutatione cauſæ detectæ; ex his invenit quales mutationes huic cauſæ ſunt naturales, quæ mutationes fiebant, & qualia ſigna apparebant, dum cauſa hæc viribus vitæ ſuperabatur, atque ita exſtinguebatur; quales fiebant, ſi cauſa hæc commutabatur in aliam naturam; & denique quales apparebant, ſi cauſa hæc mala ſuperavit vires vitæ. Iſtas mutationes tam parum ex proprio ingenio poteſt deducere, ac potuiſſet Botanicus ex conſpecta radice vel ſemine ignoto, terræ commiſſo divinare, qualia folia, flores, & fructus, ſint exſpectanda. Sed ſi ſimel viderit iſta omnia producta, tunc deinceps novit Botanicus quales mutationes futuræ ſint, quoties ſuum cognitum ſemen vel radicem terræ committit. Ita quoque nos non a priori valemus ex detecta cauſa divinare mutationes futuras, ſed ſi ipſi obſervavimus omnia producta iſtius cauſæ, vel legendo ex aliis obſervatoribus horum notitiam nobis comparavimus, valemus ex cauſa detecta, ſecundum ordinem mutationem huic cauſæ naturalem, quædam prædicere certa, quæ ab indocto prædici non poſſunt. Has mutationes naturales detectæ cauſæ in ægro apparentes, dicimus fieri ex Ratione, ſeu ſecundum Rationem, quia morbi cauſa ſequitur naturalem ordinem: ſi vero quædam alia phænomena in illo ægro apparent, non provenientia ex naturali ordine cauſæ, hæc dicuntur præter Rationem fieri, ſive ſigna ſint bona vel mala, quoniam vel ex aliquo incidente, vel nova accedente cauſa producuntur.

Quæ fiunt præter Rationem inconſtantia ſunt.

II. Cuncta igitur phænomena, ſive ad ſalutem, ſive ad mortem tendunt, quæ naturalem mutationis ordinem ſequuntur, Conſtantia eſſe debere, nullus erit qui dubitet; nam, niſi ponatur, verbi gratia, in progerminando aliquod infortunium, planta ſuis temporibus fert folia, flores, ſemina;

mina, ita etiam in progreſſu morbi, materia inferet ſuo tempore Conſtantia ſymptomata: quam primum vero ob aliquod infortunium aliquomodo ab ordine deflectitur, propterea non infertur totius materiæ mutatio, ſed ceſſante illâ levi cauſa, quæ aliquam in ordine induxit mutationem, materia morbi viribus vitæ ulterius agitata ad priorem ordinem redigitur.

Nec admodum permanere ſolent.

III. Quia ordinem turbans plerumque levis eſt cauſa, hæc viribus vitæ facile vincitur; quare morbi prioris cauſa, dein ſola in corpore relicta, pergit ſuo ſuſcepto ordine abſolvere totum curſum, qui per levem illam cauſam interruptus fuit. Si vero accedens cauſa quoque ſit valida, ordo morbi fit permiſtus ex binis morboſis cauſis ſimul agentibus. Sed quia accedens cauſa levis eſſe ſolet inferens ordinem turbatum, inde Noſter Auctor recte ſtatuit, ſymptomata illa non diu ſolere permanere & durare; ſi vero illa cauſa ſemper eſſet levis, dixiſſet abſolute illa anomala non diu durabunt.

Neque oportet hæc timere, aut fidere.

IV. In morbis periculoſiſſimis, ex quorum cauſæ natura nobis per conſtantes in morbis obſervationes conſtat interitum eſſe exſpectandum, ſi aliquod bonum fiat phænomenon uti videtur, huic monet non eſſe fidendum, quia tale quid provenit, vel quod morbi materia pro tempore quaſi latitet, vel quod vis vitæ ſuperata, vehementia non inferat ſymptomata, ſed mitia, & maligna ſymptomata ægro blandiantur. Ita febris ardens cum diris & vehementibus ſymptomatibus ſubito ſi lenimen doloris infert, tunc monet noſter Senex huic Levamini non eſt fidendum, ut multi faciunt, exiſtimantes ægrum nunc eſſe incolumen, quum liberetur a ſæviſſimo illo dolore: ſed iſtud levamen erat ſine Ratione, quia in eo morbo ex naturali ordine cauſæ tam ſubito ſine manifeſta humoris morboſi evacuatione non potuit fieri ſolamen. Ita in Pleuritide in ſuppurationem abeunte, ſi æger ſubito ſine multa ſputi vel urinæ ſedimentoſæ evacuatione libere ſpirare incipit, hoc eſt ſine Ratione; nam pus factum ſine ſenſibili evacuatione non potuit evaneſcere; ergo id levamen eſt infidele: forſan abſeſſus

fuit ruptus, effudit pus in cavum pectoris, ſed non liberavit hominem. Quare ſemper in memoria tenendum dictum Auctoris, non debemus fidere iis, quæ præter Rationem fiunt, neque valde timere oportet præter Rationem ſi valida oriantur ſymptomata, ſæpe enim vis vitæ inſtante Criſi validiſſima infert ſymptomata, quæ tamen non veremur, cum nox ante criſin ſoleat eſſe gravis (*Aph.* 38, 11.)

LIB. II. APH. XXVIII.

53. *Febricitantium non omnino leviter, permanere, & nihil remittere corpus, aut etiam magis quàm pro ratione colliquefieri, malum eſt. Illud enim morbi longitudinem indicat, hoc vero infirmitatem.*

I.

NOn oportere iis, quæ præter rationem fiunt, fidere, neque ea admodum vereri in præcedente expoſuimus, hujus rei in hoc Aph: tradit non ſolum exemplum, ſed id inſuper ita exhibet, ut quoque ad prognoſin applicari poſſit. Ex ratione enim eſt, ut corpus extenuetur proportationaliter cum magnitudine morbi. Si vero extenuatio corporis non reſpondeat magnitudini morbi, aliquid anomalum adeſt, vel quod impedit extenuationem vel nimiam extenuationem facit. In hoc Aph: igitur videndum. (1) Ex qua ratione febres naturali ordine corpus debeant extenuare. (2) Ex qua cauſa talis in febre interdum non fiat Extenuatio. (3) Quæ cauſa præter modum corpus in febre emaciet. (3) Cur cauſa impediens emaciationem poſſit morbi Longitudinem præſagire. (5) Denique cur cauſa nimiam Extenuationem faciens Infirmitatem declaret.

II. Nul-

II. Nulla cognita eſt febris totam periodum abſolvens, quin faciat majorem circulationem, & calorem, & finitur ſudore copioſiore, ſi legitima ſit : atque febris tempore pauciora ingeruntur alimenta, aut ſi æqualis ingeratur quantitas, ingeſta tam probe non aſſimulantur, quam in ſanis, quare ſecundum rationem eſt, facta largiore excretione, cum parciore reſtauratione, corpus Extenuari, præprimis cum calore concitato majore etiam pinguedo liqueſcens ſimul pro parte exeat. Quo igitur febris eſt major, eo etiam major Extenuatio fieri debet; quæ niſi ſit notabilis vix oculis animadverti poteſt, inde in febre levi non obſervatur, ſed in febre validiore, ut monet Auctor. Febris ext extennat.

III. Sive poſt febrem ſeu in fine febris fiat copioſior evacuatio, ſive non, ſive ægri plus ſub forma ſæpe potationis aſſumant quam evacuantur humores, tamen nimio motu febrili fuere degenerati a ſua indole. Hic humor evacuatus, ut monuimus, Extenuationem inducit; ſed ſi non egeritur plus quam ingeritur, nulla fit Extenuatio : hoc ſi fiat, quia colliquefactum non expellitur, remanebit morboſus humor in corpore: ſi vero plus ingeritur corpus erit crudo onuſtum. Quando febris valida non extenuat.

IV. Secundum rationem eſſe, tantam fieri Extenuationem, quæ proportionata eſt febri, ex dictis colligi poteſt: interdum tamen hæc Extenuatio modum excedit, & propterea non dependet a ſola febris agitatione, ſed ab alia accedente cauſa. Hæc plerumque eſt Putredo vel Colliquatio, qua humores attenuati nimia copia excluduntur, ita ut pro magnitudine febris nimis Extenuetur, uti ſæpe obſervatur in febre Hectita & Colliquativa dicta, in qua cum exigua incandeſcentia febrili ſæpe ſumma obſervatur Extenuatio corporis. Cur febris nimiam extenuationem indicat.

V. Morbus ſolvitur actione vitali, ſi morbi materia ſubacta evacuationi adaptata, tandem viribus vitæ e corpore eliminatur : ſi vero illa materies non expellitur, uti in minori Extenuatione demonſtravimus, vel quando interim oneratur multo crudo, finis morbi ſecundum rationem non poteſt deſinere, quare vel protrahitur idem morbus, vel Morbi longitudo ex minori extenuatione.

recidivat, vel in novum alium morbum degenerat, prout nempe natura eſt materiæ retentæ, nunquam vero totus deſinit. Quare ex hac obſervatione practica non ſolum præſagirem longitudinem, ſed unum ex his tribus.

Cur nimia Extenuatio Infirmitatem præſagit.

VI. Nulla obſervatur cauſa citius exſtinguens vires corporis quam Colliquatio humorum, quando naturalis potentia inter partes noſtros liquores conſtituentes ita aufertur, ut vix cohæreant: igitur ſi per motum febrilem majorem exhauriantur vires, ut fit ab omni febre, atque inſuper per Colliquationem nova accedat debilitatis cauſa, nullus dubitare poteſt, quin major debeat generari Infirmitas. Has autem utraſque operari cauſas in nimia Extenuatione poſt febrem ſuperius comprobavimus.

LIB. II. APH. XXIX.

54. *INcipientibus morbis, ſi quid movendum videatur, move: vigentibus vero, quieſcere melius eſt.*

I.

Movendum quali ſenſu accipiatur.

OMnes fere Commentatores per *movendum* intelligunt Evacuare per vomitum, feceſſum, & ſanguinis miſſionem; verum frequenter verbum κινέω ſignificat omne id, quod exiſtimas faciendum eſſe quovis auxilio; interdum quoque concitare motum indicat. Vix videtur veriſimile Hipp: hoc loco voluiſſe *Evacuare*, nam de hac ſignificatione ſuperius egit (*Aph.* 22,) & de alvi ductione in Principiis (*Aph.* 24.) Quare in hoc loco examinaturi ſumus. (1) An movendum ſit, id eſt majorem motum faciendum, (2) An reliqua auxilia, inter quæ numerari poſſunt antidota, in principiis morborum ſint adhibenda.

II. Non

II. Non omnium morborum principia eodem modo tractanda, quum quævis cauſa ſuam propriam naturam ſervet, quare in hoc loco ſolummodo agere conſtituimus de Incipientibus febribus, quia Hipp: verſatur in curationis & ſignorum regulis in febribus tradendis. Juniorem Medicum ancipitem hærere, num in febrium principiis debeat antiphlogiſticis refrigerantibus temperare motum, num vero Alexipharmacis & Calefacientibus debeat intendere motum, nullus dubito; nam ſi inſpicio praxin hodiernam, tota fere in principiis febrium conſtat, nitroſis, diluentibus, ſuccis fructuum horæorum, acidis & aceſcentibus, junior medicus his imbutus ſi conſulit Veteres, inveniens Veteres ſæpe hoc tempore præſcribere Alexipharmaca calida, ſudorifera, ita incertus tamen praxin exercet; interdum ex doctrina comparata in ægro, qui alexipharmacis curandus erat, adhibet Refrigerantia, vel Veterun veſtigia premens, præpoſtere propnat interdum Alexipharmaca. Quod ſi noſtri Auctoris monitum fuiſſet ſecutus, non ita verſatus eſſet in ancipiti. Hic enim dicit *ſi quid movendum videatur move.* Vult itaque ut adtendat medicus, num motus major ſit faciendus in morbi principio nec ne; Si vero judicas movendum eſſe, move non cunctanter, ſed in principio. Ergo hoc loco præprimis examinandum venit, an non interdum in principio febris debeamus motum majorem facere. Nullus eſt, neque ex Hodiernis, neque Veteribus, quin credat, ſi morbi materia viribus vitæ ſit ſubigenda, tantum concitandum eſſe motum, qui valet eam materiam morbi ſubigere & expellere; hinc veteres alexipharmacis hunc motum augere conati ſunt, ut eo citius ſubigatur morboſa materies; quare adhuc multi in principiis variolarum alexipharmacis ſatagunt extrudere materiem varioloſam, non attendentes nimio motu omnem laudabilem coctionem inverti, materiemque cum ægri damno ante maturitatis tempus extrudi. Ea mala obſervantes neotrici, ſæpe ex nimio motu & calore ante legitimum tempus materiem extrudi, omni ope conati ſunt refrenare hunc motum refrigerantibus antephlogiſticis, præprimis cum obſer-

An major motus faciendus in principiis.

obſervent uſu horum ægros multo quietiores eſſe. Verum hac methodo ſæpe ita frenatur motus, ut ægri vires multitudine materiæ obrutæ exſtinguantur. Quid ergo ſentiendum de his ita oppoſitis curationibus, num olim & nunc non ſunt naturæ febrium eædem? an mutabitur rerum ordo, ſecundum Methodi medendi mutationes? Minime. Conſtans & perpetua eſt naturæ lex in morbis, ſed variatis opinionibus miſere agitatur. Interdum enim ſedatior motus, quam ad ſubactionem & expulſionem materiæ morbi requiritur, eſt concitandus; interdum effrenus motus, quia omnia perverteret & deſtrueret, eſt ſedandus. In hoc igitur caſu dicit Hipp: ſi obſervas motum non ſufficere, quod ex pulſu, calore corporis, & tinctura urinæ cognoſcimus, *move* in principio, ne vires a materiæ morbi opprimantur, & nimis diu protrahatur primum morbi ſtadium, aut relinquatur in viſceribus impacta morbi materia, quæ ad ambitum corporis erat pellenda. Si autem obſervas motum ſatis valere non egebit ſtimulo. Quare ſedulo attendendum in morbis, qui actione vitæ ſunt curandi; ut tantus concilietur motus, qui valet ſuperare, & temperetur, qui deſtrueret, ut ita moderato, id eſt paulo majore, quam qui fit in ſanitate, motu ſubigatur morbi cauſa.

Cut in vigore quieſcere melius eſt.

III. Si vero primum ſtadium percurrit febris, & ad vigorem venit, non tam tutum eſt movere ſecundum noſtrum Auctorem, nam dicit *Melius eſt quieſcere*, quare non abſolute præcipit, nunquam in vigore morbi movendum eſſe, ſed exiſtimat melius eſſe ſtatim in principio. Si a principio morbi ita valuerunt vires, ut morbus ad Vigorem pervenire potuerit, fere ſemper hoc tempore, plus mali exſpectandum ex nimio motu quam languente, Calor tunc & pulſus durus frequens, cum corporis ſiccitate urgere ſolent, tunc oleum non eſt addendum camino, quare ſatius eſt ſedare tunc illnm nimium motum, ne omnia invertat & deſtruat. Poſt hoc autem ſtadium, ſi vires languere incipit, corpuſque refrigerari, iterum erat tempus movendi, ſed de hoc tempore, alio loco dicetur.

IV. Si

IV. Si vero occurrit febris, quæ virtute medicamenti abigi poteſt, non quod medicamentum majorem aut minorem motum faciat, & ita curet, quia talis methodica curatio habetur pro curatione ipſius naturæ, ſed per auxilia, quæ vel eliminare valent e corpore morbi materiem, vel ita exſtinguere, ut priorem naturam exuant, ut fit ex permiſtione acidi cum alcali. Secundum noſtri Auctoris ſententiam hæc eſſent facienda in principiis. Hoc imitati ſunt multi & in Arte Medica Clariſſimi viri, exhibentes vomitorium, vel purgans, vel ſudoriferum, eo tempore, ut eorum maxima fieret operatio in incipientibus paroxyſmis, hæc pro arcanis ſæpe ſunt vendita vel celata, quaſi ſpecifica virtute infringerent materiem febrilem, dum tamen tota virtus in evacuatione erat locata. An vero in exhibitione Antidoti febris hoc quoque debeamus ſequi, non conſentiunt; in aliis autem Antidotis apud omnes valet, quo citius adhibentur, eo præſtantius, ne, ut ajunt, malum nimis altas egerit radices: febrifugum autem excipitur a multis, ex quo autem fundamento, non ſatis exponunt. Generalis obſervatio eſt, quo citius applicetur Antidotum, eo melius: debet eſſe igitur aliquid ſingulare in materia febrili, quod facit recedere ab hac regula generali. Si perſcrutemur venena & alias cauſas, quæ antidotis tolli poſſunt, fere omnes non patiuntur viribus vitæ ſubigi, ita venerea lues, hydrophobia, ergo quia in his nihil boni exſpectari poteſt cunctando, protinus ad antidota ſe conferunt Medici, ſed febrilis materia ſæpe ſine auxiliis a viribus vitæ ſubigitur, quare exſpectando abſolvitur pars curationis: verum Acrimonia acida quoque viribus vitæ ſubigitur, non tamen dubitamus protinus propinare acidi Antidotum. Quare non ſatis firma ſtat ſententia, num omnino eſſet illicitum protinus Antidoto abigere febrem, ſi pura ſit, nulluſque alius præterea in corpore morbus, qui motu febrili poſſet minui. Experientia dictum firmat, ſæpe enim fugata fuit febris Antidoto, ſine ulla remanente labe morboſa, in principiis propinato; ſed ſi febris corpus fecit ex ægritudine debile, ſæpe fugata

An in principiis antidota danda?

febre remanſit Cachexia vel Hydrops, qui morbi tunc perverſo uſui corticis peruviani adſcribuntur. Si vero receſſiſſet uſu ſalis Ammoniaci, Gentianæ, Centaurii minoris, Abſinthii, Cardui benedicti, Chamæmeli, vel antiquartii Riverii, aut cujuſvis novi inventi Antidoti, omnino careret periculo, ſolo autem Cortice ſubacta febris periculum inferret, quis credere poſſet?

LIB. II. APH. XXX.

55. *Circa principia & fines omnia ſunt debiliora. Circa vigores vero vehementiora.*

I.

HIppocratem in præcedente magis reſpexiſſe ad motum faciendum, vel alia auxilia adhibenda, quam ad evacuandum, hic Aph: declarat, qui veluti ætiologia eſt præcedentis: quaſi diceret Auctor, ſi ſcire vis, quando movendum eſt, id ex temporibus morbi poteſt peti, nam movendum eſt, ſi debilis eſt motus, ſed motus ſedandus eſt, quando nimis viget, quia motus debilior eſt circa principia & fines; his igitur temporibus movendum eſt, ſed nimius motus temperandus eſt in vigore. Tria tempora citantur, in quibus ſtatuit regulas, nempe Principium, vigorem, & finem: paucis videbimus, quid ſit ſentiendum de moventibus & motum ſedantibus in his temporibus.

Cur circa Principia omnia debiliora?

II. Quid per morbi Principium ſit intelligendum, ſuperius (*Aph.* 24, IV) expoſuimus: in hoc loco accipitur pro toto illo tempore, quod eſt ab inchoatione fere uſque ad ſummum vigorem, vel notabile incrementum ſymptomatum. Cur autem hoc tempore omnia ſint debiliora, non poteſt ex quantitate vel qualitate materiæ morbi deduci,

duci, ſed ab inſtigatis viribus vitæ. Concipiamus noxium hærere, quod irritando febrem excitat, hoc noxium hærens in corpore non augetur quantitate, ſed viribus vitæ, ſi mutabilis ſit, ſubigitur aliquomodo, quare dici non poteſt in morbis, qui ſanantur, circa vigorem deteriorem accepiſſe indolem, quum aliquomodo id noxium ſit ſubactum ſeu coctum, id eſt præparatum ad excretionem. Verum vis vitæ inſtigata a noxio, non ſtatim vehementiſſimum motum concitat, imo in invaſione febris utplurimum ſiſtitur, ut patet ex frigore, quo fere omnes febres incipiunt. Sed pergente irritatione ſenſim magis magiſque concitatur motus vitalis, ita ut in vigore ſit validiſſimus, tunc ſæpius corpus plus patitur ex eo motu aucto, quam ex ipſa morbi materia. Quod igitur circa principia omnia ſint Debiliora, non ita debet intelligi, ac ſi vellet Hipp: vires corporis circa principia ſunt Debiliores, ſed motus vitalis tantum non eſt inſtigatus ac in Vigore. Si ergo videas pro ratione morbi motum vitalem non ſatis increſcere, ſtimulus debet addi, ut legitimo tempore per motum vitalem majorem ſubigatur febris materia.

III. Lex eſt perpetua in motu vitali circulatorio, ut ſi pars quædam ſtimuletur, non protinus concitet magnum motum, ſed ſi continuetur ſtimulandi cauſa, ſenſim magis magiſque ille motus intendatur: tandem eouſque intenditur, ut ſi ſtimulandi cauſa non auferetur vel exſtingueretur, pars ea deſtrueretur vehementiſſimo illo motu, & fieret ſphacelus. Dum ad illum vigorem proritatus fuerit motus vitalis, morbi materia hac agitatione ſubigitur, atque ita vel tollitur vel mitigatur cauſa, ſi morbus tendat in ſalutem: nam niſi hoc fiat, pars ita agitata periret. Igitur circa tempus mutationis materiæ vehementiſſimus eſt motus vitalis: inde phænomena, quæ per hunc motum concitantur, hoc tempore, nempe in Vigore morbi, ſunt vehementiſſima, non quod morbi cauſa tunc maxima ſit, eſt enim tunc aliquomodo ſubacta, ſed quia per tam tamdiu motus vitalis fuerit inſtigatus.

Cur circa Vigorem vehementiora?

Cur circa fines debiliora?

IV. Poſt vigorem ſi homo convaleſcet, ſuperata eſt morbi cauſa, verum omnis materia non ita eſt ſubacta & expulſa, ut nullo modo natura ſtimulari poſſit, quare ex reſiduo ſed mitiore motus quoque vitalis ceſſare incipit. (2) Etiamſi omnis materia eſſet ablata, ſtatim non haberetur quies. Ut ſi ſpina ſit infixa carni, concitatur dolor & calor in tali parte ex irritato motu vitali, ſed ſi tollatur ſpina, ita ut nulla remaneat ſtimulandi cauſa, quemadmodum in ablata palea in oculo illapſa, quæ concitavit oculi inflammationem, per aliquot tempus, tamen continuatur nimius concitatus motus, ſed ſenſim miteſcet. (3) In morborum acutorum & febrium materia ſtimulante, quando totius corporis vires vitæ fuere inſtigatæ, poſt tam longum motum validiorem, incipiunt quoque deficere ſpiritus, quare ex defectu virium debet motus minui, ſeu ſymptomata minus valentia eſſe. Si vero ex hac ſola cauſa, defectu nempe ſpirituum, langueſcere incipit motus, ſymptomata videntur miteſcere & debiliora fieri, ſed fiunt maligna, id eſt periculoſa, ſed non vehementia. Si vero miteſcant defectu virium, unà cum ſtimuli ſubactione, ſæpe materia ita ſubacta, quæ viribus valentibus fuiſſet expulſa, in corpore retinetur, vel recidivam, vel novum morbum, vel mortem creat: opus eſt ergo hoc tempore inſtigare vires vitæ, ut ſubacta illa materies expellatur. Hinc eſt, quod in fine morborum acutorum, & circa finem, ſæpe debeamus dare calefacientia, vinoſa, ſpirituoſa, aromatica, ut moveamus, quæ in morbi vigore prohibentur, quia tunc magis veremur mala ex nimio concitato motu, quam ex multitudine vel malignitate materiæ morbi. Propterea aurea hæc eſt regula, quam præcipit in hoc Aph: Auctor, ſi conferatur ad præcedentem Aph: ut ſciamus, quieſcendum eſſe in Vigore, ſed ſæpe movendum eſſe in principiis & finibus morborum.

LIB. II. APH. XXXI.

56. *A Morbo belle comedenti, nihil proficere corpus, malum eſt.*

I.

HIc Aph: maxime convenit præcedenti (33, II) ubi exponitur, ſi quis poſt morbum multum comedens non roboretur, verum ibidem ut ſignum proponitur hæc ſententia, nam denotat, corpus uberiore alimento uti. In hoc autem loco non ſolum refertur ad robur virium, ſed ad quantitatem quoque humorum, quare hic videndum, cur ſit malum ſignum, ſi corpus non proficit, id eſt recuperat quantitatem, & ſanum colorem humorum, poſtquam a morbo præcedente fuit liberatum, & ſatis comedit.

Convaleſcentes belle comedentes quid ſignificat?

II. Quando morbus præſens vel ſponte vel arte ſublatus fuit, propterea non ſtatim perfecta recuperata eſt ſanitas, quia noſtrum corpus per morbum fatigatum, etiamſi omnis iſtius morbi materia fuerit ablata, ſtatim non ſuperavit eam debilitatem ex morbo natam, & emendavit mutationem humoribus inductam, ſed exigit aliquod temporis ſpatium, ut dicta emendet. Hoc non ſolum in morbis, ſed etiam in exercitiis ſanorum obſervatur, qui enim a laboribus deſiſtit, aliquamdiu tamen manet laſſus & fatigatus. Ut igitur reficiantur ea mala, quæ a morbo relicta ſunt, duo præprimis requiruntur. (1) Continuo ſunt toti corpori ſuppeditanda alimenta in primis viis præparata, quæ reficere poſſunt amiſſum. (2) Illa bona humoribus circulantibus tradita, ulteriori actione humorum & virium vitæ ſunt aſſimulanda, ut reſarciant id amiſſum. Non habemus certius criterium, ex quo conſtat, num alimenta recte in

primis viis præparentur, quam quod æger belle comedat, id eſt habeat famem ſatis valentem, & nullam moleſtiam ſentiat ex aſſumtis. Igitur belle comedere deſignat, primam coctionem laudabilem eſſe.

Nihil proficere cur malum?

III. Qui ita comedit, ſemperque bene elaboratum chylum adfert ſanguini, ex ratione videtur, tale corpus non ſolum ſenſim recuperaturum vires, ſed etiam reſtauraturum amiſſam quantitatem humorum & pinguedinis, ita ut ſanitatis ſplendor, quem per morbum præcedentem amiſerat, brevi recuperetur. Si vero ea bona non ſequantur, ſed manet corpus macilentum & exhauſtum aliquo lurido colore infectum, certiſſimum eſt eum laudabilem chylum, ſanguini traditum, non commutari in bonos humores: quare indicium eſt aliquid a morbo fuiſſe relictum, quod hanc laudabilem refectionem intercipit & invertit. Malum utique eſt videre ſigna indicantia in corpore latitare morboſum, quod bonum chylum corrumpit. Eſt etiam malum præſagium, nam quamdiu corpus non proficit, timor eſt, ne aliquis morbus ex latente cauſa ſit naſciturus. Operæ prætium eſt hic examinare cauſam, quæ facit, ut corpus nihil proficiat. Talis homo Convaleſcens ſatis magnam copiam alimentorum ingerit, & quia corpus non augetur mole, neceſſe eſt, ut quoque habeat magnam evacuationem. Duæ frequentiſſimæ hujus rei cauſæ inveniuntur in convaleſcentibus. Prima eſt tanta inducta imbecillitas virium in organis hæmatopoïeticis, ut non valeant bonum chylum traditum in ſanguinem alioſque noſtros ſanos humores convertere, ſed reddunt chyloſum & utile vel per urinam, quæ tunc plerumque eſt alba craſſa & copioſa, vel per alvum, quando dejectiones ſæpe obſervantur chyloſæ & ſolito copioſiores. Vidi ex hac cauſa miram faciem morborum eſſe natam, nam ſi ita diu manent valetudinarii, hoc crudum in acrimoniam ſenſim converſum plerumque aggreditur nervoſum ſtamen, quod debilitatum & hoc acre irritatum verſatiles ſæpe præbet dolores vel miras convulſiones ſæpe in partibus motui vitali deſtinatis. Altera eſt relicta in humoribus putredo, quæ recipiens bonum chylum, eum

in

in ſimilem convertit corruptelam, hinc urina copioſa & colorata, atque ſæpe ſpumoſa, interdum tenuis ſi omne chyloſum liquefactum fuit; interdum vero crudo ſedimento varii coloris ſaturata; imo ſæpe tota maſſa manet turbida, quando materia non ſatis fuit liquata. Qualis eſt urina, talis eſt lympha per vaſa lymphatica cutis & oculorum trajecta, nempe ſanorum lympha erat candida, & ſanguinis globuli rubri miſcelam roſei & ſplendidi coloris in cute producebant, nunc vero ex chylo & humoribus bonis, ſi adſunt, per corruptelam generatur flaveſcens corruptus liquor, atque pauci ſanguinis globuli rubri, unde naſcitur color ex pallido flaveſcens, ut eſt color cachecticorum, cum corporis extenuatione, qualis morbus vocatur a Medicis *phthiſis nervoſa*, qui, niſi ſuccurramus, hominem poſt longam infirmitatem tandem interimit. Non ſine ratione ergo pronunciavit noſter Auctor, malum eſſe non proficere corpus, tanquam ſignum latentis mali, & tanquam præſagium mali inſtantis, ſæpe enim noſter Auctor tales ſuo tempore obſervavit inde natos morbos, quales hodie in praxi quoque occurrunt.

LIB. II. APH. XXXII.

57. *UT plurimum omnes, qui male habent, circa principia quidem bene comedentes, & nihil proficientes, ad finem rurſus cibum non appetunt. Qui vero circa initia quidem cibum omnino non appetunt, poſtea autem bene appetunt, melius liberantur.*

I.

NOn conſentiunt Commentatores, quodnam morbi tempus hic ab Hipp: intelligitur, nempe Morbi initium, an vero initium Convaleſcentiæ, quod eſt tempus

Quodnam morbi tempus intelligendum?

pus (*Comp.* T. 53, xv) poſt finem morbi. Si autem reſpiciamus ad præcedentem Aph: voluit Hipp: initium Convaleſcentiæ: in qua quoque ſum ſententia. Verſatur enim Hipp: in diſcriptione appetentiæ Convaleſcentium, & affirmat, belle appetentes malum producere, ſi Convaleſcens inde nihil proficit. Nunc vult amplius illa mala exponere, nempe obſervavit in Convaleſcentibus valetudinariis, id eſt in omnibus, qui hoc tempore male habent, ad finem cibum non appetere, & inde morbum recidivaſſe, vel novum fuiſſe natum morbum. E contra obſervavit in initio Convaleſcentiæ, ægros vix cibum appetere, poſtea vero bene appetentes melius liberari. Quare hoc *Initium* non eſt morbi Convaleſcentiæ. Hanc mutationem appetentiæ, quæ maximi momenti eſt in utroque tempore, noſtris Commentariis explanare conabimur.

An Appetentia vel Inappetentia præſtantior?

II. Ut homo percipiat, num Alimenti defectus ſit in corpore, nobis innata eſt ſenſatio, quam famem vocamus, qua monemur corpus egere alimento, hæc igitur ſenſatio eſt naturalis, ſi defectu alimentorum excitatur: ſed ſi eodem tempore, dum corpus privatum eſt alimento, homo non percipit hanc ſenſationem, morboſa eſt cauſa naturalem perceptionem, ad vitam ſuſtentandam tam neceſſariam, intercipiens, vel exſtinguens. Ergo Inappetentia ſemper agnoſcit morboſam cauſam (vid: *Exercit:* III) nemo enim medicorum diceret, hominem alimentis ſaturum laborare Inappetentia. Verum appetentia poteſt eſſe naturalis & morboſa; ſi enim Defectus alimentorum famem excitat, naturalis eſt & ſemper laudabilis, quæ autem ex cauſis morboſis (*Aph.* 29, II) concitatur, mala eſt. Quia vero Inappetentia ſemper ex morbo, fames vero ex utriſque generari poteſt, generaliter debemus pronunciare, Appetentiam præſtantiorem eſſe Inappetentiâ, ſed quæ ex morboſa fit cauſa, interdum pejorem eſſe poſſe.

In Convaleſcentibus.

III. Qui Convaleſcentes bene appetunt, indicare cauſam appetitum exſtinguentem eſſe ablatam, organa chylopoïetica præparare ingeſta, ſuperius (*Aph.* 56, II) expoſuimus. Ergo fames in Convaleſcentibus ab hac cauſa eſt præſtantiſſima.

tiſſima. Poteſt autem fames in Convaleſcentibus duobus modis mala eſſe, nam quæ a morbo redit, quoniam acris quidam humor in ventriculum confluens alienam appetentiam excitat, malum poteſt eſſe ſignum, atque præbens occaſionem plura alimenta ingerendi in corpore ex morbo debili, poteſt novos producere morbos, atque vires vitæ multitudine ingeſtorum obruere. Quare Medicorum eſt in redeunte appetentia, num ex alimentorum defectu naturali redeat, perſcrutari, ne fami indulgeat, ſed tollat morboſam cauſam non naturalem famem excitantem; & cavere in fame naturali, ne nimium ingerat (*Aph.* 33, II). Bonum igitur eſt regulariter in Convaleſcentibus & fine morborum redire Appetentiam; ſed malum poteſt eſſe ſignum, ſi redeat ex morboſa cauſa (vid *Exercit.* 3, XLVIII.).

IV. Appetentiam in morbis tam malum eſſe ſignum, eamque remorari curationem, non ſolum apud vulgum, ſed, quod miror, multos medicos invaluit opinio, ut verear, vincere num valeam, rationibus hanc præpoſteram opinionem ſuperare. Qui enim, contendunt, laborat quartana febre, ſi habeat appetentiam, raro ſanabitur, hoc firmant multis experimentis. Exiſtimo tamen præſtantius eſſe in quartana & aliis morbis frui Appetentia, quam laborare inappetentia. Quippe ſuperius demonſtravimus, famem naturalem notare organa chylopoïetica valere, inappetentiam vero ſemper ex morboſa cauſa provenire: hoc ſi applicetur ad regulam judicandi generalem in morbis, qua conſtat, quo plures functiones recedunt a naturali ordine, eo majores vel plures eſſe morboſas cauſas, atque judicium ferendum eſſe ex magnitudine & multitudine cauſarum ad ſanationem & interitum vel periculum: quo enim cauſa morbi eſt major, & quo plures adſunt, eo periculoſior morbus, modo ſingulæ ſint æque valentes. Quia vero Inappetentia ſemper eſt ſignum cauſæ morbi, nunquam bonum præſagium præbere poteſt, ſed appetitus redeuns vel manens ex bona cauſa oriri poteſt, ergo tunc bonum eſt indicium. Poteſt tamen per accidens Inappetentia præſtantior eſſe in morbis. Verbi gratia, homo corripiatur morbo, manen- In morbis.

te appetentia, hinc plus ingerit alimentorum, quam hoc corpus ægrotans ſubigere poſſet: alius vero Inappetentia ſimul laborans, parum ingerit, poteſt homo famelicus ille ob majorem ingeſtionem in difficiliorem morbum incidere, quam ille qui Inappetentia laborat. Verum hic caſus non deſtruit regulam, quod enim fit per accidens, non derogat regulam generalem; ita optimum ſanitatis ſtatum per accidens valemus in deteriorem commutare. Ut ſi quis perfecte ſanus in aquam prolabens moritur, præſtantius fuiſſet ægrotare, quia in lecto decumbens ſpem habet ſanationis. Altera difficultas videtur majoris momenti: poteſt Appetitus ex majore cauſa morboſa generari, quam Inappetentia & inde periculoſior eſſe. Hoc fateor, ſed poteſt etiam ex minore cauſa morboſa generari; quare judicandum eſt in morboſa Fame & Inappetentia, quænam harum cauſarum ſit major, & inde, non vero ex ſola fame vel Inappetentia, ferendum eſt judicium.

Cur appetentes ut plurimum ad finem non appetunt?

V. Antequam hanc mirabilem obſervationem aggredimur, appetentes in principio Convaleſcentiæ utplurimum ad finem Inappetentia afficiuntur, ſtatus quæſtionis ad mentem Hippocratis bene capi debet. Hippocrates proponit morbi præcedentis finem, atque ita initium Convaleſcentiæ, quo tempore æger ſe *malè habet*, id eſt, liberatus quidem eſt a ſymptomatibus præcedentis morbi, ſed manet adhucdum admodum debilis, neque rediit naturalis corporis color, adeoque non ita ut antea eſt morbo preſſus, ſed tamen eſt valetudinarius, multum adhuc diſtans a perfecta ſanitate. In tali homine dicit, ſi appetitus vigeat & bene comedit, verum dein non reficitur corpus, plerumque, ergo non ſemper, ad finem rurſus non appetunt. Hanc veram eſſe ſententiam, experimentis & rationibus firmari poteſt. Talis Convaleſcens luctatur corpore debili & effœtis humoribus, ſi tamen viget chylificationis organum, bonum quidem præparat chylum, ſed is circulantibus effœtis & corruptis miſtus tandem quoque in ſimilem putrilaginem convertitur, aut plus ingerit fame monitus, quam ſanguificationis organum ſubigere valet, quod abundans in corrupte-

telam convertitur; denique vigens appetitus ex aliena cauſa in Convaleſcentibus, tam in primis quam reliquis viis corruptelam parit ex aſſumto nutrimento; in tribus his caſibus putrefactum tandem ad ventriculum quoque delatum omnem appetitum exſtinguit. Verum ſi ex bona cauſa Convaleſcens appetit, non nimis ingerit, & ſanguificationis organum non nimis debile, appetentia manebit, & talis æger brevi tempore recuperabit vires, naturalem corporis colorem & incrementum. Hinc plerumque ad finem veniens cibum non appetunt, ſed non ſemper, ut ex allegatis mutationibus conſtat.

Qui poſtea bene appetunt melius liberantur.

VI. Alimenta in duabus præprimis officinis ſunt elaboranda, antequam in bonos noſtros humores convertuntur, nempe in organo Chylopoietico & Hæmatopoietico. Si nullum ſit vitium in Convaleſcentibus relictum, quod impediret chyli commutationem in bonum ſanguinem, poteſt tamen talis homo ſanitatem recuperare, etiamſi in primis viis minus perfecta abſolvitur chyli confectio: nam ſæpe homines ceteroquin ſani vivunt, qui tamen longo tempore defectu coctionis ventriculi & Inappetentia laborarunt, quoniam vitium in primis viis productum, deinceps in circulante organo emendatur. At minore temporis intervallo reſtauratæ fuiſſent vires, ſi quoque organum chylificationis valuiſſet, quare multi medici ſtomachum habent pro ſcaturigine multorum morborum. Si vero ex ſignis conſtat, circulatorium organum valere, ſed Chylificationis debile eſſe, verum ſenſim ejus actionem roborari, certum eſt omne malum tandem ſuperatum iri. Hoc conſtat ex recenſitis ab Auctore ſignis, nam valens eſt organum circulatorium, ſi æger laborans inappetentia poſt morbum, ſenſim ad naturalem appetitum redeat. Si vero una cum Inappetentia non valeret Circulationis organum, appetitus ſenſim non rediret, quia mali & corrupti humores continuo ad ventriculum delati omnem appetentiam exſtinguerent.

Concluſio

VII. Ex his quæ diſputavimus non poteſt concludi, melius eſſe, ut æger Convaleſcens inappetentia laboret, quam ut vigeat appetitus, ut quidam ex dictis Hippocratis colli-

gere voluere, quia dicit melius liberantur, qui circa initia cibum omnino non appetunt, poſtea autem bene appetunt. Sed propterea melius liberantur, quia in iis, qui ſenſim appetitum amittunt, deſignatur, materiem morbi augeri, & vires vitæ debilitari. Verum quibus ſenſim redit appetitus ſignum eſt, morbum minui & vires augeri. Ergo ipſa appetentia eſt bonum ſemper ſignum, nam niſi rediret in eo, qui circa initia inappetentiâ laboravit, non facile liberaretur a morbo. Quare non ita in hoc Aph: attendendum ad Appetentiam vel Inappetentiam, ſed ad commutationem horum, tanquam ſigna indicantia augmentum vel decrementum malorum; melius enim eſt ut in initiis Convaieſcentiæ mala adſint ſigna, quæ ſenſim in meliora commutantur ut eſt appetitus poſt in appetentiam, quam quod poſt bona ſigna ſequantur mala, ut poſt naturalem famem ſi fiat inappetentia.

LIB. II. APH. XXXIII.

58. *IN omni morbo mente valere, & bene ſe habere ad ea, quæ offeruntur, bonum eſt: contrarium vero, malum.*

I.

Mens præbet ſigna in morbis.

EX omnibus partibus & actionibus in morbis non ſolum debet medicus petere indicia boni & mali, verum etiam ex mentis operationibus & affectionibus, adeo ut nihil relinquatur in toto homine, quin aliquid tribuat ad cognitionem & prædictionem formandam. Noſter itaque Auctor ex Mentis obſervatione generalem ſuggerit in morbis regulam. (1) Bonum eſſe in quovis morbo mente valere, contrarium vero malum. (2) Bonum, mentem ſe bene habere ad ea, quæ offeruntur, ſed contrarium, malum.

II. Experimur omnes etiam ſani Mentem omni tempore non æque valere, uno tempore conceptus formatur facilius quam alio tempore, atque ſæpe cum corporis debilitate mentis actiones debilitantus. Non tamen cum omni virium imbecillitate minuitur mentis actio in ratiocinando, reminiſcendo, & percipiendo, quia non omnia corporis vitia æquali modo menti conſentiunt. Mens tunc dicitur in nobis valere, ſi ſit promta in ſenſibus internis exercendis; non facile turbatur per ſenſus externos; neque aliena imaginetur in ſenſibus internis, neque alio modo percipit per organa ſentientia, quam naturalis fit per res externas perceptio. Igitur ſi in morbis ita valet mens, indicium eſt, ſtamen nervoſum, & Cerebrum non agitari a vigente morbo, atque ſufficientem eſſe in corpore ſpirituum copiam atque æquabilem fluxum. Ergo pars ſane princeps eſt illibata in noſtro corpore, quia his partibus affectis mens non manet valida, aut debilitatur, aut aberrat, vel non percipit, ut ſi æger non ſentiat Dolorem (*Aph.* 31, v). Quæ omnia mala præbent indicia, quoniam numero majore functionum depravatarum deducimus morbi magnitudinem & periculum, atque ex paucis mutatis ſalutem.

Mentem valere in morbis, bonum

III. Quid ſit intelligendum per *Mentem ſe bene habere ad ea, quæ offeruntur*, non tam liquide conſtat, & niſi planius exponatur, nullam in obſervationibus morborum præbebit utilitatem, res enim non verba ſunt in ægrotantibus obſervanda, quod ſi nullus intelligat rem his verbis deſignatam, ipſa verba nihil valebunt. Offeruntur autem ægro alimenta & medicamenta, mens debet ſe bene habere ad ea. At ſe bene habet, ſi in alimentis eundem ſaporem, & odorem percipit, ut antea dum erat ſanus, ſi eadem quoque expetit, ſeu habet appetentiam: verum ſi alienum odorem, vel ſaporem in iis percipit, aut ſi ad adſpectum corripiatur faſtidio, mens ſe bene non habet ad alimenta, quæ offeruntur, & hoc erit malum ſignum. Nam alienati in nobis humores, alienum odorem & ſaporem, dum capimus cibum, præbent, quando non accuſant ægri humores corruptos, ſed oblata alimenta, quia neſciunt iſtos odores

Mentem ſe bene habere ad ea quæ offeruntur bonum.

& ſapores alienos ex cauſa in nobis latente generari. Igitur bonum eſt, mentem ſe bene habere ad ea, quæ offeruntur, quia deſignatur alienis humoribus non affici organa ſentientia; ſed malum eſt indicium ſi mens ſe bene non habet, quoniam corruptorum vel alienatorum humorum præſentiam declarat. In medicamentis quoque hoc obſervari poteſt, ſi enim æger ab omnibus medicamentis abhorret, vix valet medicus quidquam præſtare: ſi vero præter conſuetudinem abhorret, idem eſt de medicamentis ſentiendum, quod de alimentis monuimus.

LIB. II. APH. XXXIV.

59. *IN morbis minus periclitantur, quorum naturæ, & ætati, & habitui, & tempori magis ſimilis fuerit morbus, quam in quibus horum nulli fuerit ſimilis.*

I.

Senſus. SI duo ſunt homines ſimili morbo laborantes, & iiſdem atque æque gravibus ſymptomatibus preſſi, de his præcipit, cui naturæ, aut ætati, aut habitui, aut tempori non reſpondet talis morbus, propterea ille verſatur in majore periculo, nondum tamen vult difficilius curari poſſe & diutius durare, quare in hoc loco ſolummodo attendit ad periculum. Fundamentum omnium ponitur in magnitudine cauſæ, quia ad ſimilem morbum producendum in contrariis his major debet eſſe morbi cauſa, quam in alio homine, cujus naturæ &c: Morbus eſt ſimilis. Hanc comparationem perſequemur in ſingulis.

Periculum ex diſſimilitudine naturæ. II. Per naturam hoc loco intelligit Hipp: Temperiem humidam, ſiccam, calidam, frigidam, bilioſam &c: Senſus igitur

igitur eſt morbus frigidus in frigida temperie eſt minus periculoſus quam in temperie calida, quoniam ex minima cauſa frigiditatem inferente generari poteſt talis morbus; verum magna requireretur cauſa, quæ potuiſſet in calido temperamento producere morbum frigidum. Ut ſi homo temperamenti frigidi & humidi corripiatur febre ardente æquali calore vexante, ac in homine temperamenti calidi, certe prior in majore verſaretur periculo. Si enim hydropicus febre calida corripitur plerumque moritur.

III. Certis ætatis temporibus quidam fiunt morbi, qui in reliqua ætate rarius obſervantur, ut Variolæ & Convulſiones pueris frequentiora; juvenibus Hæmorrhagiæ; ſenibus morbi Cattarrhoſi & Pituitoſi: hi morbi ſi conſpiciuntur in alia ætate propterea cenſentur periculoſiores. Si enim æqualis numerus adultorum vel ſenum laboraret variolis, quam eſt numerus puerorum, pauciores pueri e variolis perirent, quare adulti ſemper ita timent ſi variolis corripiantur, dum vero idem morbus cenſeatur levis ſeu non admodum periculoſus in pueris: atque Epilepſia puerorum ſæpe fit & rarius interimit; in adultis autem raro, ſed periculoſior Convulſio. In Juvenibus frequens fit hæmorrhagia ſed non periculoſa; in ſenibus autem ſemper periculoſior obſervatur, quia ſenes non facile valent amiſſum ſanguinem reſtaurare, & non niſi ex valida cauſa in hæmorrhagiam incidunt. Obſtare tamen videtur Hæmoptoën Juvenibus periculoſiorem eſſe, quam adultioribus; hoc autem fit per accidens, quia juvenis in hæmorrhagiam pronus, iterata hæmoptoë tandem pulmonis ulcus contrahit, ſed in reliquis ſpeciebus non eſt majus periculum. morbus Catharroſus & Pituitoſus ſæpe corripit ſenem & diu durare ſolet, verum ille morbus æque gravis in Juvene majoris eſſet periculi. Quare generaliter hæc obſervatio poteſt admitti, interdum tamen contrarium experimur in quibuſdam. Ex diſſimilitudine ætatis.

IV. Ad Habitum corporis referre poſſumus Gracile, Obeſum, Robuſtum & Debile corpus. Si corpus Gracile verbi Ex diſſimilitudine Habitus.

verbi gratia corripitur hydrope vel œdemate, ille morbus periculoſior erit, quam ſi in corpore obeſo pedes tument; ſi vero obeſus admodum extenuatur per phthiſin nervoſam, illa extenuatio majoris erit periculi, quam ſimilis extenuatio in homine gracili. Ita virium Debilitas in fœminis & qui ex natura ſunt debiles, ſed ſi homo robuſtus ita debilitatur, ut non plus valeat quam fœmina imbecilla, certe majus periculum erit in Viro, quam fœmina.

Ex Diſſimilitudine Temporis.

V. Hoc etiam in anni Temporibus obſervatur, ſi quis hyeme corripitur febre ardente, aut æſtate affligitur tanto tumore hydropico ac inverſis iſtis temporibus, majus periculum ſubeſſet. Qui autem autumno corripitur febre quartana, illa erit periculoſior & obſtinatius reſiſtens, quam ſi aggreditur vernali tempore. Quare hæc regula non tam univerſalis eſt admittenda, ut nullam patiatur exceptionem; interim tamen ad generalem prognoſin ſtatuendam multum valet, ut ex allatis exemplis conſtat.

LIB. II. APH. XXXV.

60. *IN omnibus morbis, quæ partes ad umbilicum & imum ventrem ſunt, craſſitudinem habere, melius eſt. Valdè autem tenues & eliquatas ipſas habere, malum. Periculoſum vero illud eſt, etiam ad infernas purgationes.*

I.

NUlla eſt in noſtro corpore pars externa, quin poſſit ſua præbere indicia in morbis, ſed quia ſimilia phænomena in partibus variis non ſuppeditant eadem

eadem indicia, cum ſubjacentia viſcera in ſuo uſu maxime differant, inde ſi quadam in parte obſervantur phænomena, ex Anatomicis ſciendum eſt, quænam viſcera tali ſub parte externe detecta jaceant: atque inde in quadam parte latiſſima ſubdiviſio eſt facienda, ut finitis nominibus ſemper aliquam portionem iſtius partis latiſſimæ indicemus, & nunquam aliam.

Umbilicalis regio.

II. Duas aſſignat partes Auctor nempe ad Umbilicum & Imum ventrem. Cicatrix funiculi umbilicalis fœtus, quæ numquam cum ætate eluitur, ſed ſemper viſibilem foveam circa centrum abdominis relinquens ita omnibus nota eſt, ut non indigeat loci indicatione, verum medici ambitum circularem ad tres vel quatuor pollices ab umbilico illo vocant Regionem Umbilicalem. Pars ſupra regionem umbilicalem uſque ad pectus, media inter hypochondria vocatur Præcordia, quia ſubtus hæret os ventriculi ſuperius, quod Cardian vocant. Partes autem ab utroque latere regionis umbilicalis dicuntur mollitudo laterum. Sed pars inferior a regione umbicali ad pubem Hipp: ἤτρου vocat, Latinis Sumen & Aqualiculus audit. Omnes autem hæ partes ſimul uno nomine dicuntur Abdomen.

Sumen

Regionis umbilicalis & ſuminis contenta.

III. Quia ſcopus eſt per ſigna externa ſtatum viſcerum latentium rimari, non eſſet opus morbos externos in integumentis communibus vel muſculis abdominis exagitare, aut qui ad peritonæum pertinent. Sub Regione umbilicali hærent Tenuia inteſtina atque Omentum, poſſumus igitur ex indiciis circa regionem umbilicalem dignoſcere, num partes magis minuſve tumeant. In Sumine hærent etiam Inteſtina tenuia, & interdum Omentum; veſica autem urinaria ultra modum extenſa hoc quoque in loco hærere poteſt, ſed tunc illa ſigna potius ad pudenda referuntur. At Uterus in gravidis multa quoque ſigna in his locis præbere poteſt. Hipp: autem cum dicat in omnibus morbis, gravidarum obſervationes in his locis non vult proferre. Quare quæ ſigna hic traduntur, ſolummodo adducuntur ad cognitionem Omenti & Inteſtinorum tenuium.

Craſſitudinem habere, melius eſt.

IV. Nihil melius eſt in morbis, quam ut partes naturalem magnitudinem ſervent, niſi quod pro ratione morbi corpus ſimul aliquomodo extenuetur (vid. *Aph.* 53) quod etiam de his partibus intelligendum eſt, quare hic Aphoriſmus præcedenti obſtare videtur: verum in hoc loco adſtruit, utrumque malum eſſe ultra modum Craſſitudinem & Extenuationem in his partibus obſervare, at melius eſſe ex his ſi adſit Craſſitudo quam Eliquatio. Craſſitudinem in Regione umbilicali & Sumine ex iis, quæ diſputavimus, conſtat, provenire a mole aucta Omenti, Inteſtinorum tenuium, Meſenterii, vel impletione quadam in cavo ventris: talis fit impletio ex Pituita, vel Lympha, aut Crudis collectis in inteſtinis. Omnes autem illi morbi non ſunt curatu admodum difficiles, quoniam reſolventibus & evacuantibus facile minuitur talis tumor.

Tenuia & eliquata, Pejus.

V. Si vero pinguedo fuerit conſumta Omenti, Meſenterii & Inteſtinorum, quando anterior pars admodum gracileſcit, ſignum igitur eſt morbum abire in putredinem, qua liqueſcit omnis illa pinguedo; ille autem morbus eſt curatu admodum difficilis. Hæc comparatio reduci poteſt ad duplicem morbi exitum, vel in hydropem vel putredinem circa hanc partem, ſed quia collectio pituitæ facilius evacuari poteſt, & recuperatis viribus non facile redit; verum putredo difficile emendari poteſt, hæc obſervatio magni non ſolum momenti eſt ad prædicendum, ſed etiam ad formandam indicationem curativam, num debeamus uti evacuantibus & dein roborantibus, num vero antiſepticis ſit aggredienda curatio.

Vocant purgare.

VI. Senſus ex Hippocratis textu dubius eſt, num purgationes ad infernas partes periculoſæ ſint in Craſſitudine vel Extenuatione. Qui vero præcedentia a nobis propoſita perſpexit, huic nullum dubium remanere poteſt, quin ſenſus hic reſpiciat ad Tenues & Eliquatas partes, quia in laticis vel crudorum collectione conducit contenta ea evacuare; ſed ſi putrefacta purgantibus adgredimur, nimis, quam æger ferre poteſt, evacuabitur.

LIB. II. APH. XXXVI.

61. *Qui ſana habent corpora, pharmacis purgati cito exſolvuntur, ut & qui pravo utuntur cibo.*

I.

VIres in corpore ſano debilitantur, ſi boni humores, qui ſpiritibus materiem debebant ſuppeditare, auferantur e corpore; vel ſi ſuppeditetur humor ſpiritibus producendis ineptus: quia, ut corpus maneat robuſtum, requiritur ſufficiens bonorum ſpirituum influxus. Duas propterea cauſas adducit Auctor, nempe Purgans auferens bonum, & Cibum pravum aliena ſuppeditantem. Quia vero Purgans eſt in frequenti uſu ad præcavendos morbos in ſanis, & in Convaleſcentibus ut corpora ad perfectam ſanitatem reducantur, atque præveniatur recidiva, operæ pretium erit hanc ſententiam penitius perſcrutari.

Purgans cito exſolvit.

II. Purgantia præprimis Veterum validiſſima, magnam quantitatem liquorum per anum evacuare, omnibus conſtat: ſi ponamus hominem perfecte ſanum, is pauca continet in cavo inteſtinorum, quæ quotidie nomine dejectionis vel fæcum ejiciuntur; ſi tali in homine ſuſcitetur tam copioſa evacuatio per purgans, prima vice plerumque inteſtinorum contenta emittuntur, deinceps vero reliqui humores, qui in inteſtina confluére poſſunt: illi poſſunt eſſe boni & mali, verum quia ſupponitur corpus ſanum, ergo nullum habens in corpore vitioſum humorem, id, quod deinceps evacuat ex bonis humoribus, qui corporis actionibus inſervire debebant, detrahitur: quare corpus bono & utili humore privatum debilitatur.

An Purgans depurat?

III. Exiſtimant autem multi, corpora ſana multas tamen quiſquilias & impuros in corpore habere humores, qui per purgans ſunt deſpumandi & depurandi; hinc præcipiunt aliquoties alvum ducere conducere ad ſanitatem conſervandam, quare, niſi quis vernali tempore utatur potione majali purgante, æſtate non potuiſſet vivere ſanus. Nimis audax autem videbitur hanc abrogare laudabilem conſuetudinem, & tamen, ſi ſequimur noſtrum Auctorem, purgans in ſanis corporibus eſſet abrogandum, nam præcipit, corpora ſana purgante cito exſolvi, id eſt debilitari, aut in animi deliquium incidere, qualia mala producere non licet medico. Inſtare poſſunt, theoriam hodiernorum meliora docere, tunc temporis arcanum deſpumationis & depurationis non ſatis cognitum fuiſſe, veteres enim latuiſſe doctrinam chylificationis. At vero iſtud arcanum adhucdum latet, nulla fit in inteſtinis deſpumatio aut depuratio, qualem ſtatuunt; Inteſtina enim conſtituunt organum præparatorium, & qui humores in inteſtina confluunt, non ſunt inutiles excrementitii, ſed boni & agentes eò confluunt, ſaliva, ſuccus pancreaticus, & bilis, ut abſolvatur alimentorum concoctio & præparatio: quæ autem actione hac non poſſunt aſſimulari, tanquam inutilia poſtea rejiciuntur una cum humoribus iſtis, qui agendo inutiles fuere facti. Ergo inteſtina non ſunt organa, malos humores ex bonis ſeparantia, quando aliquod vitium hæret in maſſa circulante, organa enim liquorem ducentia, quæ annumerata ſunt, ſecernunt bonos & utiles humores. Nemo igitur ſtatuet, credo, ex dato purgante ita immutari naturam hepatis & pancreatis, ut nunc tantum non ſecernerent inutiles humores, & alias utiles: quare pro certo admitti poteſt in ſanis corporibus per purgantia educi bonos humores, qui debuiſſent in corpore manere; & propterea & experientia & effato Auctoris non eſt tutum corpora ſana valida purgante debilitare. Non tamen ſtatuo nunquam purgandum eſſe, imo vero ſæpe conducit, ſed hic ſolummodo cum Auctore noſtro corpora ſana a purgantibus debilitari, & hoc non conducere.

IV. Qui

Cibus prævus Exſolvit.

IV. Qui comedit Cibum nutritioni ineptum, vel qui ſolutus actione noſtri corporis alienum ſuppeditat humorem, corpus duobus modis debilitatur, primo quia non ſuppeditatur materia, ex qua boni ſpiritus poſſunt formari, & dein alienus humor circulantibus miſtus naturam ſpirituum atque aliorum quoque humorum invertit, quare tale corpus defectu bonorum laborat, ſed ſcatet crudis & alienis.

LIB. II. APH. XXXVII.

62. *QVi bene valent corpore, purgatu ſunt difficiles.*

I.

NOn omnes Interpretes verba φαρμακεύεσθαι ἐργώδεες, eodem modo exponunt, quidam enim interpretantur *Difficulter ferunt medicationes*, qui ſenſus magis conveniens eſt, ut infra conſtabit, quam ille, quem ſecutus ſum in Editione *ab Almeloveen.* Egerat enim Hipp: in præcedente de malis ex purgatione per alvum & pravo cibo in corpore ſano provenientibus: hanc nunc obſervationem applicare vult ad reliquas medicationes quaſcumque in ſanis corporibus, adſtruens *Corpora ſana Medicationes agrè & moleſte ferre.* Præcipuas itaque Medicationes in ſanis corporibus delibabimus, ut pateat, num multi bene agant in ſanitate conſervanda medicationibus uti, ut eſt Sanguinis miſſio, Alvi ductio, Diureticum, Sudoriferum, Diæta rigidiſſima.

Sanis an conveniat ſanguinis miſſio?

II. Quid ſit ſanitas alio loco (*Aph.* 3, 11.) Exponitur, ſolummodo reſpectiva ſanitas ad Medicationes ſequentes eſt proponenda. Reſpectu ſanguinis miſſionis id corpus eſt ſanum, in quo æquilibrium eſt inter ſanguinis quantitatem &

actiones moventes; quoties enim ſupponitur ſanguinis major abundantia, quæ tolli poteſt venæ ſectione, non ponitur caſus in corpore ſano, nam qui laborat æquilibrio deſtructo, non eſt ſanus. Quam primum vero detrahitur ſanguis, ipſa Medicatione deſtruitur æquilibrium, atqui æquilibrium deſtruere non conducit, ergo ſanguinis miſſio erat omittenda, ut ſervetur æquilibrium. Multi tamen contendunt, ſaluberrimum eſſe auxilium vere mittere ſanguinem; hoc etiam ex Hippocratis *Aph.* 3. conſtat, ubi præcipit *Horum igitur cauſa bonum habitum ſolvere confert haud eunctanter.* Ad eum autem locum obſervavimus, niſi Hipp: intelligat nimiam humorum abundantiam, ſanguinis evacuationem non conducere. Sed quia in hoc loco vetat omnem Medicationem in *Corpore ſano*, ſed *Aph.* 3. citat *Bonum habitum*, exiſtimo his verbis non eſſe eunden ſenſum adſcribendum, ſed Bonum habitum referendum eſſe ad plethoram, quando hic aphoriſmus non eſt oppoſitus alteri. Vere autem ſalubriter venam ſecari ad conſervandam ſanitatem conſtans eſt obſervatio, & tamen non obſtat huic ſententiæ; præcipit enim Auctor ſanis corporibus non conducere, ceteris in eodem ſtatu manentibus; ſi quis contendit vere ad ſanitatem conſervandam egregium eſſe auxilium, quia calor æſtivus ſequens tantam humoris copiam nequit ferre, veram habuit obſervationem, in qua aliquid mutatur ob quam mutationem, quam exſpecto, inſtituebatur ſanguinis diminutio. Si ſit licitum addere aliquam mutationem, ut inde probetur ſanguinis miſſionis abuſus, eligerem Autumnum, quando exſpecto frigus, tunc frigus ſuperveniens poſt venæ ſectionem multa mala induceret. Quare nulla tam ſalubris aut vix ulla damnoſa regula poteſt proferri, quin valeam per accidens facere exceptionem. V: G. Vulnus ſemper malum poteſt bonum eſſe, ſi fiat in homine plethorico, ut ita tollatur illa abundantia, quæ multa mala induxit, ſi homo per vulnus non evacuaverat illam abundantiam. Aut ſi vulnus aperuit abſceſſum latentem caſu. Verum tales exceptiones non derogant regulam generalem.

Alvi ductio. III. Quia ſuperius (*Aph.* 61, 11.) Demonſtravimus, Purgans

gans exſolvere corpus ſanum, ad ſanitatem conſervandam conducere nequit. Ratio erat, quia bonos humores educebat; forſan ipſi ſpiritus quoque eliminantur, quia invenimus in majore confluxu humorum ad ventriculum & inteſtina facilius fieri animi deliquium, quam ut poſſimus judicare, eam Debilitatem, Vertiginem, Scotomiam & Syncopen fieri poſſe ex diminuta quantitate totius maſſæ. Anatomici docent, ad inteſtina multo majorem copiam nervorum ferri, quam ad ſenſum & motum Inteſtinorum videtur requiri, alia enim pars corporis magis movenda & acutiori ſenſu prædita paucioribus gaudet Nervis; quare mihi verimile videtur, in ſtatu ſano ſpiritus per hos nervos allatos reduci vaſis lymphaticis meſenterii, & effuſos in cavum inteſtinorum, reſorberi vaſis lacteis, & ita tradi circulantibus, ut præbeant materiem novis ſpiritibus producendis. Verum ſi concitetur alvi fluxus per validum purgans, ut Veteres facere ſolebant, credibile eſt, iſtos effuſos ſpiritus e corpore eliminari, reliquos in inteſtina exonerari, ut ita hujus materiæ defectus generetur: atque quia verſus omnem partem ſtimulatam major copia ſpirituum derivatur, non erit ſine ratione credere, ad inteſtina purgante agitata, tantam copiam ſpirituum ferri, ut reliquæ partes iſtis privatæ langueant, unde dicta ſymptomata facile fieri poſſunt, quæ ſpirituum defectum arguunt. An tamen ſanis corporibus nunquam dandum purgans, cum multi medici ad præſervandos morbos ita extollant purgantia, & fere omnem curationem a Purgante inchoant? Imo vero Purgantia eodem modo ut Sanguinis miſſio prodeſſe poſſunt, aut quando inteſtina impuritatibus ſcatent. Verum prior caſus non facit exceptionem ut monuimus, & alter caſus eſt morbus, quare non derogat hanc regulam.

IV. Quæ adductæ ſunt rationes in Sanguinis miſſione, bonum humorem evacuari in Alvi ductione, inteſtina non eſſe organa depuratoria maſſam circulantem, eæ non poſſunt Renibus applicari, ſunt enim organa inutiles humores a tota maſſa ſecernentia & eliminantia e corpore, itaque quo perfectior fit ſeparatio, & ut loquuntur, deſpumatio, Diureticum

matio, eo perfectior ſanitas: imo addi poteſt, noſtrum corpus ſanum ſua actione ſemper generare inutiles humores; quare perfecta depuratio, quæ fit per Diuretica, nunquam damnum inferre poteſt, inde tutum videtur Diureticis uti ad Conſervandam ſanitatem. Qui ita libere cum indoctis ratiocinatur, nihil videretur opponi poſſe ad firmandam noſtri Auctoris ſententiam, qui Diuretica quoque interdicit. Videamus igitur, quid aſſumitur in hac ſententia. Adſtruunt, Diureticis perfectam fieri depurationem, qualis non fit in ſanis, ſed ſi corpus ſanum non ſecernit omne inutile, ut egeat adjutore, non eſt ſanum, ergo qui per Diuretica conſervant ſanitatem, non ratiocinantur de corpore ſano ſed ægrotante & debilitato, quod non valet omne inutile ſeparare & eliminare, ergo inde non conſtat ſanis conducere. Diuretica duplicia ſunt, quæ quantitate ingeſta copioſiorem urinam ſuppeditant, vel quæ ſua ſpeſpecifica virtute urinæ ſecretionem promovent. Aquæ tepidæ potum augere urinæ ſecretionem, nemo neſcit; verum corpus ſanum emittebat omne inutile per urinam, ergo poſt potionem plus evacuare nequit, niſi potio plura inutilia faciat, ſed hoc non conducit: neque ſtatui poteſt, nimia potatione aquæ corpus perfectiorem ſanitatem acquirere, cum perfecta erat, antequam ingerebatur aqua, verum contrarium eſt verendum, illa enim nimia potatio, ut omne nimium, morbum producet. Quæ ſpecifica virtute urinam fundunt, quia plus inutile non eſt in corpore, quam evacuatur in ſanis, ergo ipſum Diureticum plus educere nequit, ſed quod evacuatur, eſt ex utilibus humoribus. Huic tamen obſtare videtur, Renes ſolos humores inutiles ſegregare, utiles relinquere, ergo majore evacuatione ſolos inutiles evacuari. Veritatem profert hæc objectio, modo maneat ſanitas, Renes inutiles duntaxat ſecernere liquores, at renes inſtigati validioribus Diureticis, tam bonos, quam malos tranſmittunt liquores: forſan, ut monuimus de Inteſtinis ex magna copia nervorum, qui tribuuntur Renibus, multi quoque ſpiritus eliminantur, ſi fiat per Diuretica ad Renes major determinatio;

natio ; unde facile intelligimus, quamobrem ex Diureticorum abuſu naſcitur vertigo, temulentia, animi deliquium, & alii morbi defectum ſpirituum arguentes.

V. Quæ de Diureticis dicta ſunt, ad ſudorifera quoque applicari poſſunt. Accedit, quod Sudor ſemper ſit ex cauſa violenta (vid. *Perſp.* 180) & ſanis non neceſſarius, (vid *Perſp.* Cap. 15, 11.) Atque corpus ſanum ſatis largam Perſpirationem habet, quam ſi augeas Diaphoreticis, exſpectamus morbos ex Aucta Perſpiratione (vid. Perſp. Cap. 13. XIV. & *Perſp.* Cap. 3, VI.) Sudoriferum & Diaphoreticum.

VI. Quid ſentiendum ſit de Diæta rigidiſſima & jejunio in ſanis hominibus, quia ſupra (*Aph.* 4, V & *Aph.* 5, V.) egimus, non erit opus repetere. Diæta rigidiſſima.

LIB. II. APH. XXXVIII.

63. *Paulo deterior, & potus, & cibus, jucundior autem, eligendus potius, quam meliores quidem, ſed ingratiores.*

I.

DUo genera alimentorum hic proponit Auctor, quæ ſanis & ægris dari poſſunt, nempe grata & ſalubria, quænam vero ex his ſunt præferenda; an grata & minus ſalubria, (nam quæ omnino mala ſunt, & non ſunt eſui, hic non accipiuntur); vel ingrata & ſalubriora, hic etiam nolit talia, quæ propter ingratum ſaporem vel odorem ſunt abominabilia. Concludit Iucundiora eligenda eſſe, etiamſi ſint paulo deteriora. Ergo antequam hæc concluſio vel probari vel refutari poteſt, examinandum venit, quo ſenſu Deteriora & Meliora, atque jucundiora & Ingratiora ſunt capienda.

Deteriora & meliora alimenta.

II. Cibus & potus melior & deterior dicitur vel per experientiam vel ex ratione aut potius opinione Si ſit aliquod genus alimenti, quod omnibus fere hominibus ſanis male cedit, ut aggravet ventriculum, febriculam, anxietatem, cardialgiam & ſimilia producit. Alterum genus eſt quod nullam moleſtiam hominibus ſanis infert, ſed quod medici tamen exiſtimant pravi nutrimenti eſſe, ut ſunt quædam genera avium, piſcium, quadrupedum, quæ deteriora a multis cenſentur. Idem quoque in Ægrotis, quædam alimenta, ut pinguia, ſale & fumo condita, quæ dum comeduntur, morbum aggravant; alia vero facile ſubiguntur ut tenuia, macra, ptiſana. Sed ex medicorum ſententia interdum fructus horæi, farinoſa, flatulenta inter deteriora numerantur; unus laudat multam potationem, vel aquæ, vel vini, vel cereviſiæ vel decocti alicujus; alter vero imperat abſtinentiam. Quare communi conſenſu inter Medicos non conſtat, quænam ſemper ſint Meliora aut Deteriora; atque quod in uno morbo eſt optimum, in altero eſt peſſimum, ut medicus habita ratione morbi judicare deinceps debeat, quid ſit melius & deterius.

Jucunda & Ingrata.

III. Quod alimenta ſint grata vel Ingrata, id a perceptione aſſumentium dependet, quæ his ſunt ſuavia, aliis ſunt abominabilia, imo in eodem homine ætate diverſa obſervatur diverſitas, Dulcia enim pueris, amara adultis magis placent; & gravidæ ſæpe quædam ſummo deſiderio appetunt, quæ poſtea faſtidiunt. Ægri etiam ſæpe fiunt fiticuloſi, qui antea moderata copia potionis erant contenti. Si obſervamus animalia, hæc norunt varia genera alimentorum eligere, & reliqua repudiare, inſtinctu naturali inſtigata: nos autem ratione magis ducti vix obtemperamus inſtinctui naturali, ſed ducimur ratione, ut comedamus quæ ex ratione cenſentur grata, quaſi in nobis nullus eſſet naturalis inſtinctus. Experimur tamen nos ea perceptione non omnino privatos eſſe, ſed minus vigere quam in animalibus. Qui enim aſſumit, quæ ipſi ſunt grata, ea facilius ferunt quam ingrata, quamvis in ceteris hominibus conſtat, illa huic homini ingrata facilioris eſſe concoctionis;

po-

poteſt ergo gratum & ingratum aliquid facere ad faciliorem & difficiliorem digeſtionem.

IV. Si nunc comparamus jucunda cum melioribus alimentis, facile erit dejudicare, quænam generaliter ſunt præferenda. Jucunda habent inſtinctum naturalem, ſeu aliquod deſiderium in aſſumente, quam ob rem ſunt grata, hoc deſiderium valet, etiamſi alimentum ſit concoctu difficile, ut tamen in tali homine bene cedat. Meliora autem talia non ſunt omni tempore & in quovis morbo, vinum conducit ſeni, non vero juveni, aquæ potus egregium auxilium in ardentibus, & hydropem auget; cibus durior conducit robuſtis, ſed mollior debilibus. Ergo ex ratione noſtra debemus judicare, quænam ſint meliora. Verum noſtrum ratiocinium quia non valet omnia minutiſſima perpendere & ſemper meliora eligere, itaque tutius erit cedere deſiderio aſſumentis, & non tam obſtinate ægris reſiſtere, ſi hoc vel iſtud genus vel potionis appetant avidiſſime. Sed quemadmodum fit in nimium eſurientibus & ſitientibus, qui ex nimia ingeſtione læduntur, modus eſt ſervandus.

An Jucunda melioribus præſtantiora?

V. Quæ diſputavimus de jucundis & melioribus, ſine multa mutatione ad hanc quæſtionem ſolvendam facile applicari poſſunt, quare ulteriore ſermone hanc quæſtionem non perſequar. Hipp: igitur in hoc Aph: non parum perſtringit iſtos, qui ſemper ex ratione, ſive ſit vera ſive falſa, certum genus cibi & potionis ægris imperant, nolentes nunquam vel minimam licentiam in victu decumbentibus concedere, quare ſæpe audiunt medicè vivere peſſime vivere. Etiamſi experiantur, ægros contra opinionem medicorum aſſumſiſſe cibum vel potum, in quem ſummo deſiderio flagrabant, ſanitatem recuperaſſe iiſdem, tamen non deſiſtunt obnixe in aliis ægris ſemel ſuſceptam opinionem tueri. Qui vero Hippocratica medicina inſtructus eſt, didicit temperatius cum ægris agere, ſæpe concedere ægris grata, etiamſi ex ratione minus ſalubria videantur.

An Ingrata deteriobus magis noxia?

LIB. II. APH. XXXIX.

64. *SEnes ut plurimum quidem juvenibus minus ægrotant. Quicumque vero ipſis morbi fiunt diuturni, plerumque commoriuntur.*

I.

Senum & juvenum ætas.

NOn ſemper idem tempus ætatis vocabulo Senectutis & juventutis apud medicos intelligitur, terminos ætatis, ut hic fit per ſenectutem & juventutem exprimunt, non intelligunt finitum ætatis tempus, quod ſenectuti adſcribitur, ſed a 40 anno ætatis, donec corpus ex decrepita ſenectute langueſcere incipit, inde in ſequente Aph: aſſignat valde ſenes. Per Juvenes omne ſpatium vitæ a perfecto incremento corporis ad dictum tempus ætatis intelligit; ergoquæſtio ita poteſt poni, an homines intra 20 & 40 ætatis annum frequentius ægrotant, quam inter 40 & 60 annum ætatis.

II. Num Hipp: in hoc loco intelligat omnes morbos, an vero ſolos acutos, quia poſtea aſſignat in ſenibus Morbos Diuturnos, non conſentiunt Commentatores. Videtur autem mihi, Hipp: omnes intelligere morbos tam Chronicos quam Acutos, quia paſſim, ſi vult intelligendos acutos morbos, ſcribit in Acutis. Voluit autem in hoc loco comparationem omnium morborum facere ex ætate, ſed inſuper adjungere, quod ſi ſeniores morbo Diuturno corripiantur, plerumque iſtas perdurare uſque ad mortem. Quæ ſententia ſeorſim eſt exponenda.

An juvenes frequentius quam ſenes ægrotent?

III. Qui exiſtimat experientia probari poſſe plures juvenes ægrotare quam ſenes, facile falletur, ſi calculum faciat ex numero ægrotantium vel in propria praxi vel in obſervatoribus, qui ætatis tempus, ut fere ſemper fit, adjecerunt.

Com-

Communi illo calculo multo plures ægrotabunt inter 20 & 40 ætatis annum, quam inter 40 & 60. Sed inde non conſtat, juvenes utplurimum frequentius ægrotare, nam numerus hominum viventium inter 20 & 40 annum ætatis eſt multo major quam inter 40 & 60. Nullus enim poteſt attingere 60 annum, quin antea fuerit juvenis, ſed non omnes juvenes fiunt ſenes, quare ſenum numerus ſemper minor. Si igitur multos juvenes comparo ad pauciores ſenes, equidem in majore illo numero frequentiores obſervari poſſunt morbi, quare legitimus non deducitur calculus. An vero Hipp: dicto modo per obſervationes generales hanc comparationem deduxerit, aſſerere non poſſum. Sed ſi comparatio eſſet facienda, idem numerus juvenum & ſenum eſſet ponendus, quod haud facile fieri poteſt, niſi quis utriuſque ætatis certum numerum perſonarum ſeligeret, in quibus poſt decurſum viginti annorum obſervaret, in quo numero plures fuere obſervati morbi: atque tunc ex unica hac obſervatione non potuiſſet generalis deduci regula. Aliam propterea Auctores ingreſſi ſunt viam, refugerunt nempe ad continentiam ſenum, & intemperantiam juvenum, vel alias abſtruſiores cauſas, ſanguinem ſcilicet in ſenibus eſſe craſſum & frigidum, non facile corruptioni obnoxium; in juvenibus vero ſanguinem eſſe acriorem, volatiliorem, facile fermentantem & putreſcentem eſſe, & inde frequentiores generari morbos. Sed qui ex hypotheſi futili, ut ſunt adductæ rationes, ratiocinatur, ſtabilem regulam formare nequit. Si hujus regulæ tradenda ſit ratio, aſſignata cauſa debet vera eſſe et conſtans. A 20 ad 40 annum adeſt ſummus corporis vigor majorque copia humorum generatur, quam requiritur ad ſolam corporis nutritionem, quod in fæminis clare patet, & in viris hæmorrhagiis obnoxiis, qui ſanguinis evacuationem cum euphoria tolerant, poſt iſtud autem tempus ætatis ſenſim magis debilitantur, venere aliiſque debilitantibus evacuationibus, ut in fæminis lactatio, minus delaſſantur, quam poſt 40 annum per eaſdem evacuationes, quia corpus valens in juvenibus hanc evacuationem ſupplere poteſt. In ſenibus autem

tem ante 60 annum vis vitæ non ita eſt debilitata, quin poſſit tantum ſuppeditare, quantum ad corporis ſuſtentationem requiritur, & tamen non eſt verendum ex abundantia vel nimio motu tantum, quantum in juvenibus. Ex ratione eſt, corpora quæ fovent cauſas, facile producentes morbum, multo frequentius in morbos incidere, quam alia, quæ a ſola cauſa accedente affici poſſunt. Senes autem ratione virium agentium & quantitatis humorum non fovent morboſam cauſam, in dicta enim ætate corpus adhuc ſatis valet ſuos præparare humores, partes firmæ ſatis cohærentes ſunt, ut non facile a paulo majore motu diſſolvantur, Decrepita autem ſenectus, quæ hic non intelligitur, defectu actionis, & calloſitate firmarum partium laborare incipit. Juvenes autem, quibus eſt maximus vigor movens, ſolidæ partes ad majorem impetum ferendum ineptæ, ſanguinis nimia abundantia: his igitur vel ex abundantia facile deſtruitur æquilibrum, ex minimo ſtimulo ingens & morboſus motus, ex paulo majore impetu facilior vaſorum ruptio, quæ in ſenibus non obſervantur, neque inveniuntur in dicta ætate cauſæ aliæ internæ ad morbum diſponentes. Ergo juvenes morbis magis obnoxii, quam ſenes. Si his addatur intemperantia juvenum frequens, & continentia ſenum, non erit mirandum, ſenes utplurimum minus ægrotare.

Senum diuturni morbi cur ad mortem durare ſoleant?

IV. Omnes morbi diu durantes vel habent cauſam inſuperabilem viribus vitæ, vel ſi cauſa fuiſſet ſuperabilis, tantam induxerunt debilitatem, ut ſenum corpus non valeat, niſi adferantur ſuppetiæ, eam cauſam ſuperare. Quod ſi talis cauſa cum debilitatis viribus fuiſſet in juvenibus, ſpes eſſet, ut increſcentibus viribus tandem potuiſſet ſuperari, verum quia in ſenibus raro tantum deinceps increſcunt vires, morbus ille ad mortem durare ſolet: niſi optima adhibita medicatione, vel minuatur morbi cauſa, vel augeantur vires, quod interdum quoque fieri poteſt, quare Hipp. adjecit *plerumque*.

LIB. II. APH. XL.

65. *Raucedines & gravedines in valde ſenibus non coquuntur.*

I.

QUoniam per ſenectutem non intelligunt medici idem ætatis tempus, ut monuimus (*Aph.* 64, 1) & in hoc loco dicit Auctor *Valde ſenes*, ergo neceſſe eſt ſecundum communem opinionem medicorum ſenectutem dividere, ut intelligamus, qualem ætatem Auctor hic intelligit. Dividunt ſenectutem in Crudam uſque ad annum LX, ut indicavimus, mediam ſtatuunt inter LX, & LXX. Decrepitam a LXX ad finem vitæ. Hic terminus vitæ in hoc loco indicatur per *valde ſenes*. Senectutis diviſio.

II. Aer pulmonibus receptus compreſſione pectoris ductus per contractam rimulam glottidis, ſonum format, qui eo eſt clarior, quo ſuperficies hujus rimæ eſt æqualior & membrana cartilagines rimæ glottidis formantes, tegens eſt magis tenſa. Si vero illa membrana nimis ſit laxata, tumens, multa humiditate obſeſſa, vel inæqualis, vel muco obducta, tranſactus aër obſcurum & interdum nullum ſonum edit. Hoc vitium in formando ſono vel voce vocatur *Raucitas*, quæ igitur ex multis cauſis generari ſolet. Raucedo quid ſit?

III. Si membrana veſtiens interna narium, ſinus frontales, maxillares, fauces, imo interna membrana laryngis multum muci ſecernit & colligit, ut inde impediatur libera reſpiratio præprimis per nares, cum ſenſu gravitatis & ſæpe frigiditatis circa has partes, talis affectio pituitoſa medicis dicitur *Gravedo*, quæ ex multis quoque cauſis generari poteſt, quod non eſt hujus loci exaptare. Gravedo quid ſit?

IV. In-

Cur ſenibus gravedo & Raucedo frequens?

IV. Inter frequentes cauſas Raucedinem & Gravedinem inducentes eſt materiæ pituitoſæ accumulatio in membrana putuitaria & quæ veſtit laryngem interne, quæ collectio fit major, ſi in dicta membrana motus vitalis ita langueat, ut ibidem delati humores ſoluti manere nequeant, ſed quieſcentes, debiliori motu vitali fibrarum in hac membrana non propulſi, ſponte inviſcantur: naturale igitur eſt ſenibus, in quibus vis vitæ languere incipit, ut fiant morbi ex deficiente motu vitali, qualis eſt morbus omnis pituitoſus. Obſervamus enim, morbos pituitoſos multo propterea frequentiores eſſe in ſenibus, quam in conſtante ætate. Non tamen neceſſe eſt, ut gravedo & Raucedo ſit in omni ſene, ſed quando motus vitalis in hac præprimis membrana languet, generantur hi morbi. Et quia facilius in ſenibus quam alia ætate, maxime in iis, qui ad decrepitam ſenectutem pervenerunt, quædam pars nimis debilitatur & relaxatur, hi morbi quoque frequentius valde ſenes aggrediuntur.

Cur in ſenibus non concoquuntur?

V. Per coctionem phlegmatis in Gravedine & Raucedine intelligebant veteres eam ſubactionem & mutationem, qua materia hæc aſſimulatur ſanis humoribus, nam valde ſenes ſatis copioſa phlegmata rejiciunt & tamen non ſanantur, quare voluerunt commutationem in humoribus talem, quæ non eget evacuatione. Verum in valde ſenibus vix poſſumus exſpectare tantum virium augmentum, ut præveniatur phlegmatis generatio, quare hi morbi plerumque concomitantur, niſi auxilio roborante aliquantulum roborentur illa corpora ſenilia. Hinc Hyſſopo, vino malvatico, hydromele vinoſo, zingibere aliiſque calefacientibus in ſenibus curantur illa phlegmata, quæ in alia ætate minus valent.

LIB. II. APH. XLI.

66. *Qui ſæpe & vehementer, abſque manifeſta cauſa, animo linquuntur, ex improviſo moriuntur.*

I.

AUctores practici quatuor ſpecies Animi deliquii deſcribunt, quæ omnes ſolo gradu differunt, & ſingulis præbent ſuum proprium nomen, quod non parum remoratur ſcientiam medicam, præprimis facile inducit medicum juniorem, ut credat, has quatuor ſpecies diſtinctos eſſe morbos. Hoc ſi fieret in omni morbo, infinitus haberetur morborum numerus. Ut autem B. L. intelligat in poſterum omnes has ſpecies, quas omnes vocabo animi Deliquium, ſciat, ſubitaneam & non diu durantem motus animalis aliquem defectum, cum minore ſenſuum perceptione ab auctoribus vocari *Eclyſin*. Si vero motus animalis magis langueat, ut vix ullus ſit, ſenſus fere omnis exſtinctus, pulſus admodum debilis, cum reſpiratione ſana vel minore, quæ omnia ſubito invadunt & non diu durant, quod in omnibus his ſpeciebus ſemper eſt obſervandum, *Leipothymiam* & *Leipopſychiam* vocant. Hic morbus gravior, ut æger omni ſenſu & motu animali privetur, & pulſus tam exilis fiat, ut vix percipi poſſit, corporis extrema frigeant, ſudorque frigidus exprimatur, cum reſpiratione admodum minuta, & interdum per tempus ſubſiſtente, dicitur *Syncope*. Tandem graviſſimus gradus ſtatuitur, ſi homo inſtar cadaveris jaceat omni motu animali & vitali, atque ſenſibus privatus, ſed tamen poſtea ad ſe redit: in his quia Anima videtur exſtincta, vocant *Apſychiam*; ſed ex abolito pulſu *Aſphyxiam*. Quoniam Hippocrates dicit, qui

Quid ſit animi deliquium?

Vehementer animo linquuntur, non poteſt primam ſpeciem intelligere, ſed ultimam vel penultimam.

Cur ex improviſo moriuntur?

II. Animi deliquium nomen habet ex citatis phænomenis, quare morbus ipſe non præbet futura indicia mortis, ſed illa petenda ſunt vel ex detecta cauſa hoc phænomenon producente, vel collectis ſignis, quæ cauſam abſconditam indicant; vel ex futuris effectibus, qui ex tali phænomeno provenire ſolent. Tria addit Hipp: criteria; (1) ut ſit vehemens; (2) ſæpe recurrens; (3) ſine manifeſta cauſa. Igitur nemo poteſt ex natura cauſæ prædictionem formare, ſi enim fieret ſyncope ex ſanguinis profluvio, Catarrho, paſſione hyſterica vel alio cognito morbo, potuiſſemus judicium deſumere ex natura morbi, ſed cauſa latet. Id tamen maximi momenti eſt, morbum in ſuo genere eſſe vehementem, & propterea periculum auget. Sæpe redit, habet ergo cauſam conſtantem, licet incognitam, quæ tandem vincere poteſt, hoc auget periculum. Et quia latet cauſa, difficultas curationis naſcitur, niſi enim poſſimus morbi cauſam eruere, incerta eſt curatio. Sufficeret in theoria dogmatica ex tribus his ſignis collectis cum Hipp:, pronunciare, tales homines tandem ex improviſo perituros, quia conſtante obſervatione practica hoc confirmatum eſt. Sed & alia eſt via prædictionis ex phænomenis, ſi perpendamus, quænam cauſa interna latens eſſe poſſit, quæ poteſt mortem ex improviſo inferre, & quæ habet tria hæc criteria. Si perpendo Phænomena, cauſa debet eſſe in organo motus vitalis vel animalis, primo aſpectu videtur organum motus animalis & ſenſuum magis affectum, quia ſubito exſolvuntur vires motus animalis, & ſenſus exſtinguuntur; ſed tunc perſiſteret pulſus & reſpiratio, uti in Apoplexia; Sed homo Syncope correptus fere privatur pulſu & reſpiratione, quæ phænomena non fiunt ex affecto organo animali, quin ſemper ſequatur mors, ut experimur in apoplecticis. Sed ſi alterum examinemus organum, vitale ſcilicet, cuncta liquebunt. Ut motus animalis & ſenſus exerceantur, perpetuus æquabilis ſpirituum fluxus requiritur per nervos his actionibus deſtinatos: ſed illi ut fluant continuo,

etiam

etiam ex allato ſanguine ſunt ſecernendi: quoties ſanguinis affluxus igitur ceſſat, ſubſiſtit etiam ſpirituum ſecretio & fluxus; ſi minor copia ſanguinis adducitur, tardius & minori copia fluunt ſpiritus, in priori caſu omnium ſenſuum privatio & virium exolutio, ut in Syncope; ſed in poſteriore caſu generatur levis Eclyſis. Cauſa igitur quærenda eſt in organo pellente ſanguinem ad Encephalon vel in ſanguine ipſo. In hoc organo vel ſanguine quærenda eſt cauſa dicta tria criteria ſuggerens & quæ valet ex improviſo mortem inferre. Si nunc perſcrutemur cadavera eorum, qui poſt vehementem ſyncopem fuere exſtincti, invenimus vel cor fuiſſe corroſum, putredine ſanioſa corruptum, aut ulceribus ſcatens; pericardium pure plenum vel conſumtum, vel undequaque cordi accretum; polypoſam concretionem in cordis ventriculis, auriculis, & ejus magnis vaſis. An vero omnes hæ cauſæ exhibeant caſum ab auctore noſtro propoſitum, paucis videbimus. Examinavi prægreſſa ſigna in iſtis & detexi, omnes ſine prophaſi poſt frequentem Leipothymiam vel ſyncopen periiſſe, præter iſtos, quibus inventus fuit polypus: & inter hos quidem ſine aliis cum alternata palpitatione periere. Quare credo non perinde eſſe, num in arteriis vel venis majoribus cordis polypus hæreat. Si ſit polypus in Aorta vel pulmonali arteria, cor ſanguine turgens vehementer ſimul palpitare debet, quare talis æger non perit ſine manifeſta cauſa, quoniam palpitatio etiamſi ſit phænomenon, inter cauſas a multis medicis cenſetur. Quibus antem polypus hæret in vena cava vel pulmonali impediens ſanguinis fluxum in cava cordis, ſola deficiente circulatione ſine palpitatione generare poteſt ſyncopen. Imo vero mihi veriſimilius videtur, ſi a præcedentibus cauſis morboſis frequens generetur animi deliquium, quod inde formetur polypus, qui tandem implens magna illa vaſa vel cava cordis, mortem ex improviſo inducit. In tam vehementi enim Eclyſi perfecta habetur ſanguinis ſtagnatio in cordis cavis & vaſis majoribus, & quia eſt ex ſanguinis natura, ſtagnantem in quadam cavitate, tam in, quam extra noſtrum corpus, concreſcere in

thrombum, credibile, inquam, mihi videtur, quod quamdiu homo patitur ſyncopen & ſanguis manet fluidus, reviviſcat, contractilitate remanente in vaſis, ducta ſufficiente ſanguinis quantitate ad encephalon: ſed ſi ſtagnans ita concrevit, ut contractilitate remanente poſt exſtinctum motum vitalem, ſanguis ad encephalon urgeri nequeat, æger ſyncope correptus ad ſe redire nequit. Etiamſi mihi nunc conſtaret, cordis comſumtione, pure in pericardio hærente, pericardii defectu aut coaleſcentiâ, allegatam ſpeciem animi deliquii eſſe natam, fateor, me tamen non poſſe ullis auxiliis prævenire mortem ex improviſo, quia nullum novi medicamen, quod his morbis mederi valet. Quare ex perſpecta cauſa coacti ſumus ſolam hanc prognoſin proponere cum Hippocrate. Removet autem omne dubium, quod ſemper reſtat in re incognita, an non interdum invenietur auxilium.

LIB. II. APH. XLII.

67. *SOlvere apoplexiam, vehementem quidem, impoſſibile: debilem vero non facile.*

I.

Definitio.

APræcedente morbo non multum diſtat Apoplexia, ſed pauciores functiones abolentur, quam in ſyncope: Apoplexia enim hodie vocatur a medicis ille morbus, qui ſubito invadit hominem, cum ſenſuum omnium internorum & externorum exſtinctione, atque laxa immobilitate omnium muſculorum motus animalis. Sed Reſpiratio vitalis & pulſus non eſt opus, ut aliquomodo mutentur: ſi vero pulſus ſimul debilitetur, Reſpiratio fiat ſtertoroſa & inæqualis cum ſpuma circa os, vehemens eſt Apoplexia, qualis hic ab Hipp: depingitur: ſed Debilis Apoplexia

plexia, quæ non multum mutat reſpirationem & pulſum.

Cur periculoſior ſyncope?

II. Obſervavit Hipp: & Praxi quotidiana firmatur, omnes fere ex Apoplexia perire, ſed homines ſæpe ſyncope corripi & convaleſcere: quare Medici hac obſervatione inſtructi non multum timent animi deliquium, ſed admodum verentur Apoplexiam. Si autem conſulamus ſymptomata in utriſque, ſyncope gravior eſt morbus, quam apoplexia, hæc enim relinquit reſpirationem & pulſum, illa autem utraſque has quoque actiones vitales pro tempore exſtinguit. Corruit igitur regula practica, nos periculum deducere ex multitudine functionum læſarum vel abolitarum. Revera ſi ſolummodo attendimus ad actiones læſas, regula illa pateretur exceptionem in Apoplexia ad animi deliquium: ſed tunc intelligimus, ſi fiat ab eadem cauſa aucta, vel pluribus cauſis accedentibus. Examinanda igitur in utriſque eſt cauſa læſas functiones inferens. In Apoplexia læſa eſt functio animalis, ex cujus læſione non eſt opus, ut mutetur functio vitalis. In animi deliquio læſa eſt functio vitalis impediens ſanguinis fluxum ad organum animale, quam ob rem etiam actiones Animales propter deficientem ſpirituum animalium fluxum ſubſiſtere debent. Cardo igitur rei verſatur in perſcrutatione naturæ harum functionum, ſi motus animales & ſenſus a morboſa cauſa, intacta functione vitali exſtingui & mutari poſſunt, ut actio vitalis, equidem apoplexia minus periculoſa eſſet, quam animi deliquium: ſed ſi actio vitalis ex minima cauſa poteſt ſiſti, ut ita ſimul ſiſtatur actio animalis, & actio animalis ſemper exigit cauſam vehementem, neceſſe erit apoplexiam periculoſiorem cenſere. Perſcrutemur igitur magnitudinem harum cauſarum. Tantam invenimus in Reſpiratione vitali & animali differentiam, ut quiſque valeat ſanus per reſpirationem animalem omni modo mutare reſpirationem vitalem, hoc inflando, ſorbendo, loquendo, cantando, quæ omnes actiones reſpiratione animali peraguntur, ita experimur, ut aliquis exiſtimaret, reſpirationem vitalem nullo modo obluctari his actionibus animalibus: quare cauſa faciens reſpirationem animalem validior, quam quæ vitalem facit. Hanc

quoque differentiam obſervamus inter motum animalem muſculorum & vitalem cordis & arteriarum. Quæ enim corpori applicantur vel ingeruntur, ut & morboſæ cauſæ circulationem mutantes ſæpe parvæ ſunt & vix perſcrutandæ: ſed ut oblu&tante voluntate in motu animali fiat motus convulſivus vel movendi impotentia, ſemper fatemur, majorem eſſe cauſam, quam ut motus vitalis a minimo ſtimulo applicato ab ordine ſuo recedat. Sed illi motus animales, qui motu vitali agitato auxiliantur, per conſenſum hunc facile quoque & a levi cauſa mutari poſſunt, ut in tuſſi, ſternutamento, vomitu; non quod ipſi motus animales primo afficiantur, ſed organum vitali motu donatum a levi cauſa movetur, & inde illa organa animalis motus contra voluntatem contrahuntur aut moventur, ut in dictis involuntariis actionibus detegitur. Quid levius quam pluma irritare nares? illa tamen cauſa valet tot muſculos & tanta vi movere, ut experimur in ſternutatione; cujus motus cauſa non quærenda in motu animali, ſed vitali, qui motum animalem in conſenſum trahit.

Cur motus vitalis faci. lius quam animalis turbari poteſt?

III. Ex iis, quæ hucuſque diſputavimus, conſtat, quendam motum vitalem nullum conſenſum exercere cum motu animali, ut eſt pulſus cordis & arteriarum, niſi ſit nimius; quendam vero motum vitalem in conſenſum trahere motum animalem, ut in allegatis & pluribus aliis. Sed inquirere nunc eſt, an non ſubſit quædam naturalis ratio ex actione vitali & animali deducenda, qua facile patet hæc differentia. In *Exerc.* I. de *motu vitali* & *Comp.* T. 18. demonſtravimus, æquabili fluxu ſpirituum per nervos ad motum vitalem ex organi fabrica fieri motum alternum; ſed in nervis ad motum animalem requiri mentis voluntatem, ut in ſanis hic vel ille muſculus moveatur. Quoties igitur in nervo vitali paulo major aut minor fiat ſpirituum fluxus, toties quoque ille motus, dependens ab hoc influxu, vel augetur vel minuitur; inde irritatio parva faciens per illum nervum paulo majorem fluxum, facit, ut motus vitalis organi, quod ab influxu horum ſpirituum movetur, perturbetur. Alio autem modo conſtitutum eſt cum motu animali,

mali, niſi enim accedit voluntas, muſculus non movetur. Ergo ut ex morboſa cauſa motus animalis fiat vel impediatur, multo major cauſa requiritur, quam ad motum vitalem turbandum.

Apoplexia cur impoſſibilis vel difficilis curatu?

IV. Duobus itaque modis ſiſti poteſt motus animalis a morboſa cauſa ſubito. (1) Si motus vitalis tantum minuitur, ut non ſufficiens ſanguinis quantitas feratur ad organum, quod ſpiritus animales ſecernit: ſed quia demonſtratum eſt, eam mutationem in motu vitali fieri poſſe ex levi cauſa, inde morbus hic, qui vocatur animi deliquium, facilius abigitur. (2) Si motus animalis & ſenſus exſtinguitur, ut in apoplexia, magna requiritur cauſa impediens ſpirituum animalium fluxum. Igitur ex magnitudine cauſæ pronunciamus quoque periculum & difficultatem curationis. Obſtare tamen videtur, Apoplexiam natam vehementem vocari, ſi ſimul motus vitalis affici incipit, quia diximus motus & ſenſus animales minus periculoſa eſſe, ſi dependeatcauſa a motu vitali impedito. Verum hæc nulla eſt difficultas, nam in allegato exemplo vehementis Apoplexiæ non fiebat ſenſus, & motus exſtinctio affecto motu vitali; ſed quia cauſa illa magna agens in organum animale nunc tantum increſcit, ut quoque motum vitalem ſiſtat. Inde qui homo ſuperſtes potuiſſet manere in apoplexia per aliquot dies, donec motu vitali vel aliis auxiliis erat apoplexiæ cauſa ſublata vel exſtincta, nunc mortuus eſt. Poteſt enim ſine ſenſu & motu animali per aliquot dies vivere, modo motus vitalis permaneat; ſed ſine motu vitali nequidem per unicam horam poteſt noſtrum corpus eſſe, quin nunquam redibit motus vitalis. Quæ adferuntur exempla, homines mortuos & habitos ſepultos ad vitam rediiſſe, vix credibile eſt, toto illo tempore omnino nullum adfuiſſe motum vitalem, ſed tam exiguum, ut ab adſtantibus non potuerit animadverti. Ergo conſtat ex magnitudine cauſæ nos judicare de periculo & difficultate curationis in Apoplexia. Quia vero apoplexia morbus eſt ex variis cauſis nata, non omnis æque periculoſa eſt, ſed quia non eſt hujus loci omnes has diver-

diverſas cauſas rimari, ſufficiet ſolam cauſarum magnitudinem aſſignare.

LIB. II. APH. XLIII.

68. *EX iis, qui ſtrangulantur & reſolvuntur, nondum autem ſunt mortui, non ſe recolligunt, quibus ſpuma circa os fuerit.*

I.

Strangulatio & reſolutio quales morbi?

ANtequam judicium fiat de ſpuma circa os collecta, conſtare debet, qualis morbus in hoc loco ab Hipp: intelligatur. Quibus aëris ingreſſus & exitus per laryngem intercipitur, vel ab externa cauſa, ut in aqua ſubmerſis, ſuſpenſis laqueo, aut compreſſione quacumque ad laryngem; vel a cauſa interna, ut polypo, alienis laryngi illapſis, angina, aliove tumore premente, vel ſpaſmo has partes conſtringente, dicuntur ſtrangulari vel ſuffocari, ſi tales homines ſimul actione animali conantur fruſtra animam ducere. Talis autem homo laborans fruſtraneo conatu, ſi reſolvitur, id eſt, deſinat amplius motu animali hunc edere conatum, ſimulque privatur ſenſibus, talis enim ſtatus hic per reſolutionem intelligitur, is ſi colligit circa os ſpumam, morietur, vel ut Galenus interpretatur, fere ſemper morietur. Quia vero in his locis Hipp: agit de morbis, qui ſubito corripiunt, ut animi deliquium & apoplexia, ex nexu cum prioribus in hoc loco intelligitur ſtrangulatio ſubito inducta ab aliqua morboſa cauſa impediente aëris tranſitum per laryngem vel tracheam: & quoniam addit Reſolvuntur, καταλυομένων, talem ſtatum, ut eſt in iis, qui moriuntur, patet eam reſolutionem ſequi ſtrangulationem.

II. Per-

II. Perſcrutanda nunc eſt cauſa, ſubito inducens ſtrangulationem, quam brevi ſequitur reſolutio. Strangulantur ſeu ſuffocantur homines, ſi muſculi claudentes laryngem corripiantur ſpaſmo, ut ſæpe fit in hyſtericis & hypochondriacis; vel quando fibræ tracheæ & bronchiorum ſpaſmo afficiuntur, uti in Aſthmate convulſivo. Spaſmus in muſculis laryngis cadit igitur in motu animali, quia illi muſculi in voce formanda ſerviunt. Hic ſpaſmus aliis in muſculis vix ullum periculum infert, ſæpe enim in muſculis membrorum perpetuam morboſam conſtrictionem ſpaſmodicam toleramus longo tempore ſine periculo vitæ: ſed ſi idem morbus hos aggreditur muſculos, quorum conſtrictione impeditur reſpiratio, homo, quia tam diu ſine reſpiratione vivere nequit, niſi brevi tempore hic dimittit ſpaſmus, ſuffocata reſpiratione exſtinguitur. Alter caſus in fibris bronchiorum & tracheæ, quæ quidem habent motum, ſed neque animalem, neque vitalem, ut in corde & arteriis, ſed ſpecialem præparationi ſanguinis in pulmonibus dicatum, qui motus requiritur, ut libere tranſeat ſanguis per pulmones, quod aſthmatici ſæpe experiuntur, qui ſummo conamine per motum animalem, convulſis his fibris, luctantur animam ducere. Hæ inquam fibræ ſpaſmodicæ nimis diu conſtrictæ circulationem intercipientes valent ſuffocare, & quia harum ſpaſmo ſimul intercipitur reſpiratio atque circulatio, valet etiam hominem interficere. Spaſmodicæ hæ conſtrictiones in muſculis laryngis & fibris tracheæ & bronchiorum ſi non diu durant, anxietatem ob ſuffocatam reſpirationem & impeditam circulationem per pulmones inducunt; ſed dimiſſa conſtrictione, homo ab ea anxietate liberatur, reſtituta libera circulatione per pulmones; atque in ipſo paroxyſmo utcunque valent motu animali continuare aliquomodo reſpirationem & circulationem. Si vero, ut hic monet Auctor, æger Reſolvitur, id eſt, privatur omni vitali & animali actione, ut in moribundis, ſignum eſt, eam ſpaſmodicam conſtrictionem tam validam eſſe, ut motu animali reſpiratio non poſſit peragi, ſed ex defectu circulationis per pulmones, quia cor nihil accipit, non poteſt

Strangulationis & reſolutionis cauſa.

ſan-

ſanguis duci ad encephalon, unde ex hac cauſa nunc generatur ſyncope periculoſiſſima, quoniam cauſa non hæret in motu vitali circulatorio, qui levi cauſa poteſt turbari, ut demonſtravimus (*Aph.* 67, III.) Sed in motu animali, vel in motu ſpeciali in pulmonis fibris, qui diutius poteſt continuare hanc conſtrictionem, quam homo ſine reſpiratione poteſt vivere.

Strangulati & Reſoluti non ſunt mortui.

III. Quibus ex ſpaſmo, quem Tetanum vocant, tam valide & diu conſtringuntur fauces, ut inſtar mortuorum decumbant, hos dicit non eſſe mortuos; vult enim ſignificare, in tali homine non eſſe exſtinctam omnem potentiam, qua vivere poteſt, & abolitæ vitæ actiones ſuſcitari. Experientia quoque firmatur, multos homines pro mortuis habitos ex hac cauſa, ad ſe rediiſſe & diu poſtea vixiſſe. Mirum eſt obſervare in his penitus ceſſare omnem actionem animalem & vitalem, & tamen ad ſe redire: nihil ergo in his reſtare videtur, cujus actione talis vita amiſſa rediret. Sed ſi perſcrutamur hunc morbum, & comparamus huic actiones in corporibus viventibus, fieri poteſt, ut talis vita amiſſa recuperetur. Spaſmus dependet ab inordinato valido & morboſo influxu ſpirituum per nervos in dictos muſculos, ſi ſuperveniat Reſolutio, non amplius hi ſpiritus feruntur per dictos nervos ad hos muſculos, omnis enim ſpirituum animalium fluxus ceſſat, inde defectu influentium ſpirituum muſculi laryngis quoque reſolvuntur, qua reſolutione tollitur reſpirandi obſtaculum. Si hoc nunc tempore in tali corpore reſtat cauſa propellens ſpiritus, facile redibunt actiones vitales, quia in hoc articulo temporis actiones vitæ non peraguntur, deficente ſpirituum vitalium influxu. Si in hoc caſu Experimenta examino, invenio motum ſpecialem vitalem in inteſtinis verbi gratia, & fibris pulmonum diu a morte adhucdum continuari in partibus his a corpore vivente ſeparatis; atque invenio in viventibus quaſdam fibras eſſe tenſas, quæ ſua contractilitate adhucdum pergunt in corpore detruncato continuare motum, quare venæ in mortuis animalibus pleniores & arteriæ evacuatæ inveniuntur, atque videmus ductum thoracicum

in

in necato animali adhucdum ſub ligatura intumeſcere. Binis his cauſis, remanente motu in quibuſdam partibus & contractilitate in fibris per actionem vitæ extenſis, exiſtimo, ſtagnantem ſanguinem in arteriis verſus encephalum pelli ſine actione cordis, atque ſpiritus ſtagnantes in canaliculis nervoſis motus vitalis, eadem contractilitate vaginæ nervi & reſtante in eadem motu vitali, duci ſenſim ad cor & reliqua organa vitalia, quæ hoc renovato fluxu ſe iterum movere incipiunt, & quia ſublata eſt cauſa conſtringens laryngem, parvus ille renovatus motus valebit renovare amiſſam reſpirationem, atque ita ſucceſſive omnes actiones vitæ redeunt.

IV. De ſpumæ generatione circa os neſcio quaſnam fingunt malas cauſas, ut adſtruerent hujus mali ſigni rationem: mihi autem videtur admodum ſimplex cauſa, quæ in propoſito caſu eſt aſſignanda. Experimentis conſtat, ſalivam & mucum tracheæ arteriæ tenacia eſſe, & conquaſſata admodum ſpumeſcere, ergo in trachea arteria & larynge ſolummodo eſt aſſignandus motus agitans hunc mucum, ut miſceatur aeri in hoc loco hærenti, ſtatim enim habetur ſpuma. Quando fauces ſpaſmo conſtrictæ ſunt, motus ſpecialis in membrana interna laryngis & tracheæ & forſan bronchiorum, ut continuet reſpirationem, mucum adhærentem exprimit, eumque miſcet aëri in aperta trachea & bronchiis hærenti, ita formatur intus ſpuma hoc motu violento, quæ ſpuma majus ſpatium occupans, quam mucus non conquaſſatus, atque ſpaſmodica conſtrictione anguſtatis bronchiis atque trachea, ſpuma truditur per rimam laryngis, ut impleat os & emineat. Spumæ apparitio igitur denotat motum ſpecialem pulmonum ſuperare non potuiſſe ſpaſmum conſtringentem, ſed ulterius feciſſe majorem bronchiorum & tracheæ conſtrictionem, ita ut nunc tota illa via plena ſit muco ſpumoſo. Hinc conſtat, validam adeſſe ſuffocantem cauſam, quæ ſi tollatur per ſupervenientem Reſolutionem, non valebit redeuns actio vitæ, admodum adhuc debilis, tantum dilatare pectus in inſpiratione ut ingrediens aer poſſet ſuperare omnem ſpumam ad reſtauran-

Se non recolligunt, quibus ſpuma circa os.

dam reſpirationem, quare demum quoque ceſſante ſpeciali motu pulmonum & actione ex contractilitate, nulla reſtat cauſa, qua ceſſantes actiones revocari potuiſſent. Atque ita ex tali paroxyſmo interficitur æger, qui in vitam potuiſſet revocari, modo ſpuma non impleviſſet vaſa aerea pulmonis.

LIB. II. APH. XLIV.

69. *QUi naturâ ſunt valdè craſſi, magis ſubito moriuntur, quam graciles.*

I.

Qui dicuntur natura valde craſſi?

QUibus hominibus major eſt mollium partium moles ſecundum corporis latitudinem, quam in hominibus ſanis reliquis obſervari naturaliter ſolet ejuſdem ſtaturæ, hi dicuntur Craſſi & Obeſi: iſtis igitur eſt partium mollium ſucculentarum major proportio ad oſſa, quam in ceteris hominibus eſſe ſolet: hinc valde Craſſi tales ſunt, in quibus hæc differentia tanta eſt, ut non ſolum omnibus intuentibus facile pateat, ſed ut ille homo, etiamſi omnes functiones exercere valeat, non multum diſtet a morbo. Hæc enim plenitudo ſeu obeſitas non provenit augmento firmarum partium, ſed collectione humorum in earum receptaculis & vaſis, ita ut æquilibrium inter cauſas agentes firmarum partium & molem humorum fere ſit deſtructum: nam ſi copia humorum paulo major fiat, vires agentes multitudine obruerentur; dum vero in mediocri corporis mole homo nihil damni patiatur, ſi aliquomodo humorum moles fiat major. Corpus ergo valde Craſſum non eſt morbus, ſed talis ſtatus ſanus, qui non poteſt ferre aliquod augmentum humorum vel diminutionem virium, quin incidat in morbum ex deſtructo æquilibrio. Talis

lis ſtatus duobus modis acquiritur vel natura vel arte: qui enim corporis quiete & otio, atque opiparo victu valde craſſi fiunt, hanc obeſitatem dicuntur acquiſiviſſe ex arte vel auxilio adhibito: qui autem ſine his in victu mediocri imo parciore fiunt admodum craſſi, ex natura dicuntur tales eſſe. Etiamſi ab utriſque cauſis eadem ſit facta moles, periculoſius erit ex natura talem habere habitum, quam per diætam, quia quod arte vel diæta fuit natum, contrario artificio multo facilius poteſt tolli, quam quod ex natura ſine cauſis arteficialibus fuit inductum; valet enim medicus imperata parciore diæta artificialem plenitudinem minuere ſine damno, ſed ex natura craſſus huic vix obtemperat, &, ſi duriore victu minuatur moles, plerumque ſimul in aliquem morbum incidit.

Qui graciles?

II. Quia in hoc loco Corpus Gracile opponitur Craſſo, non debemus intelligere omnem corporis Extenuationem; nam qui ex morbo fiunt graciles, uti in Aridura, Atrophia, Phthiſi, in periculoſiore verſantur ſtatu, quam corpora craſſa: neque hic intelligenda corpora labore vel inedia emaciata, ſed quæ in mediocri victus genere minorem molem partium mollium circumferunt; quæ corpora etiamſi otio torpeant, & victu opiparo fruantur, æque macilenta manent. Talis macies, quæ nihil morboſi continet, in qua homines æque ſani degunt, ac illi qui mediocri habitu prædiți ſunt, multum detrahit de corporis ſplendore & elegantia, ſed tamen eſt ſtatus minus periculoſus, quam obeſitas: nam dum additur in obeſis, ſimul non increſcunt vires, quare multitudine facile opprimuntur: gracilibus autem ſi major fit detractio, ſimul detrahuntur vires, & inde nullus timor, ut ex tali deſtructo æquilibrio, ſuperantibus viribus agentibus quantitatem humorum, niſi ſit nimis acervata detractio, quæ etiam obeſis obeſſet, aliquid mali ſit exſpectandum. Id eſt Corpus gracile tantum non periclitatur ablatione quadam, quam obeſum additione.

Cur craſſi magis ſubito moriuntur quam graciles?

III. Non ſolum obſervatione Hippocratis conſtat, verum hodierna etiam experientia firmatum eſt, Obeſos ſine cauſa ſenſibili ſubito ſæpe mori, raro autem id contigit

Gracilibus: debet ergo esse in corpore crasso quædam causa subitaneam mortem inferens, quæ non invenitur in gracilibus. Subito perit æger, si intercipiatur actio cordis, cerebelli, aut pulmonum: hæ autem actiones exstingui possunt in obesis, si sanguis majore quantitate feratur ad encephalum, ut multitudine humorum opprimatur cerebrum, ut in apoplecticis, vel & cerebellum, ut in syncope, asphyxia, & catarrho suffocativo: hanc multitudinem obruentem vereri possumus in iis, in quibus tanta est humorum abundantia, ut fere inde destruatur æquilibrium, qualis est in obesis: sed in gracilibus, qui sine detrimento facile ferre possunt augmentum quantitatis, non est verendum mortem sæpe fieri posse ex abundantia.

LIB. II. APH. XLV.

70. *Epilepticis pueris, mutationes, maxime ætatis, & regionum, & vitarum, liberationem faciunt.*

I.

PRoponit Auctor in hoc Aph: morbum, qui raro curatur, sed plerumque ad mortem ægrotantis solet perdurare, in quo tamen quosdam ponit casus, qui si obveniunt, hominem a morbo illo terribili & pertinaci liberarunt. Duæ adesse debent conditiones, prima ut sit in Pueris: reliqui autem exponunt in juvenibus, sed quia noster Auctor *Aph. 7. sect. 5.* dicit, *quibus epilepsia ante pubertatem contingunt, mutationem habent*, Pueri potius quam Juvenis nomen retinere volui, quia illa ætas pueris competit. Secunda, ut aliquid fiat in tali epileptico puero, quod observatum

tum fuit attuliſſe ſanationem, nempe. (1) Ætatis mutatio circa pubertatem; (2) mutatio regionis; (3) Vitarum ſeu victus mutatio. Ergo hæc tria ſi accidant, ſpem ſanationis in puero epileptico præbebunt, ſed non in adultis.

II. Quoniam Epilepſia morbus eſt, qui nomen obtinuit ex iis, quæ in ægro conſpiciuntur, phænomenis, ille itaque ex phænomenis citatis a quovis alio morbo eſt diſtinguendus, ut inter omnes medicos conſtet, quum tales in ægro conſpiciuntur apparitiones, eum Epilepſia laborare. (1) Adeſſe debet invita & reciproca violens muſculorum motus voluntarii conſtrictio, ut illi muſculi, qui in ſanis ſolo imperio mentis conſtringebantur & dimittebantur, nunc ex cauſa morboſa non mediocri, ſed violenta conſtrictione alterne contrahantur, quæ contractionis potentia ſæpe ſuperat potentiam eorundem muſculorum, quam exercere idem poſſet homo ex ſua voluntate. (2) Multi vel omnes muſculi actionis voluntariæ ita debent agitari, quia ſi in quibuſdam tantum obtineat, vocetur ille morbus motus convulſivus, & refertur ad ſpecies Convulſionis. (3) Cum hac invita conſtrictione debent ſimul exſtincti eſſe omnes ſenſus externi & interni, atque actiones ex voluntate, ita ut homo epilepſia correptus, nec audiat, nec videat, nec ſentiat violentiſſimos dolores, nec recordetur, quæ acta ſunt, dum tentabatur epilepſia: nam ſi ſenſus aut motus voluntarii in tali paroxyſmo exerceri poſſunt, imperfecta ſpecies eſt Epilepſiæ, atque ad Convulſiones refertur. (4) Illa alterna invita conſtrictio vel per paroxyſmos periodicos aut vagos recurrere debet, ita ut tempore intermedio æger fruatur perfecta ſanitate, niſi quod ex præcedente paroxyſmo aliquomodo ſit delaſſatus: ſi vero interim aliquo morbo ſit correptus, ut ille non ſit hujus convulſionis cauſa: qui enim tali modo ex febre corripiuntur convulſione, ea agitatio vocatur Convulſio febrilis: & ſi perpetuo durat, etiamſi reliqua omnia epilepſiæ adſint, a medicis non dicitur epilepſia, ſed Convulſio, quare reditus per paroxyſmos pertinet ad eſſentiam Epilepſiæ.

Epilepſiæ definitio.

III. Qui

Cur epilepsia facilior pueris quam adultis?

III. Qui ſedulo rimatur obſervata phyſiologicorum de generatione animalium, inveniet, quo animal propius eſt origini, eo nervorum imperium in reliquum corpus plus valere; oritur enim animal ex vermiculo capitato ſeu animalculo exiguo, capitulo mole reliqui corporis majore prædito, atque carina ſeu cauda, quæ increſcente animali convertuntur in contenta encephali & ſpinæ: ſenſim vero reliquum corpus proportionate magis increſcit, quam id medulloſum, quod in animali perfecto principium nervorum conſtituit: hoc inæquale incrementum durat, donec totus homo ad incrementi perfectionem venerit: & quo origini eſt propius animal, eo major eſt proportio hujus medulloſi ſeu potius nervoſi ad reliquum corpus: adeo ut ſi minima cauſa hoc nervoſum afficiat, tenera membra ſtatim conſentiant, & in motum perturbatum quatiantur: magis autem firmata membra non tam facile ex levi cauſa a ſolitis muneribus detruduntur: ita Infans ex dentitione, torminibus ventris, vel & quavis leviore cauſa in totius corporis convulſionem incidit: adultus autem non niſi ex validiore cauſa convellitur. Ex dictis igitur conſtat, adultos non niſi magnâ cauſâ incidere poſſe in Epilepſiam, ſed infantes etiam ex cauſa leviſſima; quare ſæpe accidit, ut convulſiones epilepticæ ſine multo periculo tolerentur, ut in variolarum invaſione. Igitur in pueris fieri poſſunt Epilepſiæ curabiles & incurabiles, ſed in adultis raro curantur. Inde ſolent quoque practici Epilepſiam puerorum, ac ſi alius eſſet morbus, diſtincto titulo proponere.

Quæ ſpecies Epilepſiæ liberatur mutatione ætatis, regionum, vitarum?

IV. Ex iis, quæ hucuſque diſputavimus, ſatis conſtat, puerorum Epilepſiam interdum oriri ex leviſſima cauſa, quæ talis eſſe debet, ut tolli poſſit mutatione facta in ætate, regione, vel vita ſeu diæta: nam illa phænomena recenſita, ob quorum apparitionem hic morbus vocatur Epilepſia, non tolluntur, niſi tollatur cauſa hæc phænomena producens: ſed illa cauſa multiplex eſſe poteſt, ut clare conſtat ex *Compendio noſtro* Tr. 30. Quæ omnes hac inducta mutatione, etiamſi epilepſiam in puero inducant, auferri non poſſunt. Quædam igitur in pueris ſunt citandæ, quæ huc

huic mutationi auſcultant. Frequentiſſima Epilepſiæ puerorum cauſa, ut quoque olim demonſtravit Harris ut & multi alii, eſt Acrimonia *Acida*, in primis viis congeſta, ibidem irritando totum corpus in conſenſum trahens; hoc autem Acidum continuo circulantibus traditum, totam maſſam ſimili acredine inficit, ut tandem quoque nervorum ſuccus aciditate infectus, forſan frequentiores epilepticos inſultus faciat, quam acidum in primis viis. Hoc autem praxi conſtat, medicamenta acidum curantia longo tempore adhibita in epilepſia puerorum eſſe arcana, ut longus ille uſus tandem omnem aciditatem humorum extinguat. Qui pueri ab hac cauſa fiunt Epileptici, dum per Ætatem robuſtiores ſunt facti, ſponte id acidum curant: quia acidi productio nunquam in nobis formatur, niſi ex aſſumtis alimentis aceſcentibus, quæ defectu virium permittuntur in acidum aſſumtis proprium commutari; ſed acidum natum ſi non accipit ſuppetias, quoniam corpus viribus ſenſim magis pollet, ſenſim evaneſcere incipit; imo viribus valentibus exſtinguitur, ut experiuntur robuſti acidum aſſumentes, nihil acidi niſi ex ſua natura in aliam indolem converſa, evacuant. Quoniam vero admodum conſtans eſt virium incrementum circa pubertatem, & incrementum virium ſemper exſtinguit acrimoniam acidam, ſpontanea mutatione inductam, recte adjunxit Auctor *maxime*, quia reliquæ mutationes minus certe hoc acre emendant. Interim Regionum & victus mutatio generationi aciditatis contraria, ut & medicamenta acidum emendantia hanc puerorum Epilepſiam curare valent.

Acidum frequens eſt cauſa

LIB. II. APH. XLVI.

71. *Duobus doloribus ſimul obortis, non in eodem loco, vehementior obſcurat alterum.*

I.

ETiamſi hæc medica obſervatio Doloris unicuique nota ſit, multos tamen naturæ perſcrutatores in admirationem rapuit, ſciſcitantes modum & cauſam hujus phænomeni: Ergo veritas hujus non eſt multis experimentis confirmanda, ſed invenienda eſt lex generalis, ad quam hoc phænomenon referri poteſt, nam leges naturales nobis innatæ experimentis detectæ ampliore explicatione ulterius exponi nequeunt, niſi quod a ſummo Opifice ita ſint conditæ.

Quid ſit Dolor. II. Omnium primo inter medicos conſtare debet, quid ſit Dolor, de quo ſuperius (*Aph.* 31, III.) quoque verba fecimus, ſed in hoc loco ita eſt definiendus, ut intelligatur cur Vehementior obſcuret alterum. Qui rogaret indoctum quid ſit Dolere, riſum equidem moveret, quum nullus ſit, quin interdum Dolorem perceperit, aut vel levi experimento in proprio ſuo corpore potuiſſet experiri. Illa tamen res notiſſima deſcribere verbis, multis magnam præbuit difficultatem, quia voluerunt ex cauſa dolorem inferente definire Dolorem: quidam enim dicunt eſſe impeditum ſpirituum fluxum, alii nervorum vellicationem, alii tenſionem fibræ nerveæ ruptioni imminentis, alii iterum alia adferunt. Sed qui quærit, quid ſit Dolor, ponit Dolorem eſſe rem incognitam, quam vult habere cognitam per aliquam deſcriptionem rerum cognitarum, ſed non quærit Doloris cauſam. Igitur ſuppeditanda eſt alia res quærenti cognita, cui

cui Dolor eſt comparandus, vel multæ res cognitæ ſunt conjungendæ, ut eæ conjunctæ uno nomine Doloris exprimantur. Suppono itaque, quærenti cognitum eſſe, quid ſit ſentire aut percipere ſenſum; intelligere quoque, quid ſit ingratum, quid moleſtum, quid adverſum, quod evitare conatur, ſi poſſit. Qui igitur in ſuo corpore percipit ſenſum ſed ſolito vehementiorem, junctum cum ingratitudine, triſtitia, averſatione, moleſtia, talis perceptio vocatur Dolor. Hæc deſcriptio Doloris propterea non data eſt, ut rem incognitam exponerem, quaſi nulli eſſet notum, quid ſit Dolor, ſed ut ex ſeparatis rebus in Dolore concurrentibus invenirem, quæ ſint præcipue in Dolore obſervanda. Ita enim invenio eſſe ſenſus ſpeciem, atque organis ſenſuum exerceri, quare Doloris naturam poſſum ex ſenſuum doctrina exponere: atque ſcio cauſas ſenſum inferentes, etiam Dolores inferre poſſe, ſed quia Dolor eſt ſenſus vehementior, ſcio, ſenſus cauſas majores & validiores in Dolore eſſe. Denique ex ingrata perceptione colligo, meum corpus inde aliquod damnum pati poſſe, aut in parte dolente aliquid interitum minari.

III. Unus Dolor, inquit, obſcurat alterum, quod denotat Dolorem mitiorem non curari vel tolli, ſed minus ſentiri, ſi levior Dolor aliam partem infeſtat, ne decipiamur in judicio, ac ſi ob vehementiam Doloris cauſa alterius mitioris doloris minueretur, ſed quia vivida Doloris perceptio ſolummodo obſcuratur. Hi duo Dolores poſſunt eſſe in eodem membro vel parte, ſed tunc potuiſſet compreſſione nervi per Dolorem vehementiorem minui ſenſus Doloris mitioris; ſed obſervavit, obſcurari quoque Dolorem in quacumque alia corporis parte per Dolorem vehementiorem, ubi nulla poteſt eſſe ſuſpicio obſcurationis ex nervo compreſſo. Hinc per Dolorem vehementiorem debet aliquid fieri in corpore, quod vividam perceptionem in quacumque alia corporis parte obſcurat. Hæc obſervatio generalis eſt ex ſenſuum exercitatione deducenda, in qua experimur, unum ſenſum obſcurare non ſolum alterum, ſed inter omnes actiones voluntarias hoc obſervatur vinculum & neceſſitu-

Cur dolor vehementior obſcurat alterum?

do, ita profunde cogitans imperfectius exercere poteſt ſenſus externos & motum voluntarium: ſenſum externum cum ſtudio exercens minus valet ſenſum internum & motum voluntarium exercere. Qui vero motum voluntarium exercet, minus attente operatur ſenſibus externis & internis. Omnia hæc exemplis vel experimentis illuſtrare, nimis longum foret: unuſquiſque hoc in ſemetipſo experiri poteſt, niſi arte vel conſuetudine didicit, duas treſve actiones voluntarias exercere ſimul, experietur, non omnes perfecte fieri. Itaque Dolor quia eſt ſpecies ſenſus, has quoque leges generales ſequitur, nihilque arcani hæc obſervatio complectitur. Hoc autem boni ſuggerit, quod liberet nos a perverſo judicio de Doloris ablatione, dum propter Dolorem vehementiorem in quavis alia parte videatur evaneſcere. Quare ſemper in Doloris mitigatione attendendum, num mitigetur obſcuratione, vel diminutione cauſæ.

LIB. II. APH. XLVII.

72. *Circa puris generationes, dolores, & febres magis accidunt, quam ipſo facto.*

I.

Puris Generatio quid ſit.

IN corpore ſano nunquam Pus reperitur, eſt ergo ſemper morboſus humor, ſive maneat in corpore, ſive exeat; eſtque productum actionis vitalis, quia in cadavere nunquam formatur, aut ulla arte chemica generari poteſt: nullus enim chemicorum ullo artificio ex quovis humore noſtri corporis Pus facere potuit. Et in nobis obſervatur ſolummodo formari in loco quodam clauſo: nam ſi ulcus aëri aperto exponitur, in ſuperficie format cruſtam, ſub qua pus confectum colligitur, aut ſi ulcus emplaſtro vel alio operculo tegitur, ſine cruſta locus ille pure repletur. Ipſa autem medicamenta non conficiunt Pus, quoniam ſine medica-

camentis tamen in nobis formatur: ſed ſi quædam ſunt in nobis impedimenta, iis impedimentis ſublatis promovetur Suppuratio. Operæ pretium erit rimari actionem vitæ pus facientem, & materiem, ex qua formatur pus. In viventibus duæ actiones inveniuntur; una vitalis, qua ex aſſumtis alimentis conficitur ſanguis; atque ex eo reliqui boni & ſervientes liquores, parteſque firmæ, qua etiam inutile factum vel quod ſubigi nequit adaptatur evacuationi, & actu expellitur; altera eſt automatica, ut corruptio, fermentatio, putredo, efferveſcentia, quorum effectus Chemicus norit artificio ſuo imitari. Sed neque actione vitali, neque automatica conficitur pus: quod in nobis producitur actione automatica, eſt corruptum aliquid, minime autem Pus. Invenimus quoque, hoc intereſſe inter Pus & Corruptum liquorem; Pus habere majorem quam aqua pura ſpecificam gravitatem, in aqua enim dimiſſum fundum petit, ut noſtri humores boni circulatorii; ſed Corruptus humor ſupernatat, uti noſtri humores excrementitii. Propterea non inepte dixit Galenus in hoc Aph: Pus eſſe humorem ſemi corruptum, quia notas non habet boni & corrupti humoris, ſed de utriſque participat, neque productum eſſe motu automatico corrumpente, neque motu vitali moderato: atque puris generationem inter bonas mutationes cenſeri, non tamen eſſe commutationem in humorem nutrientem; ſed humoris degenerationem per corruptionem ſemper eſſe malum.

II. Conſtat perpetua obſervatione ſolis in viventibus formari Pus: ſed actio illa in ſanis hoc nunquam facit, ergo hoc fieri debet, ſi actio vitæ aliquomodo ab ordine ſolito receſſerit. Experimenta in viventibus & morbi docent, poſt majorem circulationem vel in toto corpore, vel in quadam ſpeciali parte pus prodire: nam poſt febres ardentes & morbos acutos ſæpe magna copia puris emittitur, aut alicubi in parte ſpeciali deponitur ſine prægreſſa inflammatione iſtius partis: vel poſt inflammationem particularem pars antea inflammata abſceſſum purulentum format: imo pars ſana vulnerata, vel læſa, ut inde inflammationem concipiat, pus in loco læſo poſt aliquod tempus colligit. His omni-

Quæ actio vitæ generat pus?

bus conſtat, circulationem ſeu motum vitalem per totum corpus vel in ſpeciali parte formare Pus. Sed hoc quoque experimur, eum motum nimis validum non formare Pus ſed abire in corruptionem, quam ſphacelum vel gangrænam vocant. Hinc actio vitæ moderata dicitur Coctio faciens humores nutrientes; actio validior autem Coctio materiæ morbi in purulentiam; actio validiſſima tendit in deſtructionem ſeu corruptelam per nimium motum vitalem: ſed actio minor quam in ſanis, permittit corruptionem automaticam. Hinc intelligitur, quantum debet augeri vel minui motus vitalis in acutis, quum optima mutatio fiat in Pus, inſtigandus eſt motus vitalis ſi torpeat, ſed ſedandus ſi nimis intenſus ſit, ut paulo majore circulatione humor mutetur in Pus.

Ex qua materia formatur pus?

III. In corpore ſano nullum alienum morboſum humorem continente infligatur vulnus, eo in loco formatur pus, ergo materia illa ex qua formatur, eſt humor nutrititius ex aſſumtis, vel excrementitius, vel bonus, qui corpori eſt utilis. Ex tribus his per colorem album decepti exiſtimarunt nonnulli, Chylum commutari in pus, ſed in chylo deficit illa naturalis major gravitas, quæ in pure obſervatur, atque poſt longam inediam tamen formatur, etiamſi nihil chyloſi reſtet in corpore: neque excrementitius humor hanc mutationem ſubire valet, cum corporis actione ad eam ſpecificam levitatem ductus, non patitur tantum compingi, ut hanc acquirat puris gravitatem: Quare veriſimile mihi videtur, materiam gelatinoſam humorum & concreſcibilem motu majore vitali commutari in pus.

Cur circa puris generationes Dolores & febres magis accidunt, quam ipſo facto?

IV. In morbis inflammatoriis internis & inflammationibus externis particularibus, egregia eſt obſervatio medica practica; ſenſim intendi in his dolores & febres, donec pus ſit natum, ſed eo facto ſenſim leniri dolorem & miteſcere febrem, quia inde nobis conſtat, minui poſſe inflammationis ſymptomata, etiamſi non ſit curatus morbus, ſed tranſiit in ſuppurationem. Atque inde cognoſcimus, num morbus adhucdum verſetur in inflammatione, vel commutatus fuerit in morbum ſuppuratorium: ut ita valeat quoque medicus ſuam

ſimul

ſimul mutare medendi methodum. Hujus mutationis hæc mihi videtur cauſa. Dum pars quædam corporis vel a cauſa mechanica vel ſtimulo inflammatorio inſtigatur, ſenſim motus ex ſtimulo magis magiſque intenditur, ut experimur in parte quacumque irritata, ſi maneat ſtimulans cauſa, partes ita ſenſim magis agitatæ, ſenſim quoque magis calere & dolere incipiunt: hoc ſi fiat per univerſum corpus, vocatur febris calida vel ardens, & in parte ſpeciali Inflammatio localis. Ablato autem ſtimulo ſenſim quoque incipit ille motus ex ſtimulo major compeſci, atque Dolor ex eo motu & ſtimulo natus mitigari. Ita Pus ex hoc aucto motu natum, collectum inter cauſam ſtimulantem & partem vitalem, facit, ut ſtimulans cauſa non amplius eam partem tangat, quare obvoluto ſtimulo per pus natum, quietem concedit his partibus ſtimulo agitatis: quare hoc tempore ſenſim majore copia puris interpoſita, & quia ſenſim quoque inſtigatus motus compeſcitur, Dolor & febris ex hoc inſtigato motu nata minui incipiunt, & ita loco Inflammationis habetur morbus purulentus. Quando ob ſtimulum minorem minor Calor, Dolor, & Febris obſervantur.

LIB. II. APH. XLVIII.

73. *IN omni corporis motu, quando dolere cœperit, interquieſcere ſtatim laſſitudinem curat.*

I.

EX phyſiologicis demonſtratum aſſumo, nam nimis longum foret hic proponere, motum voluntarium fieri alterno & copioſiore ſpirituum influxu per nervos in iſtos muſculos, qui voluntatis actione exercentur: atque hoc alterne

Corporis motus dolorem & laſſitudinem facit.

alterno motu, præprimis ſi vel nimis diu duret, vel nimis fortis ſit, fibras muſculares agitatas ſimili fere modo affectas eſſe, uti a levi contuſione, vel frictione unius partis ad aliam, cum muſculi alterne non poſſint conſtringi, quin ſimul una fibra muſculi terat aliquomodo alteram, ob quem attritum nimium evitandum Deus poſuit inter fibras muſculares pinguetudinem, quæ motu continuato ſenſim conſumitur, ut tandem circa finem una fibra alteram magis terat. Cum vero ille motus voluntarius diutius continuatus fuerit, ſpiritus ſenſim deficere incipiunt inſerviendo: ex hac denique penuria ſpirituum formatur ad motum ineptitudo ſeu impotentia, quæ ex motu muſculari nata vocatur *Laſſitudo.* Et quoniam continuato illo attritu fibrarum inducitur levis inflammatio, quæ conjunctum Dolorem habet, inde pars illa præ ceteris agitata quoque dolet: ut omnes homines experiuntur, qui ſua corpora diutius & validius exercent. Hoc quia omnibus conſtat hominibus, exiſtimarunt Interpretes nonnulli, hanc ſententiam Hippocrati indignam eſſe, quaſi nil niſi arcana debuiſſet noſter Auctor proferre. Ego autem exiſtimo, eum, qui fundamenta artis ſtudet condere, oportere notiſſimas res quoque proferre, ut iſtis demonſtatis poſſit uti ad obſcuriora explicanda, quemadmodum in ſequentibus conſtabit.

Quies curat laſſitudinem & dolorem ex labore.

II. Qui poſt tamdiu toleratos labores ſuum corpus ad quietem componit, huic non amplius tanta copia ſpirituum fertur ad muſculos, neque fibræ muſculares amplius fricantur: ſentit tunc quidem ex ſpiritibus conſumtis ineptitudinem ad motum, & moleſtum ſenſum in contritis fibris levi inflammatione affectis, ſed quia ceſſat cauſa duo illa producens, inde corporis actio vitalis ex reliquis humoribus præparat materiem ſpiritibus ſuppeditandis aptam, præprimis ſi ſuperdormiat; quare poſt aliquod tempus reſtaurata materia ſpirituum, corpus iterum fit agile, ut antea. Levis quoque inducta inflammatio ſenſim iterum evaneſcit, ut ſi pars ex fricatione rubet, ceſſante fricatione ad naturalem colorem redit ſenſim, ita quoque in his muſculis agitatis inducta lenis inflammatio evaneſcit: atque conſumpta

ſumta pinguetudo per continuatum motum, nunc per quietem reſtauratur, ut ita ea pars ſimilis fiat, ut erat ante exercitationem. Hæc autem ipſo momento quietis non reſtaurantur, ut nonnulli ex hoc Aph: colligere conantur, hoc nimis obeſſet quotidianæ experientiæ, quam ut hoc neſciviſſet Hipp: Quare ut ſenſus conſtet, hoc modo legendus eſt hic Aph: *In omni corporis motu quando dolere cœperit, interquieſcere ſtatim, laſſitudinem curat.* Monet igitur Hipp: nos non debere continuare illum corporis motum, ſi Dolorem aut Laſſitudinem induxerit, ut multi conantur, ut per motum continuatum ſuperent eum Dolorem & Laſſitudinem; ſed vult, ut talis homo ſtatim quieſcat, quoniam quies multo melius curabit Laſſitudinem & Dolorem, quam motus continuatus.

LIB. II. APH. XLIX.

74. *Conſueti ſolitos labores ferre, etiamſi fuerint debiles aut ſenes, inſuetis, robuſtis licet & juvenibus, facilius ferunt.*

I.

MUltum valere Conſuetudinem in capiendis alimentis, ſuperius (Aph. 16, IV. Aph. 17, IV) notavimus, in hoc autem loco ſermo habendus, quid valeat conſuetudo in corporis exercitiis, de quibus prædicat Auctor tantum valere, ut ſæpe ſuperet innatam potentiam: ſine Conſuetudine enim juvenes & robuſti facilius tolerant labores, quam ſenes & debiles, dum tamen contendit, contrarium fieri poſſe ex Conſuetudine. Duæ itaque res in hoc loco examinandæ veniunt: (1) an illa veritas experimentis ſit firmata: (2) quali modo noſtrum corpus Con-

ſuetudine laboris firmatur, ut facilius toleret labores. Monuerat in præcedente, quamdiu labores erant tolerandi, ut conſervetur ſanitas generaliter in omnibus hominibus tam aſſuetis quam inſuetis. Hoc autem loco indicare vult, quod ſi aliquis multos & graviores velit ferre labores, eum non oportere ſe ſtatim accingere, ſed comparare ſibi aliquam conſuetudinem.

Conſueti facilius tolerant labores

II. Qui manuum pedumque opera totam vitam aſſueti fuere victum quærere, vel qui gladio, ſaltu, quoviſque corporis exercitatione ſuum corpus fatigarunt, a duriore illo labore vix fatigantur: nos vero otioſam vitam ducere conſueti literiſque dare operam, interdum levi ambulatione non ſolum corpus ſtatim ſentimus laſſum & ad ulteriorem motum ineptum, atque dolens; ſed ſi obnixe contendimus cum aſſueto licet viribus minus valente, continuare labores, noſtrum corpus veluti comminutum ſentitur, ita ut longo tempore egeat, antequam reſtauratur. Illi vero e contra ſeveriore ſtudio brevi hebeſcunt, imo ad ætatis conſtantiam pervenientes ad ſtudia excolenda ſe ſentiunt inidoneos, dum vero literis aſſueti etiam in ſenectute ulterius diſcere valeant. Tantum valet Conſuetudo in nobis, ut non ſolum corporis actiones obfirmentur, ſed & noſtra mens immortalis ingenii exercitatione firmetur. An vero certo generi laboris aſſuetus minus defatigetur in diverſo genere laboris, quam qui omnino otioſe vixit, hoc generali obſervatione in hominibus eſt aſſequendum. Experimur ab inſolitis laboribus magis defatigari quam a ſolitis, ſed tamen corpus laboribus aſſuetum ferre facilius poteſt quoſvis alios labores, quam corpus continuo otio torpens: ita qui exercuit ingenium, quavis quoque alia in ſcientia valebit magis, quam ille, qui nunquam literas excoluit.

Laboris conſuetudo quid in nobis faciat.

III. Aliam legem in noſtro vivente corpore invenio, quam in ullis rebus mortuis: omnia enim corpora mortua uſu deteruntur, noſtrum autem corpus ab exercitiis, frictionibus & attritu occalleſcit, durius fit & tenacius cohærens, quod non ſolum in cute externa manuum & pedum operariorum, verum etiam in partibus interioribus verum invenimus,

nimus: hinc in iis aorta calloſa imo oſſea fuit inventa, & callus obtegens capitulum oſſis luxati non repoſiti: modo ſtatim non applicetur vehementior attritus, quam cohæſione fibrarum potuiſſet ſine ſolutione ſuſtentari. Ex lege generali ergo conſtat, fibras muſculares toties exercitatas tenaciores fieri, & propterea non tam facile diſrumpi poſſe & inflammari, quam fibræ motui inaſſuetæ. Ex laboribus non ita vehementibus inaſſuetis generabitur in manibus rubedo, veſiculæ aquoſæ & excoriatio, aut diutius ambulanti inflammabuntur pedes; quorum autem manus & pedes callo obducta ſunt, ab iiſdem laboribus ne minimam læſionem percipient. Ita igitur ex innata generali lege, quia fibræ muſculares calloſæ ſunt factæ, laboribus aſſuetus in iſtis muſculis minus dolebit. Ex his autem non patet, quam ob rem minus fatigantur defectu ſpirituum. Sed experimur quoque omnes, corpora evacuationi aſſueta minus læ-di quam non aſſueta, quoniam corpus longa conſuetudine quaſi firmatum ad generationem majoris copiæ ſpirituum, tandem quoque majorem aptitudinem acquirit. Ulterior hujus rei inquiſitio neque utilis eſt neque prodeſſe poteſt medico, debemus tandem fateri, hanc legem noſtris corporibus viventibus a Deo innatam eſſe, quæ in rebus mortuis non invenitur: eamque obſervare medico ſufficit, licet primas cauſas non attingat.

LIB. II. APH. L.

75. *Multo tempore conſueta, etiamſi fuerint deteriora, inſuetis minus turbare ſolent. Oportet igitur etiam ad inſolita mutare.*

I.

Conſuetudinis differentia.

DUm naſcitur homo, nullis rebus aſſuetus eſt, at ex innata natura exigit alimenta facilis digeſtionis ſæpe de die, atque corpus ſenſim increſcens naturalem habitum & figuram acquirit ſine ullo artificio. Satim vero

accedit ars curatricum, cingunt ligantque membra, quasdamque corporis partes, ut pulchriorem formam, ut putant, acquirant. Ita *Hipp.* a, 348. narrat de quadam gente, in qua infantum capita ita cingebantur, ut prohiberetur rotunditas, sed acquireretur figura oblonga, hos macrocephalos vocat; tandem longa illa consuetudo non amplius egebat artificio, quasi natura cum consuetudine conspiraret. Hodie autem strictissime cingunt præcordia ut graciles fiant puellæ. In aliis regionibus stringunt pedes, ut maneant parvi, tandem formantur corpora in quamcumque formam, quam decus istius gentis vel morum exigit. Hoc etiam in victu *Aph.* 17, IV. Laboribus tolerandis *Aph.* 74, & omnibus aliis in rebus verum observatur. Sed ut Consuetudo convertatur in naturam, primum est, ut instituatur statim a nativitate, nam in adultioribus non facile fit: alterum est, ut longo tempore fiat, brevi enim tempore si aliquid fiat, consuetudo in habitum seu naturam non commutatur.

Cur consueta deteriora insuetis minus turbare solent.

II. Quænam hic intelligantur per Meliora & Deteriora, exponendum est, quia si aliquis rebus quibusdam assuetus sit, omnes mutationes ipsi videbuntur deteriores. Itaque accipiendi sunt homines nullis rebus assueti, quæ tunc in his observantur conservare sanitatem, nullamque molestiam afferre, dicuntur meliora; quæ autem difficilius tolerantur ab homine non consueto, dicuntur deteriora. De his nunc Deterioribus dicit Auctor, ea minus turbare vel molestare consuetos a longo tempore, quam insuetos. Ut si quis longo tempore degit in regione calida vel frigida, usus fuerit victu duro vel levi, copioso vel parco, corpus multum vel parum exercuit longo tempore, talis homo non fert mutationem, quin inde turbetur vel molestiam percipiat, quia longa illa Consuetudo quasi in naturam sit commutata, ut superius de corporis varia artificiali forma monuimus. Hoc non solum in rebus, quæ æque bonæ censentur, sed & in deterioribus, quæ corporibus nullis rebus assuetis intulissent molestiam & damnum. Qui potione *spirituosa* a longo tempore deperierunt, ut unum adferam exemplum,

emplum, infinita vero incurrunt, hi podagra correpti, vel hydrope, vel debilitate affecti ex ſpirituoſorum abuſu, ſi omittant ſpirituoſorum potionem, admodum periclitantur, etiamſi genius morbi abſtinentiam exigeret: ſæpe enim obſervavi ſpirituoſis addictos, ſi propter doloris vehementiam, vel monitu adſtantium aut amicorum vel medicorum, omiſerunt hanc potionem, deficiente ſtimulo conſueto ſpirituoſo, periiſſe. Tantum ægris valet Conſuetudo, ut deterioribus debeamus indulgere.

An cuidam generi vitæ aſſuefcendum.

III. Inter medicos non conſtat, an certum & fixum vitæ genus ſit eligendum ad ſanitatis conſervationem & longævitatem acquirendam, num vero varium & mutabile debeat vitæ genus inſtitui. Si abſolute ratiocinemur, ea ſola ſunt eligenda, quæ nobis non aſſuetudini addictis nullam adferre poſſunt moleſtiam, id eſt temperate vivere maxime ſalubre, quia omnia deteriora, etiamſi propter Conſuetudinem non amplius inferant moleſtiam, tamen ſanitati & longævitati obſunt, quum intemperate viventes raro decrepitam ætatem attingant. Quia vero omnes homines inopinatis rerum ſortibus ſubjiciuntur, ne incidamus repente in nobis inſueta, ſatius eſt, inquit Galenus, omnia tentare. Atque Celſus monet, ſanum hominem, beneque valentem, nullis obligare ſe legibus debere.

Et noſter Auctor, *oportet etiam ad inſolita mutare.* Sed quæ eſt cauſa hujus mutationis, regulariter magis conducit ſolis melioribus uti, ſed quoniam multi in his totam vitam tranſigere nequeunt, coguntur multa tentare, ne ex conſuetudine a deterioribus nimis lædantur. Ergo deterioribus uti non eſt conſervare vitam & ſanitatem; ſed quia non ſemper valemus in communi vita evitare deteriora, hinc illis, qui non obſtricti ſunt interdum deterioribus uti, non eſt opus ad vitæ & ſanitatis conſervationem ſingulis menſibus vomere vel bibere ad ebrietatem, ut monet Celſus; nemo enim cogitur ex natura abuti ſpirituoſis, aut edere vel bibere nimium.

LIB. II. APH. LI.

76. *Multum, & derepentè, aut evacuare, aut replere, aut calefacere, aut frigefacere, aut aliter quocumque modo corpus movere, periculoſum eſt. Nam etiam omne multum, naturæ eſt inimicum. Quod vero paulatim fit, tutum eſt: tum alias, tum ſi quis ex altero ad alterum tranſeat.*

I.

Conſueta non ſubito mutanda.

DIxerat in præcedente, nos conſuetudine acquirere habitum, ut facilius toleremus deteriora, ſi ergo recedere volumus ab hac mala conſuetudine, nunc regulam generalem ſuggerit, eam mutationem paulatim fieri debere, cum omnis ſubita mutatio non careat periculo: imo addit damnoſum eſſe, ſive recedamus a pejoribus ad meliora, vel a melioribus ad pejora, quam ſententiam his verbis complectitur *tum alias, tum ſi quis ex altero ad alterum tranſeat.* Egerat enim in ſuperiore de conſuetudine Deteriorum, & meliorum, quam rem hoc loco ulterius vult perſequi, ut demonſtret, quali modo conſueta ſunt mutanda. Quæ igitur hoc loco proponuntur, ad Diætam ſunt perſtringenda, ſed minime ad omnes curationes morborum extendenda, interdum enim in periculoſis morbis ſubitaneæ mutationes ſunt inducendæ ad majus malum evitandum. Hujus regulæ generalis quædam exhibet ſpecimina.

Periculoum eſt multum & derepente evacuare.

II. Quoniam verſamur in homine vel perfecte ſano vel leviter ægrotante, ſententia de multa & repenta evacuatione ad talem caſum eſt perſtringenda, & quidem in homine hujuſmodi evacuationi non aſſueto, quod ſi vel per venæ ſectionem multum ſanguinis detrahas, vel purgantè vel vomitio-

mitorio multum evacuas & ſubito, talis æger facile incidet in ſyncopen, & forſan non reviviſcet: quod ſi talis evacuatio inſtituta fuit ob nimiam humorum abundantiam, ne quidem tunc conducit, ut monuimus *Aph.* 3, IX. Si vero ſine abundantia *Aph.* 2, V. fiat, eo pejor eſt, quia tunc cum ablatione boni deſtruitur æquilibrium. In Conſuetis autem minus malum, quoniam hi largiorem ferunt evacuationem ſine multo detrimento: ita fæminæ copioſe menſtruantes facilius ferunt largiorem ſanguinis evacuationem, quam viri robuſti ſine metu leipothymiæ, quod multi mirantur: in his autem ſi modum excedat, uti in menſium profluvio, non raro fiunt hydropicæ; quare ne quidem repenta & multa evacuatio aſſuetis conducit. In morbis quoque multis non eſt licitum talem facere morboſi humoris evacuationem, uti in hydrope & empyemate: cavent enim omnes prudentiores Medici & Chirurgi, ne nimis cito omnem humorem evacuent. Sed in phrenitide, pleuritide aliiſque morbis, quibus ſubito inſtat ſummum periculum, imperamus largam evacuationem, ut præveniatur majus malum.

III. Quæ corpora magnam ſimul copiam alimentorum ſumere ſunt conſueta, etiamſi minus lædantur reliquis, ad ſanitatis autem conſervationem non conducit, corpus noſtrum toties onere preſſum, tandem ſuccumbit: magis autem id experietur corpus inſuetum; eſt enim in nobis nata definita actio ſubigens, quæ valet mediocre ingeſtum in bonum ſuccum aſſimulare: ſed ſi nimis ingeritur, id abundans non ſolum opprimit vires, ut corrumpatur, ſed etiam reliquum, aliter in mediocri quantitate ſumtum ſubigendum, impedit præparari, quare omne ingeſtum manet crudum & dein corruptum non carens periculo. Vide quæ diſputavimus Aph. 5, III. & Aph. 42. II, III, IV. his ſatis conſtabit aſſerti Auctoris veritas. Replere

IV. Duobus modis corpora noſtra calefiunt, unum genus dicitur fieri Actu, alterum Potentia. Nos enim, ut omnia corpora etiam mortua a calido applicato, incaleſcimus, ſive ſit aer calidior, ſive ignis accenſus, ſive collectus in aliquo corpore; de hujus Caloris communicatione Calefacere.

nemo

nemo ambigit: ſed alterum genus in viventibus ſolis obſervatur, ſi excipiamus incaleſcentiam putredinis, fermentationis & efferveſcentiæ, qui calor dependens ab actione vitæ, augetur omnibus ſtimulantibus, majorem motum vitalem facientibus, & inde calefacientibus dictis. Ita experimur, aromaticis, vel ſpirituoſis aſſumtis aut applicatis, etiamſi illa ad thermometrum nullum indicium præbeant caloris, in nobis tamen calorem verum & ſenſibilem concitare. De utriſque nunc monet Auctor, periculum eſſe, ſi multum & repente excitetur Calor. Qui enim conſuetus eſt in aere frigidiore verſari, deferatur in aerem admodum calidum, aut ſi tempeſtates ſubito mutantur, non ſolum homines magnam moleſtiam experiuntur, ſed etiam hanc mutationem non ſine periculo experiuntur. Qui partem gelu conſtrictam majore calore tentat degelare, partem deſtructam inveniet. Qui calido vapore, vel accenſo alcohole conatur reſolvere concretos humores, caveat, ne nimis cito nimium calorem concitet, perierunt enim nonnulli ferre non potentes tam repentam mutationem, qui calor ſenſim auctus in majori gradu ſine damno potuiſſet tolerari. Hoc quoque conſuetum eſt obſervare in Calefacientium exhibitione, ſi a majore doſi inchoamus, magnam moleſtiam adferunt, ſed a minima doſi data, ſenſim vero adſcendens ad majorem doſin, felicem dedit in Chronicis curationem.

Frigefacere. V. Quod monuimus de Calefacientibus, id quoque ſtatuendum eſt de Frigefacientibus: ſunt enim corpora actu frigida, quæ alteri corpori calidiori demunt calorem; ſunt etiam quæ potentiâ refrigerant, ut nitrum & omnia nitroſa. Non minus in his, quam in præcedentibus datur peccandi locus. Corpora enim excalefacta exponere aëri frigido nihil periculoſius, quæ experimenta omnibus ita ſunt obvia, ut non egeamus exemplis. Sed de Refrigerantibus videtur hodie nullum periculum exſtare, quaſi nemo in his, quæ antiphlogiſtica vocant, in exceſſu potuiſſet peccare, ſed ſecundum noſtrum Auctorem & experientiam conſtat, antiphlogiſtica omnis periculi non eſſe expertia, etiamſi toties non in his, quam in actu frigidis experimur damnum.

VI. Qui

VI. Qui equos aliaque animalia exercere norunt, nunquam permittunt, ut equus a ſtabulo veniens ſtatim valido agitetur curſu; neque ut a curſu veniens ſtatim in ſtabulo quieſcat: experientia enim didicerunt, ſi hac cautela non fuere uſi, hæc animalia ſæpe damnum paſſa fuere. Ita etiam in hominibus obſervamus, qui a longo tempore dicerunt ſuum exercere corpus, ſi dein ſe totum tradant otio, plerumque aliquo corripiuntur morbo; neque tam facile eſt vitam otioſam in validiora exercitia commutare. Lente ſemper omnis illa mutatio eſt inducenda. Quare regula generalis conſtat, omnis ſubitanea mutatio non vacat periculo. Motus & quies corporis.

VII. Hucuſque cum noſtro Auctore probavimus Replere, Calefacere, Frigefacere, & Movere non conducere, ſi ſubito fiant, quoniam corpus conſuetum alicui rei non facile patitur ſubito ad contrarium ſtatum duci. Reſtat autem videre, multum Replere, &c: quoque periculoſum eſſe, ſive corpus aſſuetum ſit, ſive non. Qui enim multum evacuat, ſive ſit bonus ſive malus humor, ſemper deſtruit æquilibrium, detrahitque naturale ſuſtentaculum: vaſa enim & fibræ noſtri corporis mediocri vel majore etiam copia humorum diſtenta, ſe nequeunt tam ſubito accurtare, ut ſatis firmiter amplectantur relictos humores tantâ copiâ privatos; unde vaſa non ſatis humoribus diſtenta collabuntur, & ſemi impleta iſtos minus propellunt, imo ſtagnare patiuntur. Si talis ſubito Evacuatio fiat ex cavis corporis, niſi artificiale accedat ſuſtentaculum, vaſa antea humoribus incumbentibus ſuſtentata, nunc ſuſtentaculo orbata, ultra modum tument, omneſque fere reliquos e corpore humores in ſe recipiunt, imo interdum diſrumpuntur, ut obſervamus in ſubitanea puris ex abſceſſu, vel cavo pectoris eductione, & in paracentheſi hydropicorum. Quare ſive corpus ſit aſſuetum ſive non, ſive bonus educatur humor ſive morboſus, omnis evacuatio nimia non caret periculo. Neque Repletio modum excedens in hominibus quidem conſuetis ſanitati conducit. Multi autem exiſtimant, pari paſſu corpus nutriri cum copia ingeſtorum, judicantes inde multum lædi non poſſe. Sed ſi perpenderent, ingeſta ali- Omne multum naturæ inimicum.

menta naturâ diverſa eſſe ab eo, quod in nobis nutriri debet, illa actione noſtri corporis primo eſſe commutanda, quæ actio multitudine obruta nil boni conficit, facile intelligerent, multum ingeſtum potius inducere cruditatem vel corruptelam, quam bonos nutrientes humores generare. Hoc etiam ſentiendum eſt de Calore & Frigore: nimius enim Calor etiam in corporibus aſſuetis non conducit ſanitati, quoniam nimius Calor enervat nimis, diſponit ad putredinem, & ultra modum diſſolvit humores, fervor autem coagulat humores & partes firmas criſpare facit; ſed frigus nimis inſpiſſat humores, atque tantum minuit motum vitalem, ut in nimio frigore omnino ſubſiſtat; dum vero tepor moderatus ſaluberrimus ſit corpori: quare non parum peccant medici, qui exceſſu refrigerandi vel calefaciendi conantur morbis mederi. Etiamſi in multis morbis Chronicis corporis Exercitatio ſummum ſtatuatur auxilium, longe verò abeſt corpus multum exercere conducere ſanitati; mediocris quidem membrorum agitatio humores concoquit, ſed nimius motus bonos humores nimis vel deterit, vel convertit in lentorem: neque multum quieſcere debet homo ad ſanitatem conſervandam, quoniam omnis præparatio ſolo motu vitali eſt abſolvenda, & multi humores in remotiſſimis vaſculis & cellulis ſtagnantes, quia ultra debitum tempus ibidem relinquuntur, dum exeunt, corrupti inveniuntur. Ex His conſtat, omne multum & derepente factum tam in Conſuetis quam in Inconſuetis periculoſum eſſe, etiamſi Conſuetos minus afficiat.

LIB. II. APH. LII.

77. *Omnia ſecundum rationem facienti, & non ſecundum rationem evenientibus, non tranſeundum ad aliud, manente eo, quod viſum ab initio.*

I.

Curatio ſecundum rationem quænam?

SI omnes curandi modos perſcrutemur, experimur his tribus modis tentari Curationem. (1) *Empirica* eſt, quæ ſolis vagis nititur experimentis: ut ſi aliquid profuerit in dolore, inappetentia, debilitate, delirio, vertigine reliquiſque morbis, qui ex unico præcipuo phænomeno obtinuerunt nomen, protinus audito vel viſo phænomeno in promtu habet appropriatum medicamentum, vel didicit medendi methodum, aut adhibet regimen in diæta, quibus ille morbus antea fuit curatus, ſi fideliter agit Empericus. Nihil eſt, quod majus damnum intulit Medicinæ, quam hujuſmodi arcana, quoniam idem phænomenon in ſenſus incurrens, ad quod ſolummodo attendit Empiricus, & exiſtimat ſe ex arte agere, variis & ſæpe oppoſitis naſcitur cauſis, quæ ſuam appropriatam exigunt curationem. Hos morbos variis naſci cauſis, variamque poſtulare curationem, paſſim indicavimus in Compendio noſtro. Quare non mirandum, Empiricos ſuis probatis medicamentis fruſtra toties tentaſſe curationem: & noſtram ſcientiam ad hoc uſque tempus in Curatione non majorem feciſſe progreſſum. Sperandum itaque eſſet in poſterum, ſi quis detegit vel medicamentum vel methodum medendi, vel quodvis aliud auxilium in curatione morbi, qui ex prævalente phænomeno nomen obtinuit, ut addat ſimul cauſam hoc phænomenon producentem, quæ ex multis ſimul phænomenis

Empirica Curatio.

collectis vel cauſis procatarcticis prægreſſis colligitur: hæc tunc probata medicamenta & auxilia erunt conſtantia, eorumque uſus in poſterum non erit inutilis vel contrarius, ut ſæpe in empiricis auxiliis evenit. Altera eſt *Conjecturalis.* Qui medicus curandum habet morbum multis phænomenis ſtipatum, incertam indicantibus latentem cauſam, ut ſæpe fit, quia cauſa ita abſcondite latet, ut ne peritiſſimo in Arte medica poſſit erui, talis tunc medicus ex quadam veriſimilitudine conjicit de cauſa latente, ut aptam adhibeat medendi methodum, hos vituperant Empirici, ſed ipſe Empiricus nihil plus præſtare poteſt, ille enim ſibi ſolum maxime conſpicuum proponeret phænomenon, hoc etiam valeret facere medicus, qui ex conjectura tentaret curationem; ſed quia novit phænomenon hoc incertam indicare cauſam tollendam, reliqua quoque rimatur, an non poſſibile ſit omnium apparitionum eruere cauſam, cum vero facilius ſit in medicina ex multis inter ſe collatis latentem invenire cauſam, quam ex unica apparitione, itaque Conjecturalis illa curatio præſtantior eſt cenſenda: ſi vero occurrit morbus nomen ex cauſa habens, ut Inflammatio, vulnus, combuſtio, fractura, in his non utitur conjectura, ſed ut Empiricus probatam adhibet curationem. Denique eſt *Rationalis.* Qui in Phyſicis, Chemicis, Anatomicis, aliiſque adminiculis, quibus eruuntur abſconditæ cauſæ, eſt inſtructus, in phænomenis morborum verſatus, ſtatim ſedulo examinat omnia, quæ ſuis ſenſibus poſſunt detegi, quæque ab ægro referuntur, cuncta inter ſe comparat; quod ſi his auxiliis morbi latentem detexit cauſam, demum examinat auxilia & methodum medendi, quæ optimum ſucceſſum in inventa cauſa habuere, iſtis tunc utitur. Hoc nunc modo agere eſt *ſecundum rationem facere.* Detexit enim certis indiciis cauſam latentem, & adhibet auxilia probatiſſima & experientiâ comprobata, nihil præſtantius excogitari poteſt, ſi enim morbus ſit curabilis, hoc ſolo modo curari poteſt, & nullo alio meliore. Quod ſi valuiſſet ſemper ita eruere cauſam, & ſciviſſet probatiſſima auxilia, Rationali medico nihil temere in medicina eſſet periclitandum, ſed quia

Conjecturalis curatio

Rationalis curatio.

quia ſæpe nimis abſcondita latet cauſa, quam perſpicaciſſimo & expertiſſimo ingenio poſſit detegi; vel interdum deſunt probata auxilia, quibus detectam cauſam valemus tollere, in illo cogimur ſæpe uti conjectura, & in hoc facere periculum: hæc ergo conjectura & temeraria experimenta non ſunt adſcribenda medico, ſed imperfectæ ſcientiæ.

Quæ ſecundum rationem fiunt, non ſunt mutanda.

II. Qui medicus ex certis criteriis latentem detexit cauſam, vel curandum habet Morbum ex evidente cauſa natum, huicque adhibet auxilia, methodum medendi & diætam, quæ probatiſſima in tali cauſa & morbo fuere inventa, eum monet Auctor, etiamſi ex voto non ſequitur curatio, non tranſeundum eſſe ad aliud, ſed ut viarum peritus inceptam debere perſequi viam, donec attingit metam. Quoties enim decedit a curatione ſua ad quamcumque aliam priori contrariam, vel temeritatis, vel inconſtantiæ, imo malevolentiæ poteſt inſimulari, nam conſcius ægrum a recta via curationis deflectit. Qui morbi cauſa cognita probatis non cedit auxiliis, incertis non eſt tentanda: quam primum enim Rationalis medicus conatur experimento vago tollere morbi cauſam, nihil differt ab idiota, & temerario, qui tentandi gratia omnia experiuntur. In Conjecturali autem cauſa ex juvantibus & lædentibus fieri debet curationis mutatio, quia cauſa eſt incerta. Hic autem monendum eſt, Auctorem noſtrum nolle, nos debere ſemper iiſdem uti medicamentis, ſed ſi morbi genius mutatur, noſtra auxilia quoque eſſe mutanda: ſi enim Inflammatio abierit in ſuppurationem, Auctor non docet medicum Rationalem in iiſdem pergere debere auxiliis, nam hoc non eſt ſecundum rationem, ſed curatio mutata cum natura morbi eſt ſecundum rationem. Ita etiam in Chronicis non debemus ſtatim ab uno genere auxilii deflecti ad contrarium, ſi non ſatis cito ſequitur curatio, ſed ſi formata ſit ex detectâ cauſâ legitima indicatio curativa, & huic appropriata fuere adhibita auxilia, in iiſdem debemus perſeverare, vel ſi natura aſſueſcat, ut ſæpe fit, medicamina ſunt aliquomodo mutanda, manente in eodem genere auxiliorum, ſed non tranſire ad aliud contrarium. Non parum igitur Hipp:

hoc monitu perſtringit Temerarios & fluctuantes medicos, qui omni die mutant auxilia, & periclitantur nova, acſi diceret, iſtos ſcientiæ ignaros eſſe, neſcientes, quæ auxilia ſunt adhibenda, vel temerarios experiundi gratia hominis vitam periclitantes.

LIB. II. APH. LIII.

78. *QUicumque alvos habent humidas, dum quidem juvenes ſunt, melius liberantur his, qui ſiccas habent. Ad ſenectutem vero, pejus liberantur: ſiccantur enim ut plurimum ſeneſcentibus.*

I.

Senſus hujus.

SI retineatur tranſlatio hæc T. J. ab Almeloveen, ſenſus admodum eſſet obſcurus, ſed ſi conferatur cum Aph. 45. Facile erit veram ſententiam Hippocratis concipere; ibi enim poſuit mutationes naturales in duobus juvenibus, uno alvo conſtipata ſicca, altero verò laxa laborante: in hoc nunc loco vult inter hos comparationem facere, qui ſtatus ſit melior cenſendus, ut nempe juvenis alvum humidam habentis, vel alvum ſiccam ſit melior conditio: & concludit, *qui juvenes alvum humidam habent, dum quidem juvenes ſunt, melius degunt (ſeu juventutem melius agunt) his, qui ſiccam*, rationem addit, *ad ſenectutem vero pejus degunt, ſiccatur enim alvus utplurimum in ſeneſcentibus.* Quare alvus humida præfertur, & alvus ſicca damnatur, præprimis ſi talis fiat ex naturali mutatione.

An alvus ſicca vel humida ſit præferenda?

II. Molles & modice compactas reddere alvi fæces ſaluberrimum eſt, ſed paulo magis compactas vel ſicciores deponere, aut paulo liquidiores noſtrum corpus fert ſine detri-

trimento ſanitatis: ſi vero hæc mutatio modum excedit, ad morbos refertur, ut ad alvi fluxum vel conſtipationem, de quibus hic non agit Auctor. Neque hic diſputandum eſt, quid horum ſit melius in morbis, uti fecimus in Compendio noſtro T. 90. Ex iis, quæ ſupra expoſuimus Aph. 45, VI. conſtat, alvum humidam juvenum propter defectum affluentium humorum ſenſim commutari in ſiccam: ergo ratione ſigni eſt malum indicium alvum exſiccari ſenioribus, ſatius enim foret, ut mollis maneret alvus. Alterum eſt, ſi alvus ſit modice humida, ſine moleſtia deponunt fæces, dum ſiccior ſæpe multas moleſtias adferat. Denique in modica & humida alvi egeſtione non eſt verendum, humores excrementitios retineri in inteſtinis; ſed ſi ſiccior ſit alvus, vel omne excrementitium non deponitur in inteſtina, aut ſi deponitur, ſtagnans diutius & corruptum abſorbetur, atque ita reliquos humores excrementitio corrupto inquinat. Auctor addit, quia magis ſeneſcentibus alvus reddi ſolet ſiccior, ut tandem fiat morbus, qui alvus adſtricta vocatur.

LIB. II. APH. LIV.

79. *PRocero corpore juventutem quidem degere liberale eſt, nec deforme: inſeneſcere vero, incommodum, & parvis deterius.*

I.

QUod olim moris fuit, hodie etiam eſt acceptum, Procerum corpus laudare in juvenibus, ut corpore & verbis ſimul imperent, atque in tam procero corpore fere omnes magnum & liberale ingenium cenſent contineri, adeo ut corpus procerum juvenum ſit tanquam literæ

teræ commendatitiæ, quod ingenio & ætate deficere videtur, id decoro corpore ſupplent juvenes. At vero ad ſenectutem ſi pervenerint, gravi ſenili auctoritate & ingenii præſtantia præditi, non amplius ex corporis ſtatura, etiamſi non ſit vituperanda, honores tribuuntur: tunc magis in ſenibus ad vitam commodam, quam decorum reſpicimus. An vero Hippocratis tempore pumilis magis quam corpora procera ſalubriter vixerunt, ignoro: his autem temporibus procera corpora magis ſana & robuſta vivunt, quam pumili. Quare hic Aphoriſmus in hoc ſenſu accipi poteſt, Procera corpora juvenibus magis decora quam ſenibus: parva autem deteriora juvenibus, quam ſenibus.

MEDICINA HIPPOCRATICA;

EXPONENS

APHORISMORUM HIPPOCRATIS

LIBRUM TERTIUM.

APH: 1.

80. *MUtationes anni temporum maxime pariunt Morbos: & in ipsis temporibus magnæ mutationes, aut frigoris, aut caloris, & alia pro ratione eode modo.*

I.

ETiamsi omnibus sit notum, annum dividi in quatuor tempora, vel facile ex calendariis possit addisci, observare tamen debemus, ab omnibus medicis hæc tempora non semper eodem modo accipi. Hippocrates enim fere semper distinguit Morbos secundum communia anni tempora, in Vernales, Æstivos, Autumnales & Hyemales. Alii duntaxat in Æstivos & Hyemales, quando annum dividunt in duas partes, ab uno Solstitio ad alterum. Quidam vero his adjiciunt morbos solstitiales hyemales & æstivos; atque morbos Æquinoctiales, vernales, & autum-

Temporis divisio.

autumnales. Quid autem his temporibus præprimis ſit obſervandum, in ſequentibus demonſtrabitur.

Cur mutationes anni temporum maxime pariunt morbos?

II. Inter cauſas morbum inferentes non infimum tenet locum, uti in hoc loco indicatur, obſervatio temporum anni, dicit enim *maxime* vel *potiſſimum*, quoniam omni momento aër eſt inſpirandus, & quoniam ſine ejus præſentia vivere non poſſumus: quoties itaque aër in natura ſua eſt mutatus, protinus in nobis generantur morbi, imo interdum mors, ut patet in exhalationibus aëri miſtis a nobis aſſumtis: imo bonus aër aliquoties a nobis inſpiratus vitæ continuandæ fit inutilis, cum experimentis hodie conſtet, omne animal reſpirans vaſe quodam incluſum, ſi impediatur aëris renovatio, perire; hoc etiam experiuntur urinatores. Quare non ſolum ſufficit, ut alterne dilatemus & conſtringamus pulmones ad continuandam circulationem, ſed qui inſpiratur, bonus debet eſſe aër & ſæpe renovatus. Ex hac obſervatione non obſcure indicatur, reſpirando aliquid a nobis ex aëre recipi, quod requiritur ad vitæ ſuſtentationem, cum aliter animal potuiſſet facile in eodem vivere aëre. Si huic obſervationi adjiciamus aliud experimentum animalis viventis in vaſe clauſo, in quo hæret etiam barometrum aëris quantitatem indicans, hoc barometrum ſuo deſcenſu declarat, ab animali vivente aërem conſumi. Nullum itaque eſt dubium, quin animal vivens conſumat aërem. Quod vero in ſanguine circulante ne guttula aëris inveniatur, & quod non poſſit ingredi aër arteriam vel venam pulmonalem, ut multi contendunt, hoc non refutat experimentum certum de aëris conſumtione ab animali vivente: poteſt enim aër unitus noſtris humoribus amittere omnem vim elaſticam, quemadmodum exſtinguitur ſpirituoſum in vino, ſi comvertitur in acetum. Atque multis corporibus ineſſe magnam quantitatem aëris, nullum ſui indicium præbentis, conſtat omni obſervatione combuſtionis, fermentationis, effervescentiæ, putredinis, congelationis, quibus modis multum aëris elicitur e corporibus, in quibus experimentis phyſicis aëris præſentia non potuit detegi. Ex iis, quæ diſputavimus, probatum eſt, aërem conſumi ab ani-

animali vivente, & eam conſumtionem perpetuam eſſe debere, aërem vitiatum vitæ & ſanitati conſervandæ ineptum eſſe. Ergo ſolummodo reſtaret probare, mutationibus anni temporum mutari hanc aëris qualitatem, ut magis minuſque prona ſit ad producendos morbos. Verum hoc ſatis conſtare poteſt ex morbis, qui certis temporibus anni propullulant, ut obſervavit præ ceteris Sydenhamius. An vero hæ mutationes inducantur vario influxu ſiderum, varioque eorum aſpectu, ut veteres aſtrologi voluerunt, inutile eſt medico obſervare, hoc naturæ perſcrutatoribus relinquemus. Nobis ſufficit obſervare, äerem mutatum potentiſſimam eſſe cauſam morbos inferentem, quia nec cibus, nec potus, nec externæ injuriæ, quibus noſtrum corpus eſt expoſitum, tam frequentia ſunt, quam aëris inſpiratio.

Aeris mutationes magnæ in ipſis temporibus.

III. Quoniam non ſolum ex varietate aëris diverſis temporibus anni naturales generantur morbi, ſed etiam morbi fiunt ab aëris mutatione quocumque tempore anni, qui regulariter eo tempore non fuiſſent nati, ſatis conſtat, non oriri morbos præprimis ab influxu ſiderum, ſed ex quadam in aëre nata mutatione. Ex his mutationibus ſolummodo annumerat Calorem & Frigus, &addit *alia pro ratione*: ſcilicet obſervare quoque debet Medicus, quinam morbi fiunt cœlo ſereno, nubiloſo, cœnoſo, humido, ſicco, in ventis variis, pruina, pluvia, grandine, tonitru, aliiſque meteoris apparentibus. In his obſervavit Auctor, & poſt eum quoque omnes medici, mutationes ſubitaneas periculoſiores eſſe, quod ex iis, quæ ſupra de Conſuetudine *Aph.* 75, 11., diſputavimus, facile intelligi poteſt.

LIB. III. APH. II.

81. *NAturarum, aliæ quidem ad æſtatem, aliæ vero ad hyemem benè aut malè ſunt conſtitutæ.*

I.

Quæ tempora anni hic intelliguntur?

IN præcedente monuerat, quænam erant exſpectanda ex variis anni temporibus, nunc vero ad illa tempora applicat varias hominum naturas, volens indicare, omnia illa anni tempora æque ſalubria & damnoſa eſſe omnibus. Ex his temporibus duo citat, Æſtatem & Hyemem. Exiſtimo autem, Auctorem hic nolle indicare tantum anni partem quartam pro ſingulis, ut fieri ſolet in communi diviſione (*Aph.* 80, 1.) ſed intelligere partes anni ab uno æquinoctio ad alterum, ut paſſim quoque fecit Sydenham.

Natura quid denotat hoc loco?

II. Vocabulum *Natura* tot rebus variis adhibetur, ut vix valeamus ſimplici definitione determinare, quid ſit natura; Aliud enim eſt naturæ directionem obſervare in evacuatione; *Aph.* 21, III. Aliud iterum morbus periculoſus naturæ diſſimilis; *Aph.* 59, II. Natura valde craſſi magis ſubito moriuntur quam graciles; *Aph.* 69, 1. Hoc loco notat Habitum, Conſtitutionem, Cataſtaſin vel Temperiem corporis ſive ſit nativum, ſive artificiale per conſuetudinem, vel morbum acquiſitum, quo quidam homines ſalubrius vel ærumnoſius vivunt hyeme aut æſtate. Hanc obſervationem veram eſſe, vita quotidiana comprobat. Miramur autem cauſas, quare cum medicorum maxime interſit, iſtas paulo penitius rimabimur.

Quæ natura non fert hyemem?

III. Hyems regulariter habet aërem humidiorem & frigidiorem, ut indicant notiometra & thermometra: noſtra igitur

igitur corpora ab aëris ambientis frigiditate magis frigeſcunt; humiditas per Inſenſibilem perſpirationem expellenda, parcius aufertur: hoc tempore ventres eſſe calidiſſimos, ſupra *Aph.* 15, II. contra Hipp: refutavimus. Frigiditate hac minuitur actio vitalis, ut quædam animalia mortua jacentia, non niſi accedente calore reviviſcant: ſed omnia corpora mortua per frigus denſantur, id eſt in minus ſpatium contrahuntur: quod tam conſtans, ut ex denſatione certam habeamus quantitatem frigoris; Thermometra enim hac denſatione quantitatem frigoris, & expanſione per calorem, caloris gradum indicant. Ergo in nobis motus vitalis minuitur frigore, ſed augetur contractio automatica in fibris. Inde corpora gracilia, quia volumen majus proportionatum habent ad ſuperficiem, quæ ab aere frigido tangitur, magis quam corpora craſſa & procera ab aëre frigido læduntur. Maxime vero debilia, ſive talia ſint ex nativitate vel morbo; vel quæ corpora inſueta ſunt aëri frigido, ab aëre frigido hyemali magis afficiuntur: cum debilior motus vitalis in his per nimium frigus fere totus exſtinguatur; contra vero robuſta ob auctam contractilitatem in firmis partibus magis roborantur. Quibus itaque corporibus vis vitæ ſuperatur frigore, his frigus hyemale damnoſum; quibus vero non ſuperatur, prodeſt. Aeris etiam humiditas, quoniam minus abſorbet exhalantem humiditatem, corporibus difficile perſpirantibus admodum noxia, cum perſpirabile retentum varios generet morbos: quibus vero conſtans eſt perſpiratio, viribus corporis valentibus expellenda, aëris humiditas minus noxia, cum corporis vires valeant id inutile expellere, etiamſi per aërem ſicciorem cito non auferatur.

IV. Calor autem Æſtivus minuit contractilitatem in ſolidis, rarefacit humores, omnes motus automatici putredinis & fermentationis ſunt promtiores; ſed citior quoque fit humorum exſiccatio, ut probant omnia experimenta; in nobis motus vitalis moderato calore maxime valet, ſed nimio calore omnia corpora enervantur. Quæ corpora igitur prona ſunt in putredinem, ab accedente calore maxime læduntur: obeſa, ob defectum refrigerii nimium calo- Quæ natura non fert Æſtatem?

rem in ſe concitantia, enervantur. Sed morbis chronicis, præprimis ex defectu inſenſibilis perſpirationis natis, calor & ſiccitas æſtiva prodeſt. Hæc generalia delibavimus, caſus particulares & compoſitos examinandi, in ſequentibus Auctor noſter dabit occaſionem.

LIB. III. APH. III.

82. *MOrborum alii ad alia (tempora) bene aut male ſe habent: & ætates quædam ad tempora, & regiones, & victus.*

I.

Connexio. ETiamſi Hipp: in compoſitione Aphoriſmorum raro obſervat nexum, quem tamen multi Commentatores ſedulo quæritant, hoc in loco facile concipitur: agit enim de variis effectibus temporum anni; hoc propoſuit in varia natura & temperamento, hoc nunc loco eoſdem perſequitur in ſtatu morboſo, & ætate varia. Ergo primò ponendum eſt, hic velle indicare Hippocratem tempora duo antea citata, æſtatem nempe & hyemem: in quibus dicit, quoſdam morbos ſe bene & male habere. Itidem ætates variæ his temporibus ſe melius & pejus habent: his denique addit ad ætates pertinens, Regiones, & Victus. Totus hic ergo Aphoriſmus eſt generalis, & inde fundamentum multorum ſpecialium.

Morbi facile & difficile ferentes hyemem. II. Hoc loco duntaxat attendendum ad generalia, quæ hyeme contingunt, ut aëris humiditatem & frigiditatem, quoniam hyems ſi ſit ſicca, ventoſa, calidior, ſi varii flant ventus, hoc ſuis locis eſt exponendum. Superius notavimus, regulariter motum vitalem minui, & contractilitatem augeri,

augeri, parcioremque fieri difflationem; adeoque omnes morbi, qui conjunctam habent debilitatem virium, qui lentum habent humorem, motu vitali & calore majore solvendum, quique præprimis per insensibilem perspirationem expellere debent materiem, difficile ferunt hyemem: quales sunt omnes morbi nervorum, febris quartana, gravedo, tussis, hydrops, leucophlegmatia, vertigo, apoplexia, debilitas ex morbo relicta, cachexia, cruditas, pituita, & multi alii in particularium examine proponendi. Quibus vero morbis est motus vitalis major, putredo cum adjuncto calore, hyeme facilius illos morbos tolerant: in quo numero sunt Acuti inflammatorii, erysipelatosi & putridi, quibus, si in æstate obtinent, adhibentur antiphlogistica & refrigerantia diluentia.

Æstatem.

III. Ordo dicendi tantummodo est invertendus, nam qui morbi facile ferunt hyemem, difficile ferunt æstatem; quique, difficile ferunt hyemem, facile ferunt æstatem, ut accedente calore & siccitate æstiva, sponte evanescant illi morbi, quos optimis medicamentis non potuimus expugnare.

Tempora ætatibus magis minusque convenientia.

IV. Cui ætati summus est corporis vigor, ut nimis instigatis viribus majus sit periculum exspectandum, quam ex virium imbecillitate, talis ætas facile fert hyemem, quæ sua frigiditate & humiditate temperat prævalentem motum vitalem, & tonum contractionis laxat seu resolvit aliquomodo, qualis ætas observatur in juvenili & virili ætate, æstate autem magis periclitantur. Cui vero ætati est naturalis infirmitas fibrarumque atonia, sive quod non satis firmatæ sint, uti in infantibus & pueris, sive quod callosæ & inertes sunt factæ, ut in senibus, hæc ætas difficile fert hyemem; & in sola æstate bene degunt, apricaque loca quærunt, ut refocillentur senes.

Regio ætatibus magis minusque conveniens.

V. In Regionibus solas qualitates manifestas observare volumus, ut maneamus in generalibus. Hæ sunt siccæ, frigidæ, humidæ & calidæ, vel de utrisque participant. Quare ex iis, quæ supra delibavimus, facile intelligi potest, Regiones calidas & siccas pueris & senibus conducere; sed frigi-

frigidas & humidas magis juvenibus & viris, etiamſi nemini ſalubris ſtatuitur Regio, in qua humiditas cum frigiditate jungitur, iſtud tamen incommodum facilius fert conſtans ætas viribus pollens, quum quorum corpora ſunt imbecillia ex ætate, quum vires debiliores ab his noxiis cauſis facile ſuperantur, quibus facile reſiſtere poſſunt robuſtiores.

Victus ætatibus magis minuſque conveniens.

VI. Quali ſenſu accipiatur Victus, ſuperius *Aph.* 4, II expoſuimus. Hoc in loco videtur ſolummodo reſtringi ad alimentorum aſſumtionem, vel nutritionem: quare videndum, qualia & quanta alimenta ſingulæ ætati conveniant. Alimenta tenuia, facilis materiæ, ſæpe & parum ſimul ingeſta pueris conducere, ſupra *Aph.* 16, III demonſtravimus. Eadem quoque diæta ob corporis imbecillitatem ſenibus quoque convenit. Sed Juvenibus & viris alimenta copioſiora ſunt danda *Aph.* 13, 1, & quæ minus facile ſolvuntur, quia eorum corpora valentia, nimis cito ſubigerent & expellerent præcedentia genera alimentorum.

LIB. III. APH. IV.

83. *IN temporibus, quando eadem die, modo calor, modo frigus ſit, autumnales morbos exſpectare oportet.*

I.

Qui morbi dicantur autumnales.

OMnes morbi, qui in Autumno aggrediuntur hominem, ex tempore illo vocantur Autumnales, hos autem Hipp: hoc loco non intelligit, quoniam dicit in temporibus, quare quoque reliqua tempora anni intelligit. (2) Illi etiam morbi nominari poſſunt Autumnales, qui magis in Autumno viſuntur, quam in aliis anni tem-

temporibus, quos in ſequentibus tradit, ut ſunt febres quartanæ, erroneæ, lienes, hydropes, tabes, urinæ ſtillicidia, lienteriæ, dyſenteriæ, iſchiades, anginæ, aſthmata, volvuli, epilepſiæ, inſaniæ, melancholiæ, ſemitertianæ, continuæ ex intermittentibus, rhachitides, podagra, arthritis, tuſſes, gravedines. Vel (3) Qui morbi aliis temporibus ſævientes, typum induunt morbi autumnalis, nempe ut ſint difficiliores curatu, pertinaciores, magis anomali, faciliuſque recidivantes, & periculoſiores, quam iidem morbi iſtis temporibus nati ſine tali aëris frigidi & calidi viciſſitudine prægreſſa. Utrumque mihi videtur hoc loco ab Hipp: intelligi per Morbos Autumnales: quoniam ex hac cauſa aliis temporibus anni naſcuntur morbi, qui ordinario in autumno adoriri ſolebant; &, ſi morbi iſtis temporibus ſoliti naſcuntur, fiant magis pertinaces &c:

II. Noſtrum corpus ex conſuetudine ferre poſſe deteriora, & conſueta non facile mutanda eſſe, in antecedentibus *Aph.* 75 & 76, expoſuimus; ex quibus colligitur, noſtrum corpus multum affici ab omni ſubita mutatione, ſit in melius, ſit in pejus. At vero ſi eodem die, modo ſit calor, modo frigus, plane conſtat, noſtrum corpus vario modo affici, ut inde poſſimus generaliter pronunciare, viciſſitudines caloris & frigoris, ut ſupra *Aph.* 80, morbos parere, præprimis ſi tam crebræ fiant mutationes eodem die. Non vero ſenſus Auctoris ita eſt accipiendus, ac ſi exiſtimaret, ſi modo uno die hæc contingeret mutatio, hoc valere ad morbos autumnales producendos, addit enim in *temporibus*, quæ phraſis ſignificat multos dies ſucceſſivos. Ergo ſi per aliquot dies ſucceſſivos, jam frigus, jam calor habeatur, Morbos Autumnales exſpectare oportet. Hoc habuit Auctor ex conſtante obſervatione, atque hodie quoque idem a medicis obſervatur. Multi hac pura obſervatione non ſunt contenti, accuſantes noſtrum Auctorem, eum nullam addidiſſe rationem. Ego autem exiſtimo, non opus eſſe in aphoriſtico ſcribendi modo, ubique obſervatis practicis adjicere rationes, ſufficit enim in Aphoriſmis generales obſervationes promulgare: ſed qui aggreditur expoſitionem

Cur crebra aëris calidi & frigidi viciſſitudo producit Autumnales?

ſententiarum, ad majorem fidem, uſum, & faciliorem intellectum, bene agit, ſi addit rationes earum obſervationum, an reſpondeant legibus naturæ. Hunc ſenſum itaque in formam quæſtionis commutavimus, cujus prima pars patet, morbos nempe generari hac aeris viciſſitudine, quia in antecedentibus hæc res fuit agitata: ſed cur Autumnales fiant, nempe illi, qui in Autumno adoriri ſolent, ex ſimilitudine mutationis in aere profluunt, quoniam dicti morbi Autumnales præcipue formantur ex aeris viciſſitudine, quæ nullo tempore anni frequentior eſt, quam in autumno: ſi igitur frigoris caloriſque viciſſitudo poteſt in autumno iſtos morbos generare, eadem cauſa alio anni tempore eoſdem quoque poteſt producere morbos: & quia cauſa eſt ſimilis, morbi nati eodem modo decurrunt, ut ſint pertinaciores ſolitò, & graviores.

Morborum autumnalium natura.

III. Autumnus non ſolum morborum ferax, ſed & quos producit, obſervantur *Pertinaces*, diutius durantes, quam ſimilis morbus in alio anni tempore: qui enim corripitur quartanâ vel tertianâ, utplurimum eadem vexari ſolet uſque ad vernale tempus, cum aeris varietas jam prohibendo perſpirabile, jam vero retentum ſuperveniente calore & humiditate, (veteres autem dixerunt autumnum eſſe frigidum & ſiccum, ſed notiometra noſtram ſententiam firmant) in curruptelam convertit, & impedit exhalare, aut actione vitæ concoqui; quare morbi non tam facile ſuperari poſſnnt actione vitæ, quam vernali tempore, quod coctionem & exhalationem promovet. Et quia fere omnes morbi methodica curatione, id eſt directione virium, ſunt expugnandi, ex eadem ratione data fiunt *Curatu difficiles*. Si vero materia morbi ſubacta videtur, quia ſymptomata ſilent, retenta vero ſenſim recrudeſcit, vel facit *Recidivam*, vel abit in aliud genus morbi. Quando autem viribus vitæ ſubigitur morbi materia & expellitur, talis ſequitur typum regularem; ſed ſi ſubigi & expelli non poteſt, ſæpe mutat morbi faciem, pro diverſa corruptela, quam ſubit retenta materia; inde redduntur autumnales ſæpe *Anomali*. Neque caret *Periculo* toties vario genere morbi affligi diutius durantis.

LIB.

LIB. III. APH. V.

84. *AUſtri Auditum gravantes, caligniosi, caput gravantes, ſegnes, diſſolventes. Quum hic dominatum tenuerit, talia in morbis patiuntur. Si vero aquilonium fuerit anni tempus, tuſſes, fauces aſperæ, alvi duræ, urinæ difficultates, horrores, dolores coſtarum, pectorum. Quum hic dominatus fuerit, talia in morbis exſpectare oportet.*

I.

Ventus quid ſit.

NAturalis tranſlatio aëris ab una telluris plaga in alteram ab omnibus vocatur *ventus* ut & aëris propulſio arteficioſa, folle, flabello, vel quavis alia machina: hoc autem loco intelligitur ventus naturalis. Dum igitur ita tranſfertur aër, exhalationes atque vapores aëri miſti ſimul transferuntur; atque ex plaga calidiore veniens ſimul calorem adfert, e contra vero ex frigido loco veniens frigiditatem aſportat: & prout loca magis humida vel ſicca ſint, ex quibus ad nos veniunt venti, ſimul obſervantur ſicciores vel humidiores. Venti corporis noſtri ſuperficem lambentes ſecum ferunt atmoſpheram calefactam, & novum ſuppeditant aërem a nobis non calefactum; quare venti ſemper nobis videntur inferre frigus. Thermometra autem docent, aërem vento vel folle agitatum non producere majus frigus. Quibuſnam cauſis generantur venti varii & inconſtantes, atque eteſiæ, non eſt hujus loci exagitare.

Ventorum obſervationes an omnibus regionibus quadret?

II. Quoniam venti vel motu vel qualitate nocere & prodeſſe poſſunt, quæ ex aëris motu proveniunt, generalem uſum habent, ſed quæ aëris qualitate producuntur, pro regio-

gionum ſitu admodum ſunt diverſa. Ex qualitatibus autem aeris generalibus, ut de humiditate & ſiccitate, calore & frigore, puritate & impuritate, generales poſſunt longa obſervatione conſtantes acquiri regulæ, ſed quæ obſervantur in ventis, magis ſpectant ad ſingulares regiones, ubi homines habitant: quare obſervatio in hoc Aph: magis ſpectat ad morbos endemios, quam ad morbos univerſales.

Auſter quos morbos parit?

III. Duos hic proponit oppoſitos ventos, unum ex meridie, alterum ex ſeptentrione ſpirantem, ergo ille venit ex loco calidiore in frigidiorem, hic vero ex frigidiore in calidiorem. Non concipiendum eſt, noſtrum Auctorem per Auſtrum vel motum ſolum illum voluiſſe ventum, quem Belgice vocant *Zuiden*, ſed & omnes intelligit, qui aliquid de auſtro participant inter Zephyrum & Eurum. Quod etiam intelligendum eſt de Aquilone ſeu Borea. Experimentis conſtat, aquam ab aere calido elevari, & cum aere circumferri, qui aer magis refrigeratus vapore prægnans, ad corpora frigida applicatus facit vaporem in guttulas colligi, corporique frigido adhærere, imo guttatim deſtillare, quod non ſolum in inſtrumentis deſtillatoriis quotidie experimur, ſed & quovis corpore frigidiore expoſito aeri calidiori experiri poteſt, quare lapides & parietes frigidi, dum mutatus ventus adferat aerem calidiorem, vaporem ex eo aere colligunt, quando vulgus exiſtimat, humorem illum ex lapide vel pariete tranſſudare. Regulariter igitur Auſtri venti ſunt calidiores & humidiores, niſi mutetur diverſitate regionis, per quam tranſiit ille ventus.

De hoc vento pronunciat, eum *auditum gravare*, βαρυήκοοι dicit, id eſt eo flante vento minus acute audire valemus, quod vel in corpore ſonoro, vel aëre transferente ſonum, vel in ipſo organo auditus latitare poteſt. Videtur mutatio aëri inducta aliquid in omnibus præſtare. Corpora enim ſonora aliquomodo humectata obtuſiorem ſonum edunt; atque aer vaporibus ſaturus minus elaſticus, tremores ſuſcitatos minus propagat; noſtraque corpora tepore & humiditate aëris enervata, non tam acute ſentiunt.

Ex

Ex eodem humido vapore aeri miſto radii lucis non tam libere tranſeunt per aerem. Quo enim aer ſiccior, eo pellucidior; quare hi venti aerem aggravantes humiditate dicuntur *Caliginoſi* ἀχλυώδεες, quam viſus caliginem veteres experimentis phyſicis non ſatis inſtructi, ex alieno principio, quod non eſt hujus loci exagitare, deduxerunt.

Eadem aëris humiditas & enervans tepor facit in partibus firmis atoniam, minuitque humiditas difflationem corporis, quare corpora in tali udo aere ad ſenſum fiunt graviora, & ſæpe etiam ad ſtateram; ita enervata corpora, minus valentia firmare partes, videntur graviora: non quod ipſe aër ſit factus, ut indicant Baroſcopia, gravior, ſed quia noſtrum corpus in tali aere amiſit aliquid de viribus ſuis; inde non ſolum *Caput gravantes* καρηβαρικοὶ, ſed *Jegnes* & *Diſſolventes.*

IV. Ut Auſter ex loco calidiore ſpirat, ita Aquilo ſeu Boreas ex ſeptentrione veniens frigus inducit, in Belgia Zephyro Boreas ſeu Cirſius, Belg: *Noord weſt* plerumque ſimul humidus eſt & impetuoſus; ſed Euro-Boreas, ſeu Vulturnus, Belg: *Noord-ooſt*, ſiccior & frigidior fere ſemper, qui ventus anno 1740 in principio Januarii tam urens Induxit frigus, ut hydrargyrus ſub ſignis in thermoſcopio deſcenderet, ſeu ſuperaverit 32 gradum ſub ſigno gelu. Homines attamen vix ullo morbo in Belgia corripiebantur: ſi autem Cirſius ſpirat, aerque humidior eſt, multi obſervantur morbi, qui ab Auctore noſtro citantur. Aquilo quos morbos parit?

Si enim aër frigidior & humidior ingruit, prohibens exhalationem humiditatis ex pulmonibus atque coporis ambitu, hæc materia muco tracheæ intricata, acrior, irritando *Tuſſes* producit, tam diu durantes, donec vel ſubacta ſit, aut per exſcreationem, perſpirationem, vel urinam, ejecta ſit.

Ea quoque materia retenta in lateribus faucium, iſta tumere facit, & faucium æqualem ſuperficiem exaſperat, naturalique muco obliniente privat, unde vox rauca, & fauces in deglutitione & loquela, ac ſi eſſent epithelio ſuo privatæ, dolent, quem morbum φαρυγγες vocant. *Alvum durio-*

duriorem non tam conſtanter obſervare potui in hominibus; neque *urinæ difficultates*, niſi in debilibus & catarrhoſis, qui in aere ſicciore id acre per inſenſibilem perſpirationem evacuare ſoliti, nunc magis ad renes ducebant, ut inde quædam nephritidis ſpecies, quam lymphaticam vel catarrhoſam vocant, naſceretur.

Quoniam nulla pars noſtri corporis magis eſt aëri expoſita, quam pectus, quod non ſolum, ut reliquæ corporis partes, externe tangitur ab aere, ſed intus ſingulis reſpirationibus aerem haurit, præ ceteris ab aëris mutatione afficitur, unde *Coſtarum* ſeu potius *Pleuræ* & *Pectoris dolor.*

V. Quemadmodum illi ventus producunt dictos morbos in hominibus ſanis, ita etiam morbo aliquo decumbentes interdum iiſdem inſuper morbis corripiuntur, qui ab aeris natura dependent, quod voluit monere Auctor, ne phænomena illa ex vento producta adſcribantur morbis, quibus jam antea ægri decumbebant.

LIB. III. APH. VI.

85. *QUum Æſtas ſit Veri ſimilis, ſudores in febribus multos exſpectare oportet.*

I.

Æſtas veri ſimilis.

VEre, quoniam ob telluris frigiditatem major eſt collecta humiditas in prægreſſa hyeme, per accedentem ſolis calorem multum vaporis ex terra elicitur, plantis præbens nutrimentum & incrementum, quod vero ſenſim in æſtate evaneſcit: quare ex minori altitudine ſolis eſt tepidum, & per copioſiorem exhalationem ex tellure eſt humi-

humidum ver: interdum vero vento vario, aliqua accedente alia tempeſtate, ver has ſolitas non obtinet proprietates. Æſtas autem per majorem ſolis elevationem, & continuatam exhalationem e terra facit aerem calidum & ſiccum, quoniam tellus humido privata, aerem non amplius humectare poteſt: interdum vero imbribus cadentibus, aliiſque tempeſtatibus, & ventis ex ſeptentrione ſpirantibus, naturalis conſtitutio mutatur. Quando igitur Hipp: dicit, Æſtatem Veri ſimilem eſſe, intelligit, naturalem tepidam & humidam aeris conſtitutionem haberi in æſtate.

Cur rune ſudores multos in febr busex ſpectare oportet?

II. Exſpectare oportet, conſuetus eſt Hippocratis dicendi modus, quando indicare vult, frequentiſſime aliquid fieri, ſed tamen non ſemper. Ergo quando æſtate tales oriuntur febres, hæ ſolent finiri ſudoribus. Inde valet hic Aphoriſmus ad prædictionem ſudoris in febribus; atque in curatione quoque ſcimus, quid ſit agendum, quænam evacuatio eſt promovenda, ut eliminetur morbi materia. Ut hæc Prognoſis & Indicatio curativa firmetur, non ſolum experientia, ex qua noſter Auctor hunc canonem deſumſit, ſed etiam ratio eſt conſulenda. Sciendum eſt, corpora temperate viventia hyeme ponderaſiora eſſe, quam æſtate, quia æſtas calidior & ſiccior id abundans per inſenſibilem perſpirationem aufert; largiorem quoque eſſe difflationem ſalubrem æſtate quam hyeme, ut id, quod calore majore corrumpitur, magis in æſtate quam hyeme hac difflatione copioſiore auferatur. Si igitur æſtas ſit frigidior & humidior, minuitur inde perſpiratio inſenſibilis, atque materia, quæ debebat exhalare, colligitur in corpore. Ex hac materia ſæpe generantur febres æſtivæ in citata tempeſtate frequentiores, habentes materiem perſpirabilem corruptam pro materia. Naturale igitur eſt & ratione conveniens, ut materia talis febrem excitans eliminetur per proprium ſuum organum, nempe cutim, quia huic organo magis quam aliis conveniens *Aph.* 21, IV. Sed quando perſpirabilis humor majore copia exit, ſudorem præbet; in tali febre ſudoris evacuatio eſt critica. Poteſt tamen ſine ſudore finire, modo eadem materia minore copia inſenſibiliter diffletur, quod

minus

minus frequens eſt, evacuata parte craſſiore cum urina, quæ laudabile ſedimentum coctum continet.

LIB. III. APH. VII.

86. *IN ſiccitatibus febres acutæ fiunt. Et, ſi annus quidem pro majori parte talis fuerit, qualem fecit conſtitutionem, ut plurimum etiam tales morbos exſpectare oportet.*

I.

Aeris nimia ſiccitas quid faciat.

IN præcedente notaverat, æſtate multos exſpectandos eſſe ſudores in febribus, ſi æſtas eſſet veri ſimilis; ergo nunc in hoc Aph. aliam obſervat aeris conſtitutionem, in qua excellit nimia aeris ſiccitas; nam ἀυχμὸς magnam & nimiam ſiccitatem denotat, plerumque ex vehemente æſtu provenientem; indicat interdum etiam ſiccitatem ſummam cum frigore, quali modo in altera parte hujus aphoriſmi eſt accipiendum; in qua non ſolum intelligit Auctor ſiccitatem æſtivam ardentem, ſed & ſiccitatem cum mitiori calore, imo cum frigore. Ergo in expoſitione hujus non eſt attendendum ad ullam aliam aeris qualitatem, quam ad ſolam ſiccitatem nimiam, ſeu quæ exceſſum facit. Experimentis conſtat, quo ſiccior eſt aer, eo avidius aquoſum humorem imbibit, corporaque humida humiditate privat, ut docent notiometra. Quare maſſa liquida, partim conſtans volatilibus aquoſis, partim fixis aeri non miſcibilibus partibus, in tali aere admodum ſicco & præcipue æſtivo tempore, privatur omni humiditate aquoſa: & partes firmæ humidis naturaliter irrigatæ, fiunt aridæ. Ergo ſanguis noſter, qui totus non eſt volatilis & aquoſus, amittit in tanta ſiccitate omne ſuum fere humidum, quare rema-

remanens magis ſpiſſum, continebitur in arteriis & venis. Membranæ, fibræ, vaſa, in nobis ſemper humida, per tantam exſiccationem fiunt arida, & quia ſiccando ſimul accurtantur fibræ, partes firmæ fiunt graciliores, ſicciores, magiſque contractæ.

Cur in ſiccitatibus febres acutæ?

II. Ex hac inducta mutatione in humoribus & partibus firmis deducendum eſt, cur frequentius formentur Febres Acutæ, quam in alia aëris conſtitutione. Si tali in corpore nunc ponatur noxium morboſum, irritans actionem vitæ, facilius nunc, quam in alia conſtitutione generabitur Febris Acuta: nam partes firmæ per ſiccitatem admodum tenſæ, validius ſe movent, quam dum eſſent laxæ & humidæ, ut chorda ſicca tenſa ſi pulſatur, validius oſcillat. Inde motus corporum viventium ſtimulo morboſo agitatus validiorem actionem exercet, qua formatur ſummus corporis ardor, quod eſt ſummum criterion febris acutæ. Hoc motu aucto, agente in ita inſpiſſatum ſanguinem, ſtatim formatur Lentor ſeu inflammatoria diſpoſitio in ſanguine, qui in ſanguine magna copia humidi diluto tam cito formari nequit; inde, quod reſtabat in ſanguine fluidum, hoc motu compingitur in lentorem, cui accedit cutis ſumma ariditas, ſitis intenſa, ob humidi defectum. Quæ omnia juncta ſi inveniantur phænomena, uno nomine vocantur Febris Acuta. Si vero idem noxium ſtimulans acceſſiſſet, ſed in ſanguine magis diluto, & partibus firmis laxioribus & humidioribus, nondum inde tantus calor, & ſiccitas eſſet formata.

Altera pars Aph.

III. Quoniam talis diſpoſitio nata in corpore per nimiam ſiccitatem æſtate facilius producit febres acutas, aliis etiam anni temporibus idem genus morbi inferre poteſt. Hinc poſſumus formare prædictionem, ſi conſtitutiones aëris diu fuere ſiccæ, exſpectandas eſſe Febres Acutas, etiamſi adhucdum talis febris non ſit præſens, quia hæc conſtitutio pronior eſt ad producendas Febres Acutas quam quævis alia. Inde tamen non inferre licet, aëris ſiccitatem minus ſalubrem eſſe, quam ejus humiditatem: unaquæque tempeſtas excedens ſuos morbos infert, ſed ſi reſpicia

ſpiciamus ad numerum & frequentiam, Tempeſtates humidæ multo plures & frequentiores inferunt morbos, quam ſiccitates.

LIB. III. APH. VIII.

87. *IN conſtantibus temporibus, ſi tempeſtivè tempeſtiva reddantur, conſtantes, & judicatu faciles fiunt morbi: in inconſtantibus autem, inconſtantes, & difficiles judicatu.*

I.

Tempora anni Conſtantia & Inconſtantia.

TEmpora anni a ſolis curſu pendentia (Aph. 80, 1.) *Conſtantia* ſunt; ſed & his temporibus regularis fit quædam aeris mutatio in caliditate, frigiditate, ſiccitate & humiditate. Poteſt etiam his temporibus alia eſſe aëris conſtitutio, ut, qualis ſolet eſſe in autumno vel vere, accidat Æſtate vel hyeme, & viciſſim: hæ mutationes lente vel ſubito incidere poſſunt. Quando igitur unaquæque naturalis cuicumque tempori anni habetur aëris conſtitutio, & illa ſenſim ingruit manetque conſtans, tempeſtivè tempeſtiva redduntur, & dicuntur *Conſtantia.* Si autem aliena & ſæpe mutata aëris qualitas iſtis temporibus anni fiat, dicuntur tempora *Inconſtantia.*

Conſtans & inconſtans morbus.

II. Ex tempore anni, quo venit morbus, *morbus* dicitur *Conſtans* & *Inconſtans:* & qui morbi autumno, vere, vel alio anni tempore venire ſolebant, ſi in alio tempore incidunt, dicuntur *Inconſtantes*; ſed ſuis temporibus venientes reſpectu temporis dicuntur *Conſtantes:* unde habentur morbi autumnales, vernales &c. Sed & etiam morbi ſemel nati, ſi ſequuntur regularem mutationem, etiam dicuntur *Conſtantes;*

tes; qui vero anomalam mutationem faciunt, jam in melius jam in deterius tendunt, variaque ſymptomata inferunt, dicuntur *Inconſtantes*.

III. Quod hic dicitur *judicatu facilis*, in Textu eſt εὐκρινὴς denotans purum, diſtinctum, ordine locatum. Intelligitur igitur morbus ſimplex, minime vero aliis morbis complicatus, aut anomalis ſymptomatibus ſtipatus: quare facile eſt judicium ferre, uti in omnibus rebus ordinatis & ſimplicibus, qualiſnam exitus ſit futurus; utque in his quoque facilior ſit evacuatio critica, quam in morbo anomalo & compoſito, quare ex ratione tales morbi dicuntur judicatu faciles, tam quoad prognoſin, quam ad curationem. *Difficiles* autem *judicatu* in Textu δυσκριτος, ſunt morbi, qui admodum inordinati ſunt, variis ſtipati ſymptomatibus, aut ex variis compoſiti, de quibus nulla certa prognoſis aut curatio promitti poteſt, quique etiam difficilius curantur, quam tales morbi eodem nomine inſigniti curari ſolent. Facilis & difficilis judicatu morbus.

IV. Admodum pauci oriuntur morbi, ſi ſingula anni tempora ſuam naturalem conſtitutionem caloris, frigoris, humiditatis & ſiccitatis habent, & tempeſtivè, id eſt una conſtitutio non ſubito, ſed lente alteram excipiat, quoniam tunc corpus noſtrum non patitur ex ſubita mutatione, quæ multos morbos parit (vid. Aph. 80). Si vero morbus fiat, quoniam interim corpus nihil patitur ex tempeſtatis inconſtantia, vis vitæ medicatrix morborum, in ſua functione non perturbata, conſtantem facit morbi materiæ mutationem, modo non avertatur præpoſtera curatione. Unde valet medicus in hiſtoriis morborum peritus præſagire naturales in eo morbo mutationes, atque auxilia adhibita multo certius, quia actio corporis per variam tempeſtatem non mutatur, ſuum effectum ſortiuntur, ut æger citius liberetur a morbo, ſubacta & expulſa ejus materia. Cur morbi judicatu faciles ex conſtitutione temporis?

V. Si vero admodum inordinata & intempeſtiva eſt aëris conſtitutio, multo plures naſcuntur morbi, & qui fiunt propter variam hanc cauſam magis obſervantur complicati, ſeu Cur morbi judicatu difficiles ex conſtitutione temporis?

ſeu plus quam uno morbo affligitur æger; quare ex confluentibus phænomenis non tam facile erit decernere, quibuſnam morbis decumbat æger; nam quædam ſigna characteriſtica unius morbi, per cauſam alterius exſtinguuntur vel invertuntur: atque morbus tunc magis irregulares facit mutationes, tum quia morbus eſt complicatus, unus alterum perturbans, tum quod varia aëris conſtitutio perſeverans morbi naturam aliquomodo invertat. Quare impoſſibile eſt, ut peritus etiam medicus certam prognoſin formare poſſit ex regulari mutatione, quæ nunc omnino eſt irregularis. Et quoniam inde incerta fit cognitio, talis quoque fit curatio, quia vires corporis pluribus morbis preſſæ non tam conſtanter & facile morbi materiem poſſunt ſubigere & expellere, ac ſi unicus morbus eſſet ſuperandus. Impeditur inſuper vis vitæ morbum ſuperare per inæqualem illam conſtitutionem aëris, dum aliter in conſtitutione tempeſtiva juvamentum accipit.

LIB. III. APH. IX.

88. *IN autumno morbi acutiſſimi & pernitioſiſſimi omnino: Ver autem ſaluberrimum, & minime exitiale.*

I.

Scopus Auctoris.

IN hoc Aph: conatur Auctor deſcribere diſcrimen temporis, ut medicus ex generali temporum obſervatione diſcat, quodnam tempus anni magis minuſque ſalubre vel exitiale ſit: ex iſtis temporibus eligit Ver & Autumnum ſeu tempora æquinoctialia. Pro Autumno intelligi poſſunt ſeptembris, octobris, & novembris; & pro Vere Martius, aprilis, majus; quæ tempora multo facilius concipiuntur, quam

quam ab ortu & occaſu ſtellarum. Neque opus eſt tam anxie definire hæc tempora in morborum Autumnalium & Vernalium obſervatione; aeris enim major & minor calor his temporibus morbos Autumnales & Vernales citius & tardius oriri facit.

Quinam Acutiſſimi morbi?

II. Ut intelligatur, cur in Autumno ſæpe vel omnino fiunt morbi Acutiſſimi & Pernitioſiſſimi, conſtare debet, qualis morbus his nominibus a medicis accipiatur. Morbum Acutiſſimum idem fere ſemper indicare, quod Breviſſimum, ex iis, quæ ſupra *Aph.* 7, 1, & *Aph.* 24, III. expoſuimus, facile colligi poteſt. Hunc ut ſervent ſenſum maxime laborant Interpretes in hoc Aphoriſmo, quoniam experiuntur Autumnales fere ſemper longiores eſſe Vernalibus morbis; febris enim tertiana & quartana intermittens, imo ipſa febris continua diutius affligit ægrum in Autumno, quam ſi ſimili febre vernali tempore corripiatur *Aph.* 50. Quare non credo Hipp. per morbum Acutiſſimum intellixiſſe morbum breviſſimum, ſed vehementiſſimum & acerrimum. Atque ſenſus hujus Aph: admodum eſt planus, ſi per morbum acutiſſimum intelligamus morbum Acrem, Vehementem, multos labores & moleſtias inferentem, quoniam ex practica obſervatione conſtat, morbos Autumnales pluribus & gravioribus ſymptomatibus ſtipatos eſſe, quam Vernales.

Quinam Pernitioſiſſimi morbi?

III. Triplex eſt morborum exitus, nempe in ſanitatem, alium morbum & mortem. Morbos Autumno natos dicit Hippocrates, Pernitioſiſſimos eſſe, id eſt, propter vehementiam, magnitudinem cauſæ, vel malignitatem, morbi Autumnales frequentius mortem minantur, quam morbi Vernales: quare Autumnus pertinaciorem vel majorem morborum cauſam generat, quam alia anni tempora.

Cur in autumno, morbi acutiſſimi?

IV. Morbum Acutiſſimum denotare in hoc loco Morbum Vehementem & Acrem, ſuperius indicavimus, ſed cur talis morbus frequentius in Autumno, quam aliis anni temporibus obſervatur, hoc loco inquirere reſtat. Quidam generationem morborum Acutiſſimorum in Autumno adſcribunt fructibus, tunc copioſius naſcentibus & aſſumtis; alii aëris

inæqualitati, ut jam ſit calor, jam vero frigus; alii denique cutis conſtipationi. Quare non ſatis inter Auctores conſtare videtur, quænam ſit vera cauſa in Autumno horum morborum. Certe autem ſcio, nullum accedere Autumnum, quin præceſſerit Æſtas. Regulare eſt aeris calorem Æſtate majorem eſſe quam in Autumno; atque in æſtate humores diſponi ad putredinem & acrimoniam; corpuſque noſtrum hoc tempore largius perſpirare, quo facile expellit id corruptum & acre. Si nunc mutetur aëris caliditas in frigiditatem, & ſiccitas in humiditatem, qualis mutatio in Autumno eſt naturalis; quæ corrupta fuere in telluris ambitu & auferebantur, quam diu aderat aeris calor & ſiccitas, nunc ob telluris remanentem calorem attolluntur, ſed per aëris frigiditatem & humiditatem non auferuntur, quare miaſmata corrupta ad tellurus ambitum ſuſpenſa a nobis contiuuo hauriuntur, corporique noſtro applicantur: quæ quum ſint acria, aliena, & corrupta, ſæpe noſtrum corpus inficiunt, & quoniam nobis admodum ſunt aliena, non facile actionibus noſtri corporis ſubigenda, pariunt morbos ſuæ naturæ convenientes, id eſt Acutiſſimos, vehementes, & acres; corruptio enim per calorem inducta acerrimam acrimoniam inducit. Hæc fiunt ratione cauſæ applicatæ, ſed ipſum noſtrum quoque corpus hoc tempore parat morboſam materiem; nam æſtivo calore humores excrementitii fiunt acriores, verum quia in calore exonerantur per inſenſibilem perſpirationem, corrupti hi & acres humores nullum poſſunt inferre damnum. Verum facta mutatione aëris in Autumno, minuitur perſpiratio inſenſibilis: corruptum id non amplius evacuatum, ſed in corpore retentum, mora ſenſim acrius factum, morbum Acutiſſimum generat. Ex hac vel illa, vel binis cauſis ſimul, generantur morbi Acutiſſimi Autumnales, quæ cauſæ tam frequentes aliis anni temporibus non concurrunt, quare Autumno frequentius morbi Acutiſſimi obſervantur. Conf. *Aph.* 50, IV.

Cur pernitioſiſſimi?

V. Homo materiâ morbi infectus, ut in ſanitatem redeat, debet hanc materiem vel ſubigere actione vitæ aut medicamenti, vel expellere: ſi vero hoc præſtare nequit, vel

quia

quia materia nimis pertinax eſt, vel continuo additur nova, tandem ſuperatis viribus vitæ, moritur. Ex præcedente deſcriptione liquet, utrumque malum in morbo Autumnali excellere: corruptum enim in aëre nobis communicatum, ut & quod in nobis natum fuit per æſtivum calorem, ad ſummam acrimoniam fuit evectum, unde magis pernicioſum ſeu lethale, quam quod minore calore productum fuit. Atque id alienum non ſolum eſt expellendum & ſubigendum, verum dum æger premitur morbo, continuo nova aggeritur materia, nam haurimus interim aërem miaſmatibus ſimilibus infectum, & quod in corpore receptum fuit, propter parciorem diffiationem vix valemus excutere, quare tandem detritis viribus ſuccumbimus, vel difficulter ſuperamus morbum. Quales morbi dicuntur lethales, & pernitioſiſſimi, non quod ſemper mortem inferant, ſed ſæpius, quam ſimiles morbi Vernales.

Ver ſaluberrimum & minime exitiale.

VI. Ut ſpatium trium menſium tribuitur Autumno, ita etiam veri, hoc autem habet antecedentem Hyemem, in qua multi ſunt collecti in corpore humores, ſed vero multo minus ob præcedens frigus, corrupti. Quare morbi Autumnales præcipue oriuntur ex vitiata qualitate, dum morbi Vernales fere ſemper ex abundantia proveniunt. Hæc autem abundantia per ſubſequentem calorem, atque largiorem perſpirationem facillime tollitur, vel evacuantibus artificialibus demi poteſt. Quare rariores hoc tempore fiunt morbi, quam in Autumno, & qui naſcuntur ex abundantia, minus ſunt exitiales, quam ex vitiata indole humorum fiunt, faciliuſque tolluntur, quoniam nova non accedit materia, atque recepta malignitas per largiorem perſpirationem facilius excutitur. Hæc autem omnia, quæ de morbis Autumnalibus & Vernalibus dicta ſunt, generaliter ſunt capienda; interdum enim vere quoque obſervantur morbi acutiſſimi & pernitioſiſſimi, dum in autumno habentur morbi leviores; quare hæc obſervatio non eſt admittenda ſine ulla exceptione; ſed quod plerumque hoc obſervetur.

LIB. III. APH. x.

89. *AVtumnus tabidis malum.*

I.

Connexio. IN præcedente Aph: egit Auctor de inſalubritate Autumni & ſalubritate Veris in producendis morbis acutiſſimis & pernitioſiſſimis: inde hoc loco ſtatim ſubnectit obſervationem in Chronicis, & quemadmodum ex Acutis citavit Acutiſſimos & pernitioſiſſimos, ita ex Chronicis quoque maxime Chronicum & pernitioſiſſimum proponit, nempe Tabem. Sed in oppoſitione hoc diſcrimen invenitur, quod omittit ver ſaluberrimum & minime exitiale, quoniam Tabidi etiam vere maxime periclitantur, multi enim martio menſe moriuntur. Satis ergo conſtat, alterum adjunctum de vere non ſine judicio omiſſum eſſe. Ut autem conſtet ſententia aphoriſtica, (1) Sciendum eſt, quid ſit Tabes & (2) cur autumnus his ſit malus.

Tabes quid ſit. II. Phthiſis nomine duos diſtinctos complectuntur morbos Medici, nempe Corporis emaciationem ſeu Maciem, atque Corruptionem. Qui autem hos duos morbos miſtos non admittunt, confundunt Atrophiam & Ariduram cum Phthiſi, in quibus medicus non attendit ad Corruptionem, ſed ſolam totius corporis vel alicujus partis Extenuationem vel Maciem. Alii autem Cacochymiam & Cachexiam Phthiſis quoque ſpeciem faciunt; verum in his non attendunt ad corporis extenuationem. Hinc ut morbus vocetur Tabes vel Phthiſis; (1) Debet adeſſe ſumma macies; (2) Corruptio humorum vel & partium firmarum; (3) Atque hi duo morbi debent totum corpus afficere; quoniam ſi pars quædam particularis extenuetur & corrumpatur, manente

reliquo

reliquo corpore ſano, talis homo non dicatur Tabe laborare. Qui igitur per nimiam quamcumque evacuationem, vel per rigidiſſimam inediam ad maciem fuit redactus, quam diu non acceſſit corruptio, non laborat Phthiſi; ſed accedente corruptela, ut frequentiſſime fit in hujuſmodi humorum defectu, Maciei nomen mutatur in Tabem. Idem morbus videtur naſci poſſe ex vitiata alimentorum confectione in nobis, quoniam tunc quoque corpus privatur ſuo pabulo, ſed quoniam tanta vitiata coctio nunquam exiſtat ſine corruptione, inde talis extenuatio ſtatim ab initio nomen Tabis meretur. Non ſemper eſt opus, ut primo habeatur extenuatio ſeu macies, & dein accedat Corruptela, interdum enim Corruptela prægreditur, quemadmodum in Cachexia & Cacochymia, qui homines in principio ſæpe tument, & dein macie conſumuntur. Quæ Tabes ab interna & veluti latente cauſa ſine majore evacuatione vel detractatione nutrimenti adoritur, ad tria genera referri poteſt.

III. *Purulenta* vocari poteſt, quoties pus alicubi in corpore formatum, retentum, in putrilaginem converſum, circulantibus miſtum, ſanguinis & reliquorum humorum craſin ita invertit, ut fiant nutritioni inepti: frequentiſſime hoc fit ex pulmonis ulcere, quare etiam auctores hanc ſpeciem vocant *Phthiſin veram*, dum maciem cum corruptione ex abſceſſu vel ulcere aliarum partium *Phthiſin nothan* placent vocare. Quod autem ex Pulmonis ulcere pertinacior & frequentior formetur Phthiſis, ex his clare patebit. Puris generatio ex bonis humoribus, atque puris corrupti & reſorpti permiſtio cum circulantibus, ut in reliquo corpore, Abſceſſus, Ulcera & Vomicæ, naturale conſumit corporis pabulum, & circulantes bonos humores corrupta purulenta putrilagine inficit: ſed præterea Pulmo pus formans, quia ſurſum contra naturalem puris gravitatem ſe evacuare debet, hic multo magis, quam alibi pus retentum corrumpitur & inficit. In hoc ſolo ſi conſiſteret differentia, vomicæ etiam viſcerum internorum pari paſſu inducerent phthiſin, quæ confectum pus non facile elimi-

Tabes Purulenta.

eliminare valent. Sed major differentiæ cauſa accedere debet, cur Pulmonis ulcus magis quam aliorum viſcerum Tabem inducit: nullum enim eſt in nobis organum tam præſtans præparationi humorum datum, quam Pulmo, cujus functio per ulcus vel vomicam vitiata facit, ut humores minus debito præparentur, quæ præparatio requiritur, ut commutetur ingeſtum alimentum in indigenos humores; dum vero reliquorum viſcerum ſecretoriorum & excretoriorum, vitiata functione non ita Nutritio, quam Secretio & Excretio turbatur. Hoc ſi adhuc inſufficiens videtur, ſuppleri poteſt obſervando, Pulmonis Ulcus aëri magis expoſitum eſſe cum difficili puris liberatione, quam ullum aliud internum viſcus; quare hic magis, quam alibi pus ſtagnans in corruptelam vertitur, cum aëris aditus egregie promoveat putredinem humoris, qui in alio loco clauſo ſine multa putredine diu potuiſſet conſervari. Ob has igitur non evitabiles cauſas corruptionem & emaciationem inducentes ex pulmonis ulcere *Tabem* ex hac cauſa natam *Veram* vocare placuit veteribus.

Tabes Catarrhoſa.

IV. Altera ſpecies vocari poteſt *Tabes Catarrhoſa* ſeu Colliquativa frigida, quæ a quibuſdam refertur ad Phthiſin nervoſam. Corporis ſcilicet emaciatio cum humorum corruptione ab interna latente cauſa, in qua Tabe ſæpe vexantur Catarrhoſis deſtillationibus e capite veluti proveni-entibus & in pulmones deſcendentibus, a quibus ſæpe & vehementer tuſſiunt, multumque expectorant phlegmatis ſalſi & ſpumoſi, vix cum ulla febricula, ſed potius corporis refrigeratione & roſione circa dorſi ſpinam: interdum autem levi phlogoſi tentantur, donec omni conſumto corporis pabulo cum ſummo pallore & maraſmo, moriruntur. In qua ſpecie mihi videtur eſſe tam debilis actio vitæ, ut, quæ ingeſta fuere alimenta, loco commutationis in bonos humores, nunc per ſpontaneam corruptelam degenerent in humorem tenuem, acrem, deliquatum, ineptum nutritioni, quem humorem Veteres vocarunt Pituitam ſalſam.

Tabes Colliquativa.

V. Non multum diſtat a præcedente, quam voco *Tabem Colliquativam*, in qua etiam ſine viſibili cauſa totum corpus con-

conſumitur Tabe lenta, cum adjuncta erratica febre, & corporis incaleſcentia, frequentior obſervatur in locis calidis quam frigidis, atque in viris præprimis poſt febres diu toleratas. Videntur in hac ſpecie per ſupervenientem putredinem humores ſani deliqueſcere in humorem tenuem acrem & calefacientem, ſeu ſpeciem ichoris, quæ ingeſta alimenta in ſimilem corruptelam convertit, conſumens omne corporis pabulum, pinguedinem fundens, quæ ſub forma urinæ oleaginoſæ tinctæ & ſpumoſæ exit, aut nomine ſudoris colliquativi effluit.

VI. Qualem hic intelligit Auctor Tabidis ſpeciem, non conſentiunt Commentatores. Galenus dicit ſe conjectari non poſſe. Ego autem exiſtimo, Hipp: præcipue intelligere Tabem ex ulcere pulmonis, quoniam Hipp: & alii Medici, ſi morbi nomen abſolute ponunt, qui morbus varias habet ſpecies, ſemper intelligunt ſpeciem frequentiſſimam, quam veram vocant: ita pleuritidem ab inflammatione pleuræ, Nephritidem a calculo renum intelligunt. Videbimus tamen, an non omnibus ſpeciebus Autumnus malus ſit. Contendunt, Autumnum Tabidis inſaluberrimum eſſe frequentiſſima aëris variatione; ſed quoniam frigoris & caloris crebra etiam invenitur in aliis anni temporibus viciſſitudo, hæc cauſa ſoli autumno non eſſet adſcribenda. Verum caloris commutatio in frigus, quod corruptum in præcedente calore inhibet exhalare, quodque corporis ex ægritudine debilis motum vitalem fere totum exſtinguit, nulli tempori magis quam Autumno tribui poteſt. In Tabeſcentibus igitur corporibus, ſive ex pure corrupto, vel catarrhoſo, vel deliquata materia, quæ erant oppleta, in Æſtate ſatis libere corruptum exhalantia, nunc accedente frigore autumnali, quo inhibetur corrupti difflatio, & motu vitali in his nimis languido, fere tota actio per frigus exſtinguitur, unde ita accumulatur corruptum, & ſuffocatur vitæ actio, ut inde æger pereat.

Autumnus Tabidis malus.

LIB. III. APH. XI.

90. *DE temporibus, ſi quidem hyems ſicca & aquilonia fuerit, ver autem pluvioſum & auſtrale, æſtate neceſſe eſt febres acutas fieri, & ophthalmias, & dyſenterias, maxime autem mulieribus, & viris naturâ humidis.*

I.

PRæter morbos, qui naturalem & conſuetam temporis mutationem ſequuntur, alii etiam ſunt, qui variam iſtius temporis anni ſequuntur, ut ex hoc Aphoriſmo conſtat, non enim regulare eſt, ut Æſtate fiant Ophthalmiæ, Dyſenteriæ, & febres acutæ; ſed ſi anteceſſerit Hyems ſicca & aquilonia, & ver pluvioſum & auſtrale: & tunc non omnibus hominibus, ſed maxime mulieribus & viris naturâ humidis. Quare hic citatur ſeries cauſarum ſe invicem excipientium, ex quibus collectis tandem hi morbi generari ſolent. Galenus exiſtimat, Hippocratem hanc prognoſin formaſſe ex lege naturæ, ſed non ex pura obſervatione. Si autem inſpicimus locum, ubi horum morborum reddit rationem, quem invenimus *Hipp: Lib. de Aëre, aquis, & Locis*, H. a. 342, non detego illam legem. Hæc ſunt Auctoris verba, quibus probat hanc prognoſin, (Quum enim Æſtus derepente accedat, terra humida exiſtente a vernis imbribus & ab Auſtro, neceſſe eſt, æſtum duplicatum eſſe, & a terra irrigua ac calida, & a ſolo urente: quum ventres in hominibus nondum conſtricti ſint, neque cerebrum reſiccatum. &c.) Nam aëris humiditas potius temperat nimium calorem ad Thermometrum, ſed nobis

nobis toleratu facit moleſtiorem. Quid autem per ventres nondum conſtrictos, & cerebrum non reſiccatum ſit intelligendum, tam plane non conſtat, ut eſſet ratio ſufficiens ad iſtos morbos præſagiendos. Videtur igitur mihi, Hippocratem, cum in ejus ſenectute collegit aphoriſmos ex præcedentibus ſuis operibus, puras & conſtantes voluiſſe obſervationes medicas, ſive phyſicis iſtius temporis principiis congruerent, ſive contrariari viderenter, modo Auctor certiſſime eſſet perſuaſus longa obſervatione medica, tales morbos fere ſemper ſecutos fuiſſe in humidis temperamentis poſt talem aëris viciſſitudinem. Ex obſervatione hac & multis aliis mihi non obſcure patere videtur, Hippocratem ſibi conſcripſiſſe Tabulas metereologicas, quæ quoque his temporibus a Medicis & Phyſicis conſcriptæ in publicum emittuntur, ex quibus hanc prognoſin practicam petiit, quæ autem Tabulæ deinceps turpiter fuere neglectæ. Sperare autem hodie poſſumus, aliquem inventum iri, qui ex hodiernis more Hippocratico nobis plures & utiliſſimas in medicina obſervationes ex collectionibus, variis in regionibus conficiat, & publici juris faciat; nam quamdiu verſamur in particulari obſervatione, quemadmodum ipſe quoque feci a multis retro annis, licet ſine his comparari non poſſit, medica ſcientia non magnum uſum inde mutuatur. Quare Edenburgenſium inceptum non ſatis laudare poſſum, qui hanc ingreſſi ſunt viam.

II. Multum tamen ad promovendam ſcientiam differre, ſive experimenta vaga, ſive de induſtriâ inſtituantur, omnes Medici & Phyſici norunt, qui in his multum laborarunt; multo enim magis promovetur doctrina per experimenta a peritis in ſcientia & cum judicio inſtituta, quam quæ negligenter pertractantur. Quare experimur etiam, medicos in arte medica conſumtos, & frequenti praxi exhauſtos, non raro tamen in medendo ſtupidos eſſe, qui praxin ſine ulla norma, & negligenter excoluere, multa perverſa detegentes & non emendantes; vel quia praxin obiter exercent, dum reliquum tempus in phyſicis, anatomicis, botanicis, chemicis, vel quavis alia utili ſcientia impendunt

Quid faciat hyems ſicca & aquilonia.

vel, quod pejus eſt, in colloquiis, compotationibus, reliquisque vitæ deliciis vitam tranſigunt. Ut ergo cum fructu inſtituantur experimenta, illa obiter non ſunt capienda, ſed ſedulo & accurata attentione omnes minutiæ etiam ſunt notandæ, ut facit Auctor noſter, qui non Veris conſtitutionem notat, ut præſagiat æſtivos morbos futuros; ſed et etiam prægreſſam Hyemem. In qua Ventum & ſiccitatem citat, quare non ſufficit, ut flet Aquilo, nam ſi ſimul adferret humiditatem, propoſiti morbi non eſſent exſpectandi, ſed ſi ſpirat Aquilo, aerque ſimul ſit ſolito ſiccior. Aquilonari vento, præ reliquis omnibus frigido, quia ex telluris plaga venit, minus a ſole irradiata, & apud nos quoque marina, ſi jungitur ſiccitas; effectus in noſtro corpore deduci poſſunt ex aëris frigiditate & ſiccitate; quibus junctis partes firmæ fiunt robuſtiores magiſque contractiles, unde humores continuata hac actione fiunt denſiores magiſque compacti.

Quid faciat ver pluvioſum & Auſtrale.

III. Auſter autem ex regione calidiore delatus, ſi ſimul ſit pluvioſus, omnino priori oppoſitos præbet effectus, nam loco frigoris fit calor, & loco ſiccitatis fit humiditas, quare ob mutationes has generantur facilius morbi. Verum quamdiu in corporibus humidis & laxis, qualem naturam hic citat Auctor, per aëris frigiditatem firmabantur ſolida, & compingebantur humores, hæc corpora ſatis ſana vivebant: nunc vero accedente vernali & auſtrali calore firmarum partium relaxatur tonus, qui magis enervatur pluvioſa tempeſtate. Hinc quod compactum fuit, iterum liqueſcit, ſed quia virtus agens infirmior, tam ex propria natura ægrotantium, quam ex vento auſtrali & humido, id liquatum, ineptum nutritioni & functionibus præſtandis, tamen colligitur in corpore. Scatent igitur hujuſmodi corpora materiâ crudâ reſolutis & non expulſis humoribus natâ; quam ob rem ſe tunc ſentiunt ponderoſiora, tum ob multitudinem, tum ob firmas partes relaxatas; ſed quia hæc materia vix ullam hucuſque acquiſiverit acrimoniam, nulla febris obſervatur.

IV. Illa

IV. Illa autem materia aliena evolare prohibita aëris humiditate & enervato tono ſolidorum in naturâ humidis & mulieribus, (nam corpora robuſta, obſtante hac cauſa, hanc materiem excuterent per inſenſibilem perſpirationem,) longiori morâ retenta & calore æſtivo ſenſim in majorem acrimoniam evehitur; quidquid enim in nobis eſt alienum quod etiam expelli non poteſt, mora & calore corrumpitur. In tali itaque Æſtate corpora laxa & humida fovent in ſe humorem alienum, tenuem per deliquationem, & acrem. Hic humor tandem lateribus arteriarum applicatus, in arteriarum fibris per ſtimulum majorem motum facit, qui cum habentur per totum corpus, vocatur *febris Acuta*. Si vero præcipue inficit Lachrymas, oculi his lachrymis continuo irrigati, & irritati, ruborem contrahunt, quem morbum vocant *Ophthalmiam* ſeu Lippitudinem. Interdum vero ad inteſtina delatus copioſiorem facit alvi dejectionem, & quoniam ſimul acris eſt, Tormina infert, qui morbus vocatur *Dyſenteria*.

Cur æſtas deinceps febres acutas, Ophthalmias, & Dyſenterias faciat.

V. Ad Prognoſin formandam hæc viciſſitudinum obſervatio egregia eſt; verum in arte Medica ægri evitationem inſtantis mali, & curationem exigunt, ſi hujuſmodi morbis conflictantur: quare medendi modus eſt exponendus præveniens inſtans malum. Facile conſtat, non eſſe in medici poteſtate hanc evitare tempeſtatum mutationem, quare medicina eſt dirigenda ad humanum corpus. Corripiuntur præ ceteris laxa & humida corpora, & propterea, quod liquatam materiem non expellant per inſenſibilem perſpirationem. Igitur duo agenda ſunt a Medico Vernali tempore, antequam nimius æſtivus calor accedit, ut promoveatur inſenſibilis perſpiratio, qua excluditur id retentum, & ut corpus firmetur raborantibus. Ergo nec venæ ſectio, quia id inutile liquatum non evacuat, ſed bonum ſanguinem, nec Alvi ductio, ſola aliena inteſtinorum excludens, non vero perſpirabile corruptum, ad præveniendos hos morbos, ut multi faciunt, conducunt: ſed promovenda eſt illa excretio, ſcilicet inſenſibilis perſpiratio, cujus materia retenta dictos morbos infert. Si autem minus ſero vocetur medicus,

Hujus obſervationis uſus.

cus, dum ſcilicet materies ſit acris facta, & febrem Acutam, Ophthalmiam, vel Dyſenteriam induxerit, morbi genus primo eſt inquirendum. Hodie febrem Acutam & Ophthalmiam deducerent fere omnes Medici ex Inflammatione, aggrederentur hos morbos ſanguinis miſſione, nitroſis, diluentibus, laxantibus, aliiſque auxiliis Inflammationi appropriatis, exſpectarentque in urinâ critica ſigna. Qui autem ſedulo attendit ſubjectum, corpora ſcilicet humida & laxa, materiem corruptam tenuem eſſe cauſam, ſæpe copioſam fieri alvi dejectionem cum torminibus, facile perſuaderi poteſt, dicta non convenire Inflammationi, corporibus robuſtis & ſiccis frequentiori morbo, eamque conjunctam ſemper habere ſummam ſiccitatem & denſitatem humorum. Unde non mirum alicui videri poteſt, hos morbos curari non poſſe ſolita methodo Inflammationis, ſed nos debere antiſepticis Diaphoreticis internis, qualia in putredine calida præſcribi ſolent, tentare materiæ emendationem & expulſionem per inſenſibilem perſpirationem, quia hujus organi materia retenta acrior facta, hos morbos producit, quæ non patitur per alienum organum, puta alvum, vel urinam, tam facile eliminari, quoniam obſervanda eſt naturæ directio, *Aph.* 21, III. Oculis interim applicari poſſunt, ſi Ophthalmia vexat, refrigerantia & leniter adſtringentia: atque in Dyſentericis parva doſi Rhabarbari ſæpe repetita alvus ſervanda aperta, ne acris in inteſtinis effuſus humor diutius ſtagnans exulceret inteſtina, dum interim maxima humorum colluvies educatur per cutim. Poſt evacuatum acrem humorem corporis remanens debilitas roborantibus cardiacis eſt curanda.

LIB. III. APH. XII.

91. *SI vero hyems auſtralis & pluvioſa, & tranquilla ſit, ver autem ſiccum & aquilonium, mulieres quidem, quibus partus in ver incidit, ex omni occaſione abortiunt: quæ vero pepererint, infirmos & morboſos pariunt pueros, ita ut vel ſtatim illi pereant, vel tenues & morboſi vivant. Cæteris verò mortalibus dyſenteriæ, & ophthalmiæ ſiccæ fiunt: ſenioribus autem catarrhi brevi perimentes.*

I.

BIpartita ſectio quia faciliorem huic Aph: præbebit intellectum, qui a Commentatoribus vario modo accipitur, magis eſt obſervanda, quam in aliis. (1) Proponitur cauſa generalis morbos inferens, conſita in aëris & ventorum mutatione Hyeme & Vere. (2) Illa deinceps mutatio examinatur, quid faciat, in gravidis, infantibus, pituitoſis, bilioſis, & ſenibus. Diviſio.

II. Aëris hæc conſtitutio plane oppoſita eſt præcedenti, niſi quod additum ſit Tranquilla, Clemens vel Placida, quia a multis, uti a Celſo Lib. I. Cap. I. *Si vero auſter pluviaque hyemem occuparunt*, omittitur, & ab aliis adſtruitur addi non oportere, quoniam oppoſitum non invenitur in præceſſo Aphoriſmo. Quare vero *Hipp. Lib. de Aeribus, aquis & locis* H, a, 345. huic ſententiæ addat ἰώδιος nullus eſt dubitandi locus, quin ſit verus ſenſus noſtri auctoris. Si ergo conſueta frigida & tempeſtuoſa Hyemis conſtitutio mutetur in Auſtralem Humidam, & Tranquillam, ſeu clemen- Quid faciat hyems auſtralis & pluvioſa & tranquilla.

mentem & placidam, id eſt magis tepidam & minus ventoſam conſtitutionem, corpora ſana in partibus firmis manent laxiora, humoreſque manent tenuiores magiſque proni ad corruptionem, atque propter aëris humiditatem perſpirabile magis retinetur in corpore, quæ omnia amplius diſputata ſunt & expoſita in *Lib. de Inſenſibili perſpiratione.*

Quid faciat deinceps ver ſiccum & aquilonium.

III. Si vere accedente aëris humiditas convertatur in ſiccitatem, id quod præcedente hyeme per aëris humiditatem fuit retentum, exhalaret, ſi ſimul adeſſet aëris calor, verum Ventus aquilonaris frigidus corporibus applicatus hanc liberam exhalationem immoratur: quare id quod exhalare debuit, ab aëre ſicco & frigido partium firmarum contractilitatem augente fortius agitatur. Humores crudi hucuſque non ſatis ſubacti, per validiorem firmarum partium agitationem aſſimulantur in bonos humores, ſed humores evacuationi deſtinati, qui non patiuntur actione corporis validiore aſſimulari, eadem actione magis degenerant a proba indole, quod ſi corpus poſſit, obſtante aëris frigiditate aquilonia, ſe liberare ab hac inutili materia, perfecta ſanitate frueretur; ſed ſi expellere eam materiem non valet, actione corporis ultra modum agitata, ſui generis infert morbos, qui a priore non poſſunt ex natura materiæ definiri, quoniam differt pro natura corporis & humorum, qui in tali tempeſtate Vernali agitantur: propterea experientia eſt conſulenda in ſubjectis variis, in quales morbos hæc materia Hyeme retenta & Vere agitata erumpere ſolet.

Cur in tali vere frequentior abortus?

IV. Mulieres in præcedente Hyeme geſtantes utero, quoniam aër eſt ſolito humidior & calidior, laxans firmarum partium tonum, in ſuo corpore minus præparant humores, ſed colligunt in ſe abundantiam crudorum indigeſtorum materiæ perſpirabilis: laborant itaque duplici cruditate, ſcilicet ex alimentis non ſatis ſubactis, & materiâ excrementitia nondum expulſa. Vere nunc accedente frigido & ſicco partes firmas contrahente, modo minima accedat cauſa ad Abortum diſponens, quare dicit Auctor *ex omni occaſione*, fœtus crudo nutrimento nutritus, debilis, impetu humorum aucto ad uterum, facile excluditur, depulſa placenta

placenta ab adhærente utero. Talem inſtantem Abortum melius Hyeme quam Vere prævenire valet ars medica; ſi enim gravidarum corpus tanta copia crudorum ſit onuſtum, non facile erit brevi tempore, dum mutatur aëris conſtitutio, iſtud ab his impuritatibus liberare, ut præveniatur Abortus: ſed in tali conſtitutione Hyemali ſiccantibus, roborantibus, ſtomachicis, & diaphoreticis, curandum eſt, ne generetur in gravidis crudorum cumulus, ne forſan aëris mutatio, quam nemo præſagire valet, Abortus anſam præbeat.

Cur infantes naſcuntur infirmi?

V. Ut fortes creantur fortibus, ita ex infirmis & valetudinariis nati Infantes aſportant non raro parentum infirmitatem, morbiſque ex hæreditate natis luctantur, quemadmodum in his regionibus ſæpe in rhachiticis infantibus experimur, ſive quod Maritus crudum & indigeſtum vel morboſum præbuit ſemen, vel Mater valetudinaria immaturum vel corruptum continuo præbuit nutrimentum fœtui tenello: ita enutritus fœtus & ex immaturo ſemine natus nequit in firmum & validum adoleſcere infantem & puerum: infans enim debilis natus a matre ſeparatus ſua propria coactus deinceps præparare alimenta, vel ſuccumbit impotens, vel diu luctatur valetudinarius. Hoc ergo loco ſolummodo adſtruendum, prædictam aëris conſtitutionem præbere humorem nutritioni tenello fœtui ineptum, vel non ſatis idoneum. Conſtat autem ex iis, quæ hucuſque diſputavimus, gravidam fœminam duplici crudo onuſtam eſſe, quem crudum humorem fœtus in tenello ſuo & debili corpore acceptum non valet in probum nutrimentum & incrementum ſuum convertere; quare ſolito pumiliores & infirmiores naſcuntur, vel brevi a partu moriuntur, quod malum eadem methodo, in abortu præveniendo tradita, præveniri potuiſſet.

Cur pituitoſis fiunt Dyſenteriæ?

VI. Hippocratem intellexiſſe Dyſenterias fieri in Pituitoſis, liquet ex ejus allegato textu *de Aëre, aquis & Locis* ubi diſerte dicit, *Pituitoſis igitur Dyſenterias fieri veriſimile eſt, & mulieribus, pituita de cerebro defluente propter naturæ humiditatem.* Mutatio recenſita ergo eſt applicanda ad homines pituitoſos, humidos & laxos, dum vero ſine interpretatione hac ipſius

Auctoris ſententia non eſſet ſine dubio, an hic eſſet intelligenda Dyſenteria ſicca vel humida, quoniam ſtatim ſubdit *Ophthalmiæ ſiccæ.* Dum igitur in tali Hyemali conſtitutione corpora naturâ humida & pituitoſa humoribus crudis ſcateant, accedente frigore boreali ſuperante eorum corporum vires vitales, ſed tamen aucta contractilitate ſolidorum per frigus, contenti humores ad quæcumque excretoria urgentur; ſed quia frigus magis afficit cutem, quam lambit & tangit, ac inteſtina nunc laxiora, veriſimile eſt, minui inſenſibilem perſpirationem per cutim, ſed humores ſe exonerare per alvum laxiorem; quod ſi in tam diu collecto humore quædam adſit acrimonia, ille tranſeundo rodens inteſtina, dejectionem copioſam facit cum dolore, quem morbum Dyſenteriam ſoliti ſunt medici vocare. Qui ergo in pituitoſis prævenire ſatagit inſtantem Dyſenteriam vernalem, id agere oportet, ut roborantibus, ſtomachicis & diſcutientibus hyemali tempore corpus liberetur ab abundanti pituita: ſed ſi Dyſenteria ex tali conſtitutione ſit nata, primo purgante Rhabarbarino confluxos & acres humores ex inteſtinis exturbare debet, ſed fluxum ulterius crudorum ab inteſtinis derivare ad cutim, viam naturalem, exonerantem, quod ex prohibita perſpiratione fuit retentum, ubi facilius & minori moleſtia id crudum acre & corruptum poteſt evacuari, quam per inteſtina, quæ bonos & morboſos humores unà evacuant, & propterea majorem debilitatem & imperfectiorem depurationem faciunt.

Cur biliosis ophthalmiæ ſiccæ?

VII. Ex allegato loco Auctoris conſtat, Hippocratem intelligere Ophthalmias in bilioſis, quia etiam rationem addit, nempe *propter carnis caliditatem ac ſiccitatem.* Miſſa ſententia noſtri Auctoris, videbimus cur illa tempeſtatis mutatio in Bilioſis ſæpe Ophthalmias inferat. Bilioſi ſtatuuntur, qui in ſuo corpore habent vel facile generant humorem tenuem acrem calorem inducentem. His in hyeme auſtrali & pluvioſa quoque parcior fit difflâtio, ſed quando accedit ver ſiccum & aquilonium, id tenue propter calorem majorem corporis naturalem facile excutiunt aquoſum, verum pinguitudo retenta & corrupta præcedente hyeme, tam facile excuti nequit,

nequit, privata parte meabili & aquoſa, magis adhærens lateribus vaſorum, calidas bilioſas & eryſipelatoſas ægritudines parit, quæ videntur ex obſervatione practica cum lachrymis ad oculos delatæ, in albo oculorum proritare rubedinem, refrigerantibus & adſtringentibus antiſepticis temperandam, & mucilaginoſis obvolvendam; atque derivantibus per alvum vel cutim per antiphlogiſtica diaphoretica evacuandam, quum relicta in corpore materia illa tenuis & acris, longiore mora, ſenſim reddatur acrior.

VIII. Denique aſſequitur morbos ex eadem tempeſtatum mutatione in valde ſenibus, de quibus allegato loco, *valde autem ſenibus defluxiones propter raritatem venarum, adeo ut aliqui derepente pereant, aliqui vero ſemi ſiderati fiant.* Ergo conſtat, Hippocratem voluiſſe valde ſenes, & non omnes derepente perire, ſed & quoſdam etiam hemiplecticos fieri, quod non ſatis ex ipſo Aph. liquebat. Valde autem Senes, pituitæ productioni pronos, non eſt mirum in humida tempeſtate cruditatibus ſcatere, quæ tempeſtas etiam in robuſtioribus faciebat crudorum abundantiam: ſed quando tunc accedit Ver boreale & ſiccum, hæc pituita tam diu in aëre humido & tepido fluxilis, nunc incipit concreſcere & veluti coagulari, ſeu abit, ut loquuntur veteres, in pituitam vitream. Quia vero corpora ſenilia debiliſſima non valent pituitoſum crudum viribus vitæ ſervare ſolutum, facile in locis quibuſdam ſubſiſtens concreſcit; quod ſi fiat in encephalo, ſpinali medulla, gangliis nervorum, pulmonibus, ubi maximus eſt humoris pituitoſi proventus, aut comprimendo nervos apoplexiam pituitoſam, hemiplexiam, vel alios morbos periculoſos, ut & mortem producit ex pituitæ abundantia & concretione; vel ita opplet bronchia pulmonum, ut omnis intercipiatur reſpiratio. Hos autem morbos in valde ſenibus prævenire vix valet ars medica, cum ſenibus novas addere vires neſcit medicina, Vinum malvaticum, Styrax, Benzoin, Balſamus peruvianus, & ſimilia nervina calefacientia ſunt præcipua hyemali tempore propinata, antequam vernale frigus & ſiccitas ingruit.

Cur ſenioribus catarrhi?

LIB. III. APH. XIII.

92. *SI vero æstas sicca & aquilonia fiat, autumnus autem pluviosus & australis, capitis dolores ad hyemem fiunt, & tusses, & raucedines, & gravedines: quibusdam vero etiam tabes.*

I.

EX quatuor anni temporibus solummodo observat duo recedere a solita sua constitutione, ut ver & hyems consuetam constitutionem servent, sed Æstas & Autumnus descripto modo sint mutata: sed ulterius non determinat, in quo temperamento corporis illi morbi sequenti hyeme sunt exspectandi, ut fecerat in præcedente Aph: neque tradit morbos autumnales ex tali mutatione tempestatum, non quod nulli fiant, sed quod solum scopum habeat præsagire morbos Hyemales post has observatas temporum mutationes. Haud credo Hippocratem hos morbos deduxisse ex rationibus aut necessitate rei, sed hos invenisse morbos frequentiores observatos fuisse & notatos in suis tabulis observationum post Æstatem & Autumnum talem præ-gressum. Hæc igitur pura observatio sine ulla addita ratione satis esset firma & constans. Utinam vero etiam nostris temporibus ulterius sedulo excoleretur, ad firmanda a veteribus prolata, & adderentur plura alia scientiæ medicæ promovendæ, & sanitati conservandæ utilissima.

Æstas sicca & Aquilonia quid faciat.

II. Aquilonem commutare naturalem Æstivi aeris temperem in frigus, constans est observatio, huic si adsit aëris siccitas, ratione frigoris minuitur perspiratio, sed ratione siccitatis promovetur, quare in perspirationis quantitate non videtur fieri magna differentia ad aërem calidiorem sed humidum, Verum ab utrisque his partes firmæ majori contractilitate operantur, cum & frigus aquilonare & siccitas aëris

ris intendant automaticam firmarum partium conſtrictionem: unde humores tranſluentes magis fiunt compacti, & humido tenui ſpoliati, tam validiore expulſione per conſtrictionem auctam, quam aëre ſicciore abſorbente. Ad finem igitur hujuſmodi Æſtatis ſolida ſunt contracta & ſicca, humores vero compacti & denſi.

III. Si corpori ita prædiſpoſito applicatur aer humidus & tepidus, qualis fit in Autumno ſpirante Auſtro, laxantur tunc ſolida conſtricta, humores compacti liqueſcunt, ſed, propter aëris humiditatem minus exhalantes, talia corpora fiunt oppleta humoribus crudis, provenientibus ex liquatis bonis abſoluto munere, non ſatis per inſenſibilem perſpirationem expulſis. Sed quoniam in Autumno non tantus eſt calor, quam ſi talis tempeſtas fuiſſet in æſtate, hi humores liquefacti & retenti cum ſolidorum atonia, minorem acrimoniam habent, quam ſi in æſtate fuiſſent retenti.

Quid deinceps Autumnus pluvioſus & Auſtralis faciat.

IV. Supponit nunc Auctor poſt talem Autumnum ſequi Hyemem naturalem frigidam & humidam, in qua corpus crudo ſucco plenum in partibus firmis majorem acquirit per frigus ſuperveniens contractilitatem, ſed quia in hac tempeſtate tamen manet parca diffflatio, id crudum copia majore atque vitiata qualitate afficit caput, unde partim diſtenſio vaſorum meningum & cerebri, partim a cruditate acri Caput Dolore vexatur. Qui ergo vellet hunc inſtantem prævenire Dolorem, id agendum haberet, ut in autumno prægreſſo roborantibus & ſtomachicis præpararetur retenta materies ad expulſionem; & firmaret corpus autumno relaxatum; atque ſiccantibus diſcutientibus & Diaphoreticis liberaret corpus ab abundante & nunc præparata materia, ut ſuperveniens frigus hyemale non inveniret corpus crudo & acri ſucco onuſtum, quo deinceps generatur Capitis Dolor. Sed ſi ſine hac cautela homo ab hac cauſa in Capitis Dolorem incidit, non tam facile erit eum curare. Alvi ductio enim & Sanguinis miſſio quidem demendo quantitatem, & minuendo impetum, leniunt Dolorem, ſed non valent id acre & crudum emendare. Su-

Cur tunc Capitis dolores hyeme?

dorifera

dorifera & Diaphoretica calida crudum expellentia & concoquentia non ferunt ægri, quia aucto motu Dolorem exaſperant. Diuretica raro medentur capitis morbis. Quare ſatius erit Autumno hos prævenire Dolores, quam eorum curationem in Hyeme aggredi.

Cur tunc Tuſſes, Raucedines & Gravedines?

V. Ex iis, quæ hucuſque diſputavimus, colligere poſſumus, iſtos homines ad finem autumni ſcatere humore crudo & utcunque acri, accedens frigus, quia præ ceteris applicatur laryngi, tracheæ & pulmonibus, atque membranæ pituitariæ, quas partes reſpirando ſemper lambit tranſeuns aër, illas itaque partes contrahit, & ſi quos habent in ſe pituitoſos humores, in ſuis vaſculis, glandulis & cryptis colligit, atque ab aëre tranſeunte frigido & ſicco ſubſiſtere & condenſari permittit. Mucus igitur ſeu Pituita naturalis harum partium, etiam in ſanitate ſatis copioſus, aeris caliditate & humiditate in Autumno ſervabatur fluidus, ſed nunc accedente frigore inſpiſſatur; &, qui antea vel circulantibus permiſceri potuit, vel libere exſpectorari, vel emungi, ita fit tenax & cohærens, ut ex cryptis ſuis excuti nequeat. Quoniam autem humores retenti non carent acrimonia cruda, ex tali ſucco nati, in Trachea & Larynge mucus tenax has partes ſtimulat, qualis ſtimulus ſemper Tuſſin adjunctam habet. Membrana rimulam glotidis veſtiens, majore muci craſſioris copia tumens, æquabilem glottidis ſuperficiem mutat, quo vox formata per talem glottidem fit Rauca. Atque ab eodem muco craſſiore in Pituitaria membrana hærente, inveſtiente nares adjectoſque ſinus, eum parit morbum, quem Gravedinem ſeu Coryzam vocamus. Qui morbi laudata methodo maxima ex parte præveniri potuiſſent, ad minimum brevioris fuiſſent durationis, cum minor crudorum copia in corpore tam multas ſuppetias non tuliſſet his morbis continuandis.

Cur quibusdam Tabes?

VI. Ex Textu facile colligi poteſt, minus frequentem generari Tabem ab hyeme ſuperveniente talem conſtitutionem Autumnalem, quia addit *Quibuſdam vero Tabes.* Hinc Commentatores fere omnes quæſiverunt cauſam in varietate

tate ſubjecti, quod ab Hippocrate deſcribitur pronum eſſe in Phthiſin ſeu potius Hæmoptyſin. Fateor equidem, quibus ex nativitate ſunt pulmones debiles, his quoque facilius generari phthiſin: ſed dubito vehementer, an in hoc loco talis Tabes ſit intelligenda, quæ ex ulcere pulmonis poſt hæmoptoen in juvenibus eſt frequentior: potius crederem hìc intelligi debere *Tabem Catarrhoſam* ſuperius (*Aph.* 89, IV) traditam, cum hic nulla ſit ſuſpicio morbi inflammatorii, ſed catarrhoſi & crudi: frequens enim eſt tuſſis & coryza in aliis; quare veriſimile eſt iſtos morbos in quibuſdam tam ſævos eſſe, ut ipſam Tabem inferant in omni ſubjecto, in quo generatur Tuſſis, Coryza & Dolor Capitis, ſed ex majori vehementia cauſæ morboſæ in tali conſtitutione natæ. Quod ut plane conſtet corpus in Autumno crudum & acre colligens ad Hyemen veniens, præcipue hanc materiem colligens in pulmonis aëreis vaſis, in principio quidem craſſitudinem habet humor, at diuturniore mora liqueſcens abit in humorem acrem & rodentem, quem veteres vocarunt Pituitam ſalſam, natam ex pituita craſſa, ſuperveniente deliquante corruptione ſolutam. Hæc irritando perpetuam concitat Tuſſim; quæ invertendo laudabilem pulmonis actionem intercipit humorum in nutrititium commutationem; bonos huc affluentes ſimili corruptela liquefacit: unde tandem conſumto corporis nutriente papulo, tuſſiendo, & ejiciendo multum ſputi pallidi & ſpumoſi pituitoſi, minime purulenti, corpus lenta Tabe conſumitur. Utinam æque conſtaret quibus auxiliis medicina valeret hanc incipientem curare Tabem! pectoralia enim omnia mollia, inducendo majorem pulmonibus debilitatem, pituitoſi proventum augent: acriora exaſperant tuſſim; quare pauca in Phthiſi ſpecifica huc conferunt. Hunc tamen morbum non eſſe incurabilem, niſi corpus ad maraſmum ſit redactum, experientia practica me docuit: fumo aromatico, ex ſtyrace, maſtice, olibano, candenti prunæ injectis, ſuſcitato, cum aëre inſpirato, roborando pulmonis aërea vaſa, ſimulque iiſdem & aliis reſinoſis atque balſamicis, reſolventibus internis præveni no-

vam pituitæ generationem in pulmonibus, atque ejus colliquationem impedivi antiſepticis. Ita ſenſim & lente miteſcebat tuſſis, minuebatur ſpumoſi expectoratio, atque denique recuperatis viribus liberabantur a phthiſi & illa debili febre hectica.

LIB. III. APH. XIV.

93. *SI vero aquilonius & ſine pluviis (autumnus) fuerit, iis quidem, qui natura ſunt humidi, & mulieribus, commodus erit: reliquis vero erunt ophthalmiæ ſiccæ, & febres acutæ, & gravedines, diuturnæ: nonnullis verò etiam melancholiæ.*

I.

UT ſenſus hujus Aph: fiat perſpicuus, accipiendus eſt, ut pars altera vel continuatio præcedentis, in quo ſupponitur anteceſſiſſe Æſtatem Siccam & Aquiloniam, & dein ſequitur etiam Autumnus ſiccus & aquilonius, quales tunc exſpectamus morbos Hyeme. Verum in præcedente complexus eſt generalem prognoſin in quovis ſubjecto, hic autem facit ſubjectorum diſtinctionem, ut Pituitoſis & humidis ſit commodum: Bilioſis autem infeſtiſſimum, quibus fierent Opthalmiæ ſiccæ & Febres Acutæ ac Diuturnæ, & aliquibus Melancholiæ, ut videre eſt *Lib. de Aer. aq. & Loc.* H, a 344.

Quid Autumnus ſiccus & aquilonaris faciat poſt ſimilem æſtatem.

II. Si per æſtivum aërem ſiccum & frigidum partes firmæ fuere magis conſtrictæ & humores compacti (*Aph.* 92, 11), permanente eadem conſtitutione in autumno, effectus igitur fiunt majores per continuatam cauſam, quare in corporibus temperatis ad Hyemem nimia obtinebit ſolidorum con-

contractilitas, & in fluentibus nimia inſpiſſatio & compactura: quare talia corpora magis diſpoſita tunc ſunt ad ſuſcipiendum Inflammatorium morbum, & Rheumatiſmum.

Cur humidis & mulieribus commodus?

III. Quæ autem corpora firmarum partium atonia & humiditatis abundantia ſuâ naturâ ſunt prædita, tali aëris conſtitutione, qua humidi abundantia tollitur, & invigorantur partes firmæ, ad mediocrem & ſalubrem corporis habitum rediguntur; quare tales mulieres atque viri naturâ humidi bene degunt, imo melius quam quæ corpora aliter ſunt bene temperata.

Quid Biliosis & siccis faciat,

IV. Quibus autem corporibus eſt naturalis ſiccitas & compactura humorum, hac continuata conſtitutione in morboſam diſpoſitionem excedentem convertuntur. In Aph: tantum habet *reliquis vero*, ſed in *Lib. de Aq. aer. & Loc:* diſerte dicit *Biliosis autem infeſtiſſimum hoc tempus exiſtit.* Sibi etiam appoſitam addit rationem, ſcilicet *quod liquidiſſimum ac aquoſiſſimum in bile eſt conſumitur, denſiſſimum vero & acerrimum relinquitur.* Materia enim veteribus Bilioſa & aquoſa non habet ſimilem naturam; Aquoſa non patitur compingi, ſed manet ſemper fluxilis & volatilis: verum materia Bilioſa, quæ ipſis duplex eſt, nempe bilis ipſa oleoſa & pinguetudo noſtri corporis corrupta acris & calida facta veteribus eſt eadem materia, quæ non facile avolat, ſed longa agitatione ſenſim redditur acrior; hæc vero humiditati miſta & unâ macerata liqueſcit, atque ita humido illo vehiculo abſumitur, niſi longiori mora nimis oleoſa & acris ſit facta, amiſſa omni ſaponacitate, renuens cum aquoſis unionem. Altera materia bilioſa eſt pars magis nigra & terreſtris, minus oleoſa, ſed magis glutinoſa, potius ex ſanguinis rubri parte compacta, quando ruber color in nigredinem convertitur, quæ ipſis Melancholia audit. Hæc quoque difficile redditur compingendo volatilis, ſed humiditati miſta liqueſcit. In utroque igitur temperamento, Bilioſo nempe & Melancholico, Autumnus materiem præcedente Æſtate compactam, ulterius ſua ſiccitate & compactura majore compingit, nullumque concedit tempus liqueſcendi & volatilizandi; unde tandem utrique hi humo-

res incipiunt abundare, & in qualitate admodum degenerare, quod infeſtiſſimum eſt.

Cur Ophthalmiæ ſiccæ?

V. Superius *Aph.* 91, VII obſervavimus, Ver ſiccum & aquilonium generare etiam Ophthalmiam ſiccam, poſt Æſtatem auſtralem & pluvioſam; videtur ergo hic fieri non poſſe eundem morbum, cum anteceſſerit Æſtas & Autumnus ſiccus & aquilonaris. Hoc quoque credo. Sed hic habetur quidem idem nomen morbi, Ophthalmia ſicca, id eſt oculorum inflammatio, rubedo, dolor cum adjuncta ſiccitate, ſed propterea non eſt eadem cauſa hæc phænomena inducens. In præcedente judicavimus dictum morbum naturam Eryſipelatis ſortiri, quia humor bilioſis erat tenuis, acris & calida: verum quia eadem quoque phænomena oriuntur ab Inflammatoria diatheſi, veriſimile mihi videtur, hanc Ophthalmiam potius ex Inflammatoria diſpoſitione provenire; quare non dubitarem in hoc caſu ſanguinem mittere, alvum ducere, antiphlogiſtica præſcribere, emollientia & laxantia oculis applicare, quæ curatio præcedenti ſpeciei Ophthalmiæ ſiccæ minus conveniebat, cui adhibebamus ſimul adſtringentia refrigerantia.

Cur febres acutæ?

VI. Si vero id pingue bilioſum, longa compactura per æſtatem & ſequentem autumnum, perductum fuerit in Hyemen, nunc ex ſua conſueta natura magis humidam, aliquomodo liqueſcere incipit; id compactum, tam diu retentum, nunc liqueſcens, non carebit acrimonia, & quia Hyems quoque parcam habet perſpirationem, corpus illo alieno liquefacto & acri non facile liberabitur, ſed diu cum cæteris humoribus circumductum, ſenſim in majorem acrimoniam evehitur, quod tandem ſuccum forſan arteriarum inficiens, arterias in majorem motum irritat, ſeu febrem Acutam, id eſt vehementem & calidiſſimam, in hoc loco, excitat, atque diu durantem, (in Lib. citato habetur *febres Acutæ ac Diuturnæ,*) quoniam materia illa irritans, longa mora facta, non patitur actione febrili cito ſubigi & expelli. Conduceret ergo in tali autumno corporibus ſiccis venam ſecare, alvum ducere, & uti humectantibus, ut promoveretur Lentoris ſolutio & expulſio. Sed

ſi

ſi talis febris nata ſit, tentanda eſt hujus materiæ commutatio in ſuppurationem, ut materia ſub forma puris, vel per urinam, vel per abſceſſum, ſi aliter fieri non poſſit, eliminetur. In hujuſmodi febribus acutis criticos dies obſervabiles eſſe confido; minus autem in iis, quæ ex præcedente, *Aph.* 91, conſtitutione naſcuntur, obſervari criticas mutationes.

Cur Gravedines diuturnæ?

VII. In hoc loco variam invenio lectionem. In citato Lib. coryzam non invenio; multi omittunt χρόνιαι, ſed quoniam ſcopus non eſt omnia rimari exemplaria, ut vera habeatur lectio, ſed ut perſpiciamus rem ipſam, quæcumque lectio admitti poteſt, cum Hippocratis verba non majorem quam aliorum fidelium Obſervatorum auctoritatem habeant. Quare ſolummodo examinaturi, an, & quomodo præcedens aëris conſtitutio inducat, & qualem Gravedinem. Ex materia in Bilem vel Lentorem commutabili noſtrorum humorum non concipio in hyeme formari tunc poſſe gravedinem: ſed quando humorum pars, in pituitam lentam commutabilis, nimis compacta fuit, tandem accedente Hyeme colligatur in Membrana pituitaria, mihi veriſimile videtur coryzam generare: quæ pituita veteribus Gypſea & lenta tenax, tam longo tempore confecta, hanc partem occupat, non videtur veriſimile Coryzam brevi ceſſaturam. Quamobrem rei magis conveniens videtur legere *Gravedines diuturnas*: & quoque omitti poſſe hæc verba, ſi nolumus reſpicere ad morbos in hac conſtitutione ex Pituita provenientes.

Cur nonnullis Melancholiæ?

VIII. Ex Aphoriſmi ſenſu & loco citato plane conſtat, Melancholiam poſt talem Autumnalem conſtitutionem non tam frequens generari, quam morbos præcedentes. Hoc potuiſſet deſumi ex minori numero Melancholicorum temperamentorum; ſed tunc non credo Auctorem tantam in obſervationibus detexiſſe differentiam, ut hos morbos a præcedentibus diſtingueret. Credere malo Atrabilarios ex naturâ per hanc conſtitutionem non ſemper ita affici, ſed interdum materiem tenacem & terreſtrem ſanguinis continuata aëris ſiccitate & frigiditate reſolvi & expelli; interdum vero compingi; quando vero materia hæc Melancho-

lica compacta fuerit, verisimile est, ab hyemis clementia & humiditate resolvi, & circulantibus mista, ad cerebrum delata, cogitationes perturbare, & tale Delirium inducere cum tristitia, quod solemus Melancholiam vocare.

LIB. III. APH. XV.

94. *EX anni vero constitutionibus, in universum quidem, siccitates pluviosis sunt salubriores & minus lethales.*

I.

VArios morbos ex aëris humiditate & siccitate se invicem excipientibus hucusque agitavit, in hoc loco suggerit generalem observationem comparativam inter has duas constitutiones & pronunciat siccitates salubriores & minus lethales esse pluviosis. De duplici hac prognosi multi intelligunt eandem esse sententiam; alii existimant differentiam esse pertinentem unam ad quantitatem, alteram ad qualitatem. Verum existimo constitutionem pertinere ad statum sanum, ut siccitates pauciores inferant morbos, & pluviosos plures; & propterea siccitates sanis salubriores esse. At minus Lethales perstringi puto ad morbis correptos, ut morbi ex siccitate nati pauciores interficiant homines; sed qui ex nimia humiditate nascuntur morbi; plures homines interimere. Intelligitur in utraque constitutione excessus, tam humiditatis quam siccitatis; cum mediocritas sit saluberrima; videndum igitur erit quali modo dictæ constitutiones inferant morbos, tam quoad frequentiam, quam ad difficultatem curationis, ut ex his observatis legitima comparatio possit elici generalis.

II. In

II. In hoc loco, quia determinati ſumus ad generalem obſervationem, non debemus nobis proponere ſubjectum aliquo temperamento præditum: nam ſi reſpiciamus ad temperamenta humida, Tempeſtates ſiccæ ſalubriores eſſent ipſa modica aëris conſtitutione; e contra vero in aliis temperamentis bona & mala poteſt dici Tempeſtas ſicca. Quare conſideremus Temperamenta, uti vocant, Temperata, in quibus Tempeſtas tam ſicca quam humida in exceſſu morbos inferre poteſt. Aër itaque ficcior nos ambiens, & a nobis inſpiratus, ratione humoris liquidiſſimum abſumit, craſſius relinquit; ratione partium firmarum, iſtas magis contrahere facit, ut exſiccatio ſolidorum accurtationem facit. His ita mutatis humidum, quod remanet in corpore, ultra modum compingit. Præcipuam humiditatem per inſenſibilem perſpirationem aufert: quare inducit morbos ex nimia perſpiratione, denſitate humorum, & conſtrictis ſolidis. Si vero aſſequimur exitum horum morborum, & curationis difficultatem, experiemur hos morbos non admodum exitiales eſſe vel curatu difficiles. Quam primum enim aliquis ex hac cauſa in morbum incidit, ſtatim quoque incipiunt partes firmæ oborta debilitate, ſe dimittere & relaxari; vel ſi hoc non ſatis cito veniat, promoveri poteſt inſtituta venæ ſectione, & adhibitis humectantibus, quibus emendantur nimium compacti humores, & humectantur ſiccata & conſtricta ſolida; atque ipſa debilitate, per morbum inducta, non amplius compinguntur humores, ſed minus compacti liqueſcunt. Quare hi morbi non admodum inveniuntur exitiales & curatu difficiles.

Quid faciat nimia aëris ſiccitas in ſanis.

III. Si autem aër ambiens nimis diu fuerit humidus, morabitur inſenſibilem perſpirationem, colligetur id excrementitium in pulmonibus & reliquo corpore; ſolida fiunt ab humiditate laxiora; humores minus compacti: quare in ſanis corporibus per nimiam humiditatem, generantur morbi retento excrementitio perſpirabili, humoribus minus juſto præparatis & compactis, ſolidorum laxitate & humiditate. Iſti morbi nati non tam faciles per ſe vel auxilio medicamentorum abiguntur; non accedente morbo, qui veres minuit,

Quid faciat nimia aëris humiditas in ſanis.

nuit, magis augentur hæc omnia mala, & crudum, tam diu retentum, ſolida uliginoſa & laxa, humores crudiores, difficillime Medicamentis emendari poſſunt: imo non raro ægri his morbis diu vexati rapiuntur.

Siccitates pluvioſis ſunt ſalubriores & minus lethales.

IV. Si nunc comparemus has duas conſtitutiones inter ſe, luce meridiana clarius patet, generaliter ſiccitates pauciores & facilius curatu morbos inferre, quam humiditates. Quare homines ad ſanitatem conſervandam non ſine ratione quærunt loca ſicca, elevata, arenoſa; evitant autem loca humida, depreſſa uliginoſa, minus propterea ſalubria. Unum præterea eſt morbi genus, quod tempeſtatem humidam infeſtam facit, promta nempe degeneratio in putredinem ſeu corruptionem, quare humiditas a quibuſdam dicatur mater putredinis. Quæ enim corpora diu ſine corruptione potuerunt ſervari ſiccata, accedente humiditate in corruptelam deliqueſcunt promte. Quam difficile ſit morbos ex putredine vel ſpontanea corruptione natos curare, norunt illi, qui ſedulo exercuerunt aliquamdiu praxin medicam. Si modo hoc ſolo genere morbi aëris conſtitutio humida differret a tempeſtate ſicca, ſatis eſſet hominibus infeſta, cum vix ullum ſit morbi genus difficilius curatu, & ſæpius interficiens.

LIB. III. APH. XVI.

95. *Morbi autem in pluvioſis quidem plerumque fiunt, & febres longæ, & alvi fluxiones, & putredines, & epileptici, & apoplectici, & anginæ. In ſiccitatibus vero, tabidi, Ophthalmiæ, arthritides, ſtranguriæ, & dyſenteriæ.*

I.

GEneralem regulam de Aeris Siccitate & Humiditate in hoc Aph. exemplis particularibus conatur Auctor adſtruere: quare ad ſequentium morborum frequentiam, & faciliorem vel difficiliorem curationem debemus

mus attendere, ut conſtet, quænam aëris conſtitutio humida aut ſicca ſit, magis minuſque ſalubris aut lethalis.

II. Quid Pluvioſum Ver (*Aph.* 90, III), Hyems (*Aph.* 91, 1,) & Autumnus (*Aph.* 92, III) faciat, retro obſervavimus, prout una alteram excipiebat aëris conſtitutionem: hoc loco generalis eſt habenda obſervatio de iis morbis, qui plerumque fiunt omni anni tempore, modo Tempeſtas ſit humida & pluvioſa. Quid autem generaliter faciat Aer humidior & pluvioſus in corporibus ceteroquin ſanis, nulla Idioſyncraſia vel temperamento particulari præditis, recenſuimus ſupra, (*Aph.* 94, III). Quare hoc loco videndum, cur producat febres Longas frequentius & curatu difficiliores. Frequentior nulla eſt cauſa febrem inducens, quam perſpirabile excrementitium retentum: hæc enim evacuatio præſtantiſſima & perpetua corpus noſtrum liberat ab omni inutili excrementitio magis, quam per omnes ſenſibiles evacuationes ſimul, ut nos docuere experimenta ſtatica (*Perſp.* Cap. 12, XXXIX) Hoc retentum in Acrimoniam converti, etiam (*Perſp.* 12, XLVI) demonſtravimus. Acre iſtud organis motus vitalis applicatum ſuo ſtimulo febrem excitat, quæ durabit, donec id alienum vel ſit ſubactum vel expulſum. Quia vero corpora tempeſtate pluvioſâ ſunt enervata, & manente aeris humiditate parcius perſpirant, non facile erit eam materiem ſubigere & expellere: imo dubito, an ſubactio ſit poſſibilis, cum materia perſpirabilis actione vitæ inutilis facta haud poſſit eadem actione aſſimilari, aliud vero crudum facilius poſſe ſubigi, credere malo. Inde ex hac cauſa non ſolum febris frequentior, ſed & diuturnior & periculoſior genaratur. Præſtantiſſimum ergo eſſet ad præveniendas has febres uti Diaphoreticis roborantibus; ſed ſi nata ſit, amaris ſudoriferis & calefacientibus diu adhibitis hujus materiæ præparatio & expulſio eſt tentanda, cum id alienum, quod exire fuit cohibitum, unica vice excutere non valeamus. In pluvioſis febres longæ.

III. Materiem perſpirabilem retentam ex tali aëris conſtitutione, interdum ferri ad inteſtina, facientem alvi fluxionem, olim (*Perſp.* 12, LVII.) quoque obſervavimus. Alvi fluxiones.

Sed quoniam quivis humor ſuo appropriato organo eſt ſecernendus & evacuandus (*Aph.* 21, III & IV), quod deponitur, minuit quidem copiam generalem, minime vero id ſpeciale, quod prohibita perſpiratione fuit retentum. Manet ergo alvi fluxus diu, ſed ſine levamine, cum morbi materiam hac via eliminare non valeat. Ut talem ſiſtamus alvi fluxum, humor morboſus eſt ad cutim ducendus, & eò evacuandus, quod in permanente aëris humiditate difficulter obtineri poteſt, quare hic etiam morbus curatu eſt difficilis & non caret periculo. Præveniendus autem erat laudata methodo.

Putredines. IV. Pluvioſi dies multis modis inducunt morbos Putridos, & frequentes, & curatu difficiles. Corpora enim corruptibilia, quæ ſicca potuiſſent ad longum tempus aſſervari, ſi humectantur, brevè putreſcunt. Qui humores arcentur a corruptione modica actione vitali in nobis viventibus, debilitata hac actione, ut fit in enervatione virium, per aerem continuo humidum, ſponte ſenſim incipiunt corrumpi & putreſcere. Quod abſolvit munus, nobiſque inutile eſt factum, evacuationi deſtinatum, ſi retinetur in cortile eſt factum, evacuationi deſtinatum, ſi retinetur in corpore, ut fit ab aëre humido inhibente perſpirationem inſenſibilem, functionibus obeundis impar, tandem in putrilaginem convertitur. Imo aer in continuis pluviis, miaſmatibus putridis ex tellure aſſurgentibus miſtus a nobis hauſtus, egregie vel in ſaniſſimis corporibus putredinem inducit. Sed ſi morbus Putridus ſit natus, eum difficile curari poſſe, diu durare, & non carere periculo, conſtans eſt obſervatio practica. His in caſibus non ſolum cogimur antiſepticis uti, ſed quæ etiam abſorbendo abliguriunt omnem humiditatem, ut ulterior progreſſus putredinis ablato humido impediatur.

Epileptici. V. Quid ſit Epilepſia, ſuperius (*Aph.* 70, II) definivimus, ſimulque demonſtravimus, acre quodvis partibus nervoſis applicatum hunc motum validum & inordinatum concitare poſſe: ergo demonſtrare reſtat, ab aëre humido & pluvioſo generari poſſe acrimoniam, quod cum ſatis in præcedentibus ſit demonſtratum, non eget ulteriore ſermone.

Ob-

Obſervatio etiam practica conſtanter affirmat, paſſionem hyſtericam & hypochondriacam, multo frequentiores hujuſmodi aëris conſtitutione facere paroxyſmos, atque homines mobilitate laborantes convulſionibus tentari, quam temporibus ſerenis: Quia id acre, quod ſolent per inſenſibilem perſpirationem evacuare, retentum, & nervis applicatum motum convulſivum hunc excitat. Quare hujuſmodi ſpecies Epilepſiæ volatilibus, & Diaphoreticis, niſi nimis altas egerint radices, ſuſtulimus omni mane exhibitis ad promovendam perſpirationem.

Apoplectici.

VI. Apoplexiam ſuperius (*Aph.* 67, I) definivimus, eam generari poſſe ex omni abundantia humorum cerebrum comprimente, ita cuivis notum eſt, ut vix mereatur probationem, eamque eſſe morbum periculoſſimum, demonſtravimus (*Aph.* 67, IV). Ergo hic ſolummodo notandum venit, in aëre pluvioſo generari humorum abundantiam, quæ obruens cerebrum, Apoplexiam infert: verum minuta perſpiratio & ſolidorum laxitas hanc cauſam ſatis arguunt; quam ob rem frequentius exſpectamus in hac quam alia tempeſtate Apoplexiam. Quæ ſubitaneam ſanguinis miſſionem & alvi ductionem exigit, ut minuatur humorum abundantia cerebrum opprimens, dein vero nova accumulatio eſt prævenienda, & partes laxiores roborandæ, evitando omne, quod humectat, ſed adhibendo, quod roborando exſiccat.

Anginæ.

VII. Difficilis reſpiratio vel deglutitio nata ex cauſa afficiente Laryngem vel Pharyngem, vel utraſque partes ſimul, a medicis generali nomine Angina vocatur: propterea, quot ſunt morbi varii has partes afficientes, ut inde impediatur vel moleſtior fiat Reſpiratio & Deglutitio, vel unum ex his, tot ſunt variæ ſpecies Anginæ. Ex his ſpeciebus ſolent Anginam veram vocare, quæ ab inflammatis his partibus oritur. An vero Hippocrates in hoc loco intelligat Anginam veram, vehementer dubito, quoniam dies pluvioſi non inferunt Inflammationes, ſed potius tumores œdematoſos & catarrhoſos. Ex hac ratione judicarem,

Anginam nunc fieri ex tumefacta membrana faucium & Laryngis, anguſtante viam pro cibi & aeris tranſitu. Cauſa hæc etiamſi ſit leviſſima in aliis partibus corporis, hic vero ſummum periculum portendit, nam ſi pergat tumor occludens aëris tranſitum, homo ſuffocatus perit. Promta igitur ſunt adhibenda auxilia, quæ tumorem hunc laxum, œdematoſum, ſeu pituitoſum ſolvunt & diſcutiunt, gargarizando, manducando, fovendo iis, quæ experti ſumus ſine tumefactione hujuſmodi tumores diſcutere.

In ſiccitatibus Tabidi.

VIII. Quoniam auctor agit de conſtitutionibus morbum inferentibus, facile intelligitur, in hoc loco non concipiendum eſſe mediocrem ſed excedentem ſiccitatem (*Aph.* 86, 1. *Aph.* 94, 11.) quæ morbum producere poteſt; de hac autem dicit ſalubriorem eſſe, id eſt minus frequentes morbos producere & minus lethales. In pluvioſis numeravit ſex diverſos morbos; in ſiccitatibus autem quinque, ergo hoc non facit tantam differentiam, ut inde major & minor ſalubritas potuiſſet deduci. At vero, qui ſequuntur morbi, multo rarius ingruunt, quam præcedentes in humiditate. Ex hac ergo ratione poteſt ſiccitas dici ſalubrior. An vero minus Lethales ſint, facile conſtabit, ſi difficultatem curationum in ſequentibus conferamus cum curationibus præcedentium. Primus morbus citatus eſt Tabes, de cujus ſignificatione non conſentiunt Commentatores, & ipſe Galenus exiſtimat, hanc vocem pertinere ad Ophthalmiam, ut denotaret extabeſcentiam oculorum. Sed quid juvat auctoritatibus litigare; nonne his etiam temporibus valemus obſervationibus determinare, num Phthiſis purulenta ex Pulmonis ulcere naſcatur ex aëris ſiccitate? non experimur aërem ſicciorem, modo abſit nimius calor, generare Tabem, quare potius ſubſtituerem emaciationem, morbum corpulentiæ oppoſitum, quia aer ſiccior nimis abſumit humiditatem corporis. Sed ſi fiat oppoſitio inter Emaciationem per ſiccitatem, & Intumeſcentiam ex Humiditate, magna inveniretur differentia, forſan decies occurret Intumeſcentia aquoſa, dum ne ſemel accidat emaciatio. Atque Aër ſiccior

per

per vaporem exhalantem facillime humectari potest: verum ad aërem liberandum a vapore humido vix ulla habemus auxilia.

IX. Oculorum tunica adnata & cornea quia lachrymis continuo est irriganda, ex earum defectu non mirum, has membranas exarescere, ut fit ex nimia ablatione humiditatis per aërem sicciorem: hæ membranæ aridiores factæ aliquomodo inflammari incipiunt, sed si oculi foveantur liquido molli & humectante, similiaque instillantur collyria, nulla est Ophthalmiæ species, quæ faciliorem curationem admittit. Ophthalmiæ.

X. Si auctor indicaret dolorem vagum articulorum, vel Podagram, omnino erraret, quum hi morbi multo frequentiores fiunt in aere pluvioso, quam sicco: sed si quemcumque dolorem articulorum, verbi gratia ex muci articulorum defectu & rigiditate ligamentorum, quibus articulus cum dolore movetur, indicaret, assentirer; verum talis morbus ex hac causa raro occurrit; & natus fotu & potu humectante facile tolleretur. Arthritides.

XI. Urina duplici constat materia, una est urinæ propria, quæ non patitur per alia organa excerni; altera est communis, auget, si cum priori exit, urinæ quantitatem, sed & potest etiam per Diaphoresin atque alvum evacuari: hæc est magis aquosa diluens & lenis. Quo urina de hac materia majorem copiam admistam habet, eo minus observatur acris: eâ autem privata redditur acrior & saponacea. Quoties vero aëris nimia siccitas omnem fere humiditatem abstulit per cutim & pulmones, non solum generatur urina parcior, sed & simul acrior & magis saponacea abstergens. Illa transeundo per urethram, mucum naturalem abstergens, tangit urethræ nuda latera, quæ irritata urethram toties constringunt, quoties urina per eam descendit, id est guttatim & cum molestia emitti potest urina. Fit quidem ab hac causa interdum stranguria, sed tamen frequentius ab humorum acrimonia. Unde hic morbus quoque minus frequens, quam præcedentes ex aëris humiditate. Atque hu- Stranguriæ.

juſmodi ſtranguriæ curatio eſſet facile ſuperanda largiori hydrogalactis potatione.

Dyſenteriæ. XII. Quod monuimus de Urinæ difficultate, etiam ad Dyſenteriam applicari poteſt, ut defectu humiditatis in alvi excrementis, reliquia fiant acriora, inteſtina ſtimulantia, atque ita non ſolum dolorem ſeu Tormina ventris inferentia, ſed etiam frequentem dejectionem flatuum, loco excrementorum faciant, quam ſpeciem hodie vocarent Dyſenteriam ſiccam. Morbus equidem ex hac cauſa rariſſimus, & qui potione molli copioſiori facile cederet, vel injectione in inteſtinum colon ex ſimilibus facta facile obtemperaret. Veritas igitur præcedentis Aphoriſmi his adductis exemplis plane conſtat, morbos ex humiditate aëris natas frequentiores eſſe & magis lethales.

LIB. III. APH. XVII.

96. *QVotidianæ autem conſtitutiones, aquiloniæ quidem, corpora compingunt, & robuſta, & facile mobilia, & bene colorata, & melius audientia faciunt, & alvos ſiccant, & oculos mordent, & dolorem circa thoracem, ſi quis præexiſtat, majorem faciunt. Auſtrinæ verò, corpora diſſolvunt, & humectant, & auditus graves, & capitis gravitates faciunt, & vertigines, in oculis, & corporibus motum difficilem, & alvos humectant.*

I.

Aphoriſmi ſenſus. BIpartito hoc Aph: conatur Auctor ulterius adſtruere, Siccitates Pluvioſis ſalubriores & minus lethales eſſe, & ut in priore ſolas mutationes humiditatis & ſiccitatis agitavit, in hoc Aph: ſiccitatem jungit frigori, & humida-

midatem calori: agit enim de Aquilone & Auſtro, qui venti his qualitatibus ſunt præditi (*Aph:* 84.) De iiſdem quoque egit ſupra (*Aph:* 84), ubi recitat morbos duntaxat ſi talis ventus dominatus fuerit: hoc autem loco bona & mala annumerat, quæ profluunt ex quotidiana eorum ventorum conſtitutione, ut probet ſiccitates cum frigiditate ſalubriores eſſe & minus lethales, quam humiditates cum calore: quam ſententiam non potuit præcedente *Aph:* 84. adfirmare, in quo ſola mala minime vero bona proponuntur: hinc neceſſe erat novam proferre ſententiam. Quam ob rem vero hic primo proponit Aquilonem & dein Auſtrum, dum contrarium fecerat in præcedente, non video aliquid involvere arcani, potuiſſet enim æque ab Aquilone quam Auſtro incepiſſe. In hoc autem perpendendum eſt, quid boni & mali faciat Aquilo ſeu Aer ſiccus & frigidus, quid Auſter ſeu Aer calidus & humidus, ut conſtet, aquilonem eſſe ſalubriorem & minus lethalem. Hic autem non intelligitur mutatio unius venti in alterum, ſed ſi hi venti ſint quotidiani in quovis fere anni tempore, ut ſi per totum annum vel Aquilo vel Auſter multum ſpiret.

II. Quæ cauſæ duo corpora laxe cohærentia ita uniunt, ut acquirant majorem cohærendi firmitatem, compingentes dicuntur: in partibus itaque ſolidis noſtri corporis per Aquilonem fieri debet firmior nexus; & in fluentibus, partes liquorem componentes majorem cohæſionem acquirere debent. Per Aquilonem intelligit aërem ſicciorem & frigidiorem; noſtras autem ſolidas partes modica exſiccatione, qua humidum partibus elementaribus partium fibrarum miſtum aufertur, magis fieri cohærentes & tenaces, experimenta phyſica omnia comprobant, ita membrana, & chorda humida per modicam exſiccationem fit tenacior & firmius cohærens. Atque frigus etiam, niſi modum ſuperet, quando tranſit in fragilitatem, omnes membranas & fibras magis cohærentes facit. Binæ itaque cauſæ junctæ admodum compingunt partes firmas noſtri corporis. Ita etiam in liquidis ſeu fluentibus fit, nam exſiccatione ablata pars aquoſa ex reliquis magis concreſcibilibus, facit ut maſſa remanens magis

Aquiloniæ corpora compingunt.

magis ſit comphcta : atque frigus in omnibus liquidis ita auget cohæſionem , ut calor diſſolvit. Quod igitur olim obſervavit Auctor, id hodie experimentis phyſicis confirmatur.

Robuſta faciunt :

III. Robur hoc loco duplici ſenſu accipi poteſt. Primò, corpora, quæ ab externis injuriis non facile læduntur, dicuntur robuſta, qualia inveniuntur in regionibus ſeptentrionalibus : cum aquilonis frigiditate & ſiccitate non ſolum ſolida magis fiant compacta & tenaciora, ſed & potentiorem contractionem exerceant, quare non tam facile tonum per cauſas externas amittunt. Secundò, fibræ muſculares, quo ſunt magis contractiles, eo ab eodem ſpirituum influxu fortiorem & conſtantiorem exercere poſſunt actionem, quæ actio validior & conſtantior quoque vocatur Robur.

Facile mobilia.

IV. Facile mobilia corpora videntur oppoſita auctæ compacturæ, ſed nomen quo utitur Auctor, denotat agilitatem & mobilitatem, nempe talia corpora, quæ facile exercere poſſunt motum muſcularem: tunc autem omnino congruit præcedentibus, nam ſolida compacta & robuſta ſimul fiunt agilia, quoniam talia organa muſcularia a ſpiritibus influentibus promtius & majori vigore moveri poſſunt, dum vero corpora majori calore & humiditate redduntur ſegnia & laxa. Forſan frigus junctum ſiccitati puriores facit in noſtro corpore præparari ſpiritus minuſque exhalantes. Invenimus enim, inhyeme ſicca non ſolum motum muſcularem expeditiorem fieri, ſed etiam viſcera chylificationis promtius & facilius ſubigere alimenta: quibus conſtat, omnes actiones tunc fieri validiores.

Bene colorata.

V. Color partium firmarum nullus poteſt dici, quia omnis color varius in nobis dependeat a colore liquoris tranſfluentis, imo nigrum colorem æthiopum, & in oculis demonſtrant fieri a pigmento nigro partibus firmis adhærente, cum ſolida noſtri corporis omnia ab omni humiditate privata ſint candida vel pallida. Coloris igitur mutatio præprimis in facie, quoniam ad hujus partis colorem attendit Auctor, declarat varium humorum transfluentium ſtatum. Quod ſi ſanguis noſter conſtet colore eleganti rubro

bro & lympha pellucida, faciei color eſt ruber vel roſeus, qualis ab omnibus ſtatuitur optimus, quia talis eſt ſanguinis bene præparati color naturalis: quoties vero quantitas rubri ſanguinis minuitur, facies pallet: ſi lympha autem corrumpitur & flaveſcit, faciei color fit luridus & ut hodie vocamus, cachecticus. Ille autem color conſtans eſſe debet minime fugax, uti in phlogoſi & pudore. Hipp: dicit corpora ab Aquilone fieri Colorata, intelligit ergo Aquilonem plures facere globulos rubros in ſanguine, & ſervare lympham ab omni corruptela. Globulos autem rubros valida actione circulationis fieri, ex iis quæ in *Comp.* T 31, XII ad XXIII adduximus, colligi poteſt. Humores quoque in tali vento ſicco & frigido minus corrumpi, ſed perfectius præparari ex antecedentibus deduci poteſt. Et quoniam in hoc loco comprobavimus actionem corporis vegetiorem fieri, nullum reſtat dubium, quin veram obſervationem protulerit Auctor, quæ etiam conſtanti obſervatione hodierna ulterius adſtruitur.

IV. Duobus modis per aëris mutationem Auditus fit melior, id eſt, idem ſonus ex corpore ſonoro emanans facilius vel & ad majorem diſtantiam poteſt audiri. Primo ſi aër ſonum transferens omni humiditate ſit liberatus; quo enim aer eſt magis vaporoſus & nebuloſus, eo magis a vapore minus elaſtico quam eſt purus aer, obtunditur tremulus motus ſoni, quare a nobis tam facile audiri nequit. Dein aer ſiccus & frigidus tendendo partes firmas noſtri corporis facit, ut membrana tympani facilius contremiſcat, ut inde melius ſonum percipere poſſimus. Tot bona ex Aquilone profluunt, quare auctor concludere poteſt, Aquilonem eſſe ſalubrem. Alterum nunc eſt demonſtrandum minimè eſſe Lethalem. Melius audientia.

VII. An alvus ſiccior inter bona vel mala ſigna ſit numeranda ambigo: eam autem exſiccari non recedit a ratione, quamvis ego hoc in ægris non ſatis conſtanter obſervare potui (*Aph.* 84, IV). Major utique actio per aerem frigidiorem & ſicciorem poteſt promtiorem & perfectiorem facere ex inteſtinis abſorptionem, unde feces fiunt Alvus ſiccant.

magis compactæ, modo continuetur ſatis larga perſpiratio: ſed ſi aëris frigiditate parcior fiat in quibuſdam perſpiratio, alvus redditur laxior; quæ forſan fuit cauſa, quod minus conſtantem hunc effectum obſervaverim.

Oculos mordent.

VIII. Aer autem ſiccus frigidus magis operatur in partibus nudis, quas tangit, ut in oculis, hi ab aëre frigido & ſicco nimis conſtringuntur, & ſuppreſſa ſecretio ſmegmatis oblinientis facit, ut oculi nimis ſiccati, conſtricti in ſuis membranis, & ſmegmate privati aliquomodo doleant. Ille autem morbus curatu eſt multo facilior, quam præcedentes dolores ex ophthalmia, (*Aph.* 90, IV. *aph.* 91, VII. *aph.* 93, V. & *aph.* 95, IX.) nam ſi tegantur oculi molli fomento, brevi evaneſcit hic morſus.

Dolorem pectoris augent.

IX. Quod ſtatim obſervavimus in morſu oculorum, id quoque in Pectoris dolore verum eſt: nulla enim pars magis eſt aeri expoſita quam pectus, intus enim per totam pulmonis compagem ſingulis inſpirationibus diſtribuitur inſpiratus aer, qui frigidior & ficcior fibras pulmonum & pectoris magis conſtringere facit; in quibus ſi præceſſerit Dolor, ab hac conſtrictione augetur. Sed incrementum hujuſmodi doloris, quia vapore calido facile lenitur, non poteſt inter morbos lethales numerari, qui erat probationis ſcopus ab Auctore, quo hos omnes effectus conſtitutionis Aquilonaris adduxit.

Auſtrinæ corpora diſſolvunt &c.

X. Nunc tandem aggreditur alteram partem, ut conſtet aerem calidum & humidum minus ſalubrem eſſe & magis Lethalem: & dicit Auſtrinas quotidianas conſtitutiones Corpora diſſolvere, auditum graviorem facere, & capitis gravitatem producere ut ſupra *Aph.* 84, III. Videtur igitur inutilis repetitio: ſed ſi perpendimus ſcopum, non erit ejuſdem repetitio inutilis. Superius enim ſolummodo numeravit morbos ex Auſtrina conſtitutione provenire ſolitos: hic autem demomſtrare vult, hanc quotidianam conſtitutionem minus ſalubrem eſſe & magis lethalem; quare neceſſe erat ut proferret morbos frequentiores & magis lethales ex hac quam ex Aquilonia conſtitutione. Qui nunc examinat frequentiam horum morborum & difficultatem curationis cum mor-

morbis & effectibus ex aquilonia provenientibus, facile perſpiciet, Hippocratem veritatem dixiſſe. *Corpora diſſolvere* hoc loco notat laxare, ſegnia & inertia facere, unde etiam in oculis & corporibus fit motus difficilis; id eſt, membra moventur majore difficultate, quaſi facta eſſent ponderoſiora, quando ægri accuſant aëris gravitatem.

Vertigines faciunt.

XI. Hæc ſufficere potuiſſent ad generalem intellectum, ſed quoniam invenio variam lectionem, & quia varia commentata ſunt de Vertigine, hæc pauca clarioris intelligentiæ ergo adjicere volui. In Editione *Ab Almeloveen*, quam ſequor, habetur *Vertigines in oculis*; ita etiam in *Lindeni* Editione. *Foeſius* autem, *& Vertigines afferunt, oculis & corporibus*, &c: Mercurialis, Tozzus, Sorbait, Heurnius & fere omnes ſequuntur Foeſium, utpote rei magis conveniens, nam ſufficit dicere Vertigine laborare brevitati ſtudens, ut noſter Auctor, ut non opus addere in oculis. Sed quod majoris momenti eſt, non ſatis exponunt modum, quo Auſtrinæ conſtitutiones inducant Vertiginem frequentiorem & curatu haud facilem; quod hic requiritur ex ſcopo Auctoris noſtri. Quid ſit Vertigo, facile concipitur, ſi modo attendamus ad mutationem inductam in nervo optico in oculi fundo locato, quando revera videmus corpora in gyrum vel vorticem agitari. Imagines pictæ tunc ſucceſſive in oculi fundo ſupra pulpam nervi optici mutant ſitum: quamdiu talis imaginis mutatio motu rerum extra oculum poſitarum producitur, intelligimus ea corpora moveri; ſi vero motu inordinato vel muſculorum vel fibrarum in tunicis oculorum, vel ligamento ciliari, vel etiam in capſula nervi optici, ita inordinate movetur oculus, ut incidentes imagines rerum externarum ſitum mutent inordinata agitatione oculi, hæc repræſentata imaginis motio vel circumgyratio eſt morbus, quem Vertiginem vocamus. Agnoſcit igitur omnes cauſas, quæ dictas partes inordinate movere poſſunt, vel ipſum cerebrum agitare ad originem nervorum opticorum: quæ cauſæ multiplices eſſe poſſunt, quarum quædam generari poſſunt a conſtitutione Auſtrali, nam ſi modo propter aëris calorem & humiditatem putrefactum ducitur

ad cerebrum, vertigo generatur frequenter recurrens & non facilis curatu: in quo caſu ſiccantia abſorbentia forma epithematis capiti applicata magni ſunt uſus, ut id tenue & acre ſtimulans motum inordinatum inducens auferatur.

LIB. III. APH. XVIII.

97. *SEcundum tempora autem, vere quidem & prima æſtate, pueri & his ætate proximi, optime degunt, & maxime ſani ſunt. Æſtate vero, & autumno ad aliquam quidem partem, ſenes. Reliquo autem Autumno, & hyeme, qui medii ſunt ætate.*

I.

Scopus Auctoris.

IN ſuperioribus obſervaverat Hipp: (*Aph.* 82, IV) quibus temporibus anni ætates magis minuſque erant convenientes generaliter; hoc autem loco ſpeciatim agit. Ætatem in tria tempora diſtinguit. Ut (1) tempus Incrementi, per hæc verba *Pueri & hi ætate proximi.* (2) Decrementi, nempe *Senes.* (3) Status ſeu vigor vitæ ſcilicet *Media ætas.* Itidem dividit annum in tres partes inæquales, ut pro Vere & Autumno intelligat quartam ſinguli anni partem, ſed pro Hyeme anni partem dimidiam: veris initium mihi videtur ponere circa æquinoctium vernale, & continuare ad ſolſtitium æſtivum, quam ob rem dicit *Vere & prima æſtate:* ponens initium æſtatis circa ſolſtitium æſtivum, & extendens ad æquinoctium autumnale: ſed pro reliquo tempore accipit ſpatium temporis ab uno æquinoctio per hyemem ad alterum æquinoctium. Hæc Temporis diviſio omnino quadrat diviſioni Ætatis; ut Ver ponatur pro ætatis incremento; Æſtas & reliqua pars Autumni pro Ætatis decremento ſeu ſenectute; denique ut dimidia pars anni

ni tribuitur Hyemi, ita etiam dimidium Vitæ tempus conceditur Ætati mediæ. Secundum hanc divisionem Temporis & Ætatis videndum erit, quomodo possit dici corpora optime degere & maxime sana esse.

Pueorum & veris naturalis convenientia.

II. Per Pueritiam hic cum Auctore non intelligo strictum tempus puerili ætati datum, sed totum tempus a nativitate usque dum corpus non amplius increscit ad vigesimum, vel vigesimum quintum ætatis annum. Toto hoc tempore corporis vires non satis sunt firmatæ, sed quo minus distat ætas a nativitate, eo vires sunt minus firmatæ, non potentes ferre externas injurias, egentes auxiliis rerum externarum, donec satis confirmatæ sint. Vicissim autem constitutum est cum anni Tempestate, ab æquinoctio vernali ad solstitium æstivum sensim fit majus fructificationis incrementum, quare etiam corpora animalium fere eodem modo ut vegetantia facilius acquirunt incrementum: in plantis hoc certo constat experimento, Vernali tempore ceteris paribus semina terræ commissa melius progerminare quam post solstitium æstivum: hoc etiam Hippocratem sedula observatione in nostris corporibus increscentibus detexisse, quod manifeste in plantis observatur, non est sine ratione. Inde ver non solum omnibus saluberrimum *Aph.* 88, VI. sed maxime Pueris ex allegata ratione. Principium autem veris maxime conveniens videtur infantibus, sed finis veris adultioribus.

Senum & Ætatis naturalis convenientia.

III. Post constantem autem ætatem si vires nostri corporis sensim magis languere incipiunt, hoc tempore nulla spes est Vernali tempore ut in pueris novas recupari posse vires, sed quod viribus languentibus non potest concoqui, res externas exigit coctionem promoventes. Senes defectu coctionis præprimis laborare, superius (*Aph.* 65, V), & egere calefacientibus (*Aph.* 14, V) observavimus: quamobrem istud anni tempus, quod fructus crudos maxime ad maturitatem concoquit, ut est tempus anni a solstitio æstivo ad æquinoctium autumnale, admodum conducit senibus. Sed quod observavimus supra de Incremento ætatis contra incrementum anni, id quoque hic locum habet: nam circa solstitium de-

crepita ſenectus optime degit, ſed crudior ſenectus facilius fert æquinoctium autumnale.

Mediæ ætatis & hyemis naturalis convenientia.

IV. Media autem & conſtans Ætas per ſe ſatis valens ingeſta præparare, & expellere aliena, viribus pollens, plus periculi ex nimis inſtigatis quam debilitatis viribus exſpectat, quare a ſolſtitio vernali ad ſolſtitium autumnale ſæpe incidunt in Hæmorrhagias, Inflammationes & morbos acutos calidos, quod tempus anni calore luxurians nimis intendat eorum corporum actiones. Hyemalis autem frigiditas temperans hunc nimium motum facit, ut talia corpora rarius corripiantur morbis. Ex his igitur conſtat, quibuſnam in corporibus ad ſanitatem conſervandam inſtituere Diætam debemus calefacientem aut refrigerantem: ſcilicet calefacientem conducere pueris, ſed maxime ſenibus, ſed refrigerantem conſtanti ætati & robuſtis.

LIB. III. APH. XIX.

98. *MOrbi autem omnes quidem in omnibus temporibus fiunt: nonnulli vero in quibuſdam ipſorum magis & fiunt, & exacerbantur.*

I.

A Principio hujus ſectionis ſeu *Aph.* 80 propoſuit morbos ex anni temporibus, tempeſtatibus & ætate vario modo inter ſe miſtis: nunc vero ulterius tradet regulas obſervationum in quatuor anni temporibus, & dein in ætate varia: ne igitur aliquis judicaret hæc omnia abſolute poni, hunc Aphoriſmum interponere voluit, ut cuilibet conſtaret, dictas obſervationes non ita conſtantes eſſe, ut quoque iidem morbi non potuiſſent fieri aliis anni temporibus; inde enim præcipit, omnes morbos quidem in omnibus temporibus fieri, ſed tamen iſtis temporibus frequentius generari

rari & magis exacerbari. Duo in hoc Aph: ſunt exponenda, primò omnes morbos omni tempore fieri poſſe, & dein ſi fiant morbi, temporibus conſpirantibus magis exacerbari, & frequentiores eſſe.

Morbi omnes anni tempore fieri poſſunt.

II. Si ſola anni mutatione in nobis generantur morbi, neceſſe foret, ut ſtatis temporibus quoque haberentur iidem morbi; ſed & ſunt præterea multo plures claſſes cauſarum morbos inferentium ſibi proprios; ita enim ſupra obſervavit, ætatis mutationem certa genera morborum inferre, ita ventus, atque varia aëris tempeſtas: non raro in victu commiſſus error, vel quævis res externa omnibus temporibus morbos inferre ſolet. Morbi Endemici & Epidemici ab aëre infecto non ita conſtanter ſequuntur anni tempora. Quare etiam in Æſtate conſpicitur Hydrops, Vere febris quartana, Hyeme febris Ardens & morbi bilioſi, cum accedentes cauſæ alieno anni tempore inſolitos iſtis temporibus morbos inferant.

Morbi magis fiunt ſuis temporibus & magis exacerbantur.

III. Quoniam vero omnes cauſæ morbum inferentes omni tempore incidere poſſunt, qui morbi favens habent ſimul anni tempus, neceſſe eſt, ut hoc tempore frequentius fiant: ſæpe enim cauſæ ſolitariæ, niſi cooperans habent anni tempus, non producerent morbum, imo ſola anni mutatio certum genus morbi cum leviſſima morboſa cauſa morbum generare poteſt; unde his temporibus morbi temporales fiunt frequentiores: raro enim vere & principio æſtatis fiunt morbi ex prohibita perſpiratione; & hyeme morbi putridi, quoniam aëris naturalis mutatio his temporibus parum favet generationi horum morborum. Qui autem dictis temporibus corripiuntur morbo, de iis dicit magis exacerbari, id eſt, graviores paroxyſmos faciunt, & medicamentis vel benignitate naturæ curati frequentius recidivant: ut experimur in Hydrope & febre quartana autumnali tempore. Huic ſententiæ obſtare videtur, quod dixit Auctor *Aph.* 59, v. ſed ſi accipiatur morbus tempori magis ſimilis, ut ibidem interpretati ſumus, nulla reſtabit differentia.

LIB. III. APH. XX.

99. *NAm vere quidem, inſaniæ & melancholiæ, & epilepſiæ, & ſanguinis fluxiones, & anginæ, & gravedines, & raucedines, & tuſſes, & lepræ, impetigines, & vitiligines, & puſtulæ ulceroſæ plurimæ, & tubercula, & articulorum dolores.*

I.

UT probet, quod poſuit in præcedente, morbos omnes omni tempore fieri, initium facit ab iis, qui Vere interdum fiunt, & tamen ad morbos aliorum temporum potius pertinent; uti inſania, epilepſia, melancholia, angina potius referuntur ad morbos Autumnales; gravedo autem, raucedo, tuſſis, ad Hyemales; hæmorrhagiæ, puſtulæ ulceroſæ ad morbos Æſtivos. Ex quibus conſtat, hos morbos plerumque fieri aliis temporibus anni, ſed & etiam Vere obſervari provenientes ex cauſis aliis quam a naturali mutatione aëris. Hoc certiſſime conſtat in iis citatis morbis, qui nomen habent ex cauſa. Sed in aliis, qui ex phænomeno, ut inſania, epilepſia, angina &c: nominantur, admittentes cauſas varias, non eſt opus præter naturalem temporis mutationem, aliam aſſignare cauſam, cum tales morbi æque ex cauſa hyeme æſtate &c: nata quam quæ vere generatur, produci poſſunt: ita alia eſt Angina Inflammatoria, Eryſipelatoſa, Pituitoſa, Convulſoria, etiamſi morbus generaliter vocetur Angina, quod etiam de ceteris eſt intelligendum.

Ver quales morbos produ cit.

II. Demonſtravimus ſuperius (*aph.* 88, VI) Ver eſſe ſaluberrimum, videtur autem obſtare, hic tam multos citari morbos etiam curatu difficiles & periculoſos. Si vero attendimus ad ſcopum hujus Aphoriſmi, nulla erit difficultas. Nam

Nam in ſuperiobus demonſtratum fuit, Ver ſaluberrimum eſſe & minime exitiale, quoniam naturalis aëris mutatio conducit ad ſanitatis conſervationem & curationem morborum, quod quoque in hoc loco adſtruitur: ſed etiamſi anni tempus ſit admodum favens, aliena hoc tempore tempeſtas, vel & reliquæ cauſæ morbum inferentes poſſunt tamen Vere generare morbos, quod in hoc Aphoriſmo adſtruere vult. Imo ipſum ſaluberrimum Ver, uti dicit Galenus, corporibus impuris morbos parit, ſed puris eſt ſaluberrimum. Ut cum fructu ſequentes morbi deducantur ex naturali aëris mutatione vernali tempore, in memoriam revocandum eſt, anteceſſiſſe hyemem, in qua minor fuit facta perſpiratio, collectio humorum tam ſanorum, quam excrementitiorum & morboſorum, qui vere accedente debebant diſſlari: ſi autem illa collecta materia evacuationi inepta actu non evacuatur, quæ in frigore manſiſſet quieta, nunc ab accedente calore magis matureſcit, tam in malam, quam bonam indolem; & quæ in malignitatem commutata fuit, nunc magis quam præcedente hyeme ſævit, quamvis puris corporibus Ver ſit ſaluberrimum.

III. Inſania ſeu *Mania* vocatur omnis morbus, in quo obſervatur mentis aberratio vehemens cum furore & ſine febre; nam quoties febris adeſt, Phrenitis vocatur; ſed ſi ſit ſine febre, verum cum triſtitia & timore, Melancholia vocatur, quare in ſequentibus indicabitur, Inſaniam interdum ſolvi fluxu hæmorrhoidum, quando eſt Delirium ex atra bile: ſi vero abſit furor & febris, ſed fiat delirium cum manſuetudine, dicitur Fatuitas. In hoc loco citat Auctor Maniam & Melancholiam, videntur hi morbi utrique ex eadem materia hyeme collecta, & vere acriore facta generari. Quando enim antecedente hyeme materia tenacior, coloris nigri, quam veteres vocant humorem atrabilarium ſeu melancholicum, in vena portarum præcipue fuit retenta, ab accedente ſolis calore vernali tempore incipit ſolvi, & acrior fieri, ſanguini venæ cavæ tradita fertur ad cerebum, ita cerebri actionem perturbat, ut homo mentis impos fiat, generatur inde varia ſpecies inſipientiæ, prout magis minuſ- Inſanias & Melancholias.

que fuerit exaltata & degenerata, ut inde fiat Delirium ſine febre, ſed cum furore, vel cum triſtitia & timore. Qualis autem ſit propria hic mutatio producens Maniam vel Melancholiam, determinare non valeo; neque in prædictione aut curatione ullam parit differentiam, ſufficit enim ſcire, hominem Vere Deliraturum: & in utriſque id agendum eſt, ut eo tempore, antequam melancholica liquata materia tradita fuerit ſanguini venæ cavæ, educatur per viam huic materiæ naturalem, vel per venas hæmorrhoidales, vel per alvi ductionem, ut forſan rami venæ portæ, quæ meſentericæ venæ dicuntur, ſe exonerent in inteſtina, vel forſan per ductum choledochum exoneretur; quare alvi laxantia melanagoga dicta in principio Veris data & aliquamdiu continuata, Maniam & Melancholiam prævenient, & natam compeſcent, citiusque ceſſare facient.

Epilepſias. IV. Epilepſiam ſuperius (*Aph.* 70, 11.) definitam variis cauſis oriri poſſe, citato loco indicavimus, inter quas frequentiſſima eſt cauſa humor crudus tempore hyemali collectus, & vernali tempore liquatus, acrior factus, nervis applicatus, quo attactu partes inordinate & cum vehementia conſtringuntur. Hujuſmodi Epilepſiæ ſpecies, quæ ſatis commode ad Mobilitatem vel Paſſionem Hyſtericam aut Hypochondriacam poteſt referri, non eſt impoſſibilis curatu: qui enim ſtomachicis & anticachecticis hyeme prævenit cruditatis generationem, & inſtante Vere Diureticis & Diaphoreticis, id quod aſſimilari non potuit, evacuat, interim condit humores Reſinoſis, Balſamicis, ne formetur corrupte-la chronica, inſtantem Epilepſiam non ſolum præveniet, ſed & multos alios morbos ex tali corruptione naſcendos.

Sanguinis fluxiones. V. Nullus morbus frequentior Vere, quam Sanguinis fluxiones qualeſcunque, cum hyeme confectus ſanguis a vernali calore magis expanditur, & partes firmæ eodem calore relaxantur, magiſque moventur, facile generatur ex hac abundantia & minori cohærendi potentia in ſolidis, ruptio vel dilatatio vaſorum, & effuſio contenti ſanguinis: quare hæmoptoici hoc tempore maxime periclitantur, niſi in-

inſtituta venæ ſectione prius tollatur id abundans. Hæc evacuatio niſi modum excedat, modo non fiat ex pulmonibus, ſalubris ſolet eſſe, ſed quoniam plerumque modum excedit, in hoc Aph. inter morbos recenſetur.

VI. Quod medici vocant Anginam (*Aph.* 95, VII) varias agnoſcit cauſas, quare neceſſe erit perſcrutari, quænam ſit primaria cauſa Vernali tempore anginam inferens. Si Ver generalem ſuam habet aëris conſtitutionem, debet eſſe Angina ſanguinea, ſeu quæ ex ſanguinis abundantia generatur: ſed quoniam interdum varia eſt aëris tempeſtas, & hoc quoque tempore variæ poſſunt incidere Anginam producentes cauſæ, tunc magis inveſtigandæ cauſæ, quam naturalis conſtitutio Vernalis, ut inveniatur proxima Anginæ cauſa. Anginas.

VII. Quid per Gravedines vel Coryzas ſit intelligendum, expoſuimus (*Aph.* 65, III): iſtas Vere etiam fieri poſſe, modo habeat tempeſtatem inæqualem ex iis, quæ ſupra (*Aph.* 92, V, & *Aph.* 63, VIII.) diſputavimus, facile colligi poteſt: ſed ſi corpus ſit purum, & Ver ſolitam mutationem ſequitur, raro obſervantur Gravedines. Unde patet, noſtrum Auctorem voluiſſe adducere hos morbos, ut probet generale monitum (*Aph.* 98) morbos omnes in omnibus quidem temporibus fieri poſſe. Gravedines.

VIII. Eodem etiam modo Raucedines (*Aph.* 65, II.) & Tuſſes, quæ irritatione Laryngis concitantur, ſunt accipiendæ, ut diximus de Gravedine: poſſunt quidem Vere incidere, ſed ex naturali veris conſtitutione non profluunt. Raucedines & Tuſſes.

IX. Ad morborum cognitionem & curationem nihil magis obeſt, quam eodem nomine varium intelligere morbum, & eundem morbum multis nominibus inſignire, quæ interdum alium quoque morbum exprimunt: nam morbus eſt res ab omni alia diſtincta, ſæpe habens multas proprietates, quas omnes concipimus intelligi eodem nomine; ſi ergo unus medicus per aliquod nomen alium morbum intelligiat quam alter, hinc maxima confuſio, uti patet in Lepra; qui hanc Lepram eandem faciat cum Lepra Arabum, Lepras.

turpiter erraret. Celſus videtur Lepram referre ad primam ſpeciem Impetiginis. Hodie ille morbus haberetur ſpecies Scabiei, vel Herpetis, vel Porriginis. Neceſſe eſt igitur, ut recitemus notiones, quæ præſentiam hujus morbi declarant. (1) Adeſſe debet pruritus, (2) ſeceſſus ſquamularum, nam ſi furfures ſecedunt, Pſora vocatur. (3) Cutis aſpera & arida, & durior, ejuſque foeditas. Accuſat Hipp: in uno loco pituitam, in alio autem Melancholiam. Hic morbus quoque interdum infeſtat veſicam urinariam, qui nomine ſcabiei a Ruyſchio deſcribitur, inveniens veſicam admodum duram & craſſam, intus ſquamulis obſeſſam. Ex creſcentibus & ſæpe renovatis ſquamulis patet, hunc humorem eſſe tenacem & ſemivolatilem, ut fluidus maneat uſque in cutis ſuperficiem, ſed ibidem ſubſiſtens exhalante parte volatili in ſquamulas concreſcit: habet præterea acrimoniam, qua pruritum excitat. His temporibus ſi vere duntaxat oritur, facile cederet alvi ductione cum mercurio dulci, & abſtergente & mercuriali linimento aut lavamento, facile ſanaretur, præcipue ſi inſuper diebus a purgatione vacuis æger biberet apozema diaphoreticum reſolvens.

Impetigines X. Impetigines in Textu dicuntur Leichenes, ſed quoniam Impetiginis nomine a Celſo alius intelligitur morbus, & Leichenes Græcorum magis quadrant Celſi Papulis, in cognitione & deſcriptione multum variant auctores. Græci & in hoc loco Hipp:, per Leichenes intelligit talem cutis fœdationem, in qua ſumma cutis puſtulis ſiccis admodum prurientibus exaſperatur: qui morbus ſæpe Vere conſpicitur, ſed & aliis quoque temporibus, cum materia evacuanda per cutim præcedente hyeme retenta, nunc vernali calore ad cutim delata, acrior facta, in cutis poris ſubſiſtens pruritum excitet; ſed quia humor totus fere volatilis eſt, non relinquit ſquamas ut lepra, neque furfures ut pſora, ſed ſiccam & aſperam puſtuloſam cutim, qui morbus leni abſtergente antiſeptico facile ſanatur, quo reſiduum cuti inhærens aufertur.

Vitiligines XI. Celſus Lib. 5, Cap: 28. tres ſpecies Vitiliginis numerat,

rat: ἄλφος vocatur, ubi color albus eſt, fere ſubaſper & non continuus, ut quædam quaſi guttæ diſperſæ eſſe videantur. Interdum etiam latius & cum quibuſdam intermiſſionibus ſerpit. μελας & λευκη ſunt præterea Celſo duæ reliquæ ſpecies Vitiliginis: quare facile conſtat, quia Hipp: ſcribit ἄλφος, qualem ſpeciem hic debemus intelligere, ſcilicet vitium cutaneum, ut duo priora, ſed quod neque ſquamas, neque puſtulas ſiccas aut duram aſperitatem facit, ſed relinquit cutim fere æqualem, verum ejus colorem immutat in foedam albedinem. In hac ſpecie quoque videtur adeſſe humor lenteſcens hyemali tempore confectus, calore vernali ad cutim delatus, ſed ſine acrimonia lenteſcens in minimis vaſculis cutaneis ſubſiſtens exſiccatus. Hujus igitur curatio ſolis abſtergentibus & diaphoreticis abſolvi poteſt, non ita egens antiſepticis, ut priora duo genera; hanc ſpeciem facilem curationem admittere, novit quoque antiquitas.

XII. Hipp; habet ἐξανθήσιες ἑλκωδεες ſeu Effloreſcentias ulceroſas, quali modo noſtris temporibus conſpiciuntur Variolæ; verum quia præcedentia vitia fiunt ſine prægreſſa febre, non poteſt hæc ſpecies morborum cutaneorum a præcedentibus avelli, ut demonſtraret morbum noſtris variolis ſimilem, præcipue quia his etiam temporibus hujuſmodi efflореſcentiæ vernali tempore ſæpiſſime in juvenibus obſervantur, quæ in parva ulcuſcula degenerant. Materia quoque hæc præcedente hyeme collecta, Vere ad cutim delata, lentoris naturam habere videtur; illa in poris cutaneis ſubſiſtens, ſtimulo ſuo parit puſtuloſas inflammationes, quæ in abſceſſulos dein ulcuſculos degenerant. Ut hujuſmodi puſtulæ præveniantur, conducit primo Vere mittere ſanguinem, & ducere alvum antiphlogiſticis, quibus etiam ſi natæ fuere puſtulæ, curantur: & ſi non facile cedunt, ablutione per lavamentum ſaponaceum aceſcens, & dein refrigerans & leniter adſtringens facile evaneſcent. Puſtulas ulceroſas.

XIII. Tubercula ſeu φύματα a puſtulis magnitudine differunt, ſunt etiam tumores inflammatorii puſtulis majores, qui interdum ovi gallinacei magnitudinem habent, uti phlegmone, Tubercula

mone, furunculus, & ſimilia tubercula limitata, quorum contenta materia in pus, vel lentam tenacem albam, vel flavam, vel ſubnigram materiem, tandem convertitur. Ex eadem materia, qua puſtulæ naſci videntur, ſed majori copia in folliculis vel glandulis cutaneis collecta, Tubercula generantur: prout natura eſt materiæ collectæ, ita etiam eſt diverſus Tuberculorum exitus, generale hoc habent, quod ſimili modo præveniri debeant, ut Puſtulæ, ſed nata Tubercula fortioribus ſuppurantibus ſunt maturanda, & fortioribus abſtergentibus ſunt depuranda.

Articulorum dolores.

XIV. Num Hipp. hoc loco intelligat quemcumque Articulorum dolorem, quum dicat ἀρθριτικὰ, vel ſpecialem morbum, quem hodie vocant Podagram, non ſatis conſtat ex nominis ſignificatione. Celſus hunc locum clare exponit Lib. 2. Cap. 1. his verbis. Hi quoque morbi, qui in articulis nerviſque modo urgent, modo quieſcunt: tum maxime & inchoantur & repetunt. Podagram vernali tempore præcipue paroxyſmum facere conſtans eſt obſervatio, ſed & etiam aliis anni temporibus aggreditur, quare vera eſt quoque Auctoris noſtri obſervatio generalis ex hoc morbo, ubi ſtatuit, morbos omnes quidem in omnibus temporibus fieri, etiamſi magis uno quam alio tempore anni obſerventur.

LIB. III. APH. XXI.

100. *Æſtate vero, & horum nonnulli, & febres continuæ, & ardentes, & tertianæ plurimæ, & quartanæ, & vomitus, & alvi fluxus, & Ophthalmiæ, & aurium dolores, & oris exulcerationes, & pudendorum putredines, & ſudamina.*

I.

Æſtate cur nonnulli fiunt morbi vernales?

ÆStatem ſequi ver, omnibus notum eſt, quando igitur omnis morbi materia vere non fuit expulſa, vel quod tenacior fuerit, vel ver ſolito frigidius fuerit, regulare

lare eſt, ut prima æſtate ſimiles fiant morbi, qui vere obſervari ſolent, præprimis ſi Æſtas ſit Veri ſimilis *Aph.* 85, 1. aut ſi ver nimis diu continuare fecit hyemale frigus.

II. Multiplices ſpecies febrium ex invaſionis modo commode diſtingui poſſunt in febres Continuas & Intermittentes, illa quæ unico paroxyſmo abſolvitur, hæc vero quæ iteratis paroxyſmis tandem finitur relinquens inter paroxyſmos inducias, quas tempus apyrexiæ vocant Medici. Videtur autem unum genus febrium Remittentium omiſſum, verum hæc ſpecies partim referri poteſt ad Intermittentes, partim ad Continuas: nam cujus febris intermittentis paroxyſmi ita prolongantur, ut nullum tempus ſuperſit apyrexiæ, manet tamen febris intermittens in ſua natura, etiamſi videatur continua, ſequaturque curationem intermittentium, ſed ob protractos paroxyſmos facta ſit periculoſior. Quæ vero Continua febris multas habet exacerbationes, uti febres putridæ & hemitritææ, propterea non patiuntur e claſſe continuarum expungi, cum hæ exacerbationes accipi poſſunt tanquam recidivæ, quæ etiamſi fiant, non conſtituunt propterea aliud genus morbi. Ex his febribus duas ſpecies citat in utroque genere, nempe febrem Continuam & febrem Ardentem in priore genere. Quod ſi voluiſſet auctor eandem intelligere febrem per Continuam & Ardentem, non interpoſuiſſet particulam &, ſed dixiſſet febrem continuam ardentem: quare mihi videtur hic indicari duplicem ſpeciem. Omnis febris, quæ unico paroxyſmo abſolvitur, vel per recidivas, ut monuimus, vocari poteſt Continua, ut ſæpe obſervatur in febribus putridis & eryſipelatoſis: ſed conſtans febris ex Inflammatione ob ſummum fervorem vocatur ſpeciali nomine febris Ardens: unde non ſine ratione hic citat duas diſtinctas febres, Continuas ſcilicet & Ardentes. Quare autem hæ febres præcipue æſtate regnant, paucis videndum. Æſtas regulariter habet majorem aëris calorem, qui ſi jungitur humiditati, producit febrem non ſolum calidam, ſed & ſimul putridam remittentem, quod ſatis patere poteſt ex iis, quæ ſupra (*Aph.* 90, IV, & *Aph.* 94, III) diſputavimus; hujuſmodi febris

Cur febres continuæ & Ardentes?

non

non eſt perfecta continua, ſed remittens, quæ ab Auctore dicitur συνεχὴς, quod nomen ob variam ſignificationem multis difficultatem paruit; nam notat febrem, quæ eodem tenore ſine ulla remiſſione a principio ad finem durat, ſed a recentioribus, ut inquit Galenus, vocatur σύνοχος, nobis Continua. Notat etiam febrem Remittentem ſeu Continentem, quæ non plane dimittit ægrum, ſed tamen per intervalla exacerbatur, uti omnes febres putridæ, quales hic intelliguntur: imo febris intermittens prolongata, ut nullam apyrexiam faciat, eodem hoc nomine intelligitur. In poſterum autem ſemper faciemus differentiam inter Continuas, Remittentes, & Intermittentes. Quæ febris hìc vocatur Ardens, non videtur mihi confundendam eſſe Febri Remittenti, ſed eſſe aliam febris ſpeciem, quæ Continua eſt vocanda, proveniens ex Inflammatoria diſpoſitione, & propterea alio nomine ab Auctore inſignita, ut hanc febrem Continuam diſtinguat a præcedente Remittente. Quando itaque aëris calor æſtivus jungatur ſiccitati, non oriuntur febres Remittentes Putridæ, ſed Continuæ Inflammatoriæ (vid. *Aph.* 86, 11.)

Cur Tertianas & Quartanas.

III. Variam hic invenio lectionem: in Editione Ab Almeloveen, quam ſequor, habetur *Tertianæ plurimæ & Quartanæ*; in aliis autem invenio *Tertianæ febres & quartanæ.* Celſus Lib. 2, Cap. 1. ſolummodo citat *Tertianas.* Fateor, Literatoribus emendandi & diſputandi hic egregius invenitur locus, nos autem, magis attendentes ad rem ipſam exponendam, quam emendationem variæ lectionis, contenti erimus, ſi veritatem practicam eruere valeamus. Si dicta a noſtro Auctore conferamus obſervationibus medicis, non erit difficile, quid ſit ſentiendum, invenire. Auctor poſuit duo genera febrium continuarum, nempe Remittentem, & Continuam; perſequitur ſermonem in Intermittentibus, ex quibus etiam Tertianam & Quartanam adducit, quod autem Celſus & alii omiſerunt Quartanam, hoc adſcriberem hypotheſi, quia ſtatuebant quartanam febrem naſci ex Melancholia, quæ Æſtate generari non potuit: ſed qualiſcumque prævalet opinio, experimur tamen in praxi Æſtate & Vere etiam

am generari Quartanas, ſed breviores (*Aph.* 50, III): Tertianæ autem frequentiores obſervantur. Inde non inutile eſt, ut Hipp: dicat, *Tertianæ plurimæ* & *Quartanæ*, quoniam indicare voluit, raro fieri Quartanas, ſed Tertianas frequentes. Judicarem, ſi æſtas ſit calidior & humidior, frequentiores obſervari Tertianas, in quibus fere ſemper bilis corruptæ adſunt ſymptomata: ſi vero Æſtas ſit frigida magis & humida, habens conſtitutionem Autumnalem frequentius generari Quartanas.

IV. Experimentis conſtat, nullam cauſam faſtidium, nauſeam & vomitum magis concitare, quam ſi putridum vel ingeritur vel colligitur in ſtomacho: hoc putrefactum quoniam promovetur calore Æſtivo magis quam ullo alio tempore, frequens eſt Vomitus cauſa; præprimis quia Bilis in ventriculum confluens ad famem concitandam, præ ceteris humoribus corrumpitur, quum non volatilis ſit, ut reliqui humores, qui corrupti facilius evaneſcunt, ſed & maneat in corpore, ſenſim magis corrupta tandem ventriculum ad vomendum inſtigat. Ex hac obſervatione colligere itaque poſſumus, hunc vomitum non eſſe ſedandum per narcotica, ſed promovendum diluentibus abſtergentibus, & ſaponaceis aceſcentibus, ut corpus liberetur ab hac corrupta bile; dein ſaponaceis aceſcentibus ſtomachicis præveniendum, ne nova fiat bilis corruptæ generatio & collectio in ventriculo. Vomitus.

V. Contrarium hoc loco videtur ſtatui, quam quod ſuperius (*Aph.* 95, III) fuit obſervatum, augeri ſcilicet alvi fluxum minuta perſpiratione, quoniam æſtate omnium largiſſima habeatur perſpiratio. Sed eo in loco non ſtatuimus ſola minuta perſpiratione fieri alvi fluxum, verum inter frequentiſſimas recenſeri cauſas. Putredo præprimis Bilis, quæ copioſius generatur æſtate, non raro eſt alvi fluxus cauſa: illa enim ſua acrimonia ſtimulat inteſtina ad egerendum, & ſua putrefaciendi virtute omnes confluentes etiam humores in liquamen convertit, præcipue ſi æſtas calidior ſimul ſit humida, quando non ſolum fiunt Diarrhoeæ, Alvi fluxus.

ſed etiam Choleræ, de quibus teſtantur Obſervatores practici, iſtas fere ſemper inter Auguſti limites contineri.

Ophthalmiæ. VI. Æſtatem generare Ophthalmias notavimus (*Aph.* 90, IV): an vero ſicca vel humida hic ſit intelligenda Ophthalmia, ambigunt Commentatores: exiſtimo utramque ſpeciem intelligi poſſe. Nam ſi æſtas ſit humidior putreſaciens humores, lachrymæ copioſiores & acriores (*Aph.* 90, IV) generatur Ophthalmia humida: ſi vero ſit ſolito ſiccior (*Aph.* 95, IX) producitur Ophthalmia ſicca.

Aurium dolores. VII. Quod diximus de ophthalmia, applicari quoque poteſt ad Aurium dolores: nam humores acres, qui delati ad oculos dolorem movent, iidem ad Aures depoſiti ſimili modo excitant dolores, & quidem atrociſſimos interdum, quoniam membrana meatum auditorium cingens acutiſſimo ſenſu eſt prædita, atque cerumen auris acrius factum doloris cauſa eſſe poteſt. Veteres autem ex ſmegmatis amarore & flavedine exiſtimarunt, morbos bilioſos, qui maxime obſervantur æſtate, præcipue afficere aures: an hæc ſit vera obſervatio practica, infra examinabitur.

Oris exulcerationes. VIII. In ſequentibus trium partium affectiones annumerat; nempe Oris exulcerationes; Pudendorum putredines; & Cutis ſudamina, qui tres morbi diverſi ab eadem tamen cauſa oriuntur, quamobrem horum morborum diverſitas ex natura partium eſt deducenda. Primo occurrunt Oris exulcerationes, ſi ſaliva in os confluens acrior, epithelium oris corrodens, ulcus apertum faciat, quod leniter adſtringentibus, acidis, antiſepticis eſt curandum.

Pudendorum putredines. IX. Cum vero maxima pars excrementorum, quæ putredini magis obnoxia ſunt, ano & pudendis redduntur, quæque partes ſimul ſumtæ etiam dicuntur obſcoena, huc ergo confluentes humores æſtate ab aëre calidiore præcipue putredine tentantur, fœtoremque contrahunt, quæ frequentiore ablutione per antiſepticum adſtringens calefaciens lene, & antiſepticum curatur, cum pudenda minus ferant refrigerantia quam oris exulcerationes.

Sudamina. X. Galenus ἱδρῶτα dicit eſſe puſtulas in ſumma cute; Celſus

ſus autem inquit, quidquid ſudore hominem reſolvit, ubi hunc aphoriſmum in Latinam linguam vertit: utraque interpretatio admitti poteſt: nam Æſtate frequentiores generantur puſtulæ exiguæ prurientes: atque ſudoribus copioſioribus enervantur corpora: verum curationes horum morborum inter ſe differunt, quum ſudamina indicent acrimoniam calidam prurientem, quæ eſt temporanda; verum ſudor copioſior deliquationis eſt indicium antiſepticis præveniendum.

LIB. III. APH. XXII.

101. *A Autumno autem, & multi ex æſtivis, & febres quartanæ, & erroneæ, & lienes, & hydropes, & tabes, & urinæ ſtillicidia, & lienteriæ, & dyſenteriæ, & coxæ dolores, & anginæ, & aſthmata, & volvuli, & epilepſiæ, & inſaniæ, & melancholiæ.*

I.

AUtumnum morborum feracem eſſe (*Aph.* 83, 1), morboſque producere curatu difficiles, pertinaces, anomalos, recidivantes, periculoſos, (*Aph.* 83, III) acutiſſimos, & pernitioſiſſimos (*Aph.* 88, IV & V), quoniam aer calidus & ſiccus mutatur in frigidum & humidum, quo humores in calore corrupti deinceps retenti morbos pariunt, obſervavimus: hoc nunc loco videre eſt, retentam eam materiem, prout origine differt, variamque ſubit corruptelam, diverſos producere morbos.

II. In præcedente *Aph.* 100 dixerat, nonnullos morbos vernales obſervari æſtate; hic autem dicit, multos morbos fieri Autumno ex Æſtivis, quo indicare voluit morbos æſtivos plures extendi per Autumnum, quam vernales per æſta-

Autumno multi morbi ex æſtivis.

æſtatem, quod non eſt ſine ratione: quæ enim morbi materia vere excitaverat morbum, ſæpe ſequente calore & ſiccitate aëris æſtivi reddebatur volatilis & evolabat; quæ autem in æſtate peperit morbum, accedente Autummo frigidiore & humidiore pertinaciter retinetur, vel continuat morbum præcedentem, vel degenerans in aliam malignitatem, producit ex eadem ſed mutata materia morbos Autumno magis proprios.

Febris Quartanæ.

III. Quænam dicatur Febris Quartana traditum eſt (*Aph.* 50, 11), eamque vere breviorem (*Aph.* 50, 111) Autumno longiorem obſervari (*Aph.* 50, 1v) demonſtravimus. Quod autem hoc tempore frequentiſſime generetur Quartana, id ſpeciali humoris generationi eſt adſcribendum, vel ſpeciali mutationi in morboſa materia præcedente æſtate mota & nunc in morbum erumpente. Veteres contenti erant dicere, autumno generari melancholiam, & eam materiem formare Quartanam: ego autem judicarem, quoniam præcedens Æſtas ſuo calore frequentiorem induxit corruptelam, quæ tamen materies, quam diu manet æſtivus calor, exhalat, Autumnum ſua propria aëris commutatione hanc corruptam materiem retinere, & in talem commutare indolem, quæ in corpore vivente, omni quarto die parit paroxyſmum, quo hæc materia ſubigitur & expellitur pro maxima parte per ſudorem & urinam, ſed ut mala herba relinquens ſemina intra biduum vel triduum maturanda. Si quis quærit expoſitionem hujus cauſæ, fateor me neſcire, ſed hanc vidiſſe mutationem fieri, ut invenio poſt fermentationem generari vel vinum vel acetum, & poſt putrefactionem oleum fœtens cum alcali volatili; quonam autem motu automatico vel inteſtino in hujuſmodi corporibus hæ mutationes fiant, nemo chemicorum determinare auſus eſt, ſolummodo obſervavit hoc vel illud corpus fermentare & putreſcere poſſe, iſtaſque actiones quibuſdam auxiliis promoveri & retardari poſſe. Idem quoque ſed non amplius perſpicere valeo in materiæ febris Quartanæ generatione: invenio enim materiem æſtate corruptam, autumno retentam, ſpeciali aëris mutatione commutari in materiem

pro

producentem febrem Quartanam, ut invenit chemicus produci vinoſum, acetum, oleum fœtens, alcali volatile. Ex quibus conſtat, quoad generationem materiæ febris Quartanæ plus exigi non poſſe aut debere, quam datur in aliis rebus, quæ manu tractari poſſunt. Etiamſi ulterior non datur acceſſus, id tamen lucri habemus in curatione, quod valeamus continuando materiæ corruptæ, circa finem æſtatis vel principio Autumni, expulſionem, prævenire hujus febris originem, cum in noſtra poteſtate non ſit immutare naturalem aëris mutationem in autumno, vel dando aliquid, quod hanc commutationem intercipit, ut chemici adjectis quibuſdam præveniunt fermentationem & putredinem: hoc autem experientia eſt inveniendum, ut fecerunt in arte ſua chemici.

IV. Febres Erraticæ ſeu Incertæ ita vocantur ex inordinato reditu paroxyſmorum, vel inconſtantia ſymptomatum, ut jam leviores jam vero graviores fiant febres, atque inconſtantem moliantur criſin. Quod facile in Autumno contingere poteſt; ſi enim multiplex materia retinetur atque in morboſam indolem convertitur, variæ hæ inter ſe agentes cauſæ non poſſunt conſtantibus temporibus æqualia generare ſymptomata: imo, modo ſimplex formetur inde putrefactum, febris ex omni putredine eſt Incerta & vaga. Inde conſtat, cur febres Erraticæ Autumnales minus ſolent obtemperare antidoto quam febris legitima quartana, cum aliam ſæpe foveant cauſam, quæ antidoto exſtingui non poteſt. Erroneæ.

V. Lienis fabrica, ſitus & uſus ex anatomicis & phyſiologicis peti debet, quia non eſt hujus loci omnia dubia, quæ de hoc viſcere moventur, agitare, num ſit viſcus utile vel inutile, num exſcindi poſſit nec ne, num atram bilem conficiat vel alium humorem & centena hujuſmodi farinæ. Sufficit obſervare σπλῆνες apud Hipp: indicare morbum vel morbos Lienis, præcipue autem ejus Tumorem & Indurationem. Hos itaque morbos Autumno ſæpe occupare Lienem in hoc Aph. ſtatuit. Ex antea diſputatis aſſumo, in præcedente æſtate magnam fuiſſe factam tenuium Lienes.

exhalationem, reliquam maſſam in partibus firmis per calorem enervatis, quamdiu manebat aëris calor, circumduci, ſed accedente frigiditate autumnali, magis lenteſcere, quaſi maſſa fermentans abiret interdum in vappam tenacem & glutinoſam. Tali glutinoſa materia vix acri ſi corpus ſit oppletum, accedente Autumnali frigore omnium facillime ſubſiſtere poteſt, ubi omnium minime agitatur motu vitali, & ubi habetur tardiſſima circulatio: quæ enim materia actione vitæ ſatis valente potuit retineri fluida & mobilis, huc vero appellens, ſubſiſtit, eamque partem implet & infarcit. Nihil ergo exponere & probare reſtat, quam ut demonſtretur, lienem eſſe viſcus intricatiſſimum, parvo motu vitali donatum, atque tardiſſimam habere circulationem, ſuum ſanguinem exonerare in venam portarum, quæ ſanguinem nequit in venam cavam, niſi ſuperatis anguſtiis arteriæ portarum in hepate, exonerare, & inde hic magis quam alibi pati remoram. Hæc autem omnia tam plana ſunt & evidentiſſime demonſtrata ab hodiernis phyſiologis, ut actum agerem, ſi hæc repetere vellem. Ex his autem inter ſe collatis evidentiſſimum eſt, ſi autumnus vappam tenacem format, generari debere ſplenes. Sed & id egregium inde habemus, quod poſſimus circa finem æſtatis uſu medicamentorum reſolventium & moventium, corporiſque exercitatione frequente & modica, in principio Autumni talem prævenire morbum, præveniendo hujus lentæ materiæ concretionem & collectionem ad viſcus, tardiorem circulationem habens.

Hydropes. VI Quoniam auctor dicit in plurali Hydropes, non obſcure declarat, ſe non intelligere ſimplicem Hydropis ſpeciem, ſed & ejus ſpecies varias, tam ratione humoris retenti pituitoſi, lymphatici & cacochymici, quam ratione variarum partium in ambitu corporis, quando Leucophlegmatia vocatur, vel quando colligitur in quadam particulari parte. Omnes hæ ſpecies frequentiſſime generantur Autumno, præprimis ſi ſit ſolito humidior: corpora enim calore æſtivo enervata, frigore Autumnali preſſa, parciorem perſpirationem habent, quæ humiditas collecta, vel ob frigus minus

minus fluxilis facta, facile hærere potest in vasis lymphaticis & cellulis pinguedinosis relaxatis. Qui igitur morbus prævenirétur, si circa æstatis finem & principium Autumni talis homo usus fuisset roborantibus siccantibus: nam si Latex vel pituita collecta fuit, non tam facile erit corpus ab hac sarcina liberare, quoniam fibræ collecta lymphà prolongatæ & atonæ factæ, accedente autumnali frigiditate & humiditate, in pristinum tonum difficulter redigi possunt.

VII. Qualem Tabem hìc intelligit Auctor, & quomodo generatur præcipue Autumno, utcunque ex supra dictis (*Aph.* 89) intelligi potest: omnes citatæ species in Autumno augentur, cum cohibeatur humoris corrupti axhalatio: Phthisis autem ex Hæmoptysi hoc tempore raro incipit, cum corpora vere & æstate in Hæmoptysin sunt proniora, sed si inde nata sit phthisis, quam maxime promovetur majore inducta corruptione pure in pulmonibus contento. Tabes.

VIII. Cum in amtumno semper accusamus aëris majorem frigiditatem & humiditatem, illa causa non videtur inferre posse stranguriam, quia in superioribus (*Aph.* 95, XI) demonstravimus, siccitatibus generari stranguriam. Verum non semper est unica causa, quæ generat morbum, sæpe enim morbus nomine idem ex contrariis generatur causis: ita quoque stranguria generatur, quoties in siccitatibus detrahitur commume vehiculum liquidum: sed & urinæ stillicidium inferre valet corruptela humoribus inducta & acris, quæ cohibita evacuari per insensibilem perspirationem, mandatur renibus. Ita urina ex hac materia acriore & corrupta, impedita exhalare, infecta, transeuns per urethram inducere potest stranguriam. Vel etiam materia catarrhosa, in succum, oblinientem interna latera urethræ, deposita, stranguriæ causa esse potest. In utroque hoc casu constat, optimum esse auxilium, derivare a viis urinæ id acre ad cutim per Diaphoretica. Stranguria.

IX. Lienteriam, Celso alvi Lævitatem, indicare nimis citam assumptorum alimentorum & consectorum in ventriculo Lienteria.

triculo per inteſtina tranſitum & egeſtionem ex ano, indicavimus *Comp.* T. 90, XIV, & hujus morbi cauſas *Comp.* T. 90, XXIX ad XL; ſed quomodo autumnus talem morbum inferre poteſt, non tam plane conſtat. Si vero obſervamus, æſtatem præcedentem relaxaviſſe partes firmas, ſequentem vero Autumnum ſiſtere ſolitam perſpirationem, quo major copia humorum fertur ad inteſtina; aut quod magis veritati convenit, humores æſtatis calore ſolubiles ſi autumni frigiditate glutineſcunt, ita ut mucus inteſtinorum tenacior factus, aſſumtorum introitum in vaſa lactea intercipiat, poteſt cibus aſſumtus in ventriculo præparatus, ſed defectu abſorptionis inteſtinorum, quæ muco obſeſſa, ut os interdum Aphthis, introitum denegans chylo, contenta & præparata alimenta per ita lævigata inteſtina cito duci ad colon & rectum & ita exonerari. Quo in caſu requiritur reſolutio & abſterſio hujus muci, ut reſerantur oſcula lacteorum: quae methodus mihi ſaepe in hoc morbo felicem præbuit curationem.

Dyſenteriæ. X. Quoties vero autumnali frigore humores ad inteſtina devoluti ſimul habent acrimoniam, vel eam acquiſiverunt, antequam ad inteſtina ferantur, vel ſtagnando in inteſtinis corrumpuntur; vel quia acre niduletur in muco inteſtinorum internam ſuperficiem tegente, perpetuo hoc ſtimulo non ſolum urgentur ad frequentiorem egeſtionem, ſed ſimul acris hic humor multa infert tormina ventris: qui morbus non facilius ex hac cauſa natus curatur, quam levi purgante educta materia, quæ in inteſtina confluxit, per ſudorifera vel Diaphoretica humorem illum acrem derivare ad cutim.

Coxæ dolores. XI. Qui morbus Hippocrati vocatur Jſchias, Celſo eſt Coxae dolor. Videtur quibuſdam ſpecies Podagrae; aliis autem ad Arthritidem refertur; aliis iterum ſpecies Rheumatiſmi habetur: cum omnibus his maximam ſervat analogiam, ſed in quibuſdam ab omnibus diſtat, quare ut ſpecialis morbus ſolet pertractari, quod non eſt hujus loci agitare: ſufficit hunc dolorem generari ab acrimonia, quae in ſucco hujus articuli magis quam aliorum articulorum nidula-

dulatur: & nos inde intelligere, ea, quæ in Autumno corpora ſervant perſpirabilia, egregie hunc morbum prævenire poſſe.

XII. Superius demonſtravimus (*Aph.* 95, VII) quid medici per Anginam intelligant. Antea obſervavit in Pluvioſis & Vere (*Aph.* 99, VI) naſci, nunc vero dicit generari Autumno; num vero ſit Angina cum vel ſine ſignis externis, laryngem vel pharyngem magis afficiens, qualem veteres faciunt diſtinctionem, magis Prognoſis quam Curationis exhibentem differentiam, determinare nequeo, cum utræquæ hæ partes a materia perſpirabili Autumno retenta affici poſſint. Ut eliciamus diverſam cauſam Anginæ autumno natam, præſcire debemus, qualis anteceſſerit Æſtas, & qualis nunc ſit Autumnus magis minusque frigidus, calidus, humidus vel ſiccus; quamobrem ad firmam curationem hæc generalis obſervatio non multum præſtat. Anginæ.

XIII. Reſpiratio difficilis anheloſa, utplurimum cum ſono aut ſibilo, quæ vehementior eſt (inquit Celſus) dyſpnœâ, ut æger ſpirare non poſſit ſine ſono & anhelatione, ſine febre, ſeu quæ ex paroxyſmo febrili non producitur, neque oritur ex majori curſu, ſed a cauſa interna morboſa, in qua reſpiratione æger debet aërem haurire motu muſculorum, actioni animali inſervientium, vocatur Aſthma, dum vero reliquæ difficiles reſpirationes hoc ſpeciale nomen non habent. Aſthmatis cauſæ multæ ſunt ut in ſequentibus demonſtrabitur: cur autem frequens fiat Autumno, facile intelligitur, cum mucus bronchiorum antea fluxilis per aëris Autumnalis frigiditatem compactus, lenteſcens, bronchia & veſiculas pulmonales ita oppleat, ut non ſint ſatis capaces ad aërem recipiendum, niſi vi majore per actionem animalem dilatentur. Quare in Aſthmate Autumnali conducunt Expectorantia reſolventia magis, quam alia mucilaginoſa. Aſthmata.

XIV. Qui morbus ab Hippocrate vocatur εἰλεὸς, Celſo eſt Tenuioris inteſtini morbus, quoties vehemens dolor occupat ventrem in eo loco, ubi hæret Inteſtinum tenue ileon dictum, qui hodie communi nomine Colicæ paſſionis Volvuli.

recipitur: ſed eſt ex Colicæ affectionis ſpecie graviſſimus & vehementiſſimus dolor, cui ſæpe adjungitur vomitus contentorum ex inteſtinis, cum alvo conſtipata pertinaciſſime, & ano ita ſæpe contracto, ut non admittat ſuppoſitorium. Quia vero ille dolor generari poteſt ab omni acrimonia, quæ in autumno acerrima generatur, maximeque determinatur propter minutam perſpirationem verſus inteſtina, hoc tempore frequentius quam aliis generari poteſt Volvulus.

Epilepſiæ. XV. Quoniam Epilepſiam (*Aph.* 70, 11) generari pluvioſis tempeſtatibus (*Aph.* 95, v) demonſtravimus, quod acre exhalare ſolitum, nunc retentum & magis corruptum, applicatum partibus nervoſis hunc motum inordinatum & validum concitet, facile liquet, idem quoque frequentius fieri Autumno, cum autumnalis aër frigidior & humidior humoris acris exhalationem quoque inhibeat, quod acre retentum quoque frequentiorem paroxyſmum Epilepſiæ producit. Scimus inde, medicamentis Diaphoreticis utiliter præveniri poſſe hanc ſpeciem Epilepſiæ, quæ autem in reliquis ſpeciebus minus valerent.

Inſaniæ & Melancholiæ. XVI. Ut Ver (*Aph.* 99, 111) contentum humorem facit acrem, turbantem æquabilem cerebri motum, ita Autumnus retinendo acre, quod exhalare debebat, ad cerebrum quoque delatum ſimili modo mentem turbat, quare Autumno & Vere moventur Inſaniæ, quæ in Autumno præveniuntur conſervata perſpiratione inſenſibili. Ex eadem quoque cauſa ſæpe corripiuntur Melancholia, quæ magis exigit alvi ductionem, cum atra bilis hac via commodiſſime evacuari poſſit.

LIB. III. APH. XXIII.

102. *Hyeme vero pleuritides, peripneumoniæ, lethargi, gravedines, raucedines, tuſſes, dolores pectorum & laterum, & lumborum, & capitis dolores, vertigines, apoplexiæ.*

I.

Hyems quid faciat.

SUperius ſpecialem conſtitutionem hyemalem (*Aph.* 90, 11, & *Aph.* 91, 11) notavimus, hoc nunc loco videndum, quid Hyems generale faciat ad morbos producendos. Hyeme regulare eſt, ut ſit frigus majus, aërque minus exſiccans, quam aliis anni temporibus: unde partes firmæ magis contractiles & humores ſpiſſiores, ex quibus deduximus, Ventres hyeme eſſe calidiſſimos (*Aph.* 15, 11) corporaque facile ferre alimenta (*Aph.* 18, IV). At morbi hoc tempore producti, pro naturarum in hominibus differentia, admodum poſſunt eſſe diſſimiles, ut in ſequentibus conſtabit.

Pleuritides & Peripneumonias.

II. Quibus hominibus eſt corporis & ætatis vigor, ſanguis a frigore hyemali magis compingitur, & partes firmæ admodum tenſæ, hoc tempore facile incidere poſſunt in morbum inflammatorium, præcipue autem in Pulmonibus & membrana Pleura, quoniam nulla pars eſt in noſtro corpore ita aëri expoſita, quam partes hæ: extus enim non ſolum pectus ut ceteræ partes tangitur ab aëre, ſed etiam idem aër omnes pulmonis latebras permeans, ſi ſolito ſit frigidior, quibuſdam in vaſculis ita cogere poteſt ſanguinem vel lympham, ut ſubſiſtat. Quæ obſtructio facta in corpore ita valente, & ſanguine denſo prædito, ſua irritatione his in partibus ſuſcitat inflammationem: quæ promtam & repetitam exigit ſanguinis miſſionem, medicamentaque pectoralia laxantia & humectantia: Quibus mature adhibitis ſæpe reſolvitur morbus ſine ſubſequente ſuppuratione.

Lethargum. III. Quibus vero corporibus id excrementitium, quod exhalare debebat, retinetur in corpore per frigus hyemale, in humorem acrem tenuem & calefacientem converſum, ad cerebrum delatum, quod opprimit, producit ex cerebri compreſſione ſoporem cum oblivione, ex quo reſuſcitati ſtatim relabuntur cum leni, ſed continua vel circa veſperam aggravante febre, ſæpe tuſſiunt, ſalivamque liquidam & multam educunt, cum ſumma impotentia, ſi tenuis acer ille humor ſimul feratur ad pulmones. Si id liquidum feratur ad alvum, plerumque moriuntur. Hipp: monet curandum eſſe ut plurimum ſpuat, & calefiat, & a vino abſtineat: ſi vero effugerit ſuppuratus fit H. b. 99. Quibus conſtat, hunc morbum non eſſe inflammatorium, ſed prope accedentem ad Eryſipelas.

Gravedines Raucedines & Tuſſes. IV. Gravedinem (*Aph.* 65, III) Raucedines *Aph.* 65, II & Tuſſes ſæpe generari a materia perſpirabili retenta hyeme, ad pulmones delata, ſuperius (*Aph.* 92, V) quoniam demonſtravimus, non erit opus eadem hìc repetere.

Dolores pectorum & laterum & lumborum. V. Quæ autem corpora ſunt debiliora, generantia in ſe acrimoniam crudam nitroſam, quam tamen largiora perſpiratione exonerant, per frigus hyemale id acre in ſuo corpore retinent, quod ad partes membranoſas & nervoſas applicatum infert dolores. Inde forſan noſter Auctor diſtinguere voluit Pleuritidem a Pectoris dolore, etiamſi a multis idem cenſeatur morbus, cum viderit hujuſmodi pectoris & lateris atque lumborum dolores, quos hodie practici vocarent Dolores Lymphaticos, admodum differre a pleuritide vera inflammatoria & Eryſipelatoſa. Quali modo hi Dolores generantur, cognoſcuntur & curantur, expoſuimus *Perſp:* Cap. 7, XXII ad XXV. Ex quibus, & quæ notavimus *Comp.* T. 45, LIX, ſatis conſtat, non ſolum dictas partes dolere poſſe, ſed & multas alias.

Cephalalgiæ. VI. Quum Hippocrates non perſequitur annumerationem partium, quæ dolore pertentantur, ſed hic ponit *Cephalalgiam*, videtur mihi indicare velle, caput hyeme non unico genere doloris corripi poſſe, ſed a diverſa ſuperius recenſita materia Inflammatoria, Eryſipelatoſa & Catarrhoſa.

VIII. Ex

VII. Ex iiſdem cauſis nervo optico applicatis, Vertiginem generari poſſe, (*Aph.* 96, XI) non inficior; ſed quoniam ſtatim ſubnectit Apoplexiam, quæ hyeme potius a Pituita comprimente cerebrum, generatur, & quia Vertigines plerumque præcedunt Apoplexiam, judicarem Hippocratem hic intelligere velle collectionem pituitæ, quæ produceret Vertiginem & Apoplexiam. Vertigo, apoplexia.

LIB. III. APH. XXIV.

103. IN *Ætatibus autem talia eveniunt. Parvis quidem & recens natis pueris, aphthæ, vomitus, tuſſes, vigiliæ, pavores, umbilici inflammationes, aurium humiditates.*

I.

GEneralem diviſionem fecerat Auctor noſter (*Aph.* 82) in morbos Temporum & Ætatum, de quibus dixit, alios morbos ad alia Tempora bene aut male ſe habere, quod hucuſque perſecutus eſt: nunc vero examinat morbos Ætatibus frequentiores quam in alia ætate. Unde colligere poſſumus, certa Ætate generari cauſam huic vel illi morbo faventem. Hanc itaque mutationem naturalem perſcrutabimur, licet propoſitus morbus poſſit etiam a variis aliis cauſis generari.

II. Tota Ætas a nobis in tria tempora diviſa fuit (*Aph.* 97, I) in Incrementum, Statum & Decrementum. Hic vero Incrementum ſubdividitur; (1) in parvis ſeu recens natis; (2) ad Dentitionem accedentibus (3) qui ſunt ætate majores; (4) ad pubertatem accedentibus; (5) juvenibus. Deinceps agit de morbis conſtanti ætati contingentibus; & ultimo de morbis ſenum. Quoniam veteribus perplacuit numerus ſeptenarius, & quoniam his temporibus quoque Ætatis diviſio.

maxime obſervantur in corporibus mutationes, ut Cl: Hoffmannus quoque obſervavit, non erit inutile tempora Ætatis ſecundum numerum ſeptenarium dividere. Ut Hipp: fecit citat (1) morbos primis ſeptem diebus a partu, & qui primis ſeptem hebdomadis contingunt uſque ad ſeptimum menſem. (2) A ſeptimo menſe uſque ad menſem decimum quartum, quod eſt naturale Dentitionis tempus. (3) Qui ſunt ætate majores pueri intelligi poteſt tempus a 14 menſe ad ſeptimum annum, quando dentes renovari ſolent, (4) Dein ab hoc tempore ad annum decimum quartum. (5) A 14 anno autem ad 21 vel & 28 annum, cujus primum tempus poteſt dici Adoleſcentiæ, poſterius autem juventutis. Quænam mutationes naturales fiant his ætatibus & quales naſcantur morbi, in ſequentibus exponemus.

In Parvis & recens natis morbi.

III. In Parvis & recens natis Infantibus, nempe a nativitate uſque ad ſextum vel ſeptimum menſem, quando dentes erumpere incipiunt; varios numerat morbos, quos in duo genera diſtinguerem, qui ſcilicet veniunt a nativitate, dum meconium fuit omne evacuatum, & umbilicus conſolidatus, & qui fiunt poſt iſtud tempus uſque ad dentitionem. Dum enim naſcitur infans, ejus os, oeſophagus, ventriculus & inteſtina muco ſunt impleta, atque colon meconio turget; ejus abſcinditur umbilicus; prima vice hauſrit ore lac vel & alia alimenta; mutatur in ſuo corpore circulatio impedita via per vaſa umbilicalia; præprimis nunc debet conficere nutrimentum; pulmones moventur & hauriunt aërem, qui pulmones hucuſque quieverunt; mutatur externa preſſio, antea enim undique ſuſtentabatur corpus latice, nunc aër levior premit: cuncta hæc minimo temporis ſpatio mutantur, unde non mirum, Infantis corpus tot & tantas mutationes ſubeuns, admodum affici, ut mirandum ſit, aliquem poſſe manere ſuperſtitem. Omnes nunc velle recitare morbos ex his mutationibus naturalibus provenientes, integram exigeret exercitationem, quare contenti erimus iſtos ſolos aſſequi, qui ab Auctore proponuntur.

Aphthæ.

IV. Non quævis oris ulcera dicuntur Aphthæ, imo ſimilis morbus interdum occupat tracheam, oeſophagum, ventri-

triculum inteſtina, imo interdum pudenda feminarum, quare non obtinuit nomen ex parte, quam occupat hic morbus; ſed ex quibusdam phænomenis, quoniam hic morbus in infantibus & in fine acutorum & putridorum in adultioribus natus idem retinet nomen, etiamſi variam agnoſcat cauſam. Si os & lingua obtegitur tenaci mucagine varii coloris, quæ collutione auferri non poteſt, corrodens epithelium, vocatur oris Aphthæ, unde eſt morbus veluti medius inter ſorditatem & ulcus. Hujuſmodi Aphthis recens nati infantes frequentius corripiuntur, & quidem ſine morbo prægreſſo, dum vero in adultis raro niſi poſt morbum putridum conſpiciuntur. Conſtat, totius corporis infantis ſuperficiem tectam eſſe lenta mucagine, dum naſcitur, quam ſorditatem abluendo auferunt obſtetrices, & in capite ſæpe adhibere debent pinguedinem, ut primo emolliant: hæc lenta materia partim ex liquore, in quo natavit fœtus, partim vero ex proprio corpore depoſita, formata lenteſcens, cuti adhæret, cum ſæpe ablata renaſcatur: ſimili quoque modo formatur in ore, oeſophago, ventriculo & inteſtinis, hic vero ſaponacitate ſalivæ reliquorumque humorum ſaponaceorum, ſoluta materia primis diebus cum meconio redditur. Si vero tenacior ſit, vel infantis ſaliva non ſit ſatis ſaponacea, vel ſi uti non poſſit propriæ matris coloſtro abſtergente, lenta hæc materia toti oris ſuperficiei adhærens corrumpi incipit, quia humores, quamdiu non exponuntur aëri, diu a putredine poſſunt ſervari; ſed iidem aëri traditi prompte corruptelam induunt; lenteſcens hic & corruptus humor partibus oris adhærens, corrodens epithelium vocatur Aphthæ. Quæ quo citius eo melius ſunt auferendæ Medicamento abſtergente, adſtringente, & antiſeptico, in forma linĉti, ne diutius perſiſtens majorem induat corruptelam.

V. Ventriculus poſt nativitatem non aſſuetus accipere alimenta, a novis iſtis aſſumtis, tanquam ſibi alienis, in motum inordinatum inſtigatur, & ita aſſumta vomitu reddit: atque mucoſum in ventriculo quoque hærens, aſſumto lacte vel coloſtro fluxile redditum, ventriculi latera lambens nau- Vomitus.

nauſeam & vomitum generat. Dein in adultioribus lac in ventriculo coagulans frequens eſt in infantibus vomitus cauſa. Hujuſmodi igitur vomitus vix meretur inter morbos recenſeri, cum ſit naturæ conamen ſe liberans a ſarcina opprimente. Quamobrem mulierculæ experientia edoctæ vomitus hos frequentes inter bona præſagia vitæ recenſere ſolent.

Taſſes. VI. Plures ſunt cauſæ Tuſſim excitantes quam in cetera ætate, & inde Tuſſis quoque frequentior. Mucus enim in trachea hærens poſt nativitatem non expectoratus, ſed acrior factus; pulmo non aſſuetus admittere aërem frigidum; aſſumta aceſcentia in debili hoc corpore in acidum commutata; valent in hac ætate magis quam in alia Tuſſim concitare.

Vigiliæ. VII. Naturale eſt in recens natis multum & fere aſſiduo dormire, ita ut ſaniſſimi infantes ne quartam partem diei vigilent: ſi vero hi tantum vigilent ut adultus, morbus erit: hic autem laudabilis ſomnus non raro turbatur, quia quidquid turbat æquabilem circulationem per cerebrum, id ſomnum interrumpit, ut demonſtravimus (*Exerc. de ſomno*). Infans autem ſuo corpore tenello facile permittit ingeſta alimenta corrumpi, ex qua cauſa acrimonia nata in ventriculo & inteſtinis hærens per conſenſum cerebri æquabilem circulationem perturbat. Scio equidem multis in conſuetudine eſſe, hujusmodi infantes per opiata vel papaverina in ſomnum urgere, præſtantius autem foret perſcrutari irritantem cauſam & eam tollere, qua ſublata, infans ex propria natura ſatis dormiet.

Pavores. VIII. Sæpe quoque Infantes e ſomno concitantur cum tremore & varia agitatione artuum & ejulatu, ut adulti ex re quacumque terrorem inferente, quare nonnulli exiſtimarunt, mentem infantis agitari cogitatione terribili; quia vero hucuſque in infantibus nulla apparuere indicia mentis, & corpus tenellum hoc ab acrimonia vellicatum in hujuſmodi convulſiones facile adigitur, hujuſmodi Pavores affectioni corporis, minime vero mentis adſcriberem, & propterea, quod acre acidum frequens ſit cauſa, non eſt ſine ratione:

ratione, Pavores puerorum ſæpe curari terreis & alcalicis, atque reliquis medicamentis acidum corrigentibus.

IX. Primis a partu diebus frequentiores fieri Umbilici inflammationes, non eget explicatione, cum umbilicus ligatus vel abruptus, ut ceteræ læſiones, facile inflammationem ſuſcipiat. Umbilici Inflammationes.

X. Aures in recens natis madeſcere tam frequens eſt obſervatio, ut nutricibus ſit notiſſimum, quæ inde ſentiunt, ſi aures non madeſcant, puerum non recte valere: hanc autem naturalem Infantibus excretionem non intelligit Auctor, quoniam inter morbos non eſt recenſenda evacuatio: ſed quoniam ſæpe ad hanc partem confluat tantus humorum confluxus, ut inde partes circumquaque excorientur, doleant & foetorem inducant, illa major depoſitio humorum hic intelligitur, quæ non eſt adſtringentibus ſiſtenda, ſed moderanda, quum evacuatio hæc moderata ſanitatis conſervationi admodum conducat. Aurium humiditates.

LIB. III. APH. XXV.

104. *AD dentitionem vero accedentibus, gingivarum pruritus, febres, convulſiones, alvi profluvia, & maxime ubi caninos dentes producunt, & iis qui inter pueros ſunt craſſiſſimi, & qui alvos duras habent.*

I.

ALterum ſtadium temporis (*Aph.* 103, II) a menſe ſeptimo in Infante ad menſem decimum quartum, quo maximus numerus Dentium nasci ſolet, ventriculus nunc magis lacti aſſuetus, ſenſim quoque accipit alia alimenta, modo autem hæc ſint facilis materiæ & lacti matris analoga, Infans ab hac mutatione non multum turbatur. Verum tunc Dentes erumpere incipiunt, qui non parvam Dentientibus quinam morbi fiant.

vam moleſtiam quibuſdam infantibus afferre ſolent; quales morbos hìc recenſet Auctor, breviter, amplius autem de hìs agit in *Libro de Dentitione* H, a, 590. Annumerat hoc loco quatuor morbos, quos credo ex Conſenſu generari, quia increſcens Dens inferens dolorem facit in tenella ætate, ut reliqua organa in conſenſum trahantur.

Dentientibus gingivarum pruritus.

II. Ex Anatomicis obſervationibus conſtat, etiam ante nativitatem ſemina dentium latitare in utroque margine maxillæ, ubi poſtea ſunt erupturi Dentes, per limam enim ſi abradatur maxillæ os, ex fœtu vel infante edentulo deſumtum, invenitur eo in loco, ubi poſtea hærebit dentis radix, folliculus liquore limpido plenus, qui ſenſim increſcens in verum Dentem degenerat: quod ſi hoc tentetur in maxilla pueri, cujus dentes ſunt renovandi, ſub radice Dentis prioris ſimilis detegitur folliculus, qui dein increſcens priorem dentem ſæpe extrudit, vel ſibi novam format ſed alienam ſedem. Ut itaque primus dens erumpat, membrana hujus folliculi, perioſteum & gingivæ tegentes maxillæ marginem perrumpenda ſunt. Quæ divulſio ſi incipit fieri primo, ut omnis levis attactus, parit Pruritum, ſed pergens ſæpe magnum Dolorem excitat. Hunc Pruritum adeſſe demonſtrant infantes, ſemper fricantes margines maxillarum: dein vero ejulatu, contorſione membrorum & inquietudine cum vigiliis ſatis declarant, Dentitionem inferre dolorem: quam ob rem nutrices ſemper præbent aliquid durum ſed lævigatum in ore, ut mordendo diſrumpantur integumenta ſupra erumpentem dentem extenſa. Quidam ſuadent in graviori dolore inciſionem levem in eo loco, ex quo dens eſt erupturus. Quia vero ab hac læſione gingivæ admodum dolent & calent, utile eſt ad gingivas applicare gratum mucilaginoſum refrigerans.

Febres.

III. Per irritamentum ex Dentis eruptione natum motus vitalis circulatorius tandem in conſenſum trahitur, ut etiam fit in adultis, ſi pars quædam vulnere fuerit affecta, aut ſi ſpina carni ſit infixa, eò autem magis in infantibus, quorum corpora tenella multo magis conſentiunt, quam in adultis. Quò majorem autem Dentitio infert dolorem, eò quo-

quoque gravior febris naſcitur, quæ quum ſit ſymptomatica, nullam ſanationem afferre poteſt, neque auſcultat febrifugis laudatis, ſed ſponte ceſſat facta ruptione in gingivis, & ceſſante dolore, quare in hujuſmodi febribus præcipue conandum, ut ipſe Dentitionis dolor leniatur, & præveniatur, ne nimia circulatione corpus iſtud tenellum nimis patiatur.

Convulſiones.

IV. Ex læſione quacumque tam in adultis quam infantibus facillime motus vitalis primo in parte læſa, dein per totum corpus in conſenſum trahitur, quamobrem pars vulnerata ſemper incipit poſt paucos dies inflammari, & dein generatur febris ſymptomatica: minus autem frequens eſt, per læſionem motum animalem conſentire, niſi in vulneribus & puncturis nervorum & tendinum, quando ſummum imminet periculum. Sed in infantibus ex multo leviori cauſa motus animalis in conſenſum trahitur, his enim ex ventris torminibus frequens convulſio, in adultis autem raro, quoniam corpora tenera facile patiuntur, ut per leviſſimam cauſam omnes turbentur actiones. Hujuſmodi Convulſiones non carent periculo, quum augeant conſtrictionem & non tollant mali cauſam. Quæ in hoc caſu præſcribuntur antepileptica, quæ toties valuerunt curare Convulſionem Infantum ex acido inteſtina vellicante, nihil præſtare poſſunt, cum in hoc morbo leniendus ſit dolor Dentitionis, minime vero exſtinguenda acrimonia acida, quæ frequens eſt cauſa Epilepſiæ Puerorum.

Alvi Profluvia.

V. Si vero motus naturalis, id eſt Periſtalticus ventriculi & Inteſtinorum in conſenſum ita trahitur, ut inde copioſior fiat humorum confluxus ad chyli organa, & copioſior depoſitio per alvum, minus tentantur Convulſionibus. *Quibus in Dentitione alvus amplius ſubducit, minus convelluntur, quam quibus parum. Quibus in Dentitione febris acuta accedit parum convelluntur.* H, a, 590. Inde forſan, quia acre crudum acidum frequens convulſionis cauſa motu majore febrili ſubigatur, & alvi fluxu reddatur. Niſi autem hoc haberemus ex conſtante obſervatione practica, ex ratione a priore, ut ajunt, vix inveniri potuiſſet: ſed cum hoc nunc

conſtet, lucem præbere poteſt in curatione, nos debere lenioribus calefacientibus, ſi febris abſit, facere febrem artificialem, atque ſervare alvum apertam, priuſquam Dentiens infans convulſione tentatur, ut acre crudum primarum viarum ſubigatur & expellatur.

Quibus illi morbi maxime fiunt.

VI. Tres vel quatuor illi morbi citati maxime fiunt erumpentibus dentibus caninis, pueris craſſioribus & quibus alvus eſt dura. Conſtans eſt medicorum obſervatio, Dentitionis morbos plures & graviores fieri, quando *Dentes Canini* erumpere conantur, quod ex figura mucronata & acutiore magiſque pungente deducunt. Maxime autem afficiuntur pueri *Craſſiſſimi*, hi enim ſucco abundantes, qui fere ſuperat actionem vitalem partium, ut obſervavimus (*Aph.* 69, III) in majore verſantur periculo, pluribuſque cruditatibus ſcatent: ſi talia corpora itaque craſſiora per Dentitionem agitantur, majore ſarcinâ humorum onuſta, ſe tam facile nequeunt liberare. Quibus vero *Alvus eſt dura* retinentibus cruda in inteſtinis, hi magis quam ſi alvus fluat febre & convulſione tentantur, cum acre retentum junctum cum dentis irritamento, motum perturbatum admodum augeat.

LIB. III. APH. XXVI.

105. *Iis autem qui ætate ſunt majores, tonſillæ inflammatæ, ventriculi in occipitio introrſum extruſiones, aſthmata, calculorum generationes, lumbrici rotundi, aſcarides, verrucæ penſiles, ſatyriaſmi (ſtranguriæ) ſtrumæ, & alia tubercula, maxime vero ſupra dicta.*

I.

Pueorum morbi poſt dentitionis tempus.

ABſoluta dentitione Pueri non omnium morborum ſunt immunes, quare præcipuos annumerare voluit iſtos, qui aggrediuntur pueros inter ſeptimum & decimum quar-

quartum ætatis annum. Inter hos nullam mentionem facit morbillorum & Variolarum, qui morbi his temporibus huic ætati admodum infesti sunt. Quare clare patet, Hippocratis & dein etiam Galeni temporibus hos morbos non exstitisse: citantur quidem exanthemata quædam ab his auctoribus, sed si tunc temporis variolæ & morbilli ita fuissent cogniti atque pueris frequentes quam nostris temporibus, nullum est dubium, quin in hoc Aphorismo invenirentur.

Tonsillæ.

II. Locum ad finem oris angustiorem, postquam ampliantur iterum fauces, παρίσθμια vocat Auctor, Latini Tonsillas seu potius angustias faucium. Atque hæ partes ex morbo tumentes idem retinent nomen, sive sit tumor inflammatorius vel quivis alius. Cur autem ad ætatis decimum quartum accedentes hæ partes magis tumeant, naturalis debet esse causa. Observamus ita nostra corpora nata esse, ut ad hoc tempus accedentia pubescere incipiant, barba erumpat, vox fiat gravior. Dum ergo primo faucium partes tumere incipiunt, nova hac inducta mutatione sæpe modum excedunt, ut nimium tumeant Tonsillæ, quare frequentissime quoque hac ætate vox solito obscurior fit. Ne autem hæ partes tumentes molestiam adferant, utile erit colluere fauces aliquoties de die refrigerantibus & adstringentibus, inter quæ præcipua nitrum, alumen, rosæ rubræ, saccharum saturni, ut coarceatur nimia intumescentia.

Vertebræ luxatio.

III. Spondylas hic proprie denotat secundam colli vertebram, supra quam caput vertitur; hanc dicunt nonnulli intro versus tonsillas luxari, alii vero melius exponunt Trudi. Hanc autem Luxationem vel Extrusionem fieri non posse per validam vim, ut ceteræ luxationes, tam planum est, ut nemo dubitare possit, cum generetur ex ætatis incremento, quare judicarem incrementum corporis hujus vertebræ, & incrementum cartilaginis Thyroideæ & Tonsillarum ab eadem pendere causa, nempe mutatione facta ab accedente pubertate.

Asthmatis

IV. Asthmatis definitionem dedimus (*Aph.* 101, XIII): hunc

hunc morbum huic ætati frequentem esse, fere omnes statuunt Commentatores, ob crudorum copiosiorem ingestionem, vel pituitæ generationem. Si autem illæ causæ generent Asthma, frequentius esset infantibus & senibus. Sed Asthma deducendum est ex naturali mutatione in hac ætate. Dum enim Pueri & Puellæ ad pubertatem accedunt, sensim augentur quoque cum corporis incremento vires, sed sensim minus proportionate increscit moles corporis. In Pueris increscunt generationis organa; in puellis menstrua purgatio incipit: partes igitur omnes magis turgent luxuriante sanguine. Hæc intumescentia naturalis, qua etiam in puellis mammæ sororiantur, si quoque fiat in tracheæ & bronchiorum interna membrana, pulmonum vasa aërea angustans, Asthma generat, quod superveniente hæmorrhagia in pueris, & mensium fluxu in puellis levatur: quare huic succurrere possumus mittendo sanguinem, si Asthma nimis urgeat.

Calculorum generationes.

V. Pueros sæpe vesicæ Calculo laborare, sed senes nephritide seu Calculo renali, hodierna observatio confirmat; raro enim adultis lithotomia, frequens autem pueris instituitur: in utrisque autem minor est vitæ actio, ex qua ratione vel causa non absurdum est deducere Lithiasis originem, cum partes terrestres cum alimentis assumtæ, non satis attenuatæ, cum reliquo urinæ liquore evacuatæ, primo in sabulum dein arenulas, postea in lapides seu calculos concrescant, quæ majore vitæ actione in ætate constante magis attenuatæ amittunt concrescendi illam potentiam: unde vitam sedentariam agentes, ac si corpus in tali otio minus valeret, frequentius tentantur calculo. Quod autem pueri sæpius Calculo vesicæ, sed senes nephritide corripiantur, mira sed tamen constans est practica observatio, quia in utrisque est debilior actio partes terrestres dissolvens, sed in increscente ætate organa præparantia sunt validiora, emunctoria autem debiliora, cum corpus sensim increscere debeat: verum ætas declinans præparatorium organorum amittit valorem, dum tamen emunctoria utcumque valeant. Renes itaque in senibus videntur debiliores, facili-

faciliuſque permittentes partium terreſtrium non ſatis attenuatarum concretionem, quam in pueris. Hæc autem ratio videtur major in infantibus quam pueris, ſed & infantes quoque calculi initia ſæpe habent, & antequam calculus ad ſatis magnam molem increverit, ſeptimus annus ſæpe præterlapſus eſt. Quod autem pueri frequentius quam infantes tententur Calculo, hoc vitæ generi adſcriberem in infantibus, non præbenti tantam calculo materiem, utpote infantes lacte aliiſque alimentis levis materiæ ſuſtentati, partes terreſtres optime ſolutas aſſumunt, dum pueri ſenſim utentes cibo ſolidore & magis terreſtri, attamen corpus non ſatis valeat has partes diſſolvere, Lithiaſi materiæ majorem copiam ſuppeditat.

VI. Ex tribus vulgo vermium generibus, qui in inteſtinis puerorum naſci ſolent, ſolos Lumbricos rotundos ſeu teretes, atque Aſcarides numerat, utpote frequentiores, omittens Lumbricos latos Tænias dictos, quia minus frequentes. Utraque Lumbricorum genera etiam generantur in quavis alia ætate, ſed quia frequentiores ſunt Pueris, in hoc loco numerari debebant. Lumbrici rotundi in colo & reliquis inteſtinis, imo & in ventriculo ſedem habere ſolent; Aſcarides autem minores utplurimum ad finem inteſtini recti ſeu in ano nidulantur. Utrorumque originem putredini adſcribunt veteres, ſed quia hodie a phyſiologis demonſtratum eſt, cuncta inſecta ex ſuis propriis ovis excludi, ſed denegare alio nacta pabulo, veterum ſententia corruit. Hoc autem verum eſt, per putredinem multa animalcula ex ovis inſectorum excludi, quæ aliter ſine accedente fotu putredinis non fuiſſent excluſa ex ſuis ovulis. Quamdiu igitur inteſtinorum actio periſtaltica inteſtinorum valens non permittit ſpontaneam hanc corruptelam, hæc ova, quæ ſatis copioſe cum alimentis & forſan cum aëre inſpirato, aſſumuntur, non producunt ſuos vermiculos: ſed quando inteſtinorum actio debilior, in pueris utentibus omni genere alimentorum, hanc putredinem permittit, animalcula ex ovulis ſuis excludunter & excreſcunt in lumbricos. Nimis longum foret hoc loco

Lumbrici & Aſcarides.

loco totam vermium generationem perſequi, ſufficiet notare, vermes in inteſtinis naſci defectu actionis inteſtinorum, quo permittitur ſpontanea excluſio, quæ actione vitæ inhibebatur. Ut igitur curentur & præveniantur vermes, utile erit per calefacientia amara augere inteſtinorum actionem, & per antiſeptica cohibere promtam putredinem: qui autem nati ſunt lumbrici mitiſſimo medicamento mercuriali vel necantur vel expelluntur, modo lene addatur purgans aloëticum.

Verrucæ. VII. Ex Verrucarum genere eſt quod Græcis dicitur ἀκροχορδών, Latinis Verruca penſilis, id eſt cum gracili baſi ac ſi a filo penderet. Credo autem noſtrum Auctorem in hoc loco amplecti velle verrucas cum lata baſi, quæ ſæpe in ſuperficie finduntur, & ex ſimilitudine vocantur Porrum, quoniam hujuſmodi Verrucæ in hac ætate frequentiſſime conſpiciuntur, manus deturpantes. Penſiles verrucæ conſtricto filo facile auferuntur, cum ablatæ raro renoventur, ſed Verruca teſſilis & Porrum cauſtico ſæpe renovato ſunt conſumenda. Sæpe etiam increſcente ætate, ut ſponte fuere nata, etiam evaneſcunt nullo relicto veſtigio.

Satyriaſmi. VIII. Satyriaſmos nomen ex ſimilitudine ſatyri deſumtum eſſe, omnibus conſtat, ſed qualem morbum hic intelligit Hipp: admodum ambigunt, quidam dicunt eſſe Tentiginem, ſeu priapiſmum; alii contendunt eſſe tumores glandularum circa aures oblongos; denique alii eſſe ſpeciem verrucæ quam minores aliæ cingunt. Adeoque manet nomen, rem incertam indicans, quod admodum remoratur ſcientiam medicam. Galenus & Celſus hoc nomen non habent. Si autem Auctoris textum inſpiciamus, plane conſtat, eſſe ſpeciem Tuberculi, nominavit verrucas, ſatyriaſmos, ſtrumas, & dein addit, *& alia tubercula:* quare ſatyriaſmos ſpeciem Tuberculi facit. Quod autem interpoſita ſit *Stranguria* non exſtat in omnibus exemplaribus, & credo imperite interjectum eſſe, ſed poſt *Calculorum generationes* locandum eſſe, quoniam pueri calculoſi etiam frequente ſtranguria laborant. Videtur ergo mihi, Satyriaſmum denotare tuberculorum genus, quod faciem præprimis dehoneſtat

neſtat, cum æque ex faciei turpitudine quam ex tentigine puer ſatyro ſimilis evadat. Quum igitur his temporibus in pueris non invenio aliquod genus tuberculorum frequens, veriſimile mihi videtur in Regione Hippocratis & iſtis temporibus morbum Puerorum fuiſſe frequentem, qui his temporibus non obſervatur, ſed in cujus loco accepimus morbillos & variolas.

IX. Struma ſeu χοιράδες ſunt Tubercula duriuſcula ſub cute in collo, alis, & inguinibus hærentia, vix differentia a ſcirrho, quæ omni dolere carent, niſi vehementer tangantur, vel tandem contentus humor deliqueſcens acrimoniam induerit: raro unicum tale tuberculum habetur ſolitarium, plerumque multa ſimul tactu deteguntur, nam vix faciunt eminentem in cute tumorem, ſed tactu explorata, videntur tanquam nuces vel glandes mobiles majores & minores ſub cute hærentes, quæ huc illucque moveri poſſunt, occupantes glandulas hic hærentes, quæ tranſmittunt vaſa lymphatica. Hujuſmodi Scrophulos multo frequentius obſervavi in Puellis quam pueris circa hanc ætatem. Videntur mihi naſci ex materia gelatinoſa concreta & ſubſiſtente in glandulis, quæ vaſis lymphaticis accretæ ſunt. In animalibus junioribus invenimus ſuccum gelatinoſum concreſcibilem copioſiorem, quam in vetuſtis; ſed ſi animalia non ſatis adoleverint, hic ſuccus vix aliquam conſiſtentiam habet, unde ante ætatem ſeptem annorum in hominibus, quum hic ſuccus non ſatis concreſcibilis generetur, minus frequentes conſpiciuntur hi tumores adenoſi; ſed quando major copia hujus gelatinoſæ materiæ ex naturali ætatis mutatione generatur, frequentius hæc gelatina circa has glandulas collecta & concreta Strumas generat. Adultiores autem homines interdum etiam his tuberculis corripiuntur, ſed tunc ſæpe contenta materia liqueſcens, corrodens involucrum glandulæ, parit ulcera fiſtuloſa curatu difficilia. Priuſquam aperiuntur in pueris vel puellis, feliciter curari ſolent gummis & balſamis aromaticis, radice Bryoniæ, & Scrophulariæ, cum mitiſſimo mercuriali applicatis. Strumæ.

X. Plura genera Tuberculorum (*Aph.* 99, XIII) hac æta- Alia Tuber-cula.

te naſci poſſe, ut furunculus, anthrax, atheroma, ceterique tumores folliculoſi, & ſcirrhus, nullus dubitare poteſt, ſed ex iſtis omnibus nulla tubercula tam frequentia in hac ætate viſuntur, quam quæ recenſuit Auctor, quam ob rem hanc cautionem adjicere voluit, ne aliquis exiſtimaret reliqua Tubercula in hac ætate generari non poſſe.

LIB. III. APH. XXVII.

106. *ÆTate adhuc provectioribus, & ad pubertatem accedentibus, & multa ex illis, & febres diuturnæ magis, & ex naribus ſanguinis fluxiones.*

I.

Adoleſcentiæ tempus.

GAlenus & Celſus non eodem modo interpretantur hunc aph: Celſus enim ita Latinè ſe exprimit *Incipiente vero jam pube, ex iiſdem multa.* Quibus verbis exprimit tempus poſt annum decimum quartum, vel inchoatam pubertatem. Galenus hic intelligit annum 12, 13 & 14, & in ſequente (*Aph.* 108) idem Auctor Hippocratem miratur, quod intermiſerit adoleſcentum ætatem, quæ medium obtinet locum inter puberes & illos, qui conſiſtentes ætatis vigorem habent. Ego vero exiſtimo ſecundum generalem ætatis diviſionem (*Aph.* 203, 11) hic intelligi debere tempus ætatis a decimo quarto ad vigeſimum primum, quod tempus Adoleſcentiæ ſolet vocari Pubertas, etiamſi ipſius Hippocratis verba hoc tempus non ſatis clare exprimant.

Qui morbi hoc tempore fiunt.

II. Non omnibus hominibus idem tempus eſt pubertatis, quidam enim maturius, quidam vero ſerius pubeſcunt, ut viderim puellas, quæ ante vigeſimum primum non conſpexerant menſes; & quidam adoleſcentes ante hoc tempus non pu-

pubeſcunt, quare in hoc ſeptennio etiam multi morbi in præcedente Aphoriſmo notati adoleſcentes infeſtant, præcipue iſtos, qui ſero pubeſcunt. Sed præter dictos morbos inſuper duos allegat, ſcilicet febres longas & ex naribus ſanguinis fluxiones.

III. Videtur Hipp: voluiſſe in utroque ſexu indicare morbum frequentiſſimum, & primo in Puellis febrem diuturnam ſeu Chronicam, quæ hodie vocatur Chloroſis, qui morbus in hac ætate tam frequens eſt, ut nullus ſit qui neſciat. Primis enim vicibus menſes non tam facile fluunt quam in maturiore ætate, quibus ſubſiſtentibus puellæ fere ſemper in talem febrem albam chronicam incidunt, cujus curatio fruſtra ſuſcipitur manentibus menſibus ſuppreſſis, iis vero in ordinem redactis ſponte evaneſcit Chloroſis. Febres longæ.

IV. Adoleſcentibus hæmorrhagiæ narium frequentiſſimæ ſunt: iiſque enim ad dicimum quartum annum magnum accipiebat corpus incrementum, ut id, quod plus conficiebatur, quam requirebatur ad corporis nutritionem, per incrementum tollebatur: poſt hoc autem tempus auctis viribus conficientibus cum corporis minori incremento, generatur ſanguinis abundantia, quæ ſæpe ſibi viam pandit, & quoniam narium membrana eſt molliſſima, & vaſa hic maxime patula, ex iſtis ſæpiſſime adoleſcens fundit ſanguinem: quæ hæmorrhagia, niſi modum excedat, ſalubris eſt, tollens ſanguinis abundantiam, ſed quoniam interdum nimia quantitas profunditur, ſæpe exigit medicorum auxilium: promptiſſimum eſt, turundam mollem liquore ſtyptico ebriam indere naribus, & ſuccenturiata venæ ſectione prævenire recidivam, quæ ſanguinis miſſio rarius & minori copia eſt celebranda, ne tandem adultior factus adoleſcens huic evacuationi nimis ſit aſſuetus. Sanguinis fluxus.

LIB. III. APH. XXVIII.

107. *Plurimæ quidem affectiones pueris judicantur, aliæ in quadraginta diebus; aliæ in ſeptem menſibus: aliæ in ſeptem annis: aliæ ipſis ad pubertatem accedentibus. Quæ vero pueris permanſerint, neque ſolutæ fuerint circa pubertatem, aut fœminis circa menſtruorum eruptiones, perſeverare ſolent.*

I.

ÆTatem in tria tempora commode diſtingui poſſe demonſtravimus (*Aph.* 97, 1). Abſolverat Auctor hucuſque morbos in ætatis incremento per partes in infantibus, pueris, adoleſcentibus, uſque ad ætatem conſtantem; jam ulterius vult perſequi morbos in ætate reliqua. Hinc præbet primo generalem regulam præcedentis ætatis in Incremento, qua finit ſermonem morborum hujus ætatis. Totam hanc ætatem pueri nomine complectitur.

Puerorum morbi quo tempore judicantur.

II. Medici in temporis aſſignatione ſolent initium ponere in primo die, quo incepit morbus. Hoc autem loco temporis initium eſt ſtatuendum nativitas: ut ſi morbi fiant in quavis ætate, hi præcipue vel interficiunt puerum, vel ſolvuntur, ſeu pueri his temporibus liberantur a morbo. Quales affectiones vel acutas vel chronicas hic intelligat Auctor, facile colligitur, cum quadraginta dies ponantur pro fine acutorum, & qui diutius durant, cenſeantur inter Chronicos. Poteſt tamen Puer morbo acuto correptus quadrageſimo die, vel ſeptimo menſe ætatis perire. Quare duntaxat indicare voluit Auctor, quibuſnam temporibus ætatis pueri maxime periclitantur, & a morbis liberantur. Obſervavit Hipp: cita-

citata tempora in textu maxime obſervanda eſſe, quod quoque in præcedentibus expoſuimus. Ex qua autem ratione hoc profluat, plane me latet, niſi quod hæc obſervatio in mera experientia ſit fundata. Ut ſi quis quæreret, cur non æque annus ſeptimus, vel verbi gratia quinquageſimus, ſit tempus pubertatis, quam decimus quartus. Cur non etiam anno ſecundo ut quibuſdam animalibus, ſit hominibus matura ætas? Nihil reponendum habeo, niſi quod Deo in creatione ita placuit certos hos ponere limites. Quamvis cauſam neſciamus, obſervatio tamen manet conſtans, multos morbos puerorum circa hæc tempora periculoſiſſimos eſſe, & qui diu fuere morbis conflictati circa pubertatem liberari, ut demonſtravimus (*Aph.* 70, IV.)

Morbi circa pubertatem aut menſtruorum eruptiones non ceſſantes perſeverare ſolent.

III. Si Puer vel puella morbo longo vexatur, huic magna eſt ſpes, ceſſaturum morbum, ſi ad pubertatem veniat: ſi vero ulterius continuetur morbus, raro deinceps liberantur, ut hodie quemadmodum olim conſtans teſtatur experientia. Si inſpiciamus Celſum, qui dicit *neque primis coitibus, neque in fœmina primis menſtruis finita ſunt, fere longa ſunt*, ſtatuendum videtur, ſeminis & ſanguinis menſtrui evacuatione liberari. Ego vero his evacuationibus, quamvis phænomenis manifeſtis, nollem tribuere horum morborum ſolutionem, ſed viribus auctis, quum morbus, qui non potuit hucuſque increſcentibus viribus ſuperari, tam pertinacem habet cauſam, ut vix ulla remaneat ſpes, eam poſtea ſuperari poſſe.

LIB. III. APH. XXIX.

108. *Juvenibus autem, ſanguinis ſpuitiones, tabes, febres acutæ, epilepſiæ, & alii morbi, maxime vero ſupra nominati.*

I.

Qualis juvenum ætas hic intelligatur.

CElſus hunc Aphoriſmum ſequenti modo exponit. *Adoleſcentia morbis acutis item comitialibus, tabique maxime objecta eſt: fereque juvenes ſunt, qui ſanguinem exſpuunt.* Quibus verbis plane conſtat, hic intelligendam ætatem eam, quæ inter XVIII & XXXVI annum continetur, etiamſi Galenus noſtrum Auctorem carpit, cum oblitus fuerit Adoleſcentiæ, in quo tamen temporis ſpatio Adoleſcentia & juventus concipi poteſt.

Juvenibus ſanguinis ſpuitiones.

II. Naturalem hæmorrhagiæ cauſam in Adoleſcentia poſuimus (*Aph.* 106, IV) conſiſtere in ceſſante corporis incremento, dum tamen maneat conficiens abundantiæ cauſa: quando igitur ille ſanguis non tollitur narium hæmorrhagiâ, non raro ex pulmonis vaſculis ruptis effunditur, & una cum tuſſi ejicitur ſpumoſus ſanguis: præcipue ſi ſimul corpus ad hæmoptoſin ſit figuratum; vel juvenis abutatur ſpirituoſis, vocemque nimis intendat. Qui vero trigeſimum ſextum annum ætatis ſuperarunt, quoniam vaſa ſenſim magis fuere confirmata, minorque generatur abundantia, rarius in ſanguinis ſputum incidunt, & qui eo corripiuntur, minus periculum ſubeunt.

Tabes.

III. Qualem ſpeciem phthiſis (*Aph.* 89, II) hic intelligat Hipp: non conſentiunt Commentatores; puto tamen plane conſtare ſenſum, quum ſtatim poſt ſanguinis ſpuitiones ponit Tabem, quo indicare voluit eam ſpeciem, quæ ſolet ſanguinis ſpuitiones ſequi. Quæ ſpecies hodie quoque juve-

venibus eſt frequens, cum poſt ſanguinis ſputum ex pulmonibus ulcus relictum tandem Tabem generet. Frequentiorem Tabis generationem ex hac quam alia ſanguinis evacuatione ex variis deducerem cauſis. Nam in ſpuentibus ſanguinem non omnis in bronchia effuſus ſanguis emittitur ita, ut nihil reſtet, ſed ſemper, quia ſurſum contra naturalem ſanguinis gravitatem ducendus eſt ſanguis, quædam portio in bronchiis & veſiculis pulmonalibus reſtitat, quæ corrupta hic format ulcus, quod quoque difficulter ſuum confectum pus evacuare poteſt, & propterea ab incumbente & corrupto pure latius ſenſim ſerpit ulcus. Hoc etiam viſcus continuo motu reſpirationis agitatum vix permittit conſolidationem. Atque libero hic aëris aditu ſummopere promovetur corruptela. Suſceptum hoc ulcus minuens Pulmonum præparationis actionem, & corruptum pus miſcens ſanguinis maſſæ, ita corrumpit totius corporis pabulum, ut inde vera phthiſis purulenta generetur.

IV. Ex morborum acutorum genere febris Acuta eſt ſpecies, quare hæc phraſis non ſolum indicat morbum vel brevem vel vehementem, ſed qui adjunctam habet febrem aut continuam, remittentem vel intermittentem præprimis tertianam, cum quotidiana & quartana febris raro vocetur febris acuta. Si huic febri jungatur Inflammatio alicujus partis, generaliter a practicis vocatur morbus acutus vel Inflammatorius. Hujuſmodi febres Acutas juvenibus frequentes eſſe non ſolum teſtatur experientia, ſed & ratio dictitat. His enim eſt humorum abundantia atque corporis vigor cum igitur morbi propter vires admodum valentes calidiores eſſe ſolent, quam in ætate alia, cauſa quæ in alia ætate lentam induxiſſet febrem, in hac vero calidam & acutam: imo febrilis cauſa in tali ætate propter vim vitæ prævalidam redditur acrior & magis calefaciens, quam materiem veteres Bilem vocare ſolent. In hujuſmodi febribus Sanguinis miſſio, Alvi ductio & Refrigerentia præſtantiora ſunt, minuendo quantitatem & impetum, quam in febribus reliquis: cum abundantia & vigor major admodum augeat morbi periculum. Febres acutæ.

V. An-

Epilepſiæ. V. An Hippocratis tempore & in ejus Regione in Juvenibus frequens fuerit Epilepſia, negare haud poſſum, ſed noſtris temporibus & in hac Regione rarum eſt obſervare, niſi aliquis a pueritia eo morbo correptus fuerit. Si vero per Epilepſiam vult intelligere eam convulſionis ſpeciem, quam in puellis referunt ad Paſſionem hyſtericam, omnino hujus morbi in hac ætate frequens eſt obſervatio; cum fœminæ menſium ſuppreſſione vel & profluvio laborantes, ſæpe tentantur inſultibus epilepticis, quem morbum hodie referunt ad ſuffocationem uterinam, etiamſi omnes characteres Epilepſiæ (*Aph.* 70, 11) habeat.

VI. Tandem addit aliis quoque morbis obnoxios eſſe juvenes, quoniam multi in pueritia nati hac etiam in ætate continuantur; ut & aliis corripiuntur morbis, ſed ex omnibus iſtis annumerati morbi ſunt frequentiſſimi. Quando igitur in ſequentibus citantur morbi Juvenum, hos præcipue intelligere vult.

LIB. III. APH. XXX.

109. *ULtra hanc ætatem vero progreſſis, aſthmata, pleuritides, peripneumoniæ, lethargi, phrenitides, febres ardentes, alvi profluvia diuturna, choloræ, dyſenteriæ, lienteriæ, hæmorrhoides.*

I.

Adultorum ætas. AB anno ætatis XXXV ad XLIX dicitur virilis vel conſtans ætas, cum finis juventutis apud medicos ponatur annus XXXV, & initium crudæ ſenectutis annus XLIX. Non tamen ita ſtricte hoc tempus eſt accipiendum, quoniam in quibuſdam citius in aliis tardius veniat Adultorum ætas, & finitur pro viribus corporis magis minuſque valen-

valentibus: communis autem terminus virilis ætatis his quatuordecim annis continetur.

II. Ut in Incremento ætatis ſenſim quoque increſcebant vires, & in Decremento minuuntur vires, ſed in medio hoc tempore Adultorum in eodem tenore fere perſiſtebant: ita ſenſim a finito corporis incremento circa XXI ætatis annum ad XXXV ſenſim minuitur humorum abundantia, ut qui morbi fiebant in adoleſcentibus & juvenibus ex abundantia, nunc minus infeſtant. Poſt annum igitur ætatis XXXV tolerabilis eſt humorum quantitas cum valentibus viribus. Unde morbi ex corporis vigore cum mediocri humorum quantitate hac ætate prævalent. Adultorum naturalis mutatio.

III. Ex Aſthmatis definitione (*Aph.* 101, XIII) ſatis conſtat, morbum eſſe ex quibuſdam phænomenis nominatum, & agnoſcere varias cauſas, ſæpe enim fiunt Autumno (*Aph.* 101, XIII) & in Pueris (*Aph.* 105, IV) ſed quæ adoriuntur Adultos aliam agnoſcunt cauſam. Cum Adultorum corpora robuſta ſanguinem admodum compactum & tenacem faciant, videtur in his generari Aſthma ex ſanguinis lentore, quo majori molimine per pulmones poſſit trajici. Quamobrem aſthmata adultorum, quæ ex hac ætate naſcuntur, commode tolli poſſunt antiphlogiſticis reſolventibus, lentorem ſanguinis minuentibus. Adultis Aſthmata.

IV. Pleuritidis nomen a Pleura deſumtum generaliter ſignificat omnem dolorem in hac membrana, ſive ſit in hoc vel illo latere pectoris, anterius vel poſterius, ad ſuperiorem vel inferiorem partem pectoris, cum has partes omnes hæc membrana pleura interne cingens dolore correpta Pleuritidem inferat. Si vero abſolute ponatur Pleuritis, ut in hoc loco ab Hipp: & aliis practicis, intelligitur Dolor Pleuræ ab Inflammatione, quæ ex ſignis huic Dolori junctis innoteſcit. Ut ſit Dolor punctorius urens, uti in omni inflammatione, ſed qui externo attactu vix augetur, cum pleura intus pectus cingens externo attactu vix moveatur: ſi vero ad attactum multum augetur dolor, aut ſi inflammationis ſigna externe in pectore conſpiciuntur, hunc morbum vocant pectoris inflammationem. Huic Pleuritidi adeſt pul- Pleuritide

ſus durus & frequens cum corporis ſiccitate & ardore cum febre continua ex natura inflammationis : ſed Tuſſis moleſtiſſima & dolorifica, Reſpiratio difficilis, ab affecta pleura veniunt. Duo igitur genera ſignorum ad detegendam Pleuritidem veram requiruntur, unum, quod declarat Pleuram eſſe affectam, alterum quo morbo ille dolor generatur. Et Quando adjuncta ſigna declarant Inflammationem, talis Pleuritis dicitur Vera; ſed ſi aliorum morborum dolorem inferentium adſunt ſigna, omnes illæ ſpecies Pleuritidis dicuntur nothæ. Hoc itaque loco duntaxat demonſtrandum eſt, Adultos proniores eſſe in Inflammatorios morbos. Hoc loco ſuppono, quod albi demonſtrabitur, Inflammationem eſſe motum vitalem auctum in quodam ramo arteriæ, quo generatur in ſanguine Lentor, & producuntur in parte omnia ſigna, quibus diſtinguimus Inflammationem a quovis alio morbo (vid. *Comp. T.* 47, 1.) Hunc motum validum fieri poſſe in adultis, quibus eſt ſummus vigor corporis, nullus dubitare poteſt : atque ſanguinem facile compingi jam aucto motu, qui ſanguis in ſanis Adultis denſior eſt, quam in quavis alia ætate, ut fidem facit ſanguinis miſſi exploratio, nemo iuficias ire poteſt. Cur autem Pleura ſæpius hac tentetur Inflammatione, illi non erit mirum, qui novit, hanc membranam ſcatere arteriis, admodum eſſe tenſam, valide agitari ſuis fibris, expoſitam eſſe aëris injuriis cum intus a ſuſcepto aëre frigido, & externe tenuibus integumentis ſit tecta membrana. Quibus concurrentibus cauſis hæc membrana frequentius quam aliæ partes Inflammatione corripitur. (Conf. *Aph.* 102, 11).

Peripneumoniæ. V. Quamvis Peripneumonia ut Pleuritis nomen accepit ex parte, non tamen omnes Pulmonum affectiones vocan- Peripneumonia, ſed quando Pulmo vel Inflammatione vel Eryſipelate corripitur, eſt Peripneumonia, unde non opus hunc morbum in verum & nothum diſtinguere. Cognoſcitur etiam ex generalibus notis Inflammationis vel Eryſipelatis, cum mutatis functionibus pulmonum: ſed quoniam hæ functiones impeditæ etiam mutant conſuetos characteres inflammationis, imprudentem medicum facile fallere potuiſ-

ſent,

ſent. Calor æſtuans, ſiccitas & febris continua acuta ex natura inflammationis manent. Sed pulſus fit mollior & debilior propter impeditum ſanguinis tranſitum per pulmones. Dolor admodum obtuſus, imo potius fit Anxietas, quia paucis nervis ſenſui dicatis gaudet Pulmo. Ex Pulmone affecto difficillima & laborioſiſſima ſublimis fit Reſpiratio, ut ægri erecte ſedentes cogantur ſpirare, etiamſi ex debilitate decumbere amant, quod Pulmo inflammatione turgens vix admittat aërem, qui ſi efflatur, calentibus nimis pulmonibus, fervidus ſentitur. Facies phlogoſi ſuffunditur magis quam in Pleuritide. Hunc morbum frequentiorem adultis fieri, ex iis, quæ ſupra de Pleuritide diximus, facile colligi poteſt. Et mirum eſt Peripneumoniam, cum Pulmo nudo aëri exponatur, non fieri frequentiorem: forſan inde, quod ſuus ſpecialis motus, quo caret pleura, & paucitas arteriarum ex Bronchialibus venientium, Inflammationis ſit minus capax.

VI. Ex ſoporoſorum morborum genere ſpecies eſt Lethargus, etiamſi interdum accipiatur pro omni ſoporoſo morbo. Adeſſe debet ſomnus morboſus diuturnior & profundior, quam in hominibus ſanis obſervatur, ita tamen ut e ſomno poſſint excitari, ſed excitati protinus in eundem relabantur cum oblivione omnium rerum. Auctores non conſentiunt, an ad morbos pituitoſos vel bilioſos Lethargus ſit referendus, quare inter Coma, Carum, & Lethargum magna confuſio ſignificationis. Multi Lethargum ad morbos pituitoſos referunt, natum ex lenta frigidaque cauſa, dum autem in hoc loco ponatur inter morbos ardentes calidos, & in adultis, in quibus minime conveniret accuſare pituitam, ſed lentorem, qui cum minus libere duci poſſit per cerebri vaſa, contenta encephali comprimendo, ſoporem generat, quemadmodum Aſthma (111) recenſitum impedito fluxu per pulmones. Unde toties reſpiratio difficilis jungitur Lethargo, & deſcribitur a practicis Lethargus pulmonum. Signa igitur lentoris in corpore cum ſomno profundo oblivioſo Lethargi præſentiam arguunt, talem quoque curationem exigunt. Quibus ſatis conſtat, quam male Lethargi.

multi agunt, qui volatilibus & aromaticis conantur hujuſmodi ſoporem curare. Et plane concipi poteſt, robuſtos & adultos huic morbo magis eſſe obnoxios, quam quævis alia ætas.

Phrenitides. VII. Eadem cauſa in ſuperioribus morbis recenſita ſi afficiat meninges, producit ſymptomata, quæ collecta uno nomine vocantur Phrenitis; morbus enim eſt inflammatorius cum febre continua, pulſu duro & frequente, atque corporis æſtuante calore, ſine ulla intermiſſione, quod etiam verum eſt in recenſita pleuritide & peripneumonia. Quando vero meninges agitantur inflammatione, ſubjectum cerebrum ita movetur, ut homo deliret, & nullus concedatur ſomnus, ſed, nimis compreſſo cerebro, interdum videntur dormire, dum tamen tales homines dicantur a noſtro Auctore valde Phrenitici. Qui vero inſaniunt ex paroxyſmo febrili non vocantur phrenitici. Non eſt opus demonſtrare, Phrenitidem eſſe morbum Adultis frequentionem, cum a præcedentibus duntaxat differat in loco inflammationis.

Febres ardentes. VIII. Ex æſtuante ſeu fervido calore cum febre, hæc ſpecies veteribus fuit vocata Cauſos: & quoniam febris Inflammatoria, Eryſipelatoſa, & Bilioſa, tertiana intermittens vel remittens, ardore vexant, ſæpe omnes dicuntur Ardentes. Proprie autem febris Inflammatoria ſanguinem compingens in lentorem, eſt Cauſus, ſi nomen ponitur abſolute uti in hoc loco, ad quam ceteræ ſpecies bilioſarum febrium ob urgentem calorem referuntur, in quibus tamen ſanguis admiſtu bilis acris ſaponaceæ, quamvis valide compingitur, magis manet fluidus. Hæc igitur febris eandem cum præcedentibus morbis agnoſcit cauſam, eandemque poſtulat curatſonem. Tantum differt, quod motus arteriarum vehementior habeatur per totum corpus, dum in reliquis quædam pars præ reliquis magis agitabatur. Ut ſit febris Ardens inflammatio generalis.

Alvi profluvia diuturna IX. Quanto cum judicio Hipp: morbos adultis frequentiores, annumerat, ex hoc Aph: conſtare poteſt. Hucuſque enim citavit morbos inflammatorios primo particulares, dein finem imponit cum inflammatione generali ſeu febre ardente.

te. Jam vere aggreditur morbos bilioſos, ſeu qui ex bile liqueſcente & corrupta, per majorem motum nata, naſcuntur. Bilis enim majore motu non compingitur in humorem lentum, uti formatur majore motu ex parte gelatinaſa concreſcibili noſtrorum humorum, ſed liqueſcit, fit acris & urens, ut omnia pinguia per majorem calorum. Ita Bilis materia majore corporis robore & motu in Adultis ſecreta, & depoſita in inteſtina, ea ſua vellicante acrimonia in perpetuam dejectionem ſollicitat: & quoniam manet bilis ſcaturigo, etiamſi deponatur alvus, generarì debet Alvi profluvium diuturnum; tam diu durans, ac generatur in hepate & veſica fellea bilis tenuis & acris. Hæc alvi copioſior & diuturnior egeſtio curanda eſt evacuatione & emendatione bilis acris & calidæ corruptæ; nam ſi conſtipetur alvus adſtringentibus, diuturniori mora in inteſtinis contenta bilis ſenſim fit acrior & furens. Conducit igitur eam bilem eliminare purgante aceſcente ſaponaceo, & dein compeſcere egeſtionem per acida, bilem tenuem & acrem compeſcentia, interim interdum intermiſcere purgans, ne accumuletur corrupta Bilis in Inteſtinis. Sic ſenſim & ſponte in ordinem redibit alvi egeſtio.

X. Bilis tenuis illa & acris calida iiſdem cauſis nata, ſed congregata magna copia in veſica fellea, ductuque choledocho, tandem abundans in duodenum erumpens, ſua rodente ſolvente virulentia non ſolum Inteſtina in motum inordinatum validum & inverſum concitat, ſed in ventriculum per pylorum delata, totum chyli organum mirifice agitat, ut ipſa bilis, ceteraque contenta inteſtinorum, & in ea confluentes humores, concitato hoc motu magna vi pellantur per vomitum & feceſſum non ſine ægri diſcrimine, ut hac nimia evacuatione, & valide motu perturbato interdum ægri paucis diebus moriantur. Cholera.

XI. Tranſit nunc ad tertium genus humorum, quod in robuſtis ſæpius generatur, ſcilicet ad humorem acrem tenuem minus bilioſum, quod majori motu generatur, quodque compingi non poteſt, ſed in rodentem & tenuem humorem convertitur, quemadmodum id acre ſpeciale, quod podagri- Dyſenteria.

cum dolorem infert & Rheumatiſmum, quale genus raro niſi in adultis & robuſtis habet originem; ſimile fere acre ad inteſtina depoſitum, multa infert tormina ventris, quæ dicuntur Dyſenteriæ.

Lienteriæ. XII. Si vero humores concreſcibiles adultorum compinguntur in glutinoſum lenteſcens, quod in inteſtina depoſitum interna obſtipat oſcula lacteorum, cuncta alimenta deglutita in ventriculo quidem præparata, ob tranſitum in vaſa lactea denegatum, deponuntur per alvum ſub chyli vel alimenti confecti forma, qualis dejectio compeſci nequit, niſi ſaponaceis reſeratis lacteorum oſculis, illo glutinoſo obturatis.

Hæmorrhoïdes. XIII. Si Hæmorrhoïs vel Hæmorrhöides pro morbo accipiuntur quemadmodum in hoc loco, duo genera morborum ſignificant: vel exprimit intumeſcentiam venarum circa anum; vel earum diſruptionem, ut ſanguinem fundant. Quoniam autem hic abſolute ponuntur Hæmorrhoides inter recenſionem morborum in adultis, non ſine ratione eſt conjicere, Hippocratem utrumque morbum intellexiſſe. Cur autem Juvenibus hæmorrhagias frequentiores, ſed Adultis Hæmorrhoïdes, meretur attentionem. Experientia conſtat, ſanguinis abundantiam, qualis eſt in juvenibus, magis petere vaſa narium ex aorta provenientium, ut arteriæ ſanguine turgentes ſibi viam parent per extremitates arteriarum: ſed in Adultis dum vires magis per ætatem ſint firmatæ, minorque ſenſim generetur abundantia, ſed ſanguis reddatur magis compactus, lentior ille ſanguis ob tardiorem circulationem in vena pertarum facile colligitur, totamque venam portarum turgere facit, & quoniam ita lenteſcens nigrum ſibi comparat colorem, exiſtimarunt Veteres eſſe bilem atram. Collectus ita in vena portarum hujuſmodi ſauguis, quia hæc vena caret valvulis, iſtis in partibus, ubi rami portarum minus ſunt ſuffulti, ut circa anum, primo tumere incipiunt non raro cum dolore; dein pergente impletione & diſtentione harum venarum, venæ tumentes ruptæ ſanguinem nigrum fundunt. Quod autem ſeniores, quibus etiam lentus eſt ſanguis, rarius corripiantur hæmorrhoïdibus,

bus, intellectu eſt facilis, quoniam ad hanc collectionem ſola non ſufficit tenacitas ex concretione per minorem motum, verum compactus major viribus vitæ, & quædam etiam abundantia, quæ junctæ cauſæ ſenibus raro contingunt.

LIB. III. APH. XXXI.

110. *SEnibus autem ſpirandi difficultates, catarrhi tuſſiculoſi, ſtranguriæ, dyſuriæ, articulorum dolores, nephritides, vertigines, apoplexiæ, cachexiæ, pruritus totius corporis, vigiliæ, alvi, & oculorum, & narium humiditates, viſus hebetudines, glaucedines, auditus gravitates.*

I.

Senum naturalis mutatio.

FInit hunc Librum cum hominis vita, ſeu exponit morbos, quibus ultimus vitæ terminus ex naturali ætatis mutatione eſt obnoxius. Diviſionem ſenectutis in Crudam, Mediam & Decrepitam ſenectutem dedimus (*Aph.* 65, 1) Videtur Auctor in hoc loco tres has intelligere ſpecies, ſed præcipue ultimam. Ut vires vitæ a nativitate increſcunt ad ætatem conſtantem, perſtant dein, ſic poſtea ſenſim incipiunt minui. In hac obſervatione nullam habemus rationem, niſi quod Deus ita placuerit omnia animalia viventia creare, & hanc ponere legem inviolabilem, non ſolum in hominibus, verum etiam in cunctis animantibus; quidquid garriunt chemici & alii rerum naturalium perſcrutatores, conſtans tamen manet lex, tandem omnia animalia, etiamſi nullus accedat morbus, perire tamen morte ſenili, in quo ætatis anno ita ſenſim evaneſcuut corporis vires, nullo auxilio reſtaurandæ, ut tandem corpus fiat impar ſuis muneribus, ad vitam continuendam peragendis.

ſive

ſive quod vaſcula minima ſenſim in callum converſa & obliterata; ſive quod ſpiritus ceterique humores functionibus peragendis fiant inepti; ſive quod id vitale a Deo viventibus conceſſum, ſit exſtinctum, determinare non audeo. Invenimus tamen pergente vita hæc tria fieri. Vitæ enim actio ſenſim fit infirmior; multa vaſcula antea aperta & mobilia ſenſim occluduntur, fiunt calloſa & rigida, humores omnes ſenſim minus perfecte præparantur: quæ omnes mutationes ſunt inevitabiles. Sed diverſo genere vitæ hæc præmature fieri poſſunt, corporis validior motus citius occaleſcere facit vaſa: intemperantia citius conſumit actionem vitæ: quare non ſunt excuſandi, qui immoderatis exercitiis, vel intemperantia aliquid veluti de ſuo vitæ curriculo detrahunt.

Senibus Dyſpnœæ. II. Ex ſola virium diminutione Difficilior fit Reſpiratio, cum ad eam peragendam actio vitæ requiratur. Verum etiam pulmonis ut aliarum partium febræ rigidiores factæ & minus ſequaces motus impedimenta pariunt. Hæc nulla arte ſunt tollenda. Sed humorum viſcoſitas, qua pulmo magis impletus in alia ætate ſatis facile tollitur, in hac autem ætate nullis pectoralibus laxantibus obtemperat, imo eadem difficiliorem inducunt ſpiritum: quamobrem medici experientia edocti detexerunt vino malvatico, reſinoſis & balſamicis calefacientibus omnium optime ſenum difficilem reſpirationem levari.

Catarrhi ſufficuloſi. III. Humor tenuis crudus & aër ex capitis internis partibus deſtillans ad ejuſdem partes externas, vel fauces, pectus, aliaſque partes remotiores, vocatur humor catarrhoſus, atque ipſe deſcenſus dicitur deſtillatio ſeu Catarrhus. Hic humor deſtillans in interna laryngis membrana titillando Tuſſim parit. Materia Catarrhoſa videtur in ſenibus eſſe, vel humor perſpirabilis retentus huc depoſitus, vel materia mucoſa liqueſcens. Et quoniam virium defectu muci proventus eſt copioſior, ejuſque liquatio promtior in humorem acrem ſtimulantem, hinc ætati ſenili hic morbus debet eſſe frequentior, ut ſupra obſervavimus (*Aph.* 65, IV). Quam

vero

vero difficilis ſit hujus morbi curatio, cum reſpuat omnia mollia bechica, & morbi ſenum omnes chronici ad mortem durare ſoleant (*Aph.* 64, IV.) facile colligi poteſt.

Stranguriæ. IV. Ex guttatim cum crebra cupiditate mingendi, & dolore, emiſſum lotium ſtranguriæ ſeu urinæ ſtillicidii obtinuit nomen, ſed varias agnoſcit cauſas, ita ſupra ex ſiccitatibus (*Aph.* 95, XI,) autumno (*Aph.* 101, VIII.): hic vero in ſenibus obſervavit Hipp: frequentem fieri ſtranguriam. Cum aliis ſtatuo ſenes calculoſos ſæpe laborare ſtranguria, ſed in hoc loco puto magis reſpici debere ad duas in ſenectute præcipuas cauſas. Obſervamus, corpora viventia quo magis recedunt a nativitate, eo generare in ſe urinam acriorem, quæ abſtergens & acrior ſi abſtulit urethræ mucum, tangens nuda urethræ latera, parit mingendi perpetuum deſiderium, ſed quam primum ex veſica in urethram deſcendit urina, urethra irritata ſe protinus conſtringens, aliquot ſaltem guttulas urinæ tranſmittit non ſine dolore, manente mingendi cupiditate. Atque in ſenibus, quemadmodum mucus tracheæ fit acrior & tuſſim parit, ita etiam mucus viarum urinæ in hac ætate fit acrior liqueſcens, qui irritando urethram, crebam mingendi cupiditatem parit, & in tranſeunte urina magis ad urethram applicatus hic mucus acer, protinus quoque urethram conſtringi facit. Mollia quidem & diluentia temperant urinæ acrimoniam, ſed reſinoſa, aromatica oleoſa, ut monuimus in Tuſſi ſenum, magis opitulantur ſtranguriæ ſenum ex muci acrimonia natæ. Ex iiſdem etiam facile intelliguntur, quæ de *Dyſuria* dicenda ſunt.

Articulorum dolores. V. Variis generibus dolorum Articuli infeſtari poſſunt, podagra, arthritide, rheumatiſmo, & aliis, verum hujuſmodi dolores non magis invadunt ſenes, quam alias ætates; unde in hoc loco quædam ſpecies doloris articulorum aſſignari debet, quæ frequentior eſt ſenibus. Deducerem itaque hunc dolorem ex eadem materia colliquativa acri, quæ depoſita in Laryngem producebat tuſſim, & in vias urinæ pariebat urinæ difficultatem: ſed quando id acre colliquatum miſcetur ſmegmati naturali articulorum, tunc ligamentis articulo-

rum inferret dolorem, præcipue ſi movendo articulum magis prematur acre ad illa ligamenta. Quales dolores tentarem lenire balſamicis reſinoſis, calefacientibus, ad articulos applicatis, ut prævenirem ſpontaneam ſmegmatis liquationem, & excuterem, quod in articulis erat collectum.

Nephritides. VI. Omnes morbi Renum ſæpe dicuntur Nephritides, ſed præcipue Dolores. Non conſtat inter auctores, num renum calculus, num vero Inflammatio vocanda ſit nephritis vera. Quantum vero ex loco hoc colligere poſſum, Hipp: hic intelligere vult renum dolores, quoniam nephritidem inter dolores aliarum partium citat. Et quoniam verſatur in annumeratione morborum, qui ex liquata acri lympha oriuntur, non facile credere poſſum, hic intelligi debere nephritidem calculoſam vel inflammatoriam, ſed Lymphaticam dictam, quæ mihi quoque ſæpe contigit obſervare in ſenibus, quamque feliciter balſamicis, reſinoſis, & oleis aromaticis ſuſtuli.

Vertigines. VII. Si vero humor pituitoſus liquatus, ſenibus frequens, ex meningibus ſecretus, ad infundibulum cerebri, unionemque nervorum opticorum collectus, hos nervos afficiens ita, ut inordinate moveantur eorum fibrillæ viſui deſtinatæ, mens percipit eandem idæam ac ſi imagines in oculo ſupra retinam pictæ inordinate moverentur; cum mens non valeat diſtinguere, num nervus opticus moveatur ab imaginibus rerum externarum in oculo pictis, num vero idem nervus moveatur a cauſa in calvaria hærente. Inde ſenum vertigini medemur cephalicis, aromaticis, calefacientibus, & volatilibus, & etiam apophlegmatizontis, quibus hunc humorem opticos prementem & agitantem, evacuamus & diſcutimus.

Apoplexiæ. VIII. Si vero Pituita majore copia collecta, ita opprimat cerebrum, ut ejus functiones aboleantur, generatur apoplexia (*Aph.* 67, 1) pituitoſa ſenibus frequens & periculoſiſſima, cum haud facile ſit hanc collectam pituitam diſcutere, & cerebri diu abolita functio, vel & ſenſim compreſſum cerebellum mortem adferat. Quoniam in nulla alia ætate tam copioſus eſt pituitæ proventus quam in ſenibus, inde etiam

his

his frequentius accedit apoplexia pituitoſa quam cuivis aliæ ætati.

Cachexiæ. IX. Virium debilitas ſenibus naturalis non ſolum permittit humoris boni gelatinoſi naturalem degenerationem in lentam pituitam, vel in humorem tamen liquatum acrem, ſed etiam quæ aſſumuntur alimenta, minus juſto præparata in tali corpore debili primo formant materiem crudam, qua quoque corpora ſenum ſcatere ſolent, dein vero cruditas non emendata, ſed corruptione alienata præbet humorem flaveſcentem, qui per corpus diſperſum, tranſparens luridum producit colorem, quem cachexiam vocare ſolemus. Nulla cachexiæ ſpecies difficiliorem promittit curationem, quam quæ generatur, cum curanda ſit reſtauratis viribus, quas in ſenibus reſtaurare neſcit medicina.

Pruritus totius corporis X. Senſus titillationis eſt Pruritus, quem ad ſcalpendum vel fricandum inſtigat, qui ſi major fiat, in dolorem commutatur: unde patet eſſe doloris cauſam vellicantem ſed partes ſentientes tam leviter tangentem, ut dolorem inferre non poſſit: multæ ſpecies acrimoniæ in principio, ubi leviter incipiunt operari, Pruritum inducunt. Quamobrem in hoc loco duntaxat demonſtrandum eſt, ſenibus frequentius ad cutim colligere humorem acrem. Hoc autem ex antecedentibus palam fit, quoniam ſenum corpora debilia in producenda acrimonia ſpontanea per debilitatem prona ſunt; hæc acrimonia ad cutim pulſa, ut cum perſpirabile exhalet, propter minutam perſpirationem facile in poris cutaneis hæret, & ita pruriginem excitat, quæ diaphoreticis antiſepticis eſt corrigenda & auferenda.

Alvi oculorum & narium humiditates. XI. Non ſemper nomen humiditatis deſignat majorem copiam humorum comparative ad partes firmas in noſtro corpore, ſunt enim corpora macilenta admodum uliginoſa quædam, dum ſucci plena videantur ſicca: imo ſanguinis miſſio & purgans detrahendo humoris copiam humectant. Sed ſi humores retinentur in laxatis & minus motis partibus firmis, ut ad viſum & tactum exhibeatur humiditas & laxa frigiditas, tales partes dicuntur eſſe uliginoſæ & humectatæ. Hoc autem maxime fit in ſenibus, quorum corpora ef-

fœta & inertia, deficiente motu vitali frigeſcunt, & vix valentia excutere humores per inſenſibilem perſpirationem, in vaſculis cutaneis quaſi leucophlegmatia laborant. Cur autem alvus oculi & nares humectata dicantur, videndum eſt. Dum corpora parcius perſpirant quemadmodum ſenes, id aquoſum, quod aliter per cutim exhalat, nunc ad inteſtina depoſitum *Alvum humidiorem* facit. Eadem quoque perſpiratio minor etiam in ſanis *oculos* & *nares* humectare ſolet; præcipue ſi harum partium ſimul adſit atonia, quemadmodum in ſenibus jam per ætatem debilitatis. Quare lachrymæ & narium ſtillicidium ſenum veluti ſunt characteres.

Viſus habetudines.

XII. Senibus ob multas concurrentes cauſas fiunt amblyopiæ. Parcior enim & imperfectior ſpirituum fit confectio; oculi bulbus laxior corrigatam veluti facit corneam; tunicæ oculorum amittunt pelluciditatem; humores oculorum ſenſim fiunt palleſcentes minus pellucidi, ut tandem in ſenectute decrepita his cauſis auctis omni lumine priventur.

Glaucedines.

Et quoniam turbatur aqueus humor, vel opacitas lentis cæſium adſpicientibus præbet colorem, glaucedine cum viſus diminutione vel & perfecta cœcitate laborant.

Auditus gravitates.

XIII. Quum auditus ut viſus exerceatur ſpirituum bonorum influxu per nervos, ex generali cauſa debilitante & exſtinctione actionis nervorum & ſpirituum, eodem modo ut viſus redditur habetior: atque tympani membrana relaxata, cum mucoſi collectione in concha interna & forſan etiam in labyrintho, non parum promovetur Baryecoïa, quæ ex his cauſis nata nullam capit medelam.

MEDICINA HIPPOCRATICA,

EXPONENS

APHORISMORUM HIPPOCRATIS

LIBRUM QUARTUM.

APH. I.

III. *PRægnantes purgandæ, ſi materia turgeat, quadrimeſtres, & uſque ad ſeptimum menſem: hæ vero minus. Juniores autem & ſeniores fœtus caute vitare oportet.*

I.

Contra-indicationes agendi difficultatem pariunt.

NOn ſufficit in Praxi Medica ſimplicis caſus cognitionem poſſidere, cum ſæpe in compoſitis a recepta medendi methodo debeamus recedere; ſi ulla, hæc ſane pars magno judicio eget, vixque patitur regulis generalibus complecti, ut olim indicavimus (*Comp.* T. 54. XI) Sed in ſpeciali fere ſemper propoſito caſu judicium eſt ferendum. Egregium præbet Auctor in hoc Aph: exemplar, ſupponit enim fœminam gravidam, quæ ſi ſana ſit, omnem purgationem vetat, in hac ſupponit morbum Purgationem poſtulantem: quid autem ſit faciendum, concludit, Purgandam eſſe, ſed non niſi gravi ratione, adeo ut leves indicationes Purgationes exigentes in gravida fœmina ſint

omittendæ ob abortus metum. Atque magis vetat medicationes in juniori & ſeniori fœtu. Videndum igitur, qui morbi vel cauſæ in gravidis poſtulant Medicationem; cur uno tempore graviditatis periculoſiores cenſeantur, quam alio tempore.

Prægnans quæ dicatur.

II. Quæ fœmina ætatis maturæ, in uteri cavo, clauſo ejus orificio, continet ovum fœmineum ſemine virili prægnatum, iſtudque fovet, nutrit, & incrementum præbet, donec in illo ovo, utero recepto, formetur perfectus fœtus, qui finito termino certo geſtationis, niſi prius abortu pereat, excluditur, ea fœmina a conceptionis tempore uſque ad partum vocatur Prægnans & Gravida. Regulariter toto hoc tempore os uteri clauſum eſſe oportet, ſanguiſque menſtruus omnis in fœtus incrementum & nutritionem conſumi debet. Si fœtus incrementum tantum circiter conſumit de naturali ſanguinis abundantia, quantum in naturali menſtruatione evacuari ſolet, fœmina gravida æque ſana vivere poteſt, quam non gravida; ſi vero conſumtio confectoni ſit impar, talis fœmina ex æquilibrio deſtructo in morbos vel ex defectu vel abundantia ſanguinis incidere poteſt, quod Medici gravidarum curam gerentes ſedulo obſervare debent, ne præpoſtere addant vel detrahant ad præveniendos vel curandos prægnantium morbos. Regula autem aliqua generalis ex quantitate purgationis menſtruæ utcunque deſumi poteſt. Quæ enim fœmina parce purgatur, ex defectu ſanguinis ſolet abortire; quæ autem copioſos ſolet habere Menſes, frequentius per abundantiam profudit fœtum immaturum.

Qui morbi & cauſæ exigunt purgationem in gravidis?

III. Verbum Φαρμακεύειν multiplicem ſignificationem habens hoc loco ſolummodo indicat ex Galeni ſententia, cui hac in re maxima habenda eſt fides, purgationem per alvum: quare duntaxat examinaturi ſumus, qui morbi vel cauſæ in gravidis exigunt Purgationem. Etiamſi hoc loco non monet, Prægnantes non eſſe purgandas, plane tamen ex hac prolata ſententia colligi poteſt, cum moneat, purgandas non eſſe, niſi materia turgeat, quaſi diceret, tuto poſſumus quoſvis homines ſanos purgare, nihil inde periculi

culi exſpectandum; fœminam autem gravidam & ſanam non licet purgare, niſi materia turgeat: atque in aliis hominibus morbo correptis levi ex indicatione propinamus purgans, at in gravidis tantum, ſi materia turgeat. Hæc autem ſententia experimentis & rationibus adſtrui poteſt, quum prægnans ſana & morbo correpta a purgante forti dato facile abortiat: atque purgans concitando motum in inteſtinis verſus anum, ſæpe adjacentem uterum in conſenſum trahens fœtum elidit præmature. Hoc autem magis a Veterum pharmacis quam hodiernorum erat exſpectandum, quibus Elaterium, Scammonium, Helleborus, Colocynthis, Granum Gnidium, aliaque validiora erant in uſu, dum vero hodie Caſſia, Manna, Rhabarbaro, Senna, aliiſque mitioribus vel in párva doſi datis alvum laxare conamur. Neque mitiora in Gravidis ſanis conducunt, quoniam ſine urgente neceſſitate non ſit ſubeundum periculum: ſed ſi alvi ductionis urgeat indicatio, hæc mitiora præ draſticis ſunt eligenda. Indicatio urgens ſecundum Auctorem eſt, ſi *Turgeat.* Turgeſcentia refertur vel ad copiam majorem humorum vel ad impetum verſus aliquam partem. At nullam in his invenio indicationem in gravidis alvi ductionem ſuadentem praeter contentorum in inteſtinis abundantiam. Si enim ſanguinis adſit abundantia retentis menſtruis, levi purgante dato, quo magis determinatur ſanguis turgens ad uteri vaſa, extrudetur fœtus depulſa placenta ab adhaerente utero. Gravidae autem morbo acuto laboranti cum aucta circulatione, ſi ille impetus per purgans determinetur magis ad alvum, facile fiet abortus. His autem in morbis tam ex turgeſcentia quam impetu majore conduceret ſanguinis miſſio, quæ minuendo copiam & orgaſmum humorum præveniret Abortum. Si ergo liceret contra Galenum alioſque Interpretes per φαρμακεύειν intelligere ſanguinis miſſionem, appoſita eſſet Medicatio gravidarum, ſi materia turgeat; ſed ſi notare debeat Alvi ductionem, nemini ſuaderem in gravidis hanc regulam practicam imitari.

Quando purgandum ſeu potius ſanguis mittendus in gravidis?

IV. Quoniam demonſtravimus tam in gravida ſana quam morbo correpta non conducere Alvi ductionem ad minuendam ſanguinis turgeſcentiam, fruſtra eſſet hoc loco perſequi tempus geſtationis, quo magis minuſque conveniret purgans: hujus itaque loco ſubſtituemus ſanguinis Miſſionem, quæ Medicatio in juniori & ſeniori fœtu eſt omittenda. Primis menſibus ſi concepit fœmina, ex menſtruo ſanguine retento non tanta timenda eſt turgeſcentia, quæ urgeret ſanguinis miſſionem; progreſſu autem temporis creſcente embryo in fœtum grandiorem, quibuſdam gravidis, quibus menſes ſolent eſſe copioſiores, generatur ſanguinis tanta turgeſcentia, cum increſcens fœtus omnem ſanguinis copiam inſumere nequeat, ut inter quartum & ſeptimum menſem geſtationis abortus fiat, quia vaſa uterina tanta copia ſanguinis turgeſcentia detrudunt adhærentem placentam. Grandiore autem facto fœtu plus nutrimenti capax facile poteſt id, quod fœmina naturaliter abundans in ſuo corpore conficit, in incrementum ſui auferre, ut inde nulla tunc remaneat indicatio minuendi ſanguinis copiam per ſanguinis miſſionem. Contra hanc autem rationem his temporibus experior, invaluiſſe quibuſdam conſuetudinem mittendi ſanguinem ultimis geſtationis menſibus & inſtante partu, proferentibus, venæ ſectionem facilitare partum. An recte vel ſecus faciant, ex allata ratione facile erit diſcernere.

LIB. IV. APH. 11.

112. *IN purgationibus talia e corpore ſunt ducenda, qualia etiam ſponte prodeuntia utilia ſunt: contrario autem modo prodeuntia, ſiſtenda.*

I.

Evacuationis neceſſitas.

NOſtrum corpus ea eſt lege creatum, ut actione vitæ continuo ſe ipſum deſtruat, mutando humores in liquamen inutile, parteſque firmas deterat: eadem

dem autem actione ex assumtis alimentis bonos conficit humores & resarcit firmas partes, ut maneat vita in longum tempus; sensim vero magis debilitata hac actione morte senili perit inevitabili lege. Corpus igitur perfecte sanum ex bonis tandem in se colligit inutiles humores, parteſque firmas abrasas, quæ si non eliminantur, statim aliquo ex retentis corripitur morbo. Neque ita valens est nostri corporis actio, ut quævis alimentorum nomine ingesta in bonum & alibilem succum possit commutare, sed quæ restitant, non subigenda & commutanda, si retinentur, sui generis itidem morbos inferunt. His solis ex rebus si generarentur morbi, omnes facile in duo genera potuissent discerni; quorum unum genus complecteretur morbos ex retenta materia inutili, alterum quod permitteret bonos evacuari. Præter hæc autem duo infinita est morborum series alia, cum corpus nostrum injuriis externis expositum vario modo affici possit, humoresque vel nimis moti, vel minus agitati, aut stagnantes in variam alienam convertantur naturam. Ita mutatus a sano statu liquor interdum cum levamine, interdum cum detrimento evacuatur: hæc dicitur symptomatica, illa critica, cujus diversitatis cognitio sola observatione practica detegitur. Ut si pus modica copia emittatur, evacuatio dicitur critica; Putridum autem exeuns, vel evacuatio quævis immodica, sola observatione practica æstimanda, vocatur symptomatica evacuatio, cum detrimentum adferat. Unde intelligitur in materiæ morbosæ evacuatione, eam solam esse bonam, quæ modicam quantitatem materiæ, evacuationi adaptatam educit (*Aph.* 21, 11); Evacuationem vero copiosiorem, & crudorum, & corruptorum (*Aph.* 22, VII.) esse symptomaticam.

Qualia purgantibus evacuanda.

II. Evacuatio autem est duplex, generalis scilicet & particularis. De generali satis egimus passim; hoc loco de particulari evacuatione per alvum est agendum. Ut de hac speciali evacuatione stabilis & firma habeatur doctrina, animadvertendum est, Intestina nobis esse data ad alimentorum confectionem, quod confectum per vasa lactea

ceteraque abſorbentia conceditur corporis nutritioni, huc quoque ad eundem ſcopum multi confluunt humores. Quod autem confici non poteſt, & qui confluentes ſucci præparando inutiles fuere facti, ſenſim ad anum devolvuntur & exonerantur: unde non inepte alvus a veteribus habetur emunctorium primæ coctionis. Nullibi autem vel in ventriculo vel toto inteſtinorum tractu invenio organum depuratorium totius maſſæ circulantis, ſed multa, quæ ſecernunt bonos humores ad chyli confectionem deſtinatos, vel quæ inteſtina munire debent, ne ab alienis afficiantur, qualia multa ad inteſtinorum finem mucum oblinientem ſecernendum deſtinata. Tria igitur præcipue genera inutilium vel malorum humorum hac via evacuari poſſunt; (1) Naturalia aſſumtorum recrementa & inutiles hic agendo facti humores; (2) Humores hic confluentes morboſi, & aſſumta corrupta, quæ cacochylia vel cacochymia vocari poteſt; (3) Humores boni in generali abundantia hic copioſius depoſiti & evacuati. Cuncta haec vel ſponte, id eſt ipſa corporis actione, vel medicamenti auxilio eliminantur. De Purgantibus itaque hoc loco Auctor præcipit talia ducenda eſſe, qualia etiam ſponte prodeuntia utilia ſunt (*Aph.* 23, IV) (*Aph.* 25, II) id eſt, quae evacuanda ſunt, ut ſanitas conſervetur, vel amiſſa reſtituatur, nam quae utilia ſunt nutritioni, ſi evacuarentur per alvum, ratione evacuationis dicerentur inutilia & cruda. Ducenda ergo ſunt purgantibus recrementa chylificationis, ſi in inteſtinis reſtitent, quod ex alvo tardiore facile innoteſcit, & facili alvi ductione obtineri poſſit. Ducenda quoque cacochylia in inteſtinis collecta, quae ſaepe praegredientem praeparationem exigit & fortiorem alvi ductionem. Humorum abundantia hac quoque aucta evacuatione cum levamine poteſt minui, cum alvi fluxus in abundantia veniens ſæpe curationem attulit. Quid autem ſit ſentiendum de evacuatione materiæ morboſæ toti maſſæ miſtæ, ambigo. Omnes fere contendunt, corpus optime depurari alvi ductione, ita ut propterea tale medicamenti genus dicatur Purgans: ſed quando morbi quædam materia bonis

mi-

miſta ſit, nemo valet medicamentis facere depurationem, ſed exigit organum ſecernens (*Aph.* 21, IV), quod ſegregat, dum tranſmittit humores, malum a bono, unamque ſpeciem humoris ab alia, ut ſupra quoque notavimus (*Aph.* 21, III). Adeoque ſi morbi quædam materia eſt in corpore, nemo valet ex theoreticis definire, quali organo morboſum ſegregari poſſit, num valeamus detectam morbi materiem ducere per alvum: ſed obſervationes practicæ in variis morbis ſunt conſulendæ, qualiſnam materia ſponte & critice per alvum fuit exonerata, qualia multa exempla ex Practicis collegimus in *Comp.* T. 90.

III. Alvi fluxum interdum promovendum eſſe, interdum ſiſtendum, ſupra (*Aph.* 2, XIV) indicavimus. Hoc autem loco dicit Hipp: ſi alvus reddat talia, quæ ſponte prodeuntia utilia ſunt, talis alvi egeſtio eſt ſiſtenda. Deſumit igitur indicationem ducendi vel ſiſtendi alvum ex ſpontanea evacuatione. Vix dici poteſt non ſolum in Alvi ductione, ſed & in omni molienda evacuatione, quantum juvet imitari naturam: ſi enim vires valent morbi materiem ducere, ad organum opportunum ſolent ferre quod valet morboſum ſecernere a bono & utili, atque deinceps evacuare. quæ tunc evacuatio minuit morbum & erigit vires: ſed ſi ex viribus deficientibus morbi materia decumbit in aliquam partem, ibique evacuatur, neque levat ex ratione morbum, neque permittenda talis eſt evacuatio, ſive fiat natura ſive arte, nam qualia purgari oportet, purgentur (*Aph.* 25. II); ſi vero contraria, non confert, ſed ſiſtenda eſt talis evacuatio, ne majus damnum inferat.

Quinam alvi fluxus ſiſtendus?

LIB. IV. APH. III.

113. *SI quidem, qualia purgari oportet, purgentur, confert & facile ferunt: contraria vero, difficulter.*

I.

EAdem verba ſuperius (*Aph.* 25,) & fere eadem ſententia (*Aph.* 2) recenſita invenietur, ut non opus ſit eundem repetere ſermonem. Hoc autem loco ab Hipp. adducitur, ut inculcet ea, quæ a natura cum levamine ſolent evacuari, non eſſe relinquenda, ſi natura ſponte non moliatur evacuationem: & ut ſiſtamus ſpontaneam evacuationem, quæ detrimentum adferre ſolet.

LIB. IV. APH. IV.

114. *PUrgandum, æſtate quidem, magis ſuperiores ventres: Hyeme vero, inferiores.*

I.

PEr φαρμακεύειν hoc loco intelligendum eſſe Vomitorii & purgantis exhibitionem, plane ex ſequentibus conſtat, quoniam utilitatem utriuſque in ſequentibus perſequitur. Senſus igitur hujus Aph. eſt, Æſtate magis, id eſt, non ſemper adhibenda eſſe Vomitoria; Hyeme vero purgantia per alvum. An vero hæc ſententia obſervatione practica & ratione ſit fundata, ſedulo eſt indagandum, ne junior medicus auctoritate Graviſſimi auctoris alicujus quidquam faciat, quod ægris obeſſe poſſit.

An magis Æſtate vomendum?

II. An Hipp. in hoc loco intelligat dimidiam partem anni, uti ſupra (*Aph.* 81, 1) an vero unam quartam ſolam

lam partem non consentiunt Commentatores. Hoc autem certum est, modicam temporis portionem inter utraque solstitia accipiendam esse, in qua major est aëris caliditas. In hac calidiore aëris constitutione magis conducere dicit Vomitorium. Hoc autem constare debet (1) quod natura hoc tempore sæpe soleat vomitum cum levamine proritare, ut firmetur sententia superior (*Aph.* 112): (2) quod æstate plures generentur morbi vomitu tollendi: (3) quod sit ex ratione, ut æstate aliquis sæpe vomat. At invenio Vomitum æstate obortum (*Aph.* 100, IV) inter morbos numerari, quare vomitus sponte obortus non potest indicare vomitorium, quod feciſſet, si vomitus æstate ortus tolleret morbum æstivum. Num plures frequentioresve generentur morbi Æstate, quam Hyeme vomitorio curandi, facile constare potest ex comparatione morborum æstivorum (*Aph.* 100,) ad Hyemales (*Aph.* 102.) Generales Æstate morbi sunt Inflammatorii, Bilioſi & Putridi; ex quibus soli Bilioſi Vomitoriis interdum tolluntur, sed Inflammatorii & Putridi intenduntur. Hyemales autem multi sunt Pituitoſi & Catarrhoſi, qui vomitoriis magis auscultant, quamobrem ex hac quoque ratione non invenio Æstate magis Vomitorium esse propinandum. Tandem Ratio hoc tempore suadere debet Vomitorium, ut præveniatur morbus æstivus. Aëris æstivi major caliditas & siccitas auget insensibilem perspirationem, humoresque in citam putredinem disponit: sed largior perspiratio non est minuenda vomitoriis, imo putrefacti exhalatio si derivetur ad ventriculum, multorum morborum est causa. Atque corpora calore dissoluta si Vomitorio urgentur, facile in ruptionem vasorum per vehementem vomitorii actionem incidunt, dum solum putrefactum in cavo ventriculi hærens & forsan vesicula fellea vomitu elici possit, relicto corrupto in reliquo corpore. Ex quibus omnibus liquet, Æstatem non indicare Vomitorium. Quod autem homines intemperantius Æstate viventes magis quam hyeme egeant Vomitorio, quod sarcinam collectam exonerat, hoc non propter

pter æſtatem, ſed propter intemperantiam indicatur, quæ etiam aliis anni temporibus committi poteſt.

An Hyeme alvus ducenda.

III. Ut diſcernatur, num alvus hyeme ſit ducenda nec non (1) videndum eſt in ſanis num alvi fluxus præveniat morbos. Si quis hyeme in alvi profluvium ceteroquin ſanus incidit, nimis ſentiet ſuum corpus debilitatum & refrigeratum; Vere autem & prima æſtate, quando ſuperveniens calor ferre nequit ſolitum pondus humorum, cum euphoria alvi fluxus obortus fuit; quamobrem non habemus præeuntem naturam per ſpontaneam evacuationem (*Aph.* 112). Si vero ex materia morbi hyeme concitetur alvi fluxus levamen adferens, id omni tempore bonum eſt, & talis evacuatio non ratione temporis ſed materiæ eſt imitanda. (2) Morbi Hyeme frequentiſſimi ſunt, qui oriuntur ex prohibita perſpiratione: eam autem materiem per alvum ducere fruſtra conamur, conducit eandem augere excretionem, ex cujus diminutione morbi fuere nati (*Aph.* 2, XII. & *Aph.* 21, IV). (3) Neque ex ratione eſt, ut aliquis habeat Hyeme alvum laxiorem, cum Hyeme homines habeant Ventres calidiſſimos (*Aph.* 15, II) facileque ferant alimenta (*Aph.* 18, IV) ſed laborent frequentiſſime morbis ex prohibita perſpiratione: unde regulariter non debet fieri alvi fluxus, quin ſit indicium, viſcera ventris eſſe labefactata & materiem perſpirabilem minus evacuatam, ut inde ſymptomaticus, minime autem criticus fiat alvi fluxus.

LIB. IV. APH. V.

115. *Sub cane & ante canem difficiles ſunt purgationes.*

I.

HOc in Aph. ſatagit Hipp: demonſtrare, quonam anni tempore moleſtiores ſunt medicationes, id eſt alvi ductio & vomitus, cui quidam addunt ſanguinis miſ-

miſſionem: ſed quoniam Auctor in his Aphoriſmis præcipue agat de vomitorio & purgante, hæc genera medicationis hoc loco perſequemur. Primo difficiles eſſe dicit, quare non interdicit horum uſum in morbis, ſed ſolummodo indicat, ſanos hoc tempore ad præveniendos morbos non debere aſſumere vel purgans vel vomitorium: ſi vero aliquis hoc tempore aliquo laboraret morbo purgans indicante, hoc tempus non vetat purgantis uſum.

Quod tempus anni hic intelligitur.

II. Anxie admodum multi inquirunt hoc tempus, qui ex aſtrorum imperio quærunt medicationes, mihi autem videtur, noſtrum Auctorem adduxiſſe ſtellarum nomina, ut certum præberet anni tempus, quod hodie in Calendario correcto incipit XXII Julii, & terminatur XXIII Auguſti, ſed quoniam Dies Caniculares circa X Julii incipiebant annumerare, & Auctor addit *Ante Canem*, ſine multo errore hoc tempus accipi poteſt ab initio Julii fere ad finem Auguſti, quo anni tempore maxime urget aëris calor.

Cur ſub cane & ante canem difficiles purgationes?

III. Qui ſtellarum imperio multum tribuunt, reſponderent, a Canis ortu corpora ita debilitari, ut non facile ferant purgantia vel vomitoria, huncque aphoriſmum adducunt ad ſtellarum imperium probandum: ſed quoniam cuncta hæc hypotheſin ſapiunt, nulliſque experimentis firmata, nulla huic doctrinæ poteſt eſſe fides. Quod autem hoc anni tempore quædam fiant, id non propterea tribuendum Canis imperio, ſed quoniam hoc tempore maximus regnat cœli ardor, huic cauſæ cognitæ majori jure tribui poteſt damnum purgantium & vomitoriorum. Obſervavimus cum Hipp. (*Aph.* 100) Æſtate frequentiſſimos morbos eſſe putridos, fieri Vomitum & Alvi fluxum, hos autem præcipue generari Diebus Canicularibus hodierna quoque experimenta firmant. Quum igitur hæ evacuationes ſint ſymptomaticæ, licitum non erit contra regulam generalem (*Aph.* 112) alvum vel vomitum concitare, quoniam hac via non valemus depurare putrefactum a ſanis, imo ſi putrefactum ſit in corpore, ſollicitatis his emunctoriis non raro humores liquefacti tanta copia confluunt, ut eam ſymp-

tomaticam evacuationem non amplius ſit in medici poteſtate compeſcere.

LIB. IV. APH. VI.

116. *GRaciles, & facile vomentes, ſurſum purgandi, vitantes hyemem.*

I.

Vomitoria veteribus in frequentiori uſu.

SUrſum purgare hoc loco idem ſignificare quam exhibitionem Vomitorii, clare patet, quoniam adducit facile vomentes, quibus non magis quam aliis prodeſſent expectorantia. Hippocratis tempore vomitoria in frequenti uſu eſſe, tam in ſanis hominibus quam ægrotantibus, ex ejus ſcriptis facile colligi poteſt: an vero bene fecerit vel male, non eſt hujus loci agitare. Hoc autem obſervamus a prudentioribus Medicis, & qui perpendunt vomitum non eſſe evacuationem naturalem, atque ventriculum non eſſe organum excernens, ſed recipiens & præparans, vomitorium propter ſummam efficaciam & virulentiam non niſi urgente neceſſitate præſcribi (Vid. *Comp.* T. 89.)

In gracilibus & facile vomentibus.

II. Ne autem vomitorii frequentior uſus inferret damnum, præcipit Auctor in iſtis ſanis, qui facile vomunt, & qui ſunt Graciles (*Aph.* 69, 11) vomitorium exhibendum ex levi indicatione, quum facile Vomentes per minimam doſin vomere poſſint, natura quoque aſſueta ſit ſe hac via liberare. Addit inſuper Graciles, primo quoniam hi minus incidunt in vaſorum ruptionem per violentam vomitus actionem: & quoniam exiſtimant, iſtos bilis abundantia ſæpius laborare, quæ hac via facillime exonerari poteſt. Ego autem a vehementiſſimo hoc Medicamento abſtinendum eſſe exiſtimo, niſi urgeret vomendi indicatio. Vid. *Comp.* T. 89, LII.

Hyeme ma-

III. Quoniam Hyeme vetat ex levi indicatione Vomito-

rii

rii exhibitionem, non ſine ratione aliquis concluderet, Æſtate tutum eſſe vomitorium exhibere, quod ulterius deduci poteſt ex ſuperius dictis *Purgandum eſſe æſtate magis ſuperiores ventres:* ſed quoniam hæc ſententia a nobis (*Aph.* 114, 11) eſt denegata, non erit opus eandem hic repetere. Si autem vomendi indicatio urget, an non minus hyeme quam æſtate Vomitorium exhibendum, aliquis quærere poteſt. Quoniam Hyeme corpora facilius ferunt alimenta (*Aph.* 18, IV) Æſtate autem difficilius (*Aph.* 18, II) frequentior generatur Vomitorii indicatio æſtate, quod cacochyliam collectam exonerat e ventriculo. Atque Hyeme homines ſæpius laborant prohibita perſpiratione, quod perſpirabile retentum non eſt verſus ventriculum alliciendum, ſed ad ſolitum organum reducendum: Æſtate autem cum largior fiat difflatio, frequentior vero cacochyliæ collectio, ſæpius bona vomendi indicatio urget; ut inde ſæpius æſtate quam hyeme profuerit vomitus.

Æſtatis vitandum vomitorium.

LIB. IV. APH. VII.

117. *Difficulter autem vomentes, & mediocriter carnoſi, deorſum, vitantes Æſtatem.*

I.

UT in ſuperiore Aphoriſmo deſumſit indicationes propinandi vomitorium ex corporis habitu & anni tempore, idem quoque aſſequitur hoc loco ad propinandum purgans. Propterea ſtatuit, ex levi indicatione vel ad conſervandam ſanitatem conducere mediocriter carnoſis ducere alvum omni anni tempore, excepta æſtate. Videndum igitur cur hoc ægre vomentibus & mediocriter craſſis conceditur, & cur æſtate præprimis interdicatur.

II. Sorditates primarum viarum vel per Vomitum vel per alvum duntaxat emitti poſſunt, hæ igitur ſi abundant vel

Cur ægre vomentibus conceditur purgans?

vel purgans vel vomitorium eſt propinandum, hoc autem præcipue ventriculum ductumque choledochum exantlat, illud autem naturali ſed majore motu concitato cuncta aliena præcipue inteſtinis contenta emungit. Si igitur vomendi & purgandi valet indicatio, præcipit Alvum ducendam eſſe in Difficulter vomentibus, id eſt in iis, qui non niſi magna doſi vomitorii in vomitum adigi poſſunt, vel qui dum vomunt, admodum torquentur, multamque inde percipiunt moleſtiam, quales ſunt δυσημέοι: quippe per utramque viam poteſt fieri evacuatio, quæ igitur facillime exonerat, illa eſt ſollicitanda, quaſi natura monſtraret viam. An vero nulla egente indicatione alvus ſit ducenda, ut quibuſdam placet ad conſervandam ſanitatem, his aſſentiri nequeo, cum a nobis ſupra (*Aph.* 3) ſatis diſputatum ſit corpus ſanum nulla egere medicina.

Cur mediocriter carnoſis purgans dandum?

III. Corpora ſana in tria genera diſtinguuntur ratione molis, in gracilia, de quibus egimus, obeſa, & mediocriter carnoſa. In ultimis his, quorum corpora neque multitudine carnis nimis ſunt expanſa, in quibus admodum periculoſa ſunt vomitoria, neque propter gracilitatem defectu humorum laborant: his, inquit, admodum conducit ex levi indicatione alvum ducere. Talia mediocria corpora poſſunt quævis genera Medicamentorum facilius ferre, cum ſoleant eſſe robuſtiſſima, quare ſi minima valet alvi exonerandi indicatio, ſine periculo propinari poteſt purgans. ſed ſi perfecta ſanitate fruantur, nemini eſſem auctor, purgantibus fatigare corpus ſanum.

Cur æſtate purgans evitandum?

IV. Quod antea obſervatum fuit de vomitoriis & purgantibus in diebus canicularibus (*Aph.* 115, 111) ſine multa mutatione hic conferri poteſt: aſſignatum enim tempus maximam æſtatis partem conficit, quare adductæ rationes, quæ generaliter omnem evacuationem abrogant, ad hunc locum referri poſſunt.

LIB. IV. APH. VIII.

118. *Tabidi vero, vitantes purgationes ſurſum.*

I.

UTitur Auctor vocabulo, quod denotat hominem phthiſi correptum, & diſpoſitionem ad phthiſin habentem: inde vetat vomitorium in utriſque. Si igitur effectus vomitoriorum comparentur utriſque, facile patere poteſt, Hippocratem veritatem dixiſſe.

Vomitorii generales effectus.

II. Vomitoriorum generalis effectus ad tria genera referri poſſunt (*Comp.* T. 89, LI.) (1) ad evacuationem ex primis viis, ſed præcipue ventriculi: (2) Evacuationem totius maſſæ, quod difficile fit, quoniam ventriculus non eſt organum ſecernens malum a bono, ſed conficiens: (3) Motum majorem. Inde conſtat morbis ex abundantia in primis viis opitulari vomitoria, quæ valida concuſſione egent; ceteris autem inferre damnum, dum evacuant, quod erat retinendum, & movent, dum erat quieſcendum.

Vomitorium nocet phthiſi confirmatæ.

III. Qui dictos effectus vomitorii conferat cum variis ſpeciebus Phthiſis (*Aph.* 89.) non difficile huic erit perpendere, quam præpoſtere agunt, qui phthiſicis præbent Vomitoria. Nam Tabes Purulenta ſive pus alicubi in corpore ſive in pulmonibus habeat originem, cum levamine nunquam vomitu poteſt rejici. Ut enim pus ſanguini miſtum ſegregetur, requiritur organum, quod creatum eſt ad alienorum ſecretionem a bona maſſa, ſeu organum excretorium, uti renes: non eſt enim in Medici poteſtate aliquod excernens fingere organum, quod non prius exiſtat. Quod ſi hoc deficeret creatum organum, fruſtra laboraret Medicus omnibus ſuis auxiliis facere urinæ ſecretionem a communi maſſa, ſed valet Medicamentis aliquam augere vel minuere excretionem. Cum vero naturalis ventriculi actio ſit ſecernere ſalivoſum humorem, huc uſque non conſtitit

ſtitit Medicum ventriculi actionem ita invertere potuiſſe, ut ſecernat, relicto bono ſanguine, pus a communi maſſa. Si autem per Vomitum reddatur pus, ut interdum obſervatur, id confectum fuit in ipſo ventriculo, vel eo per patentes vias fuit delatum, aut ſi ex communi maſſa veniat non per modum ſecretionis, quod fieri debet, ſed colliquationis una cum reliquis humoribus bonis huc confluit & deponitur, quando nunquam infert levamen, aut depurationem, ſed debilitatem virium. Neque ulla per anatomiam vel praxim fuit detecta via ex pulmonibus in ventriculum, qua cum levamine fuit evacuatum pus, ſed pus natum in pulmonibus rejectum fuit expectorando, aut ſecretum a ſanguine per renes, & ita evacuatum. Imo in omnibus morbis purulentis, præcipue ſi pulmo ulcere ſit infectus, non erit licitum tam validam concitare actionem, qualem concitat vomitorium, cum vaſa ſemi lacerata ab ulcere, facile violenti concuſſione vomitorii diſrumpi poſſunt. Neque tutum erit in Tabe Catarrhoſa (*Aph.* 89, IV) dare Vomitorium; hæc enim corpora debilia non ferunt violentam Vomitorii actionem; neque valemus materiem catarrhoſam vomitu reddere; potius autem ventriculum antea liberum catarrhorum collectioni exponemus, quæ materia ducenda erat per cutis ſpiracula. In Tabe colliquativa (*Aph.* 89, V.) ſummo cum periculo ducitur colliquatus humor ad ventriculum vel inteſtina, ſemel enim ſi talis reſerata ſit via, non erit amplius in Medici poteſtate, eum ſiſtere humorum confluxum. Recte igitur Auctor præcipit, Vomitorium in Tabe confirmata eſſe vitandum.

Atque phthiſi inſtante.

IV. Ut Junior Medicus intelligat, qualia ſigna Phthiſin præſagiunt, quibus apparentibus non licet propinare Vomitorium, præcipua ex iis hoc loco ſunt recenſenda. (1) Ex phthiſicis nati ſæpe ſi ad juventutem veniunt, in eundem morbum, etiamſi temperate vivunt, incidere ſolent, qualis phthiſis vocatur hæreditaria vix ullam capiens medelam, cum medicina non valeat naturalem habitum immutare. Videntur his hominibus cruenta pulmonum vaſa

tam

tam tenera, ut ſi in juventute generetur ſanguinis abundantia & motus major, facile rumpantur: caute itaque hi homines ſunt tractandi, ne violentioribus, uti ſunt Vomitoria, in ſanguinis ſputum & dein Phthiſin per noſtram præpoſteram curationem incidant. (2) Ex habitu etiam phthiſin præſagire valemus, qui indicat pulmones pro mole corporis eſſe parvos, atque aëris exitum per glottidem difficiliorem eſſe; ut inde tales homines in reſpirando & loquendo atque cantando ſuos pulmones magis afficiant: Quemadmodum gibboſi aliaque mala figura pectoris laborantes, aut quibus pectus eſt planum & anguſtum, minus ſpatium pulmonibus concedens: aut quibus eſt collum oblongum gracile, vox acuta gracilis, glottidis anguſtiam arguens. Hujuſmodi quoque homines frequentius in hæmoptyſin incidunt, quam alii. (3) Quibus autem latens eſt in pulmonibus vitium, quod facile in phthiſin degenerare poteſt, hi quoque caute tractandi, ne Vomitorii vehementia prompte in Phthiſin commutetur: hoc vitium latens vel ex generalibus ſignis, vei pulmonibus propriis conjicimus; uti habitus cachecticus, œdematoſus, calor hecticus in plantis pedum & volis manuum, inappetentia pertinax, non leve indicium præbent, pulmones affectos eſſe, præcipue ſi catarrhis ſæpe tentantur; magis autem firmatur judicium per ſigna pulmonibus magis propria, ut ſputa flava, pallida vel rufa, granuloſa, ſive amara, dulcia vel ſalſa ſint, multa phlegmatis viſcoſi matutina excretio, tuſſis frequens, anguſtia ſeu oppreſſio pectoris; maxime autem minatur Phthiſis, ſi ſemel tuſſiendo ex pulmonibus ſanguinem ejecerint. Quoniam Vomitorium nullam ex allatis cauſis tollere poteſt; & quoniam ſua agitatione non leve adfert periculum, optimo jure Auctor vetat in his omnibus Vomitorii uſum.

LIB. IV. APH. IX.

119. *Melancholicos autem, uberius deorsum purgabis. Eadem ratione contraria adhibens.*

I.

Sensus expositio.

PRior hujus Aphorismi pars ab omnibus bene concipitur, nisi quod ἀδροτέρως pro Vehemens, & ab aliis pro Plenius seu Uberius accipiatur, quod ex infra dicendis facile deduci poterit. Altera autem pars vel non attingitur, vel refertur ad alias evacuationes. De his verbis inquit Mercurialis, non est ita facile mentem Hippocratis ad ipsam verborum significationem accommodare. Ego autem existimo hujus sensum planum & simplicem esse Hippocratis brevitate dignum. Monet enim in parte priore, uberius alvum ducendam esse Melancholicis, sed quoniam omnia purgantia non sunt melanagoga, cum quædam potius Melancholiam, alia pituitam, alia lympham, vel bilem ducant, ex his monet talia esse purgantia propinanda, quæ causæ sunt contraria: hoc est eadem ratione contraria adhibens, quoniam scopus tibi est, monet, Melancholiam curare uberiore alvi ductione, ex eadem igitur ratione adhibenda sunt Medicamenta contraria causæ, quæ scilicet Melancholiam curant & evacuant sua specifica virtute.

Qui dicantur Melancholici.

II. Sensu duplici accipiuntur Melancholici, vel ex animi pathemate, ut exposuimus (*Aph.* 99, II.) vel ex materia, quam vocant Bilem atram. Hanc dixerunt veteres esse Nutritiam, Excrementitiam & Morbosam: alii autem distinguunt in Humorem Melancholicum, qui ipsis mitior est, & in Melancholiam ipsam. Si autem hunc Aphorismum conferamus præcedenti de Tabidis, videtur Auctor monere velle Melancholica materia laborantes, & quorum corpora sunt prona ad hujus morbi generationem, ut est temperamentum sic dictum Melancholicum, uberius purgan-

ganda esse. Ut autem paucis constet, qualis materia dicatur Melancholica, forsan dabitur opportunior locus deinceps de ea amplius differendi, pauca notare sufficiet, quo intelligi possit utiliter præscribi purgantia. (1) Si sanguis ipse privatur parte sua aquosa, ut inde reddatur spissior, ejusque pars oleosa aliquomodo corrumpatur, quæ unita copiosioribus partibus terrestribus, simul exhibet materiem lentam, tenacem & nigram. (2) Si sal ammoniacalis sanguini naturalis convertatur in salem austerum, multis sanguinis rubri colorem in nigrorem convertentem, præprimis si lenta simul accedat corruptela. (3) Bilis flava, privata suo sale alcalino saponaceo, lentescens & nigrum colorem induens, etiam generat Melancholiam, quæ dein corrupta pessimum genus Melancholiæ inducit, quando etiam dicitur turgens. Præter hæc etiam contendunt, formari ex Melancholia nutrititia compacta; ex Lentore morborum inflammatoriorum; imo ex Pituita vitria corrupta. Omnis autem materia ex quocunque humore nata dicitur veteribus Melancholia, quæ habet has notas; (1) Splendorem; (2) Nigredinem; (3) Tenacitatem, nisi sit soluta a superveniente corruptione; (4) Acrimoniam; (5) Majorem specificam gravitatem, quam in sanguine sano detegitur. Corpora igitur prona ad formationem hujus materiæ, vel quæ talem materiem continent, dicuntur Melancholica.

III. De alvum ducentibus satis fuse egimus (*Comp.* T. 90;) ea copiosiorem facere alvi egestionem, cuique notum est: cur autem ita extolluntur in Melancholicis, operæ pretium est rimari, comparando alvi copiosiorem egestionem cum loco & natura materiæ Melancholicæ. Duæ in materia sunt proprietates, quæ ex naturali lege circulationis faciunt eam præprimis colligi in vena portarum ante Hepar, Pondus scilicet majus cum adjuncta Tenacitate. Ponderosa autem præcipue deorsum ferri, ex fontibus salientibus, aliisque liquoribus fluentibus per canales quotidiana firmat observatio, & a nobis (*Tractatu de Secretione* §. XIII) demonstratum est. Quia vero omnes arteriæ sanguinem exonerantes in ramos

Cur Melancholici uberius purgandi?

venæ portæ ex trunco inferiore aortæ ducunt originem, ſi aliqua ſit in lege circulationis ſtatuenda gravitatis differentia, pars ponderoſior eo verſus præcipue ducetur. Hoc autem ſolum ſufficere non videtur, cum ad pedes æque quam chyli organa ſimilis ducatur ſanguis, verum conjuncta Tenacitas videtur hanc Melancholicam dein Materiem magis colligere in vena portarum: omnes enim reliquæ arteriæ ſe exonerant in venas ſeſe in cavam venam exonerantes, quæ valvulis inſtructa multum minuit reſiſtentiam fluxuro ſanguini per illas arterias, præcipue ſi motu muſculari agitentur. Sanguis vero in venam portarum delatus valvulis carentem, qui ſanguis iterum in hepate debet ſuperare anguſtias, exſtincto fere omni impetu a corde accepto, propellendus motu ſpeciali venæ portarum (*Mot. vit.* LVII.) tarde procedens, ex inſita tenacitate facile moram nectit in lata hac vena, non potens facile duci per hepar, ut veniat in cavam venam. Manens hic ultra conſuetum tempus a bona indole ſenſim magis degenerans, tandem quædam portio ſtagnando liquata & corrupta, ſanguini venæ cavæ tradita, circulantem maſſam inficit, quæ ſpecialis infectio Delirium melancholicum inducit, ut quæcunque ſpecialia inquinantia ſua propria ſymptomata producunt. Priuſquam igitur longiori mora hæc materia fuerit corrupta, ejus tentanda eſt evacuatio per eam viam, quam nobis demonſtravit natura ſalubrem fuiſſe: illa eſt vel per Hæmorrhoïdes vel alvi dejectionem, raro enim per urinam vel vomitum cum levamine hæc fuit evacuata materia. Quoniam vero non ita eſt in Medici poteſtate concitare hæmorrhoidum fluxum, quam ducere alvum, per hanc igitur viam tentanda eſt evacuatio, non unica vice dando purgans, ſed Uberius, id eſt aliquoties ducenda eſt alvus, ut continuata hac evacuatione auferatur ex vena portarum lenteſcens materia melancholica, quemadmodum non unica hæmorrhoïdum eruptione, ſed aliquoties repetita evacuatione ſanantur Melancholici. Summa hic videtur naſci difficultas, quum ad inteſtina nullum ſit organum ſecernens, quod

quod ſegregatam atram bilem deponere poſſit, unicum enim apertum eſt ductus choledochus, qui prope ventriculum ſe exonerat in duodenum, & propterea videretur atram bilem facilius per ventriculum quam inteſtina exantlari poſſe. Verum aliter cum ramis venæ portæ quam cavæ venæ eſt conſtitutum, illæ enim carentes valvulis oppoſito curſu a trunco ad ramos quoque derivare poſſunt ſanguinem, quoties in uno vel altero ramo tollitur ſuſtentaculum, quemadmodum experimur in hæmorrhoïdum fluxu. Credibile itaque mihi videtur, Hepar eſſe organum ſecernens bilem ab allato ſanguine, minime autem valere bilem atram ſeparare, quare ſi bilis atra turgeat, ducaturque per ductum choledochum in duodenum & ventriculum, tam dira excitat ſymptomata, & copioſas evacuationes ſine levamine. Quum vero radices venæ portæ ad inteſtina, uti fit in hæmorrhoidum fluxu circa podicem, dilatantur, ut ſanguinem atra bile infectum in inteſtina deponant, homo ſimili modo per alvi egeſtionem hujus materiæ liberari poteſt, ut alter hæmorrhoidum fluxu. Hic autem non deponitur ſecretus humor, uti fit, ſi pus renum actione ſegregatur a reliqua bona maſſa ſanguinis, ſed deponitur ſanguinis communis maſſa ex vena portarum: unde unica vice evacuari non poteſt, ſed repetitis evacuationibus ex vena portarum per dilatatas venas inteſtinorum, dum interim per arterias bonus ſanguis ex reliquo corpore ſuppeditetur venæ portarum. Sic tandem ſenſim evacuato ſanguine Melancholiâ infecto, ac accedente puro, qui in portarum vena remanet, magis purus fit, ut jam exigua Melancholiæ portio multitudine boni ſanguinis patiatur emendari. Ergo utile erit alvum ſervare laxiorem uberiori alvi ductione, ſed non expedit forte aliquod unica vice dare purgans. ut præcipit Noſter Senex. Hoc etiam faciendum videtur in Temperamento Melancholico, ſeu in quibus obſervatio Medica docuit facile generari Melancholiam, eſt enim in his curatio præſervatoria, qua primordia atræ bilis, quæ retenta lentiora facta, veram Melancholiam induxiſſent, hac via protinus eliminantur.

Eadem ratione contraria adhibens.

IV. Eadem ratione, inquit, contraria adhibens, monere volens medicum in ſolis Alvum ducentibus acquieſcere non debere, ut tantum det quodlibet purgans, ſed inſuper inculcet (1) alvum ducentia eligenda eſſe, quæ experientia docuit melancholiam præcipue evacuare, qualia hodie dicuntur Melanagoga. (2) Eadem etiam ratione contraria adhibenda in Temperamento melancholico, priuſquam morbus atrabilarius ſit natus. (3) Denique eadem ratione contraria, quæ generationem bilis atræ præveniunt, uti olera, reſolventia ſaponacea, corporis exercitium, animi hilaritas. (4) Ultimo, quæ melancholiæ collectæ reſolutionem promovent, ut ejus inde facilior fiat evacuatio. Tam multa præclara præcepta novit noſter Senex ſapientiſſimus medicorum paucis verbis complecti, ſed quod dolendum eſt, illa nimia brevitas non paucis ſummam paruit obſcuritatem, non niſi verſatiſſimo in praxi medica diſcutiendam. Qui autem cuncta præcepta ſedulo & mente attenta rimatur, eaque cum hodiernis obſervatis practicis conferat, noviſque detectis in anatomicis, in magnitudine ingenii quaſi divini hujus Senis abripitur, qui iſtis temporibus potuit tam ſolidos & inconcuſſos canones practicos condere, ut nullus poſterum eum imitari, multo minus ſuperare potuerit. Imo ſi Galenum magnum illum medicum, atque Celſum huic comparo, vix puer magis a viro diſtabit. Unumquemque igitur allicere debent hujus viri dicta. Sincere fateor, quo noſtri ſenis obſervata magis pervolvo, eo me magis inſtigant, atque placent, quod etiam aliis medicis placebunt, modo non obſit nimia brevitas & inde nata obſcuritas, confido.

LIB. IV. APH. X.

120. *PUrgandum in valde acutis, ſi turgeat materia, eadem die: morari enim in talibus malum eſt.*

I.

QUi ſint Morbi acuti, ex ſuperius dictis (*Aph.* 7, II & *Aph.* 24, III) facile colligi poteſt. De his monuit (*Aph.* 24,) *in Acutis raro, & in principiis purgante utendum.* Atque (*Aph.* 22.) *Concocta purgare & movere oportet, non cruda, neque in principiis, niſi turgeant. Plurima vero non turgent.* Quæ omnia ſibi invicem collata multis magnam præbuerunt difficultatem. Ego autem exiſtimo per hunc Aphoriſmum præcedentes ſententias firmari. Quippe in hoc loco præcipit purgans ſub quadam conditione, ſi ſcilicet materia turgeat, quæ adjecta admonitione indicare voluit regulariter in principio Acutorum non eſſe purgandum, quod etiam demonſtravimus (*Aph.* 24, V). Si vero turgeat, illa turgeſcentia detrahit generalem regulam, & indicat plane in principio invaſionis, eadem ſcilicet die purgans exhibendum eſſe, & ac ſi illa admonitio non ſufficeret, addit, *morari enim in talibus, malum eſt.* Non quod omiſſo purgante mors eſſet exſpectanda, ſed quod morbus acutus invadens cum turgeſcentia materiæ, ſi non liberetur per purgans plane in principio datum, plures labores majuſque periculum facere ſoleat.

Quando in valde acutis eadem die purgandum?

II. Turgens humor vel materia, ſpecies eſt abundantiæ & plethoræ, ab ea tamen quibuſdam in rebus diſtat: nam non ſolum per ὀργάω denotare vult Auctor majorem humoris copiam in corpore, quam requiritur ad ejus uſum neceſſarium, vel qui ſua multitudine opprimens ſæpe inormem facit evacuationem, aut depoſitionem in aliquam partem debilitatam; inde Lymphæ abundantia in hydropicis non turget, neque pituita in parte œdematoſa turgere dicitur; neque copioſior alvi evacuatio vel urinæ aut ſudoris

Si turgeat.

doris profluvium cum corporis refrigeratione, etiamſi multus humor ſit in corpore, ex Turgeſcentia deducitur: ſi vero cum aucto motu vitali, caloreque corporis, per vires incitatas humores ejiciuntur, ut ſeminis evacuatio in juvenibus poſt longam abſtinentiam a coitu, tales evacuationes ex Turgeſcentia fieri dicuntur; atque hi humores ante evacuationem dicuntur Turgere. Ergo ut Turgeſcentia adſit, duo requiruntur (1) copia humorum major, (2) organum eum humorem continens validum & inſtigatum, ut conetur contentum ejicere: quare mediocris copia, modo inſtigantur vires moventes, in Turgeſcentiam commutatur, ut illi, qui ſani mediocrem ſanguinis quantitatem habebant, febre acuta correpti, dicuntur orgaſmo humorum affecti, quando in iis exſpectamus ſalubrem hæmorrhagiam, vel imperamus ſanguinis ductionem. Superius autem Auctor (*Aph.* 22, IX) dixerat, movendum & Evacuandum eſſe ſi turgeat, tanquam eſſet regula generalis in omni Orgaſmo; hic autem præcipit Purgandum in valde acutis ſi materia turgeat, ſi hoc loco cujuſcumque humoris Turgeſcentia accipiatur, præpoſtera in acutis ex dato purgante fieret curatio. Quando enim Turgeſcentia præſagiens largam hæmorrhagiam, vel materia critica diſpoſita ad ſudorem turgeat, ſi daretur purgans, perverteretur ſalubris hæc inſtans evacuatio, & ita perverſa medelâ æger conduceretur in diſcrimen vitæ, ducta materia critica ad inteſtina, ubi evacuari non poteſt, cum locus debet eſſe conveniens evacuationi (*Aph.* 2, XII, *Aph.* 21, III & IV). Ex dictis plane conſtat, Hipp: intellexiſſe Turgeſcentiam in inteſtinis, vel partibus, quæ ſe per alvum exonerare poſſunt, ergo hoc loco intelligit cacochyliam in primis viis hærentem, motu inſtigato inteſtinorum agitatam. Quibus autem ſignis junior medicus hanc turgeſcentiam dignoſcere poſſit, alio opportuniore loco exponetur. Secundum Auctoris ſententiam ſi concipiamus majorem bonorum vel morboſorum copiam circa inteſtina, quam poteſt æger febre acuta correptus ſine damno ferre, bina inde mala naſcuntur, preſſus enim eſt morbo, atque inſuper premitur multitudine

titudine materiæ conaturque actio vitæ ſine ſucceſſu ſe ab eo onere liberare, ut inde vires perdat: ſed dum ita fruſtra molitur, qui antea benignus & mitis erat humor, continuata hac agitatione in corruptelam convertitur, ut nunc non ſolum vitiata quantitate opprimatur, ſed & accedente malignitate in pejorem redigatur ſtatum. Recte igitur præcipit, Morari enim in talibus malum eſt, nam cunctando amittit æger vires, & ſibi comparat humorem corruptum, quæ mala prævenirentur dato purgante eodem die invaſionis.

LIB. IV. APH. XI.

121. *Quibus tormina, & circa umbilicum dolores, & lumborum dolor, qui neque purgante, neque aliter ſolvitur, in hydropem ſiccum firmatur.*

I.

TOtus hic Aphoriſmus prognoſin exhibet Hydropis ſicci non ex rationibus deſumtam, ſed frequente obſervatione practica, nam non ita eſt hæc ſententia accipienda, ac ſi ſemper poſt dicta phænomena in ægris detecta, ſi non cedant purgantibus, vel alio modo ſolvantur, hydrops ſiccus eſſet exſpectandus; quum non raro in meis ægris obſervaverim, hujuſmodi tormina & dolores perſeverantes ægros ſine tympanitide ad mortem uſque concomitari: ſed in quibuſdam tamen ante mortem generabatur hydrops ſiccus. Itaque operæ pretium erit rimari cauſas, hæc phænomena inducentes, quæ tandem Tympanitidem inferunt.

II. Hipp. tribus utitur vocabulis σφόφοι, πόνοι, & ἄλγημα ad phænomena in ventre, circa umbilicum & in lumbis exprimenda, quæ omnia variam & interdum eandem rem deſignant, ſcilicet Dolorem, unde naſcitur in expoſitione

magna difficultas : nam aliud eſt phænomenon, ſi diceretur ventris ſeu inteſtinorum cruciatus, vel tormina, umbilici dolor, & lumborum affectus, quam ſi ſimpliciter diceretur Dolor harum trium partium. Sed quoniam noſter Auctor ſemper brevitati ſtudet, mallem credere, eum voluiſſe etiam triplicem ſpeciem deſignare; ſcilicet inteſtinorum omnium tormina ſeu contorſiones ; ſed circa umbilicum dolorem conſtantem ; atque in lumbis aliquam ſimul ſentiri affectionem.

Hydrops ſiccus.

III. Acriter diſputant Veteres, num Tympanites ſeu Hydrops ſiccus exſtare poſſit, nempe an in cavo ventris poſſit colligi aër, ventrem illum diſtendens, ut tympanum aëre plenum, unde hic morbus ſuum accepit nomen, quum nulla detur via, niſi rupto inteſtino, per quam ire potuiſſet aër in abdominis cavitatem. Verum hodierna Experimenta ſatis evincunt per motum automaticum præprimis putredinis, aërem liquoribus adhærentem ſine virtute elaſtica ab iis liberari, & recuperare naturalem expandendi virtutem; unde in corporibus putreſcentibus ingens copia aëris continuo eructat. Ergo ſufficit, ut in ventris cavo effuſus aliquis hæreat humor, qui corruptionem ſubit.

Quomodo a torminibus &c.

IV. Dum igitur inteſtina patiantur tormina varioque modo agitentur, notat motum inteſtinorum vermicularem eſſe perturbatum ab irritamento inſtigatum , quod ſimul dolorem infert circa umbilicum & lumbos conſtantem. Talis cauſa conſtans , non cedens purgantibus , declarat, malum non hærere in cavo inteſtinorum , quia hic hærens ſimul expelleretur; quare irritamentum hæret vel in lateribus inteſtinorum vel in meſenterio, quæ pars ultima hic videtur indicari , quum circa umbilicum & ad lumbos ſentiuntur dolores. Quare videntur mihi hujuſmodi dolores generari a tuberculo meſenterii, conſtantem inferente dolorem , ſed tandem rupto effundente pus vel ichorem in cavum ventris; qui humores pedetentim effuſi, ſtagnantes in loco calido, putreſcentes, nullibi invenientes exitum , tandem abdominis cavitatem aëre ex putredine nato adimplent, ſenſimque magis diſtendunt incurabili incremento. Quia vero hujusmodi

modi tubercula non ſemper rumpuntur, & fundunt humorem in cavum ventris, etiamſi ſimilia inferant tormina & dolores, non eſt quoque conſtans obſervatio, poſt dicta tormina ſemper ſequi Tympaniam.

LIB. IV. APH. XII.

122. *Quibus alvi ſunt Lienteriæ, eos hyeme ſurſum purgare, malum eſt.*

I.

Lienteriæ Cauſa.

ALimentorum in ventriculo & inteſtinis præparatorum citiorem ejectionem per alvum nominari *Lienteriam*, aut *Lævitatem inteſtinorum*, ſuperius (*Aph.* 101, IX) indicavimus. Hujus morbi autem cauſæ ſupponunt actionem, &, ut Veteres dixerunt, facultatem concoctricem Ventriculi & Inteſtinorum valere, id eſt ſatis affluere humores ſaponaceos ad ſolvendam pinguetudinem aſſumtorum; & motum periſtalticum ad permiſcendum valere: ſed motum propulſivum verſus inteſtinum rectum eſſe nimium, cum abſorptione per lactea & venas meſeraicas parciore. In organis enim chylopoiëticis particularis obſervatur motus, quo in ſanis non ſolum verſus anum propelluntur reliquia, nutrititio privata, ſed etiam nutrientia præparantur in chylum, nulla arte imitandum, & ducuntur utilia in oſcula abſorbentia. Hic autem motus ſui juris eſt non dependens a motu generali cordis vel arteriarum, cui tamen interdum conſentit, ſuas proprias mutationes in morbis ſubit, ut ſit vel languidior, vel fortior, vel inverſus, vel inordinatus, uti omnes actiones a motu dependentes. Si ergo deficiat abſorptio cum motu propellente majore, alimenta aſſumta quidem mutantur in chylum, ſed confectus ejicitur. Inde quædam inveniuntur medicamenta, confectionem alimentorum promoventia, quæ dicuntur ſtomachi-

machica, & itidem alia, quæ actionem propellentem augent, uti purgantia. Quare tanquam certum aſſumi poteſt, in inteſtinis varium motum eſſe admittendum.

Vomitorium in his cur malum? II. Vomitorium non ſolum ventriculi motum vermicularem invertere, ſed utcunque etiam inteſtinorum, nemo ignorare poteſt, quum iterato vomitu interdum quædam inteſtinorum contenta reddantur, præcipue ſi exhibemus Elleborum, quo uſi ſunt Veteres. Si ergo aliquis motu expulſivo validiore ventriculi & inteſtinorum laborat cum deficiente abſorptione, hoc novo addito ſtimulo, invertente motum, faciet, ut ea, quæ naturali utcunque directione ferebantur ad anum, nunc inverſo ordine trudantur ſurſum & reddantur per vomitum: qui motus inverſus multo difficilius poteſt tolerari ab ægro quam præcedens in Lienteria; atque non promovet chyli abſorptionem, ſed facit, ut, ſi adhuc aliquid de confecto per vaſa lactea in inteſtinis abſorberetur, protinus, antequam eo veniat, per vomitum reddatur, ſimulque æger fiat faſtidioſus, qualis ſenſus in nobis ſemper fit, ſi motus inverſus habeatur in ventriculo.

Cur maxime hyeme. III. Hyeme vitandum eſſe Vomitorium, ſuperius (*Aph.* 116, III) demonſtravimus, cur autem hoc omnino ſit obſervandum in Lienteria, hoc loco inquirere reſtat. Non eſt opus multis verbis hoc adſtrui, cum per ſe pateat, ſi una indicatio vetat Vomitorium ut eſt hyems, & accedat altera iſtam vetans ut eſt Lienteria, quod gravius fiet malum, ſi quis contra duas indicationes quam unam exhibeat Vomitorium. Ita egit noſter Auctor, ut non ſolum præcipiat, quæ ſunt agenda, ſed & moneat, quæ ſunt vitanda, quoniam in propria vel aliorum praxi obſervavit, vomitorium in tali morbo & tempore datum, malum habuiſſe eventum, ne ſequentes medici in eoſdem ſcopulos illidant, & æger ducatur in periculum vitæ. Præceptum eſt egregium in iis, qui tam promte in quovis morbo & tempore propinant vomitorium, ut prudentiores fiant ſedula admonitione noſtri Auctoris.

LIB. IV. APH. XIII.

123. *AD Elleboros qui non facile ſurſum purgantur, iis ante potionem corpora præhumectanda, copioſiore alimento, & quiete.*

I.

UT hodie in malam conſuetudinem introductus fuit uſus Nicotianæ, ita Hippocratis tempore in Græcia & Ægypto valebat uſus Hellebori ad concitandum vomitum: quare Hipp. integrum librum de Elleboro conſcripſit, ut fatetur Galenus, qui Galeni tempore deſiderabatur, & hodie quoque non exſtat. Ille mos quum omnino exolevit, & in his Regionibus a nemine, niſi forſan agyrtis, amplius ad vomendum propinatur, non erit opus ſedulo omnes cautelas Elleboriſmi rimari. Sed ſolummodo notare volui, qua ſpecie Veteres uſi fuere; & deinceps cautiones propoſitas in generali Vomitoriorum uſu, examinare. Duæ ſpecies Ellebori Veteribus fuere in uſu, nempe Helleborus albus & niger. Et quoniam utitur plurali, forſan utramque ſpeciem intelligit, maxime autem Helleborum album, quia magis ad vomitum, ſed niger ad purgandum adhibebatur. Quoniam vero Helleborus albus & niger non ſunt ſpecies ejuſdem generis, ſubſtituerunt Veratrum pro Helleboro albo. Veratrum flore ſubviridi H. Boerh: 1, 296, 1. Royen. Prodr: 45, 1. Linn: H. Cliff: 468, Tourn: 272. Helleborus albus, flore ſubviridi. C. B. P. 186. M. H. 3, 385. Elleborum album Matth: Dioſc: 2, 559. Sed hodierni Botanici fere omnes nomen Hellebori nigri tenuere. Inde Helleborus niger verus. R. H. 697, 1. Helleborus ſcapo florifero, ſubnudo pedunculo communi bipartito. Royen: Prod. 484, 3. Linn: H. Cliff: 227. Helleborus niger, flore roſeo H. Boerh: 1, 297, 3. C. B. P. 186, 4, M. H. 3, 359. Veratrum ni-

Helleborus quotuplex?

grum primum. Dod: 385. Ejus loco a quibuſdam ſubſtituitur alia ſpecies, quæ vocatur Helleborus niger, hortenſis, flore viridi C. B. P. 185. Hæc nomina ſufficere reor ad inveniendas has plantas ex hodiernis Botanicis, quarum radicibus uſi fuere Veteres.

Uſus. II. In uſu radicis Ellebori quatuor præcepta tradit Auctor. (1) Quid ſit faciendum ante exhibitionem (2) Quid tum, dum datur. (3) Deinceps quid inter operandum (4) denique quæ mala ex ejus uſu ſint obſervanda; quæ omnia ſequentibus aphoriſmis præcipiuntur. Supponit ergo Auctor ſatis notam eſſe eo tempore potionis iſtius præparationem & doſin.

Exhibitio vomitorii in non facile vomentibus. III. Dum exhibetur Vomitorium, obſervandum eſt, ne detur illi, cui omnia vomitoria obſunt (*Comp.* T. 89, LIV). Sed in quibus permittitur Vomitorium, obſervare vult Auctor, ut diſtinguamus inter facile & difficile vomentes. In facile vomentibus non videtur præmittenda præparatio, ſed in iis, qui difficile vomunt. Quoniam vero vomitus non eſt excretio naturalis, ipſi ægri, nam ſani non egent Medicina, interdum neſciunt, num facile vel difficile ab emetico dato vomant, quare tentandum eſſet alio leviori vomitorio, num talis æger facile vel difficile vomat. Si ergo conſtat vel ex ægri relatione, vel experimentis, ægrum difficile vomere, tunc monet, corpus eſſe præparandum ad vomitum.

Præparatio ante exhibitionem vomitorii. IV. Hujuſmodi in corporibus ſi vomitus per Elleborum ſit concitandus, monet, ea corpora eſſe præhumectanda, ſimulque ſuppeditat auxilia humectantia, nempe alimenta copioſiora & quietem. Nos vero (in *Comp.* T. 89, LVII) Præcepimus reſolutionem materiæ in ventriculo contentæ, & ad mala prævenienda venæ ſectionem. Etiamſi noſtræ cautiones non ſint eædem, nihil tamen eſt, quod repugnat. Noſter enim ſcopus eſt vomitu rejicere aliena & morboſa contenta ex ventriculo, & prævenire mala, quæ ex violentia vomitus naſci potuere. Hipp: autem indulget malæ conſuetudini; etiamſi nihil reddi debeat per vomitum, ſed reddit modum, quo ægri difficile aliter vomentes per Elle-

borum,

borum, commodius vomunt. Præcipit corpora præhumectanda esse, quod ad scopum suum recte monet, nam si ventriculus admodum est humectatus, majorem copiam vomitu reddere potest, & ventriculus humectatus, quia laxior, instigatus non tanta vi convellitur, ut omnes partes laxiores. Corpora autem præhumectari copiosiore alimento & quiete, paucis videndum.

Alimenta copiosiora humectare.

V. Nostrum corpus tali est virtute creatum, ut actione sua se ipsum deterat, & ex assumptis alimentis conficiat succum, qui amissum resarciat, ad hoc faciendum corpus sanum nullo alio eget auxilio. Illa autem actio præparans, & abalienatorum expulsionem faciens non ita est infinita, ut quamcumque copiam alimentorum ingestam subigere possit & expellere: si ergo copiosiora alimenta ingeruntur, corpus istud oneratur multis crudis humoribus, partim non subactis, partim spontanea corruptione degeneratis. Inde major copia humidi tali in corpore est collecta quam in sanis requiritur, seu ut noster Auctor loquitur, istud corpus est præhumectatum.

Quies humectat.

VI. Quo præcedens actio præparans minus exercetur, eo minus alimenta subiguntur & expelluntur inutilia; seu quod idem est, quo minus exercetur hæc actio, eo major de assumtis alimentis copia colligitur in corpore, & quoniam alimenta omnia, quæ lactea vasa intrant, sunt humida, tale corpus, præprimis si copiosiore simul utitur alimento, præhumectatur. Ergo id esset duntaxat hoc loco probandum, in quiescentibus debiliorem fieri actionem. Hoc autem puto tam planum ut cuivis pateat, cum in quiescentibus solo motu vitali hæc actio sit absolvenda, dum vero in exercitiis non solum fiat major detritus & expulsio motu musculari, verum in iisdem quoque circulatio sanguinis & respiratio fit citior, ut constat ex calore corporis, pulsu frequentiore & pleniore, atque ex respiratione celeriore & profundiore,

In præhumectato corpore vomitorium dandum.

VII. Tandem ad conclusionem veniens statuit Auctor, In corpore ita præhumectato Vomitorium dandum esse, atque hoc non sine gravi ratione. (1) Humectata illa corpora

pora vomitorii actione multum humidi evacuare possunt, & quod magis est, eadem evacuatione ipsis restituitur æquilibrium, quia abundabat humidum, si vero antea fuisset datum vomitorium, eadem evacuatio feciſſet destructionem æquilibrii, tollendo aliquid de mediocri quantitate humorum. Nunc vero illa corpora crudis onusta & humiditate scatentia levamen percipiunt a vomitorii exhibitione, sed præstantius foret illam abundantiam sibi non conciliare, quam natam vehementi vomitorio tollere. Quia vero ægri sentiebant ex mala consuetudine post ingluviem & desidiam summum ex Vomitorio levamen, istud medicamenti genus multis encomiis celebrarunt. (2) Corpora quiete & pleniore cibo enervata a vomitorii stimulo minus exagitabantur, quam quorum vires magis valebant.

LIB. IV. APH. XIV.

124. *POto Elleboro, corpus movendum potius, quam somno tradendum, aut quieti. Nam vel navigatio indicat motione turbari corpora.*

I.

Quid faciendum post assumtum vomitorium?

AGendi regulam in altero temporis articulo hoc loco præcipit Auctor, quid scilicet sit agendum postquam vomitorium fuerit assumtum, dum adhuc non sequatur vomitus. Inter assumtum vomitorium & vomitum sequentem aliquod tempus, unius vel alterius horæ, præterlabitur interdum; quid ergo in hoc tempore sit agendum, docet, nempe corpus potius esse movendum, quam somno aut quieti tradendum.

Cur corpus movendum?

II. Non præcipit Auctor corpus movendum esse, sed potius quam ut indulgeat quieti & somno, quia interdum satis cito & valide operatur Helleborus, ut non requiratur corporis agitatio ad vomitum promovendum: sed dum Vomitorium est assumtum, & adhucdum tempus non est, ut

suam

ſuam operationem exequatur, ſuadet non ſine ratione corpus potius movendum eſſe. Nam ſcopus eſt magnam copiam humorum per vomitum elicere, quod fieri non poteſt, ſi corpus tradatur quieti vel ſomno, in quibus compeſcitur ille motus, quo ducuntur humores ad ventriculum, ut vomitu ejiciantur; imo per hanc quietem inductam compeſci potuiſſet vomitus, ut fruſtra fuiſſet datum Vomitorium. Sed potius corpus movendum, quo augetur Vomitorii actio, & majore copia ad ventriculum ducta, copioſior vomitus fieri poteſt. Non conſtat autem inter Commentatores, quo tempore a vomitorio ſumto corpus ſit movendum, an ſtatim poſt aſſumtionem vomitorii, vel poſt aliquot horas. Si vero attendamus ad ſcopum, nempe copioſiorem evacuationem per vomitum, facile eſt invenire iſtud tempus. Si enim ſtatim ab aſſumptione moveatur corpus, ut ejiciatur Voimitorum aſſumtum, quia parva inducta eſt commotio, poſt ablatum Vomitorium brevi tempore compeſcitur motus inordinatus inductus: ſed ſi per horam unam vel alteram relictum ſit in ventriculo vomitorium, continuata agitatio tantum motum inverſum induxit, qui tam cito compeſci non poteſt, & qui diſpoſuit organa, ut ad ventriculum majorem copiam humorum ducant, & ita plus per idem vomitorium evacuari poteſt. Quare non ſtatim movendum corpus, neque tam diu exſpectandum, donec virtus vomitorii omnino evanuerit. *Potius* dicit, quoniam interdum per Elleborum ſatis valida commotio inducitur, ut non ſit neceſſe vomitum promovere motu corporis.

Navigatio Cur nauſeam & vomitum inducit?

III. Ut Auctor probet generali obſervatione & omnibus nota, motum promovere vomitum, adducit navigationem, qua fere omnes homines redduntur nauſeoſi & tandem vomiturientes. Galenus dicit in quibusdam manuſcriptis inveniri ναυτία *nauſea*, non vero ναυτιλία *navigatio*. Tunc eſſet ſenſus talis, *nam vel nauſea indicat motione turbari corpora*. Quia vero ſenſus magis planus eſt legere *Navigatio* quam *nauſea*, vulgatam lectionem eſſe retinendam puto. Quomodo autem Navigatione generatur in multis nauſea & vomitus, non conſtat inter Auctores, quidam hoc deri-

vant a terrore & timore navigationis, alii a ſalſedine aquæ marinæ, alii ex odore ſpeciali. Sed quamvis illæ fuiſſent aſſignatæ cauſæ veræ, non tamen magis illa conſtaret veritas, & aſſignatio hæc nihil lucis præberet huic generali obſervationi. Comperimur quidem non ſolum navigationem, ſed etiam vectionem præprimis adverſo corpore, atque actionem in gyrum, omnemque inſolitum motum, ut eſt oſcillatio, multis in hominibus generare nauſeam & vomitum: ſed quando illa corpora diu tali motu agitantur, tandem ita aſſueſcunt, ut in ipſis neque nauſea neque vomitus ex navigatione generetur. Eſt ergo nauſea & vomitus navigantium ſpecies regulæ generalis, qua conſtat, corpora fere omnia motu inſolito agitata incidere in motum inverſum motus vermicularis ventriculi & inteſtinorum. Adeoque hæc obſervatio nihil aliud eſt, quam detectio conſenſus inter concuſſionem corporis & motum particularem Ventriculi & Inteſtinorum, quo experimur, quali lege, & quali conſenſu Deus noſtrum corpus creavit, nam hoc ex legibus Mechanicis in rebus mortuis deducere velle, fruſtra omnem impenderemus operam. Egregia autem eſt obſervatio legis naturalis, quum lege hac uti poſſimus, ſi velimus turbatum motum vermicularem inducere, quemadmodum fecit Auctor in hoc Aphoriſmo.

LIB. IV. APH. XV.

125. *QUando vis magis ducere Elleborum, moveto corpus. Quando vero ceſſare, ſomnum facito, & non moveto.*

I.

POſt datum vomitorium evenire poteſt, ut evacuatio non reſpondeat voto, ut ſcilicet æger ſemel aut bis vomuerit, ſed non ſatis evacuaverit: vel quod nimis diu continuetur vomitus, ut inde malum ſit exſpectandum

per

per ſupervomitum. In utroque caſu præbet Auctor regulam. Si Elleborus vel quodvis aliud vomitorium non ſatis operatur, corpus eſt movendum. Si vero ſupervomitum faciat, ſomnus eſt inducendus & corpus non movendum, atque his auxiliis compeſcetur nimius vomitus. Scopus Hippocratis in hoc loco non eſt omnia auxilia vomitum promoventia & ſiſtentia, ſed ſolummodo ea, quæ conſiſtunt in corporis motu & quiete proponere. Et ut imitemur Auctorem, ſola illa auxilia examinaturi ſumus, reliqua vero a nobis tradita ſunt. (*Comp.* T. 89, LVIII. & LX.)

Motus promovet vomitum.

II. Quum in ſuperioribus obſervavimus inter motum corporis & motum vemicularem ventriculi locatum eſſe conſenſum, uti inter multas quoque alias corporis actiones, non eſt mirandum, quod agitatione unius promoveatur quoque altera actio. Si ergo Helleborus vel quodvis aliud vomitorium induxit ventriculi motum inverſum, ille motus debilior proritari poteſt, ſi moveamus iſtud organum, cujus motui conſentit motus vermicularis ventriculi. Inde ſi in aſſumto vomitorio non ſatis movetur ventriculus, ille motus eſt inſuper concitandus, cui ventriculus conſentit. Quoniam autem non quivis corporis motus æquali modo turbat ventriculi motum, ex corporis motu is eſt eligendus, quem experientia docuit, motum ventriculi turbare, ut eſt Vectio adverſa, oſcillatio, actio in gyrum, navigatio, illeque motus continuandus, donec ſatis per vomitum fuerit ejectum.

Quies & ſomnus compeſcunt vomitum.

III. Quo penitius perſcrutamur corporis actiones, eo plura in viventibus detegimus miranda Dei opera, quæ non niſi propriis ſuis phænomenis patiuntur detegi, nulla arte imitanda; niſi enim conſtanti obſervatione conſtaret, inter motum animalem & motum particularem vermicularem eſſe quendam conſenſum, nullus Mechanicus ex detectis ſuis legibus motus, aut anatomicus ex inventa fabrica valeret hunc mirabilem conſenſum eruere, ſed per inventa in viventibus experimur in corporibus æque conſtantem hujus rei eſſe legem, quam quæ leges naturæ in mortuis rebus deteguntur, in quibus non amplius inquirimus, unde proveniant,

ſed tantum qualem ordinem ſervant: ita quoque in viventibus eſt faciendum. Invenimus inter ventriculi motum & corporis agitationem quendam eſſe conſenſum. Verum hoc non ſolum, ſed inter motum ventriculi & organa ſenſus, imo inter animi etiam pathemata, ut conſpectu circumgyrationis moveatur primo vertigo dein nauſea & vomitus; atque ex auditu vel viſu, imo ſola cogitatione rei nauſeoſæ nobis quoque formetur nauſea & vomitus. Hic autem conſenſus non omnibus hominibus eſt æque valens, quibuſdam enim facile, aliis autem minus ex dictis commovetur ventriculus. Hac lege generali ſcite novit Auctor noſter uti in Medicamentorum operationibus, dum præcipit, ſi velis cohibere nimiam Ellebori operationem, corpus eſt componendum ad quietem, ne corporis agitatione, quæ eſt in noſtra poteſtate, commoveatur ſimul motus ventriculi. Atque inducendus eſt *Somnus*, ut ita adimatur omnis conſenſus per organa ſenſuum & per animi pathemata, quæ in ſomno perfecto ſilent. Quia vero ſomnus non dependet ab arbitrio noſtro, uti corporis motus & quies, igitur ſi ſponte non oboritur in ſupervomitu, hypnoticis eſt conciliandus. Inde eſt, quod hypnotica toties in quovis vomitu & alvi fluxu tantis encomiis celebrantur, quoniam compeſcunt motum inordinatum ventriculi & inteſtinorum: an vero hoc faciant immediate, ut inferant ſomnum, an vero per conſenſum, quia ſopiunt ſenſus, hucuſque determinare non valeo. Id autem inde elicere poſſumus, Hypnotica egregia eſſe auxilia, ſi poſt ablationem ſtimuli vomitivi remanſerit in ventriculo motus perturbatus, nauſeam & vomitum faciens: ſed ſi remanſerit irritans, hypnoticum datum, inhibens evacuationem, ut plurimum augebit malum. Si ergo Elleborus ſupervomitum faciat, antequam inducatur ſomnus per hypnotica, ventriculus eſt eluendus, ne quidquam de Helleboro remaneat.

LIB. IV. APH. XVI.

126. *Helleborus periculosus est sanas carnes habentibus: Convulsionem enim inducit.*

I.

GEneralem regulam Medicationis in sanis corporibus (*Aph.* 62.) nunc specialem facit, & exponit in usu Ellebori; huic addit facile tunc inde fieri posse Convulsionem. Aliqua tamen status differentia notanda venit, cum in præcedente dixerat, *qui sana habent corpora*, hic autem *qui sanas habent carnes.* Ex differentia hac desumi potest, quod in præcedente egerat de corpore perfecte sano, at in hoc loco tam in corpore perfecte sano, quam in eo, quod morbo quodam particulari laborat, non habens malum & morbosum humorem per totum corpus dispersum. In utroque itaque statu præcipit Hellebori usum esse periculosum, atque addit rationem, quia convulsionem inducit.

Helleborus cur sanas carnes habentibus periculosus?

II. Hippocratem hic & in antecedentibus intellexisse Helleborum album nullus erit, qui dubitat, si modo rimatur vehementes operationes, quas Helleboro tribuit, qualem virulentiam in Helleboro nigro non invenimus. Hujus enim Hellebori albi tanta est deleteria vis, ut quædam gentes ejus succo intoxicare potuerint tela. Quare admodum mirandum, quod hoc medicamenti seu potius veneni genus apud Veteres in tam frequenti fuerit usu, quum, si modo paulo largiori dosi sumeretur, vel ab homine non assueto, vel difficile vomente, vel qui carnes habet sanas, in discrimen vitæ conjiciatur. Tantum valent insana consuetudo & mores inversi, ut non dubitarint lubentes volentesque summum subire vitæ periculum, si quis hodie faceret, imprudentiæ pœna esset plectendus. Sed quid dicam de mala consuetudine Veterum, novi agyrtam, qui gloriabatur se omnes febres quartanas profligasse arsenico & mercurio sublima-

to in aqua ſoluto propinato, ſed ſi recordor eorum, qui hoc venenum aſſumſerunt, quidam fuere curati, hoc fateor, ſed plures poſt ingentia tormina morte ſequente a febre quoque fuere liberati. Exhorreſcimus enim talia audire, quæ interdum ab agyrtis peraguntur, ſi vero huic perverſæ medicationi eſſet impoſita pœna, haud credo iſtos tam facile periclitari multorum hominum vitam. Recte igitur & cum gravi ratione monet noſter Auctor, poſtquam cautelas Helleboriſmi propoſuerat, in hoc medicamento, ita uſu recepto, ſummam deleteriam latitare virulentiam, ut ſi aſſumatur, quibus carnes ſunt ſanæ, periculum faciat Convulſionis. Quamobrem majus periculum convulſionis his, quam quibus carnes alieno ſucco ſunt plenæ, ex iis quæ ſupra recenſuimus facile liquere arbitror. Quæ enim corpora carnem habent ſanam, per nullum evacuans a malo ſucco, qui non adeſt, poſſunt liberari, ut demonſtravimus (*Aph.* 62, III). Quæ autem corpora morbo particulari laborant, malus ille humor per vehementem illam evacuationem inde elicitur, duciturque ad interiora & ita ad loca periculoſiora, & talia corpora per vehementem vomitum non liberantur. Ergo in utroque caſu periculum intenditur: propterea uſus Hellebori & omnium Vomitoriorum in dictis corporibus nunquam eſt concedendus.

Helleborus Cur inducit Convulſionem?

III. Per ſpaſmum in hoc loco intelligi alternam invitam violentam muſculorum motus animalis contractionem nemo ambigere poteſt. Eum motum muſcularem voluntarium ab influxu ſpirituum, imperio mentis in ſanis hominibus copioſius ad iſtos muſculos fluentium, derivari, ex phyſiologicis aſſumo, quia nimis copioſum foret hoc loco adſtruere. Si igitur per aliquam cauſam morboſam iidem ſpiritus copioſius & majori impetu ad dictos muſculos ferantur, ſequetur conſtrictio, ſed violentior plerumque quam ex voluntate. Quærenda ergo eſt cauſa hunc majorem ſpirituum fluxum faciens, & dein videndum, an ea dependeat ab Elleboro. Dum in nobis inordinate & ſurſum verſus incipit fieri motus vermicularis ventriculi, generatur in nobis

bis nauſeæ ſenſus: ille motus ſi validior fiat, muſculos voluntarios ventris in conſenſum trahit, ut ſua conſtrictione cum motu inverſo ventriculi ejiciantur contenta ventriculi ſurſum per os. Ergo patet inter motum inordinatum ventriculi & motum voluntarium muſculorum abdominis tantum valere conſenſum, ut homo mente conſtans, ſi urgeat vomendi conatus, non poſſit horum muſculorum motum convulſivum cohibere. Si vero ille motus ventriculi diu continuetur & ſenſim reddatur validior, non eſt mirum, tandem quoque omnem motum voluntarium in conſenſum trahi. Inde reliqua acria medicamenta, quæ non ita exigitant ventriculi motum inverſum, minus quoque ſolent inferre Convulſiones. Propterea adduxit Auctor Convulſionem, ut demonſtret periculum, quare illa Convulſio non eſt levis cenſenda, quod infra faciet (Lib. v. Aph. 1) Si Medicus in hujuſmodi caſu vocaretur, non ſufficeret dicere periculoſum eſſe, ſed & ejus exigeretur auxilium. Omnia decantata antiſpaſmodica nullius eſſent uſus, ſed rejecto per vomitum Elleboro & eluto ventriculo, compeſcendus eſſet inordinatus ventriculi motus per acida grata & hypnotica, quam regulam deduximus ex præcedentibus (*Aph.* 145, III). Quo compeſcito motu inordinato ventriculi, ſenſim etiam ceſſabit Convulſio totius corporis, niſi prius exſtinguatur æger.

LIB. IV. APH. XVII.

127. *Non febricitanti, cibi faſtidium, oris ventriculi morſus, & tenebricoſa vertigo, & os amareſcens, ſurſum purgante opus eſſe, indicat.*

I.

Si quis ſit in cavo ventriculi corruptus & vitioſus humor, quem Cacochyliam vocant, omnium commodiſſime is per ſuperiora evacuari poteſt, quia via eſt breviſſima, nam

Cacochylia exigit vomitorium.

nam ſi tranſeat per inteſtina, ſua acrimonia potuiſſet inferre ventris tormina, & ob longiorem moram ſenſim reddi acrior, atque forſan pars tenuior corrupta liqueſcens abſorbetur, atque inficiet totam maſſam. Dandum ergo Vomitorium, ſed an ſit Elleborus exhibendus, quia ſuperius de eo egit, ambigo; Si enim voluiſſet Elleborum, continuaret Auctor ſermonem, & non ſimpliciter dixiſſet, ſurſum purgante opus eſt, ſed helleboro opus eſt. Atque ex contextu quoque conſtare poteſt, Auctorem innuere aliud genus vomitorii, quum in priori dixerat, periculoſum eſſe Elleborum ſanas carnes habentibus, & incipit hunc Aph. non febricitanti, quaſi vellet indicare hominem ſana carne præditum, ſed particulari ventriculi affectione laborantem. Denique expedit in cacochylia, ut non ſolum fiat vomitus, ſed ut inter vomendum ventriculus ſimul eluatur, ut ita liberetur ab omni alieno contento. Ergo in Cacochylia expedit mitius dare vomitorium cum copioſiore potatione. Quia vero medicum oportet ſcire, num in ventriculo latitet cacochylia, quædam debet habere ſigna quibus hoc colligere valet, priuſquam vomitorium propinat; Nam ſi loco cacochyliæ hæreret in lateribus ventriculi Inflammatio aut Eryſipelas, aut ulcus; vel ſi circa ventriculum orirentur affectiones ſymptomaticæ a febre per totum corpus, a vomitorio dato irritarentur crabrones. Hinc ſummo judicio tot collegit phænomena, quæ collecta Cacochyliam commonſtrant, quorum quædam etiam ex lateribus ventriculi affectis, vel a generali febre quoque produci potuere. Hæc ergo phænomena ſeorſim ſunt examinanda, ut in ſingulis conſtet, ea provenire poſſe ex Cacochylia, ſed quædam inter hæc eſſe, quæ non poſſunt ex ventriculi lateribus affectis provenire, aut ex febre.

Cacochyliæ ſignum faſtidium.

II. Faſtidium ſeu ἀποσιτία non ſolum denotat abſtinentiam a cibo, ſed quando ſimul cibum averſatur, in quo differt ab inappetentia, qua ægri quidem non appetunt, ſed tamen non ſunt ſimul faſtidioſi & cibum averſantes: hanc invenimus differentiam, ſi ventriculus vario humore alieno ſit affectus; nam cujus ventriculus cibo eſt plenus,

aut

aut in quo tanta hæret pituitæ copia, ut percipere non poſſit ſenſum famis, talis laborat inappetentia: ſi vero in fibris ventriculi levis motus inverſus ſimul habeatur, ut ſit initium nauſeæ, talis homo faſtidioſus eſt. Hoc phænomenon generatur, ſi aliquid corrupti aut putrefacti hæret in ventriculo, nam putrefacta aſſumta ſtatim tale faſtidium inferunt. Poteſt etiam generari ex inordinato motu febrili ventriculi motum perturbante, unde hodie adhuc habentur febres faſtidioſæ. Interdum leviter affecta ventriculi latera ſimile faſtidium inferunt. Quare ſolum faſtidium non declarat Cacochyliam. Inde addit Auctor in non febricitantibus, ut demonſtret faſtidium non fieri ex febre; & addit oris amaritudinem, quæ non fit ex lateribus ventriculi affectis.

III. In textu habetur καρδιωγμὸς, quod ſecundum Galeni interpretationem vertitur, Cordis dolor, ſeu morſus cordis, id eſt oris ventriculi, nam hoc quoque Veteres Cor appellabant. Ille dolor ſeu morſus a multis cauſis poteſt oriri, quod hic nimis longum foret recenſere. Oritur ſymptomatice ex febre vel ex ventriculi lateribus affectis, vel ab acrimonia intus hærente, quare admodum incertum eſt cacochyliæ ſignum; ſed ſi abſit febris, & cetera adjungantur ſigna, tunc unum eſt ex ſignis cacochyliæ rodentis; quod ſignum diſtinguit faſtidium a viſcido vel pituita inſipida, ut loquuntur veteres. Oris ventriculi morſus.

IV. Quoniam integram Diſſertationem de *Vertigine* publici juris fecimus, non erit opus multis hunc morbum exponere, contenti erimus obſervare, quod Auctor hic intelligat *Tenebricoſam vertiginem*, id eſt, quod non ſolum æger videat omnia ante oculos in gyrum agi, ſed ita videntur obſcurari & obfuſcari oculi, ut viſus exſtinguatur. Hoc phænomenon ex cacochylia ad oculos delata deducere velle, nimis abſurdum eſſet, cum ipſi oculi non obfuſcentur, ſed ita appareant ipſis ægris, quia potentia viſus minuitur. Si Cacochylia ſit in ventriculo faſtidium faciens commovendo inordinate ventriculum, hic motus inordinatus per conſenſum turbat viſum. Tantus enim conſenſus inter Tenebricoſa Vertigo.

ventriculum & oculos, ut viciſſim operentur & afficiant; ita ex cacochylia generatur ſcotomos, & conſpectus rerum circumactarum inducit faſtidium, nauſeam & vomitum. Ergo ſcotomos in hoc loco duntaxat declarat ventriculum motu inordinato agitari, dum cetera ſigna probent, eam inordinatam commotionem produci ex cacochylia.

Oris amaritudo.

V. Inter præcipua non ſolum ſigna Cacochyliæ, ſed & exhibentia naturam contentorum ventriculi eſt oris amaritudo. Ille enim ſapor amarus in ore notat Cacochyliam amaritudinem habere, qualis ſapor obſervatur in bile corrupta & pinguedine putrefacta. Et quoniam pingue hoc natura levius ſupernatat, facile, ſi ructus eduntur, una aſſurgit & ita os ſuo amarore inficit; vel forſan inverſo œſophagi motu in faſtidioſis & nauſeoſis, quædam ejus portio truditur verſus os.

VI. Conſtat ergo, in ventriculo contineri humorem alienum, pinguedinoſum & corruptum, ventriculum pronum eſſe ad faciendum motum inverſum pro vomitu, inde ſummo jure dicit Auctor, hæc ſigna indicare purgationem per ſuperiora. Nam ſi maneat diutius, ejus humoris augebitur corruptio, abſorptus humor inficeret totum corpus, pulſus per inteſtina multa tormina inferret, & forſan ſubſiſteret huc illucve in tam longa via.

LIB. IV. APH. XVIII.

128. *SUpra ſeptum tranſverſum dolores, qui purgatione egent, ſurſum purgante opus eſſe, indicant. Qui vero infra, deorſum.*

I.

AGit hic Aph. de generali evacuatione, vel per ſuperiora, vel per inferiora, in doloribus evacuatione egentibus, qui occupant loca ſupra vel infra Diaphra-

phragma conſita. Sed quoniam in textu habetur τῶν φρενῶν, quæ vox aliquam dubitationem inducit, & quia diſputari poteſt, quænam intelligantur evacuationes, hæc ſententia prolata ab Auctore ſtrictius erit exponenda.

Diaphragma quid ſit.

II. Etiamſi ex Lexicis conſtat φρὴν denotare mentem, intelligentiam, aut ſapientiam, φρένες autem ab Hippocrate accipitur pro ſepto tranſverſo, quod ventrem inferiorem a pectore ſepit, hodie Diaphragma appellatum, habens principium a lumborum vertebris octo utplurimum capitibus; aſcendentia hæc capita ſenſim carnoſiora facta junguntur ante ſpinam, relicto ſpatio ſemilunari pro tranſitu Aortæ, venæ azygos, ductus chyliferi & nervi. Media pars convexa verſus pectus tendinea eſt & vocatur ſpeculum. Juxta ſpinam verſus ſiniſtrum latus habet rimam, tranſmittentem Oeſophagum; ad alterum latus in diaphragmate apertura eſt magis ovata pro tranſitu venæ cavæ. In ambitu diaphragma nexum eſt coſtis & ſterno. Vaſa omnia per Diaphragma diſtributa, ad motum & nutritionem vocantur Phrenica: nervus ex pari II, III & IV. colli oritur, unde forſan magis ejus affectiones conſentiunt menti, quam morbi aliarum partium.

Quæ partes ſuperiores & inferiores.

III. Determinandæ nunc ſunt partes dolentes, quæ purgandæ ſunt ſurſum vel deorſum. Omnes partes, dicit, ſupra Diaphragma dolentes indicantes purgationes, ſurſum ſunt purgandæ. Quia vero Diaphragma ſurſum ita eſt convexum, ut altitudinem papillæ mammarum interdum ſuperet, facile poteſt Medicus in aſſignatione doloris externa falli, num dolor ſit in cavo ventris inferioris, num vero in pectore ipſo ſupra Diaphragma. Quare non pauci fuere, etiam ex ſenioribus Medicis, qui dolores in partibus ventris inferioris, ſub hypochondriis hærentibus, qui interdum ob conſenſum protenduntur uſque ad jugulum, pro dolore pleuritico habuere, & inde putarunt pleuritidem alvi fluxu ſanari. Partes ſuperiores ſeu ſupra Diaphragma in tria genera diſtingui poſſunt. (1) In cavum pectoris, ubi eſt pleura & mediaſtinum, nam pulmo & cor ſi afficiantur, potius inducunt anxietatem quam dolorem. (2) Collum, in

quo larynx & pharynx atque fauces. (3) Caput, in quo partes encephali & organa ſenſuum corripi poſſunt. Huc etiam conferri poſſunt brachia. Partes autem Inferiores in ventrem, qui varias continet partes & pedes diſtingui poſſunt. In his jam diverſis partibus dolentibus imperat purgationem Surſum & Deorſum, quod paucis videbimus.

Quæ ſit purgatio ſurſum.

IV. Solebant Veteres Evacuationem per vomitum & per Expectorationem vocare Evacuationem ſurſum, ut hoc paſſim occurrit in peripneumonia, pleuritide, & empyemate. Hic autem ex nexu cum præcedentibus videtur Auctor intelligere vomitum & præcipue per Elleborum, in qua ſententia quoque fere omnes ejus ſunt Commentatores, qui multis verbis conantur hanc tueri ſententiam, quam jamjam ſumus examinaturi.

An vomitorium dandum in doloribus ſupra diaphragma?

V. Omnes morbi inflammatorii & purulenti pulmonis, pleuræ, faucium, capitis, egent evacuatione ſurſum, in his vero omnibus ſi daretur vomitorium, & præcipue ex Helleboro fortiſſimo, induceretur æger in ſummum periculum: quam ob rem credere haud poſſum, Hippocratem in ea fuiſſe ſententia, vomitorium Helleborinum dandum eſſe in dictis morbis, ut ejus Commentatores ex nexu Aphoriſmorum deducere voluere, quum ipſe Auctor in inſtante & confirmata phthiſi, (*Aph.* 118) quæ eſt morbus ſupra diaphragma, evacuatione egens, omnino vetat vomitorium. Neque quiſquam hodie auderet phrenitide, ophthalmia, vel angina inflammatoria laboranti dare vomitorium. Sed ſi quamcumque intelligamus evacuationem, tunc omnino convenit in doloribus ſupra Diaphragma, ſed præcipue in pectore hærentibus, qui egent evacuatione, per ſuperiora evacuare: & qui dolores in ventre hærent, per inferiora. Vice verſa enim ſi moliamur evacuationem, neque facile procedit, & ſi fiat, aggravare ſolet ægrum. Hippocratis ſententia abſolute poſita vera eſt & praxi conveniens, ſed ſi ad præcedentes Aphoriſmos connectitur, multas haberet difficultates.

LIB. IV. APH. XIX.

129. *Qui in purgantium potionibus non ſitiunt dum purgantur, non ceſſant, priuſquam ſitiverint.*

I.

Sitim ſpeciem ſenſus naturalis eſſe in nobis concitatam ex deficiente humiditate confluente ad os, ut moneamur defectum eſſe humidi in corpore, olim in particulari *Exercitatione de ſiti* expoſui. Ubi ſimul obſervavi, multas quoque alias minus naturales eſſe cauſas ſitim excitantes. Inter has eſt copioſior alvi evacuatio multum humidi tollens e corpore: adeo ut naturale ſit ex generali regula poſt aſſumtam potionem purgantem ſitire. Experientia tamen docet, quædam purgantia nullam ſitim inferre, quod huic regulæ obſtare videtur. Sed ſciendum eſt, Medicamenta raro unicam ſimplicem poſſidere virtutem, plerumque enim variæ unitæ in unico ſimplici inveniuntur, ut quædam ex purgantibus ſimul refrigerent, calefaciant, reſolvant, adſtringant, quæ virtus purganti juncta poteſt facere, ut unum purgans reſolvendo & refrigerando ſimul minuat ſitim, aliud vero ſiccando & forſan ſpeciali virtute ſitim excitante, ſitim intolerabilem inferat, quæ non ita a virtute purgante, quam quadam alia adjuncta qualitate dependet. Quoniam Auctor ſuo tempore uſus fuit Helleboro nigro ad alvum ducendam, ex frequenti hujus medicamenti uſu didicit, poſt potionem hanc, alvi evacuationem non ſubſiſtere, priuſquam ſitiverit æger, quod non ita eſt recedens a communi lege naturæ. Quippe quamdiu alvus ex purgante dato fluit, requiritur, ut excretio humorum in cavum inteſtinorum ſit major abſorptione, quum non ſolum ex inteſtinorum cavitate per purgans eliminantur humores, qui raro tanta copia hic inveniuntur collecti, verum etiam ex corpore reliquo hic ſecreti & de-

Quomodo ſitis a purgante?

poſiti. Quamdiu igitur continuatur motus determinans ad excretionem in vaſculis inteſtinorum, tamdiu etiam durat alvi fluxus, ut tandem etiam fiat hypercatharſis; ſi vero ille motus ceſſat, nihil amplius deponitur, ut experimur ex hypnotico dato, compeſcente ſolummodo eum motum inordinatum inductum, qui alvi fluxum produxit. Eo igitur magis ſiſtitur, ſi motus excretorius convertatur in motum abſorbentem: unde toties compeſcitur alvi fluxus anodyno diaphoretico vel ſudorifero, mutante directionem humorum ab inteſtinis ad cutim. Inter ſigna autem mutationis hujus directionis excellit ſitis, nam quamdiu humores copioſiores deponuntur ad chyli vias, inter quos etiam eſt ſaliva, tamdiu etiam ſervatur os humectatum, nulluſque concitatur ſitis ſenſus; ſed ſi ille motus convertatur in abſorptionem, ſaliva, utique reliqui humores, non amplius confluit in chyli organa, inde os ſalivæ confluxu privatum exareſcit, quam exareſcentiam demonſtravimus eſſe ſitis cauſam naturalem.

LIB. IV. APH. XX.

130. *Non febricitantibus ſi fiat tormen, & genuum gravitas, & lumborum dolor, deorſum purgante opus eſſe indicat.*

I.

Cacochylia inteſtinorum purgante eget.

CONſuetus eſt Hippocrates magis ex phænomenis in ægris detectis imperare medicamenta, quam ex deſignatis cauſis, quoniam detexit in praxi apparentibus iſtis ſignis, profuiſſe vel nocuiſſe data medicamina, quod egregie eſt praxin exercentibus, quoniam non debent ratiocinari, num ex inventis in ægris ſymptomatibus hæc vel illa cauſa lateat purgationem indicans. Quia vero multo facilius memoriæ mandari poteſt, ſi primo proferantur omnes

nes notiones cacochyliæ, & dein dicatur, in cacochylia convenire purgans, quam ſi toties repetantur phænomena, utile eſſe ratus ſum aſſignata phænomena exagitare, ut pateat, ea provenire ex Cacochylia inteſtinorum, ut feci ſupra (*Aph.* 127) pro vomitorio in Cacochylia ventriculi Per Cacochyliam hìc intelligo humorem crudum, vel indigeſtum, vel ſpontanea corruptione affectum, præprimis hærentem in cavo inteſtinorum vel vaſis Meſentericis: vaſa autem lactea valvulis inſtructa ſi quid contineant, remittere nequeunt verſus inteſtina; ſed vaſa tam arterioſa quam venoſa ſucco alieno plena per oſcula patentia in papillis inteſtinorum, contentum humorem in cavum inteſtinorum deponere poſſunt, ut evacuetur. Talis crudus in his partibus hærens humor omnium commodiſſime per purgans ejici poteſt & debet, nam purgans, ut notavimus, non ſolum auget motum inteſtinorum, ut contenta ejiciat, ſed etiam auget humorum directionem verſus inteſtina. Atque debet dari, quoniam corruptus ille humor ſenſim deteriorem inducit corruptelam; difficile poteſt ejici ex inteſtinis per vomitum; & vaſis abſorptus totam maſſam inquinat.

II. Quid deſignet Ventris Tormen, indicavimus, (*Aph.* 121): iſtud autem oriri poſſe ex cacochylia & egere purgante, hoc loco eſt adſtruendum. Quivis alienus humor contentus in quadam cavitate humida & calida, præcipue ſi ſimul accedere poteſt aër, per inſitum ſuum motum naturalem corrumpi incipit, tam in corpore noſtro, modo non cohibeatur corruptela per actionem vitæ, quam extra corpus in ſimili loco calido & humido. Poſt peractam illam corruptelam duo inveniuntur, nempe magna nata eſt copia aëris, qui per actionem putredinis eſt liberatus & ita elaſticus factus: atque relictus humor, qui etiamſi antea erat mitis, nunc invenitur acris, & quo diutius agitatur, eo redditur acrior. Hoc acre ſtimulans inteſtina, vel & vaſa meſenterii, motum inordinatum excitat cum dolore, & quia adeſt ſimul multum aëris in inteſtinis, is inordinate propulſus per inæqualem inteſtinorum internam ſuper-

Ventris tormina ex cacochylia.

ſuperficiem ſonum format in ventre. Hæc tria juncta, Dolor, Motus inæqualis inteſtinorum, & Murmura ventris, vocantur Tormina. Quæ medicamenta ergo liberant Inteſtina & Meſenterii vaſa ab eo humore acri, curant quoque Tormina, qualia ſunt Purgantia; ſed ut conſtet, hæc Tormina oriri ex Cacochylia, cetera ſigna adeſſe debent cum abſentia febris, quum Tormina ſola ex variis poſſint oriri cauſis, ut paſſim demonſtravimus, quæ uſum purgantis vetarent.

Genuum gravitas ex Cacochylia.

III. Duplex eſt genus gravitatis, alterum ex copia, alterum ex virium defectu. Quid ex his ſit intelligendum, clare patet, quia nulla mentio fit tumoris, qui ſemper jungitur copiæ, in hoc loco diminuta potentia movendi eſt intelligenda. At vero omnia corpora debilitata, cacochymica, ſcorbutica conqueruntur de genuum gravitate, quare incertum eſſet indicium cacochyliæ, niſi cetera adjuncta eſſent ſigna, quæ judicium firmant. Quomodo autem ex Cacochylia generari poſſit Genuum gravitas, operæ pretium eſt rimari. Dum primæ viæ crudo ſcatent, reliquum corpus utili & præparato chylo privatum redditur laſſum & debilitatum; ſed præprimis muſculi, qui movent genua, quoniam tollere debent totum corporis pondus, & quia nervi ad meſenterium tendentes & ad hos muſculos ex eadem fere veniunt origine, ut ita meſenterii & inteſtinorum nervi cacochylia in ſua actione oppreſſi, reliquos ad femora tendentes, magis quam alios in conſenſum trahant. Niſi demonſtratum ſuiſſet, genuum gravitatem generari ex cacochylia, & eam tolli poſſe purgante, paradoxum videretur, aliquem velle purgante mederi genuum gravitati, quod nunc vero ſatis plane conſtat.

Lumborum dolor ex Cacochylia.

IV. Ut præcedentia phænomena ex variis naſcuntur cauſis, ita etiam lumborum dolor, nam non ſolum variæ cauſæ dolorem inferentes lumbos infeſtant, ſed etiam partes variæ ad lumbos locatæ, vel lumbos in conſenſum trahentes, diverſas ſpecies doloris lumborum inferunt: ut ſæpe exercitatiſſimi in arte rimari nequeant, qualis ſit doloris cauſa, & qui locus affectus. Si vero Lumborum dolor conjuncta habet

habet annumerata ſigna, utplurimum ex cacochylia meſenterii & inteſtinorum provenit, quæ ibidem colligitur, quoniam motus vermicularis debilior non valens præparare & digerere aſſumta, permittit hic colligi: atque collecta cacochylia, ſuo pondere tendens meſenterium lumbis annexum, facit dolorem plerumque gravativum, qui interdum unico purgante levatur, vel ſervata alvo laxiore perfecte curatur. Cuncta hæc ſigna adeſſe debere ſine febre recte monet Auctor, quia ſæpe illa omnia conjuncta ſunt ſymptomata febris, vel morbi inflammatorii vel eryſipelatoſi, in quibus non conduceret Helleboro purgare.

LIB. IV. APH. XXI.

131. *Dejectiones nigræ, qualis ſanguis niger, ſponte prodeuntes, & cum febre, & ſine febre, peſſimæ. Et quanto colores dejectionum plures fuerint pejores, eo deterius: cum purgante autem melius, quoque plures colores fuerint non pravi.*

I.

ANte omnia conſtare debet ſenſus hujus Aphoriſmi, ut deinceps veritas & uſus dictorum facile intelligi poſſit. Agit in hoc Aph. de ſignis ex alvi excrementis deſumendis, proponit Dejectiones nigras, atque coloris varii, & primo Sponte cum vel ſine febre; dein per Medicamentum purgans. In his obſervat colores in excrementis conſpectos malos eſſe, ſi ſponte fiant dejectiones diu durantes; ſed meliores eſſe ſeu minus malas dejectiones, ſi a purgante dato fiant. Multas igitur ſcitu neceſſarias complectitur ſententias, quas ſigillatim expoſituri ſumus.

II. Alvum reddere fæces nigras ex variis cauſis, notavimus (in *Comp.* T. 90, xx.) quæ majus minuſque periculum

Quid ſint nigræ dejectiones.

portendunt, prout diverſa eſt cauſa. Quia vero hoc loco declarat peſſimas, quædam adjecit epitheta, ut hæc nigra Dejectio decernatur a reliquis; nempe debet eſſe qualis ſanguis niger, ſed quia ſanguis niger poteſt eſſe ſolutus vel grumoſus, hoc loco acciperem ſanguinem nigrum ſolutum, aliter enim adjeciſſet *Grumoſus.* Hanc quoque diſtinguit ab Atræ bilis evacuatione, quæ habet acrimoniam & quæ terram fermentat, ut recte ad hunc Aph: notat Galenus, quoniam in ſequente Aph. de Atra bile agit. Hæc dejectio ſponte debet fieri, non unica vice, tanquam ex vomica vel varice rupta, ſed debet continuari per aliquod tempus, quod ἰόντα deſignat. Denique ſponte cum vel ſine febre, ergo intelligit evacuationem ſanguinis nigri ſoluti, qui ſponte per aliquod tempus evacuatur.

Nigræ dejectiones peſſimæ.

III. Hæ nunc nigræ dejectiones cum vel ſine febre declarantur peſſimæ, quoniam obſervavit Auctor poſt tales dejectiones fere ſemper mori homines. Galenus autem dicit, *quamplurima ejusmodi excrementa peſtilentiali morbo illo longo vidimus, quæ non magis in iis, qui pernicioſe, quam qui ſalutariter ægrotarunt, apparebant.* Qua ſententia infringi videtur prior. Videndum ergo eſt, num ipſa evacuatio inferat mortem, an vero ſit ſignum latentis mali. Ipſa dejectio declarat, ſanguinis maſſam intus contentam ita corruptione eſſe ſolutam, ut vaſis Meſentericis non amplius coarceri poſſit, ſed perpluat in inteſtinorum cavitatem: nam ſi flueret per hepar ſeu porum bilarium, ſanguis ille non eſſet niger, ſed flaveſcens. Arguit ergo illa dejectio ſummam ſanguinis venæ portarum vel arteriæ meſentericæ ſolutionem inductam putredine. Quæ putrilago ſanguinis actione vitæ raro emendatur; unde indicia putrilaginis ſemper peſſima cenſentur, præprimis ſi ſimul quædam fiant putredinem promoventia, ut eſt evacuatio major debilitatem virium inducens, ut fit hac dejectione, quum actione vitæ reliqua maſſa ſanguinis bona erat conſervanda, quibus viribus detractis conceditur facilior ſpontanea corruptela. Quia vero addit *Cum vel ſine febre*, duplicem videtur innuere velle putrilaginem. (1) Si febris validior ita corrumpit ſan-

ſanguinem, ut ex lentore confecto convertatur in materiem ſphacelatam (*Comp.* T. 90. XXVII.) (2) Si ſanguis minus motus ſine febre corripiatur ſpontanea putredine, liqueſcit etiam in putrilaginem nigram fœtentem, amiſſa ſeu exſtincta omni potentia concreſcendi, ut ſæpe obſervamus in diu periculoſe decumbentibus cum ſumma debilitate ſine febre, per alvum reddi ante mortem. In his omnibus morbis etiam hodie obſervamus, ſi fiant Dejectiones nigræ, mortem inſtare, niſi forſan aliquis benignitate eluctetur. Quare ſummo jure hæ dejectiones peſſimæ ſunt cenſendæ, uti etiam morbi peſtilentiales, etiamſi unus alterve evadat.

Nigræ dejectiones a purgante meliores.

IV. Si nigræ illæ dejectiones ita cenſentur peſſimæ, paradoxum videtur, quod, a purgante ſi reddantur, dicantur meliores: ſed ſi res ipſa intelligatur, non modo plane conſtabit, ſed & magnam habet utilitatem. Nam ſi abſolute poſuiſſet nigras dejectiones peſſimas eſſe, certe ſi poſt purgans datum apparuiſſent, ſummum terrorem inducerent: propterea recte adjecit Meliores eſſe, non quod ſint laudabiles ejectiones, ſed minus periculoſæ, quam ſi ſponte fiant & per longum tempus, cum talis dejectio prodiens a dato purgante non arguit putrefactum eſſe ſanguinem, ſed ſanguinem nigrum, qualis ſemper continetur in vena portarum, vi purgantis per dilatata oſcula in cavum inteſtinorum fuiſſe elicitum, & ita evacuatum, quæ evacuatio quoque ceſſat finita operatione purgantis: quare hæc evacuatio minus periculoſa eſt cenſenda.

Dejectionum colores plures pejores ſunt deteriores.

V. Inter colores excrementorum etiamſi niger cenſeatur peſſimus, non tamen reliqui colores omni malignitate carent, ſi obſervantur in dejectionibus ſponte prodeuntibus & diu durantibus cum vel ſine febre. In his duas proponit ſententias, primo colores plures, & dein inter iſtos pejores. Naturalis color excrementorum ad flavedinem accedens eſt unicus, ſi autem plures in fæcibus inveniuntur, illi notant alienos humores tingentes fæcibus admiſtos eſſe; quo igitur plures diverſi in fæcibus inveniuntur colores, eo quoque plures adſunt humores morboſi in corpore,

quod ſemper malum eſt, ſi varii hi morbi diu durant, ut ex indiciis excrementorum colligitur. Sed ſi ex coloribus iſtis conſtare poteſt, num ſint humores evacuati, magni vel parvi morbi, eo majus erit periculum, quo major deſignetur morbus per aliquem colorem. Attamen hi colores prodeuntes per medicamentum purgans ſunt parvi periculi, vi enim medicamenti varii poſſunt elici humores, vel ipſum medicamentum ſuo quoque colore inficere poteſt fæces, ut patet in Polypodio, Rhabarbaro, Caſſia, & ſimilibus, quando ex colore eo nihil boni vel mali eſt exſpectandum.

LIB. IV. APH. XXII.

132. *Morbis quibuſvis incipientibus, ſi bilis atra vel ſurſum vel deorſum prodierit, lethale.*

I.

IN præcedente egerat Hipp: de omni dejectione nigra in morbis, hic vero ſpecialiter agit de evacuatione nigra, quæ provenit ab atra bile, in qua determinat primo tempus evacuationis, & dein loca, per quæ fit, nempe ſurſum & deorſum: atque concludit talem evacuationem eſſe lethalem. Tempus eſt morbis incipientibus, quod idem notat quam morbi principium (*Aph.* 24, IV). Hoc tempus quia expoſuimus, non eſt opus repetere. Ibidem autem egit de morbis acutis, hic vero de morbis quibusvis incipientibus, ergo non ſolum damnat talem evacuationem in acutis & ardentibus, qui cum febre valida incipiunt, ſed & in aliis, qui ſine tali vehementia inchoant, & non ſolent ſervare tempora critica. Ergo ita ſentiendum eſt de hac ſententia, ſi bilis atra evacuatur ſtatim in principio morbi, per commotionem morbi, vel quod in corpore primo concitet morbum & dein ſurſum vel deorſum erumpit, talis evacuatio eſt lethalis.

II. Quum

II. Quum veteres triplicem posuerunt Atram bilem, Nutritiam, Excrementitiam & Morbosam, primo determinanda est species ex his. Quoniam vero Auctor dicit atræ bilis evacuationem lethalem esse, nullus dubitare potest, quin hoc loco intelligat Atram bilem morbosam, quæ has habet notiones: (1) Nigredinem: (2) Splendorem: (3) Tenacitatem summam, aut fluorem non concrescibilem: (4) Acrimoniam variam; vel Austeram; vel Acidam terram fermentantem; vel Putridam cum summo fœtore; vel Rancidam urentem. Hæc materies atrabilaria non subit coctionem aut præparationem, ut alii humores, qui actione vitali patiuntur mitigari, sed quo magis hæc materia agitatur, eo redditur acrior.

Qualis Atra bilis hic intelligitur.

III. Atra bilis seu materia melancholica, sive nata sit ex sanguine nigro lentescente, sive ex pinguedine vel bile corrupta in nigredinem commutata, quamdiu non acquisivit acrimoniam, vel nimia copia collecta in vena portarum sine multa molestia diu latitare potest in corpore ceteroquin sano. Sed si accedente corruptione acquirit acrimoniam, loca in quibus diu collecta hæsit, exagitare incipit, multa & varia anomala symptomata inducit: viscera enim ventris in motum inordinatum & perturbatum concitat sua acrimonia stimulante: sæpe etiam inficit transfluentes humores, atque ita totum corpus perturbatum facit morbi principium. Si tunc sursum vel deorsum erumpit atra bilis, exesis vel dilatatis finibus vasorum meseraicorum vel pori bilarii, raro eluctabitur æger hunc morbum, nam atra bilis corrupta in ventriculum & intestina effusa corrumpet ibidem omnes confluentes humores, tantumque concitabit in his partibus motum, quem æger ferre non poterit: imo quæ materia corrupta tamdiu hæsit in vena portarum, etiamsi omnis hac via evacuaretur, quod vix sperandum est, impurum & admodum corruptum locum relinqueret. Si ergo morbi incipiunt ex corrupta atra bile, non immerito Auctor pronunciabit mortem instare. His autem in locis septentrionalibus multo rarius hic morbus occurrit, quam in regionibus calidioribus, in quibus ha-

Cur atra bilis sursum vel deorsum erumpens, lethale?

bitavit Hippocrates: vidi autem iſtos, in quibus nec per narcotica potui compeſcere dolorem, nec per adſtringentia cohibere evacuationem. Si vero corpus atra bile non admodum acri onuſtum ſit, & corripiatur morbo quovis alio, in cujus principio redditur vi iſtius morbi atra bilis ſurſum vel deorſum, peſſimum quoque eſt ſignum; notat enim atræ bilis abundantiam; ejus evacuatio tantum tunc debilitat, ut vires debilitatæ hunc aggredientem morbum ſuperare non poſſint; atque atra bilis humoribus miſta inhibet alterius morbi coctionem, ut tandem æger, copia atræ bilis, & vi morbi accedentis pereat.

LIB. IV. APH. XXIII.

133 *QUibuscunque, ex morbis acutis, aut ex diuturnis, aut ex vulneribus, aut aliter quocunque modo extenuatis, bilis atra, vel qualis ſanguis niger, prodierit, poſtridie moriuntur.*

I.

IN *Aph.* 131 damnavit dejectionem nigram, inſtar ſanguinis nigri, ſponte prodeuntem: in *Aph.* 132 etiam damnavit dejectionem bilis atræ, ſed in incipientibus morbis. Hoc loco pronunciat poſtridie mortem, ſi hic vel ille humor prodierit in extenuatis (*Aph.* 32, III). Quia omnes illæ partes ſuperius ſunt expoſitæ, perpendendum ſolummodo erit, in quibus extenuatis nigra hæc evacuatio inſtantem mortem præſagit.

Qualis extenuatio hic intelligitur.

II. Extenuatio a macie diſtingui poteſt, quod macilenti æque cenſeantur ſani, quam obeſi. At Extenuantur nunquam corpora ſine ſanitatis detrimento. Sive in hoc loco non concipitur ea Extenuatio, quæ multis laboribus vel inedia comparatur, redigitque corpora obeſa ad mediocrem craſſitudinem, aut corpora ſana ad ſanam macilentiam; ſed quan-

quando corpora per morbum quemcumque ad ſummam macilentiam cum debilitate & perſeveratione morbi maciem inducentis, rediguntur. Arguit talis Extenuatio plus humidi e corpore auferri, quam accipit ex nutrimentis. Vitium igitur in his utrisque quæri poteſt. Sed quoniam Auctor addit morbos Extenuationem inducentes, inedia aut labor hic recenſeri non poteſt. Si morbus Extenuationem nimiam inducit, (nam ſemper a morbo corpora aliquomodo extenuantur *Aph.* 53, v), denotat humores in tali corpore deliqueſcere & nimis evacuari. Habetur igitur in tali corpore extenuato humorum tenuitas cum putredine liquefaciente, quod vix valet emendare medicina. Tenuitas enim ſola vitæ actione compingi poteſt in ſanam & mediocrem ſpiſſitudinem, quæ actio vitæ in hujuſmodi extenuatis debilior eſt, quam ut de hac compactura aliquid ſperare poſſimus. Putrefactum in corpore natum difficulter emendatur. Quare omnes morbi colliquativi periculoſi, & curatu difficiles.

III. Nimiam Extenuationem ex febre infirmitatem præſagire, ſuperius (*Aph.* 53, VI) notavimus, eadem quoque ratio non ſolum valet in Acutis, ſed eſt major, nam acuti inflammatorii, aut eryſipelatoſi, ut & maligni ſi converſi fuere in colliquationem, nulla ſpes coctionis reſtat, quum putredo liquefaciens non ſolum morbi materiem, verum etiam reliquos humores ſanos ita diſſolvit, ut undique effluant. Miror ſæpe, quapropter morborum acutorum mutatio tam frequens, non cenſeatur a Dogmaticis inter naturales eorum morborum exitus, dum tamen converſio in ſcirrhum, quæ raro fit, ab omnibus aſſignetur. Inde forſan eſt, quod medicinam exercentes toties fallantur in prognoſi, ſi morbus acutus tranſeat in colliquationem, quum hanc mutationem non audiverunt ab anteceſſoribus ſuis. Extenuatio a morbis acutis.

IV. Ut morbi acuti nimio motu vitali vires deterentes tandem humores in putrilaginem convertunt brevi tempore, ſic ſenſim in morbis chronicis a motu vitali debiliori permittitur ſpontanea corruptio tarde procedens, qua tandem A morbis diuturnis.

dem omnes humores eo uſque liqueſcunt, ut fiant inepti functionibus peragendis, &, ad emunctoria delati, ſponte & nimis copioſe effluant. Ita obſervavimus ptyaliſmum, urinæ & alvi profluvium, ſputi tenuis & copioſioris evacuationem, ſudorem colliquativum, poſt inductam ſummam extenuationem, ſine ulla febre, ſed cum ſumma debilitate tandem induxiſſe mortem. Pallent hi ægri toto corpore, horrent frequentiſſime, & frigent cum corporis extenuatione & debilitate, ceteroquin ſatis commode degunt, vix medicinam expoſtulantes, tandem placida mors obrepit.

Ex vulneribus.

V. Vulnera, vel ut morbi chronici corpus debilitantia, vel nimia profuſione ſanguinis aut aliorum humorum, ita exhauriunt vires, corporiſque naturales ſuccos, ut deſtructo æquilibrio inter quantitatem humorum & actiones agentes, omnes functiones langueſcentes permittant bonos humores in ſpontaneam corruptelam degenerent, atque ita ſummam extenuationem inducant. Inde igitur conſtat, non ſolum morbos acutos & chronicos internos, ſed etiam externos vi allatos, ſi inferant nimiam Extenuationem, periculoſos eſſe, ut eſt contuſio, uſtio, fractura, luxatio & ſimiles morbi.

His evacuatio nigra, poſtridie moriuntur.

VI. De his nunc ita Extenuatis pronunciat, ſi evacuent Atram bilem, vel humorem nigrum inſtar ſanguinis nigri, poſtidie mori. Tam brevem inſtantem mortem non exſpectamus ex ejuſdem materiæ nigræ evacuatione, ſi non præceſſerit illa Extenuatio; ergo aliquid ſpeciale in his fieri debet, quod tam cito vitam exſtinguit. Qualem hic intelligit Auctor evacuationem, non conſtat inter Commentatores, an ſolam alvi egeſtionem, an etiam vomitum, an vero quamcumque. Sed quoniam Auctor dicit generaliter *Prodierit*, atque in præcedentibus aphoriſmis egit primo de dejectione per alvum, deinceps vero de evacuatione ſurſum & deorſum, atque denique in hoc Aphoriſmo de generali evacuatione in omnibus morbis, non ſine ratione concludendum eſt, Auctorem hic non ſolum intelligere nigram evacuationem per alvum & vomitum, ſed per

quo-

quodcumque emunctorium. Ut igitur conſtet, cur extenuati ſi reddunt Atram bilem vel humorem nigrum inſtar ſanguinis nigri, ſequentia ſunt perpendenda. Corpora ita extenuata, omnibus fere humoribus ſunt privata, & infirmiſſima, qui reſtant humores, ſunt tenues & corrupti, his ſi ſuperveniat evacuatio materiæ nigræ, ſive ſit atra bilis ſive ſanguis niger corruptus & ſolutus, talis evacuatio & ut ſignum & ut cauſa, valde mala eſt: nam nigra prodeuntia declarant, nihil aliud præterea reſtare, quam nigrum hoc corruptum & liquefactum, quod ineptum eſt ad ſuppeditandos humores functionibus exercendis. Atque id minimum, quod adhuc reſtabat, cum hac evacuatione eliminatur, quare talis homo defectu humorum a longo tempore laborans, nunc ulterius privatus, nihil ampliùs habet, quod vitam ſuſtentare poteſt, unde brevi tempore moritur.

LIB. IV. APH. XXIV.

134. *Dyſenteria, ſi ab atra bile inceperit, lethale.*

I.

ALvi difficultas, Tormina, & Dyſenteria etiamſi multis Medicis idem deſignant, atque alvi cruenta egeſtio omnis vocatur Dyſenteria, puto tamen, inter dicta nomina differentiam eſſe ſtatuendam; nam Alvi difficultas dolorem ventris & alvum conſtipatam deſignare poteſt; Tormina frequentiſſime Medicis denotant ventris dolorem cum inteſtinorum veluti contorſione; & invenitur Cruenta alvi egeſtio cum & ſine dolore. Si ergo cuncta hæc vocentur Dyſenteria, incertus ſemper hæreo quemnam morbum per Dyſenteriam intelligere debeo. Quapropter tot phænomena conjuncta ſunt enumeranda, quæ ſemper præſentia eſſe debent, ut morbus ille conjunctis phænomenis

Quid ſit Dyſenteria.

conſtans, conſtanter vocetur Dyſenteria. (1) Adeſſe debet alvi egeſtio copioſior & frequentior, atque aliquamdiu continuata, ſine Medicamenti exhibitione concitata, deponens alvus excrementa varia, non vero chyloſa. Si enim copioſe fiat, ſed ſtatim deſinit, amittit Dyſenteriæ nomen, aut ſi excitetur ab aſſumpto purgante, vocaretur enim Hypercatharſis: ſi alvus deponit chyloſum, potius ille morbus refereretur ad Lienteriam. (2) Præter dejectionem illam adeſſe debet ventris dolor ſeu Tormen, unde a Celſo vocatur Tormina, ſine quo vocaretur Diarrhœa, & ſola tormina ſine dejectione pertinerent ad Colicam vel Iliacam paſſionem. Si ad dejectiones has & ventris tormina accedat vomitus frequens, vocatur Cholera, præprimis ſi bilioſa ejiciuntur. Dum loco excrementorum liquidorum emittitur ſanguis, vocatur Dyſenteria cruenta; ſi vero continuo emittuntur flatus ſine excrementis, dicitur Dyſenteria ſicca. Quare alvi egeſtio frequens cum ventris dolore vel torminibus veram ideam Dyſenteriæ exhibet.

Cur dyſenteria ab atrabile incipiens, lethale.

II. Generaliter ſuperius (*Aph.* 132, 111) demonſtravimus, atram bilem ſurſum vel deorſum erumpentem incipientibus morbis lethale eſſe. Cur autem poſt hanc generalem regulam hic proponendus ſit ſpecialis caſus, qui non facit exceptionem, neque adducitur ad probandam regulam generalem, mirum forſan videbitur. Puto autem hunc brevem ſpecialem aphoriſmum non ſine ratione ab Auctore fuiſſe notatum, quum paſſim in Melancholicis inculcavit dejectionem atræ bilis etiam in principio prodeſſe, ſed ex hoc Aphoriſmo conſtat, illam dejectionem fieri non debere cum Dyſenteria, id eſt ventris ſimul torminibus, quoniam tormina illa declarant, in atra bile tantam eſſe acrimoniam, ut poſſit inferre dolorem. Illa igitur atra bilis in vena portarum tam diu collecta, donec hanc acquiſivit acrimoniam, & tandem erumpens, cum levamine evacuari nequit. (1) Relinquit locum infectum, in quo hæſit. (2) Facile inteſtina exulcerat. (3) Conficienda alimenta in inteſtinis coinquinat. (4) Facile cum iis intrat & turbat totum corpus. (5) Poteſt ita acris facta perrodere vaſa tenera hepatis, & multa alia mala patrare. Quare tales homines raro evadunt.

LIB. IV. APH. XXV.

135. *Sanguis ſurſum quidem emiſſus, qualiſcunque ſit, malum: Deorſum vero niger dejectus, bonum.*

I.

Qui putaret, hoc loco intelligendam eſſe omnem ſanguinis evacuationem ſurſum & deorſum, in exercenda praxi turpiter erraret, & ſæpe alienam pro ferret prognoſin: nam hæmorrhagiæ narium ſæpe ſalubriter fiunt, & ex faucibus excreatu rejectus ſanguis non multum periculi portendit: ſed qui ex pulmonibus vel ventriculo redditur, ſemper eſt mali ominis, & nunquam, niſi caſu prodeſt vel non multum periculi portendit. Quare pro ſanguine ſurſum emiſſo accipiendus eſt vomitus cruentus & Hæmoptyſis. Idem quoque verum eſt de ſanguinis evacuatione deorſum; rariſſime enim per urinæ vias cum bono indicio redditur ſanguis niger; &, qui ex ruptis vaſis meſentericis in inteſtina deponitur, non caret periculo; verum ex hæmorrhoidalibus veniens, qui ſemper eſt niger, melancholicis ſanitatem adferre ſolet. Quare pro ſanguinis nigri dejectione accipiendus eſt hæmorrhoidum fluxus modicus. Si autem concipimus ſanguinem nigrum in inteſtinis concretum, tunc recte inquit Galenus, pro *bonum* dicendum eſſe *minus malum*; nam ſi ſanguis ſine mora deſtillat, deſignatur vas aliquod hiare, & ſanguinem fundere, ſed ſi primo concreſcit, ſpes eſt conſolidationis, ut etiam experimur in narium hæmorrhagiis.

Qualis ſanguinis evacuatio ſurſum & deorſum hic intelligitur.

II. Sanguinis evacuationem prodeſſe & nocere poſſe, alibi demonſtratur, ſanguinem coloris varii ſalubriter & cum damno emitti aliis in locis eſt exponendum: verum cur qualiſcunque ſanguis, & quacunque quantitate emittitur, malum cenſetur, hoc loco exponendum eſt. Hæc malignitas

Cur vomitus cruentus & hæmoptyſis, malum?

tas vel ex ſanguinis præſtantia, ut multi exiſtimarunt, vel loci natura deduci poteſt. Sanguis autem ut ſatis ex doctrina circulationis conſtat, ſivo ex uno ſive altero ramo venæ cavæ vel arteriæ aörtæ fluat, in indole ſeu præſtantia tantum non differt, ut inde malum vel bonum pronunciari poſſet Præcipua ergo ratio in organis eſt quærenda, & facile invenitur, nam tam ex ventriculo, quam pulmonibus contra naturalem legem gravitatis ſurſum pellendus eſt ſanguis, qui propterea propria ſua gravitate facile ſubſiſtit in dictis viſceribus effuſus. In ventriculo hærens nauſeam & vomitum creans, facit, ut debita quies non concedatur vaſculis conſolidandis, ex quibus apertis continuo ſtillat ſanguis. In pulmonibus per continuam reſpirationem non minus difficilis conceditur conſolidatio, & ſi accedat tuſſis, cum impetu extruditur ſanguis, qui collectus in bronchiis & veſiculis pulmonalibus, aëri nudo expoſitus in loco calido, facile putredinem accipiens, frequentiſſime pulmonum ulcus & phthiſin infert.

Quando hæmorroidum fluxus, bonum.

III. Quibus in vena portarum major ſanguinis nigri copia collecta eſt, ſive intulit per reliquum corpus alios morbos, uti melancholiam, maniam, aut quemcumque alium morbum, qui atræ bili adſcribitur, ſive ſolummodo latens hic hæreat, his inquam ſanguinis nigri dejectio ex venis hæmorrhoidalibus prodeſt, quæ detrahit illam abundantiam, modo non ſit nimis copioſa evacuatio, vel diutius durans. Hæc autem ſalubris evacuatio ſanguinis ex venis hæmorrhoidalibus in locis calidioribus frequentius obſervata fuit ab Hipp: quam a nobis in regionibus frigidioribus & ſeptentrionalibus.

LIB. IV. APH. XXVI.

136. *SI a Dyſenteria detento velut carunculæ ſeceſſerint, lethale eſt.*

I.

QUid veteres intellexerunt per Dyſenteriam, ſuperius (134, 1) expoſuimus; hoc autem loco non dicit generaliter in Dyſenteriæ omni tempore, ſed ſi aliquamdiu duravit, hoc notatur enim a Dyſenteria detento, ut inde non ſit conjiciendum in incipiente dyſenteria ſi velut carunculæ ſeceſſerint, lethale eſſe ſignum: quum ſæpe mucus in lacunis inteſtini concretus in principio dyſenteriæ ejiciatur referens carunculas, quæ tamen excretio non eſt lethalis. Sed ſi diu duravit Dyſenteria, hujuſmodi mucus concretus evacuari nequit, cum non concedatur in his tempus ſufficiens ad concretionem. Unde certi ſumus, ſi in vetuſta Dyſenteria reddantur carunculæ, iſtas partes ſecedere ab ipſis inteſtinis: nam carunculæ σάρκες hic non ſolum denotant corpuſcula ſphærica ſeu globoſa carnei coloris, ſed etiam ipſas membranas & filamenta. Quare ſi talia exeunt, deſignatur, portionem inteſtini eſſe mortificatam & una cum aliis excrementis evacuari, quod periculoſiſſimum eſt, quum in tanta mortificatione vel exulceratione raro maneat inteſtinum clauſum, & ita devoluta excrementa in ventris cavum reliqua adjacentia coinquinant & ita mortem inferunt corpori præcedente nimia evacuatione debilitato. Poteſt tamen eſſe, ut quædam lacunæ inteſtini recti exulceratæ emittantur, & tandem homo multas miſerias paſſus moriatur, ſed quoniam a tali morbo plerumque moriuntur, non ſine ratione pronunciavit Auctor, lethale eſſe ſignum. Si in tali caſu vocaretur Junior Medicus, omnino incertus hæreret, quid eſſet agendum, quum topica externa nulla novit applicare; clyſma injectum ultra locum

affectum fertur; interna data Medicamenta priusquam locum attingunt, sunt corrupta & mutata. Maximum commodum & utilitatem expertus sum hujusmodi in morbis intestini recti, si formentur parvæ turundæ ex terebinthina & melle ad consistentiam coctis, aliis consolidantibus mistis, quæ aliquoties de die indantur, præcipue toties ac alvus fuit exonerata.

LIB. IV. APH. XXVII.

137. *Quibus per febres sanguinis copia undecunque eruperit, in refectionibus, his alvi humectantur.*

I.

EAndem sententiam repetit Auctor in *Coacis* binis in locis, nisi quod in uno loco dicat, *Magnæ in principiis sanguinis eruptiones, circa refectionem alvos humectant.* Quare non præcipitanter hæc sententia est prolata, sed quia hæc sæpe ab Auctore vel ejus antecessoribus fuit observata, hanc regulam plusquam uno loco voluit posteritati relinquere, ut non mirentur medici videre alvum laxiorem, quæ ita fuit constipata in principio; & ut caveant progrediente tali morbo propinare purgans, quod tunc facile hypercatharsin induceret.

Quomodo sanguinis eruptio alvum humectat.

II. Hippocratis scopus non est in hoc Aph: cuncta bona & mala recensere, quæ ex sanguinis eruptione oriuntur, sed duntaxat notare in his, circa refectionem alvum fieri laxiorem. In hac sanguinis evacuatione notat copiam majorem, & ita excludit omne sanguinis stillicidium: & addit *undecunque*, sive per naturales, sive præternaturales, sive per artificiales vias emittatur sanguis, semper debemus alvum humidiorem exspectare. Qui continua febre vel morbo acuto laborat, ejus semper corpus est siccum, & prompte humidum applicatum imbibens: hoc itaque tempore

pore quidquid liquidi eſt in excrementis inteſtini coli, ſimul abſorbetur, ſolæ fæces duriores, quæ abſorberi nequeunt, relinquuntur: quare naturale eſt in hujuſmodi morbis, ut alvus ſit conſtipata & reddat fæces compactas, ſiccas. Si vero demonſtrari poteſt, ſanguinis largam evacuationem, tam naturalem, quam artificialem, minuere hanc abſorptionem & ſiccitatem, ex ea demonſtratione liquebit facile, alvum quoque humectari debere. Sanguis autem compactus in lentorem ſi continuatur compingi per motum validum vitalem, ſenſim in majorem ſpiſſitudinem condenſatur, & quidquid compingi nequit, id valido hoc calore & motu inviſibiliter evaneſcit: ſi vero magna dematur ſanguinis portio, ut aliquomodo deſtruatur æquilibrium, protinus ceſſat ille calor major & actio vitalis validior, atque ita compacti humores iterum liqueſcunt, atque validior contractio firmarum partium dimittitur, ita ut loco cutis ſiccioris, generetur ſudor copioſior cum temperato calore. Quemadmodum in cute convertitur ſiccitas in humiditatem, ita etiam in inteſtinis, quæ per receptam humiditatem etiam reddunt excrementa liquidiora. Inſuper alimenta & potulenta aſſumpta circa refectionem minus abſorpta adjuvant liquiditatem alvi. An vero hoc conducat convaleſcentibus, non addit Auctor. Sed judicandum eſt alvum modice laxam hoc tempore conducere, ſed ſi nimis fluat, nimiam debilitatem indicat, & ſanitati obeſt, quoniam determinatio humorum ad inteſtina invertit naturalem criſin per cutim, per quam ſalubriter febrium materia ſolet evacuari, & quoniam nutrimentum in inteſtinis confectum ſimul eliminat.

LIB. IV. APH. XXVIII.

138. *Quibus biliosæ sunt egestiones, surditate superveniente, cessant. Et quibus surditas, biliosis supervenientibus, cessat.*

I.

SI auctoritate esset disputandum, multa mihi essent in promptu loca ex Hipp: & aliis hanc adstruere sententiam, ex quibus omnibus hoc solum colligi potest, hoc sæpissime a Practicis in ægris detectum & verum inventum, ut etiam indicavimus *Comp.* T. 90, XLIX. Sed detegimus etiam alvi egestionem biliosam non tollere aut curare surditatem; atque surditatem obortam non compescere semper alvi egestionem biliosam. Operæ pretium igitur erit rimari, quid notet alvus biliosa, & qualem surditatem inferat, quænam etiam surditas alvi egestione biliosa levetur.

Qualis surditas intelligatur.

II. Facile concipitur, omnem surditatem depravato organo auditus natam tolli non posse alvi fluxu, sive sit biliosus vel alius, neque illam, quæ prævenit a surditate in meatu auditorio vel tympano hærente: quare ea est concipienda surditas, quæ oboritur in febribus, quod morbi generalis materia feratur ad aures seu nervum acousticum, uti fieri solet, si morbus acutus metastasim moliatur per Parotides, in morbis Acutis Inflammatoriis, Purulentis & Erysipelatosis. Verum surditas talis in Inflammatoriis prævenitur hæmorrhagiâ, in Purulentis per sedimentum urinæ copiosius & purulentum, verum in Erysipelatosis, qui dicuntur etiam Biliosi, admodum conducit materiem illam biliosam evacuare per alvum, quæ evacuatio si non contingit, surditas ea in morbis biliosis præsagit Delirium. Conducit

cit ergo in tali ſurditate ducere alvum per purgantia refrigerantia aceſcentia, quum natura indicet, naturalem eſſe viam. Inanis eſt oppoſitio, nullam eſſe viam ab auribus ad alvum, quoniam non concipimus materiem bilioſam circa aures ſubſiſtentem, inde duci per viam particularem ad alvum, ſed quando materia tenuis bilioſa acris cum communi maſſa feratur ad aures, facta directione ad inteſtina cum hujus materiæ evacuatione, tunc maſſa hac materiâ liberata non poteſt impetu ſuo majore inferre ſurditatem.

Qualis alvi egeſtio intelligatur.

III. Hippocratem expertum eſſe, ſurditatem omnem in morbis ſeu febribus natam non tolli quavis alvi egeſtione, inde conſtare poteſt, quoniam nominat Bilioſam, non vero generalem, vel quamcumque aliam evacuationem. Obſervavit enim *ſuppuratis ſurditatem obortam, cruentam ſignificare egeſtionem, hisque ad finem nigra prodire.* H, a, 563. Qualis egeſtio bilioſa bona vel mala eſt. Bilioſa autem egeſtio ea eſt, quæ habet colorem flavum, eſtque tenuis, acris & calida, qualis materia accuſatur in morbis Bilioſis & Eryſipelatoſis, hæc mobilis admodum frequentiſſimam metaſtaſin facit, quare ſi feratur ad inteſtina, non amplius infeſtare poteſt caput & aures, quando bona cenſetur.

Surditas exminuta alvi egeſtione bilioſa, malum.

IV. Auctor in hoc Aphoriſmo præcipit viciſſitudinem ſurditatis cum alvi egeſtione bilioſa, ſed ſimul non monet, num ſit bona vel mala, quod tamen ex diſputatis ſuperius facile colligi poteſt; nam quemadmodum tenuis & acris materia per generalem circulationem derivari potuit ab auribus ad alvum; ita etiam materia illa per alvum evacuanda derivari poteſt ad caput, ut ibidem inferat ſurditatem, ſed quoniam tunc aliunde ducitur materia bilioſa acris, minuitur quidem ejus egeſtio per alvum, aſt non evacuatur materia e corpore, talem igitur metaſtaſin admodum malam eſſe ſentio, quoniam repit materia ad locum, ubi turbando actionem plus periculi infert, & ubi non tam commode evacuari poteſt.

LIB. IV. APH. XXIX.

139. *QUibus per febres ſexto die rigores fiunt, difficulter judicantur.*

I.

Sextus dies cur difficulter judicet.

EX iis, quæ ſupra (*Aph.* 49.) expoſuimus, facile colligi poteſt, quid ſit ſentiendum de obſervatione temporum in morbis, iſtamque obſervationem non ita inutilem eſſe, ut quidam contendunt; ſed & ſæpe mutari, prout morbus acutus ſit Inflammatorius, vel Eryſipelatoſus, vel Putridus, aut ſi aliena methodo tractetur. Ex iiſdem etiam conſtat, febrem acutam inflammatoriam, ſi viribus vitæ ſubigitur & non turbatur in ordine ſuo, vel per cauſas externas vel præpoſteram curationem, accuratiſſime ſequi dies criticos. Si ergo die alio concitantur ſymptomata, quæ criticam commotionem concomitari ſolent, ut ſunt Rigores, indicio eſt, vel non eſſe febrem inflammatoriam, ſed putridam; vel vires vitæ aut debiliores eſſe, aut inſtigatas per alienam cauſam. Omnia hæc difficiliorem ſolutionem portendunt. Sive quod ſit morbus acutus Putridus, vel Inflammatorius ab ordine turbatus. Quid notet δύσκριτα, ut habetur in Textu, verba fecimus (*Aph.* 87, III). Hoc autem loco notat, eam febrem non tam certo finituram, ac ſi Rigores fierent die ſeptimo, ſed ſæpe eam febrem continuari, vel in alium morbum abire, vel ſi deliteſcit, deinceps ſæpe recidivam facere. Hoc autem non inde dependet, quia ipſe dies ſextus, qui dicitur Vacuus, ſit malus, ſed quoniam acutus inflammatorius morbus regularis iſto die non facit criſin.

Rigores ſexto die cur mali?

II. Noſter Auctor (H. b. 27.) Rigores fieri dicit ab externis ventis, aqua, cibo, potu, aliiſque cauſis externis; fit etiam, dum recidivat morbus, vel abit in corruptelam, atque

atque ex critica perturbatione. A *febre ardente occupato, rigore accedente, ſolutio fit.* (H. a. 87.) quod repetit (H, a, 445) cum his adjunctis verbis. *In febre ardente ſi inſuper corripiat rigor, exudare ſolet.* Ex quibus, & iis, quæ in praxi experimur, concludere poſſumus, Rigorem inferri, ſi aliquid alienum applicetur organo vitali. Quod ſi id alienum ſit materia morbi præparata ad expulſionem, tunc viribus inſtigatis, id alienum nomine evacuationis criticæ expellitur: ſed quidquid præterea Rigorem infert, id ſemper malum portendit. Dum ergo ſexto die, quando raro materia critica eſt præſens & matura, fiunt Rigores, hujuſmodi ergo Rigores ſunt ſemper mali ominis.

LIB. IV. APH. XXX.

140. *QUibus exacerbationes fiunt, quâcumque horâ dimiſerit febris, poſtridie eâdem horâ ſi corripuerit, difficulter judicantur.*

I.

NOn omnes Commentatores eodem ſenſu accipiunt hunc Aphoriſmum. Galenus judicat, hic intelligi debere regularem reditum paroxyſmorum, ut nec poſtponat, nec anticipet, ſed omni die redeat eadem hora. Hurnius autem, quod reſpiciendum ſit ad horam, qua prior paroxyſmus deſiit, exiſtimat, ut ſi hora ſexta deſiit paroxyſmus, alter incipiat poſtridie etiam hora ſexta. Alii vero putant, Hippocratem voluiſſe indicare eam horam ſequentis diei, in qua deſiit febris, ut finis paroxyſmi habeatur in hora eadem, in qua ſequens paroxyſmus incipit. Cum ita deceptant Auctores, nil certi de difficili judicatione hauriri poteſt, niſi omnes hi tres modi difficilem judicationem habeant. Senſus.

II. Non laborabimus veram Hippocratis ſententiam e ruere, Judicium difficile ex

paroxyſmis rimari.

ruere, quum in obſervatione & prædictione non habeat majorem auctoritatem, quam dicta Galeni & aliorum: ſed videbimus, quid ſit ſentiendum ex diverſo reditu paroxyſmi ad difficilem judicationem ſtatuendam. Præ omnibus ſciendum eſt, triplex genus febrium inveniri, nempe febres Continuas, Intermittentes, & Remittentes. At vero febres Continuæ, quia non faciunt Paroxyſmorum reditum, in hoc loco examinandæ non ſunt, ſed febres vel Intermittentes vel Remittentes. Si *febris Intermittens* regularem paroxyſmum faciat, id eſt, ſi quotidie eadem hora paroxyſmus incipiat, ut nec anticipet, nec poſtponat, talis febris non obſervatur difficilioris ſolutionis, quam quæ poſtponit vel anticipat vel vage infeſtat, etiamſi Galenus hanc profert rationem, *quæ firmata ſunt, & impacta, robuſto quodam ut dimoveantur quaſi vate opus habent, qui & longo tempore, & cum fortibus, & pluribus auxiliis adhibeatur.* Quippe noſter Auctor (Aph. 87) contrariam habet ſententiam, *In Conſtantibus temporibus conſtantes & judicatu faciles fiunt morbi: in Inconſtantibus autem inconſtantes, & difficiles judicatu.* Unde Conſtantia præmittit faciliorem ſolutionem (*Conf.* Aph. 52, II & III.) Imo ſi vires vitæ prævalentes ſunt in morbis, ſigna quoque conſtantia inveniuntur; ſed viribus labefactis omnia fiunt Inconſtantia. In febribus autem intermittentibus, quæ conſtantem paroxyſmorum reditum habuere, ſi paroxyſmi incipiunt inconſtantes fieri, cum diminutione vehementiæ & augmento virium, tunc ſæpe obſervavi facilem fieri ſolutionem, quod materia febrilis aliquomodo ſubacta non potuerit ulterius tam regularem paroxyſmum facere. Sed ſi paroxyſmi conſtantes cum diminutione virium reddantur inconſtantes, aut ſi ſimplex intermittens reduplicatur, ſemper obſervavi ſolutionem difficiliorem, quia paroxyſmi iterati aliquam induxerint corruptelam pejorem, quæ ordinem turbat. *Febres* autem *Remittentes* ſive conſtantes ſive inconſtantes Paroxyſmos faciant, ſemper ſunt ſolutu difficiles, quia ſi tales fiant ex Intermittentibus, deſignant, febrem intermittentem fuiſſe prolongatam: ſi fiant autem ex fomite latente purulento vel putrefacto,

facto, regularis vel irregularis paroxyſmus nihil boni promittit. Sed quando ſequens paroxyſmus incipit eadem hora, qua prior deſierit, valde timendum eſt, nam corpus tunc vix liberum eſt a febre. Sed ſi aliquod intervallum inter febris paroxyſmos habetur, vires recuperari poſſunt, & tales induciæ notant, tantam non eſſe morbi materiem, quæ valet continuare febrem. Quare etiam convenienter hic Aph. intelligi poteſt de reditu eadem hora, qua deſiit paroxyſmus prior.

LIB. IV. APH. XXXI.

141. *Laſſatis per febres, ad articulos, & circa maxillas maxime, abſceſſus fiunt.*

I.

Laſſitudo per febres.

QUid ſit Laſſitudo & quotuplex, ſupra (Aph. 30) obſervavimus; ex quibus colligi poteſt, Laſſitudinem tunc fieri per febres, ſi tanta ſit facta conſumtio in ſpiritibus, qui ad motum animalem ſunt deſtinati, ut inde ſimilis impotentia vel moleſtia movendi naſcatur, qualem experimur poſt multos labores: ſimulque humores & fibras muſculares per febrem fuiſſe agitatas, ut nunc magis quieſcente febre totum corpus ſentiatur quaſi laboribus fractum. Quæ ergo febris ſingulis paroxyſmis talem relinquit Laſſitudinem, quammaxime quoque minuet corporis vires, ut id, quod præparandum & expellendum ſit, non ſubigatur aut expellatur.

Cur præſagit abſceſſum?

II. Obſervavit Noſter Auctor, ſæpius circa finem hujuſmodi febris Abſceſſum fuiſſe natum ad articulos vel maxillas, quemadmodum etiam hodie in praxi comperimur: ſed illa obſervatio non ita eſt conſtans, ut ſi per febrem Laſſitudinem obſervemus, inde concludere poſſimus, ſemper eſſe exſpectandum abſceſſum. Quod ſi febris lentorem formet,

mat, qui ſenſim commutatur in purulentiam, illa nata Laſſitudinem inducit, quum ſpirituum materia generetur ex eadem gelatina, quæ motu febrili convertitur in lentorem & poſtea in pus, qua gelatina conſumta producitur laſſitudo. Ergo laſſitudo per febrem denotat, tandem gelatinam fuiſſe commutatam in purulentiam. Inde autem non ſequitur, ut formetur abſceſſus per metaſtaſin ſeu collectionem puris ad aliquem articulum; nam ſi tunc reddatur urina cum multo ſedimento albo, abſceſſus non eſſet exſpectandus. Sed ſi talis non prodit urina, dum tamen ex ſignis conſtet, purulentiam fuiſſe formatam, conjicere poſſumus abſceſſum ad aliquam partem, qui pus in ſe recipit. Quod autem talis Abſceſſus fiat ad maxillas vel Articulos, nihil arcani continet, nam generalis lex eſt, ſi materia morboſa per emunctoria evacuari non poteſt defectu virium, proxime eſt, ut deponatur ad aliquam partem externam, unde toties poſt longas febres abſceſſus fiunt ad partes exteriores ſuperiores vel inferiores. Si autem vires adhuc ſunt debiliores, ut nequeant purulentum deponere ad partem aliquam externam, pus tunc moram nectens in corpore convertitur in putrilaginem, qua homo ſæpe moritur.

LIB. IV. APH. XXXII.

142. *QUibus ex morbo reſurgentibus aliquid dolet, ibi abſceſſus fiunt.*

I.

Quomodo abſceſſus in convaleſcentibus?

IN præcedente Aphoriſmo egerat de Abſceſſu exſpectando circa finem morbi ſeu febris, hoc autem loco non ſolum brevi ſententia prælagit Abſceſſum finito morbo, ſed & magis determinat abſceſſus locum: nam in præcedente docuit, ex materia purulenta in corpore nata & non

non evacuata, quæ inducebat laſſitudinem, exſpectari poſſe abſceſſum ad aliquam partem; verum ſi jam materia purulenta ſedem figere incipit, facile erit determinare locum, in quo exſpectandus eſt abſceſſus. Conſtat ergo, ſi quis poſt morbum, id eſt in Convaleſcentibus, dum totus antecedens morbus fuerit finitus, ut nulla amplius reſtent ſigna, niſi debilitas, morbi materiem mutatam quidem & ſubactam non evacuaverit, facile deinceps deponi poſſe ad aliquam partem, ut ibi formet abſceſſum, modo inflammatorius morbus, qui in purulentiam abire poteſt, antecefſerit: quare duobus temporibus generari poteſt metaſtaſis purulenta, nempe durante adhuc morbo, uti in præcedente, & eo jam finito, uti in hoc aphoriſmo.

Cur locus dolens abſceſſum recipit?

II. Per Dolorem proprie in hoc loco & abſolute intelligitur Dolor, ſed in latiore ſignificatione intelligitur etiam Labor & Moleſtia, unde multi Interpretes Laborem habent, quum Hipp. indicare vult, priuſquam abſceſſus poſt morbum in parte formatur ex relicta poſt morbum materia, eam partem non ſtatim maturum abſceſſum habere, ſed dum in ea colligitur morbi materia, eam ſenſim concoqui in pus, quo pars ſentit aliquam moleſtiam aut dolorem, id eſt laborat. Adeoque ſi ex antecedentibus ſignis morbi inflammatorii, ſine criſi abeuntis, colligere poſſumus, materiem crudam adhuc in corpore oberrare, & dein incipiat quædam pars laborare, fere ſemper pars ea in ſe recipiet eam materiem & formabit Abſceſſum. Itaque omnis Labor alicujus partis, poſt quemcumque morbum acutum obſervatus, non eſt præſagium abſceſſus, ſed tunc tantum, quando obſervatur poſt morbum, qui in purulentiam abire poteſt, & tunc ſi ex aliis ſignis conſtet, materiem purulentam confectam non evacuari per aliquam criticam evacuationem.

LIB. IV. APH. XXXIII.

143. *Sed &, ſi quid doluerit ante morbum, ibi ſe figit morbus.*

I.

Cur pars dolens ante morbum præ ceteris affligitur?

IN duobus præcedentibus demonſtravit per ſigna, quomodo in morbo & poſt morbum quadam in parte potuimus exſpectare abſceſſum, quoniam illa ſigna declarabant, materiem morbi jam incipere colligi in ea parte. Illa igitur ſigna producebantur a formata materia per totum corpus oberrante, quæ deinceps magis collecta, in parte quadam excitabat Laborem ſeu Dolorem. Hoc autem loco non ita determinat futurum abſceſſum, ſed ſedem primariam morbi exſpectandam, priusquam morbi materia eſt in corpore. Ergo hoc ſignum non deſumitur ex latente materia, uti in duobus prioribus, ſed vitio ipſius partis, quæ in ſe habet talem diſpoſitionem, ut in ſe facilius quam quavis parte alia corporis ſedes fiat morbi. Signum hujus eſt Dolor ſeu Labor alicujus partis, priuſquam morbus ingruit. Ex deſignata cauſa itaque eruendum, quamobrem facilius morbi cujuſcumque materiem recipiat. Si totum corpus ſit ceteroquin ſanum, dum corripitur morbo generali, tunc facere ſolet depoſitionem materiæ morbi ad emunctoria: atque ſi quid alienum ſit in corpore, id ſemper ab interioribus ad exteriora truditur & tandem eliditur, ut experimur in quibuſcumque alienis in corpore hærentibus. Hujus nullam novimus rationem, quam quod Deus tali modo creaverit noſtrum corpus vivens, ut ejus actio vitæ in interioribus ſit validior quam in exterioribus, ut ita ſe poſſet ab alienis liberare: nam quovis in morbo ſi vires debilitentur, id alienum non truditur ad exteriora, ſed vel in corporis meditullio relinquitur, vel

ſi

ſi in ambitu corporis propulſum fuerit, viribus interim debilitatis, ſe ad interiora recipit, quando interiora a morbi materia obſeſſa & ſuppreſſa non raro mortem inferunt, quemadmodum hoc in variolis, morbillis, podagra & pluribus aliis experimur. Vis ergo vitæ eſt ea cauſa movens, quæ ad corporis ambitum trudit aliena, & expellit, qua debilitata, ſe liberare nequit. Veteres exiſtimarunt, materiem morbi interiora petere per attractionem, ſed ſi cauſa depellens debilior eſt, ut ſemper obſervamus in tali oppreſſione, non erit opus attractionem fingere. Ex eodem principio clarus quoque formatur hujus Aphoriſmi ſenſus: nam ſi quævis pars ante morbum Dolet vel Laborat, hoc ipſum declarat, eam partem eſſe debiliorem: nam ſi non ſit ex ſua natura præ ceteris debilior, colligens in ſe morbi materiem, per ipſam affectionem debilitatur, quum omnis pars ex morbo laborans ſibi debilitatem conciliat. Hoc ergo conſtat, tali in corpore aliquam partem eſſe ceteris debiliorem, ſi nunc in corpore eo generetur morbus generalis, quia pars illa debilior ſe non poteſt ita, ut partes reliquæ, a morboſo liberare, ſucceſſive tandem major & major in ea parte colligitur morbi materia. Hoc etiam conſtanter obſervamus in praxi, ſi enim quis quandam partem debiliorem habeat, quoties opprimitur aliquo morbo, ſtatim quoque pars ea magis patietur, quam partes reliquæ. Si ergo ſcimus in quodam homine aliquam partem eſſe debiliorem, dum corripitur morbo generali, ſtatim auxilia ita ſunt dirigenda, ſi pars debilis ad vitam ſuſtentandam multum faciat, ut ea pars roboretur: ſed ſi emunctorium ſit debilius, ſæpe ad curationem faciliorem conducit, quum facilius in ſe recipiens morbi materiem, reliquum corpus liberet.

LIB. IV. APH. XXXIV.

144. *SI a febre detento, tumore in faucibus non existente, suffocatio ex improviso superveniat, lethale.*

I.

Causa suffocationis ex improviso.

QUid Medici per suffocationem intelligant, & quot modis generetur, supra (*Aph* 68) exposuimus; hic autem additur *ex Improviso*, quod notat causam Suffocationem inducentem non sensim sed subito nasci, eamque non induci per tumorem sensim increscentem, neque per causam aliquam externam, quum ex textu constet, eum hominem ex febre laborare, & ita non expositum esse causis externis suffocationem inducentibus. Invenimus talem suffocationem induci subito in Hystericis aliisque morbis convulsivis, si subito constringitur Larynx a spasmo illorum musculorum, aut in febribus continuis, si morbi materia metastasin ad Laryngem faciat. Ut autem Auctor excludat convulsivam suffocationem, addit *a febre detento*, qua phrasi indicat fieri debere in homine, qui febre continua laborat, ut hæc suffocatio sit symptoma febris. Nam si fieret suffocatio ex Inflammatione vel Erysipelate, tunc primo oriretur suffocatio & dein accenderetur febris; sed quoniam supervenit, hæc Suffocatio est febris symptoma.

Angina Cynanche ex metastasi febris.

II. Phænomenon hoc ad Anginæ speciem refertur, quæ vocatur *Cynanche*, quoniam causa impediens respirationem hæret in faucibus sine tumore aliquo externe visibili. Nam si ex hac causa impedita esset deglutitio sine tumore visibili vel externo vel interno, vocaretur a Veteribus Synanche: sed si simul appareret tumor, ab ipsis diceretur Paracynanche vel Parasynanche. Ergo Hipp: indicare vult in

in hoc loco Cynanchen natam ex metaſtaſi febris, & pronunciat Lethalem eſſe. Equidem omnis metaſtaſis ad aliquam partem ſemper cenſetur mala, utpote indicans vim vitæ tam debilem eſſe, quæ non valet ad emunctoria ducere morbi materiem, ut eam eliminet; ſed tunc præprimis, ſi talis fiat ad partem, cujus functione carere non poſſumus, ut eſt Larynx, & tam exiguam, quæ non valet omnem in ſe recipere materiem. Nam ſi externe ſimul appareret tumor, forſan locus pro receptione ſufficeret, & quædam reſtaret ſpes, ſed cum externe nullus appareat tumor, ſcimus interiora laryngis omnem materiem recipere, & ita certe opprimere & ſuffocare hominem. In tam periculoſiſſimo ſtatu non ſolum a medico exigitur prognoſis mortis inſtantis, ſed etiam auxilium, quod mortem inſtantem averteret. Quoniam brevi inſtat mors, omnis cunctatio mala eſt, quare ſumma remedia protinus ſunt adhibenda, ut tentemus diverſionem metaſtaſis ad quamcumque aliam partem, & quoniam inter fauces alvum & pedes maximus eſt conſenſus, ſtatim larga eſt inſtituenda venæ ſectio; alvus ducenda clyſmate injecto, quia deglutitio non conceditur; ad plantas pedum epiſpaſticum validum applicandum; hæc ſi non levant brevi tempore mors erit exſpectanda.

LIB. IV. APH. XXXV.

145. *SI a febre detento collum derepente inverſum fuerit, & vix deglutire poſſit, tumore non exiſtente, lethale.*

I.

QUæ in ſuperiore recenſuimus de metaſtaſi febris continuæ ad fauces, hoc loco etiam ſunt intelligenda, niſi quod hæc metaſtaſis fiat in Pharyngem, quoniam

Angina Synanche ex metaſtaſi lethalis.

niam non facit mentionem ſuffocationis, ſed difficultatis Deglutitionis, quæ deglutitio impeditur, ſi Pharynx ſimili modo afficitur, ut notavimus affici Laryngem in ſuffocatione. Quoniam neque in faucibus, neque externe ullus appareat tumor, hic morbus ſecundum mentem veterum vocari debet *Synanche.* Signa ſunt communia in hoc & in præcedente Aph: idem quoque præſagium; ſed in hoc additur Deglutitio difficilis, & Colli inverſio.

Deglutito difficilis in Synanche.

II. Ut Deglutitio fiat, neceſſe eſt Pharyngem dilatari partim per bolum deglutiendum, partim per proprios ſuos muſculos, ſi vero febris materia in Pharyngem deponitur, ut hæc membrana non ſolum tumeat, ſed & etiam doleat & ſiccetur, uti fit in parte inflammata vel eryſipelate affecta, illa membrana irritata ab attactu boli non ſolum ſtatim contrahitur, ſed & etiam propter ſuam ſiccatam ſuperficiem ingreſſum bolum non tranſmittit: unde non ſolum impoſſibilis deglutitio, verum etiam admodum doloroſa & ſuffocativa. Non eſt opus, ut externe conſpiciatur tumor, nam Pharynx & Oeſophagus pone Laryngem & Tracheam hærens licet aliquomodo tumeat, neque externe tumorem præbet, neque in faucibus, quia tumor & rubor profundius hærere poſſunt, quam ut per os apertum videri poſſint.

Colli inverſio.

III. Multa commentantur de Colli inverſione in angina Synanche, quaſi proveniret a ſpinæ luxatione, ſed quia Luxatio ſubito fieri nequit ab interna cauſa, omnia quæ de ea luxatione dicuntur, inania ſunt. Sed quoties in muſculis Collum flectentibus vel torquentibus fiat inflammatio, non ſolum collum ex ſuis muſculis inflammatis invertitur, ſed & etiam alia membra, quorum muſculi inflammantur, ultra modum flectuntur vel torquentur; quamobrem ſufficit in hoc loco notare muſculos torquentes collum eſſe inflammatos & ita contractos. Mirum equidem eſt non in omni angina tale quid fieri, quum hi muſculi pharyngi adjaceant, niſi quando tam parva ſit inflammatio pharyngis, quæ ſe ad proximas partes non extendit. Unde concludere poſſumus, Hippocratem indicare voluiſſe

tam

tam magnam circa Pharyngem inflammationem, quæ etiam muſculos adjacentes afficiat, ut iis conſtrictis invertatur collum.

IV. Quoniam in præcedente Aph: demonſtravimus, propterea Cynanchem eſſe lethalem, quia intercipit Reſpirationem, qua carere non poſſumus, videtur inferri poſſe in ſynanche tale periculum non inſtare, quia per aliquot dies ſine deglutitione vivere poteſt homo. At vero ſi deglutire non poteſt, non poſſumus etiam ulla dare auxilia interna & æger deſtituitur omni potu, qui maximam partem curationis in acutis implet. Dein ſi œſophagus, qui poſteriori parti tracheæ continuus eſt, inflammetur tam valide, rarum foret, ſi non ſimul eam in conſenſum traheret; aut tumens œſophagus comprimeret adjacentia vaſa cruenta, ut intercipiatur circulatio. Quare æque fere eſt periculoſa ſynanche, quam Cynanche ex metaſtaſi febrili nata, atque eadem prompta auxilia exigit. Cur Synanche lethalis?

LIB. IV. APH. XXXVI.

146. *SUdores febricitantibus ſi inceperint, boni ſunt die tertiâ, & quintâ, & ſeptimâ, & nonâ, & undecima, & quartâ decimâ, & ſeptimâ decimâ, & vigeſimâ primâ, & vigeſimâ ſeptima, & trigeſimâ prima, & trigeſimâ quartâ. Hi enim ſudores morbos judicant. Qui vero ita non fiunt, laborem ſignificant, & morbi longitudinem, & recidivas.*

I.

MErcurialis, qui in omni aphoriſmo tentat inveſtigare nexum Aphoriſmi cum præcedente, in hoc quod miror, vix aliquem nexum invenit, qui mihi tamen videtur planus: nam in duobus præcedentibus periculum Connexio.

prædixit ex morbi materia, ſi metaſtaſim faciat ad collum; in hoc aphoriſmo nunc præbet regulam generalem, ut ſciamus quo tempore poſſumus ejuſdem materiæ exſpectare evacuationem criticam per ſudorem, quo tempore ſi non fiat ſudor criticus, prædicere poſſumus laborem, aut longitudinem, aut recidivam. Quare verſatur in eodem genere morbi, ſcilicet in homine a febre detento, cujus materia non facit metaſtaſin, ſed molitur evacuationem per ſudorem.

Quo tempore ſudor criticus.

II. Quoniam de Diebus Criticis & eorum cauſis ſuperius egimus (Aph: 49) eadem non ſunt repetenda. Hoc autem notandum in Aph: hoc, Hippocratem aliquomodo recedere in enumeratione dierum a conſueto ordine, numerat enim tertium & quintum diem, omittens quartum, atque pro vigeſimo tradit vigeſimum primum, addit trigeſimum primum & trigeſimum quartum & ad quadrageſimum non venit. Qui Criticorum dierum obſervationem conantur defendere, fundamentum ſed labile ponunt in dierum numero: quia vero obſervatio hæc non ex dierum numero dependeat, ſed ex natura materiæ morbi (*Aph.* 49. VI.) obſervatione practica detecta, ſolummodo ſcrutandum, quid natura faciat, hocque ſolum pro fundamento ponendum, tanquam eſſet lex condita. Qui autem irrident Criticorum dierum obſervationem, hunc non ſolum adducunt aphoriſmum, ut demonſtrent incertum in enumeratione criticorum dierum, verum etiam adducunt ex variis locis noſtri Auctoris, criticos fuiſſe ſudores die ſexto, octavo & aliis diebus. Hæc omnia mihi videntur magis comparata ad deſtruendam quam excolendam ſcientiam, quum in mutationibus morborum non ſit ſtatuendus terminus dierum tam fixus, quin poſſit ab eo aliquomodo recedere per tempeſtatem, regionem, diætam, & variam medendi methodum (*Aph:* 49, IV). Quare in annumeratione dierum hoc ſolummodo adſtruitur, quod frequentiſſime fiat, non vero quod ſemper. Atque ex his pronunciamus, ſudores iſtis temporibus in praxi obſervari utiles. Noſter Auctor in hoc Aphoriſmo non attendit

dit ad ſudoris quantitatem vel qualitatem, de his enim inferius erit agendum, ut ex iſtis quoque feratur judicium.

Cur ſudor alio tempore præſagit Laborem, Longitudinem & recidivam?

III. Ex poſito fundamento ſudores optimos fieri ſolere dictis diebus, ulterius deducendum non conſtanter fieri Laborem, Longitudinem & Recidivam, ſi ſudores alieno tempore fiunt, ſed etiam ſæpe. Id enim quod a conſueto ordine naturæ recedit, raro perfectam evacuationem præſtat, unde cum nobis conſtet ex ordine dierum turbato omnem materiem morbi non fuiſſe evacuatam, id quod retinetur, inferet *Laborem* (*Aph.* 26, 1.) Et quoniam perfecte non tollitur morbi materia ulterius viribus vitæ ſubigenda, portendit *Longitudinem*. Interdum vero ita ſubacta fuit morbi acuti materia, ut non amplius febrem continuare faciat, ſed ſi ſimul omnis non fuit expulſa, ut ſæpe fit, ſi alieno tempore moventur ſudores, ea recrudeſcens non raro recrudeſcere ſeu *Recidivare* facit febrem.

An tempora critica determinant exhibitionem ſudoriferorum?

IV. Etiamſi ex generali regula conſtare videtur, quo natura vergat eo ducenda, optimum tempus eſſe exhibendi ſudoriferum, quando natura moliatur evacuationem per ſudorem: non tamen deſunt, qui injiciunt, ſcrupulum inferentes, nos tunc neſcire eo tempore, num materia ſit præparata ad expulſionem, & propterea, nos tunc poſſe eo tempore etiam extrudere crudum: atque eo tempore, quia a natura ſi fiat evacuatio, & ſimul a ſudorifero, nos per ſudoriferum datum nimis magnam copiam ſudoris evacuare. Verum hic ſcrupulus inanis eſt timor: nam nullum eſt tempus, in quo majore jure exſpectare poſſumus materiem coctam quam tempore naturali, cum natura iſto tempore ſoleat indicia præbere coctionis. Et quamvis materia fuit cocta, non tamen ſuo legitimo tempore, propter vires per præcedentem coctionem debilitatas, excretionem conficit: Quare hoc tempore fere ſemper optimo ſucceſſu propinari poteſt ſudoriferum. Neque ita timenda eſt nimia evacuatio, quum hoc tempore natura non faciat evacuationem per vim inſtigatam, ſed quia materia eſt apta ad evacuandum: quod ſi tunc addatur ſudoriferum, omne

coctum

coctum expellitur, cujus portio aliter retineri potuiſſet. Quam ob rem pro generali regula accipi poteſt, optimum tempus exhibendi ſudoriferum eſſe, quando ipſa natura per ſudorem criſin facit. Hoc etiam experimur in variolis, nam optimo cum levamine tunc in variolis dantur ſudorifera, quæ in morbi principio alias inferunt damnum.

LIB. IV. APH. XXXVII.

147. *SUdores frigidi, cum acuta quidem febre evenientes, mortem: cum mitiore vero, morbi longitudinem ſignificant.*

I.

HAnc ſententiam veram eſſe, facile colligi poteſt ex multis Hippocratis locis H. a. 443, 451, & 579. ubi eandem repetit; nam quæ obſervata in praxi ſunt conſtantia, ea ſolet noſter Auctor utplurimum aliquoties repetere, atque nos quoque in Praxi quotidiana idem experimur, quare hæc ſententia tam univerſalis eſt in praxi, ut raro fallat.

Sudores frigidi qui dicantur.

II. Si ex cute ad attactum frigidiore emanat ſudor, qui cuti adhæret, & non facile evaneſcit, ſed ſæpe tam copioſe effluat, ut guttatim ſupra cutim colligatur & interdum deſtillet, hujuſmodi ſudor a medicis vocatur frigidus. Intelligunt etiam in morbis acutis calidis non abſolute majorem cutis frigiditatem, quam qualis obſervatur in hominibus ſanis, ſed frigiditatem comparativam ad illum morbum, etiamſi eſſet calor major, quam in ſanis hominibus.

Sudoris frigidi cauſa.

III. Niſi conſtet, quanam ex cauſa interna generetur ſudor frigidus, ſemper incerta manet ex ſudore frigido prognoſis, nam ipſe ſudor frigidus tanquam cauſa non infert ſequentia bona vel mala, ſed quoniam deſignat, interne latita-

latitare cauſam, quæ ſequentia producere poteſt. Si unica eſſet ſudoris frigidi cauſa, ſemper quoque ex eo apparente eadem prædictio potuiſſet formari; ſed quoniam ex multiplici & ſæpe concurrentibus cauſis generatur frigidus ſudor, ex eo apparente varia præſagia formari poſſunt. Veteres ex exſtincto Calore innato deducentes ſudorem frigidum, per ſuam alienam hypotheſin non raro a veritate aberrarunt, vel per ſuam adjunctam theoriam obſcuriorem fecerunt doctrinam. Ex ſudore frigido hoc ſemper conſtat motum vitalem in ambitu corporis, quo in nobis generatur calor naturalis, atque in acutis inſtigato, majorem, in ſudore frigido eſſe minutum, ut ita corpus inſtar aliarum rerum mortuarum frigeſcat. Sed quoniam cum minuto motu vitali etiam minuitur impetus ad cutim, hæc cauſa nequit inferre ſudorem; quamobrem alia accedere debet cauſa, quæ cum minori impetu facit, ut ſudor effluat. Talis cauſa eſt reſolutio humorum in humorem tenuem, qui antea propter craſſitudinem non facile meare potuit per poros cutaneos, nunc ſola contractilitate fibrarum exprimitur: atque fit a pororum relaxatione, qua oſcula magis patent. Quoties actio vitæ minuitur, minuitur quoque conſtrictio pororum, & minuitur impetus, ſeu fit partium frigus, uti experimur etiam in ſanis, ſi incidant in ſyncopen. Sed quoniam reſolutio vario modo fit, inde in omnibus morbis ex ſudore frigido non formatur idem præſagium. Perſcrutemur cauſas ſolas, quæ in febre acuta Mortem præſagiunt, & in febre mitiori Longitudinem.

IV. Febres acutæ & ſudores frigidi ſunt veluti duo oppoſita, quoniam in acuta febre ſemper habetur calor urens, & in ſudore frigido cutis frigiditas; febris acuta humores compingit in lentorem, unde cutis generatur ſiccitas, dum in ſudore hoc habetur humidi abundantia. Ergo valde magna debet eſſe cauſa, quæ poteſt facere, ut natura febris acutæ ita invertatur, ut inde fiat frigus & humiditas. Si perpendimus cauſam, facile inveniemus frigus tunc in acutis generari, ſi impediatur ſeu exſtinguatur motus vitalis caloris cauſa, ut, etiamſi ſtimulus febris acutæ

Sudores frigidi in Acuta febre, mortem.

maneat, tamen defectu ſpirituum influentium ex ſtimulo non ſequatur motus major, qualis ſtatus habetur in mortem proximis. Altera cauſa eſt humiditas, quæ tunc fit ſi compactus ſanguis dimittitur; hoc ſi fiat ex bona cauſa, uti in reſolutione inflammationis & febris ardentis, tunc invenitur diminutio ſimul ardoris, ſed tamen remanet calor temperatus, & exit ſudor roridus, verum ſi dimittitur compactus, ut humor abeat in ichorem, quemadmodum in ſphacelo, generatur frigiditas cum humidi expreſſione. Quare ex ſudore frigido in acuta febre conſtat, diſpoſitionem inflammatoriam abiiſſe in ſphacelum. Sed ſi ſphacelus corripiat generalem maſſam, nemo aufugere poteſt. Hinc Auctor noſter recte ſtatuit, Sudores frigidos in febre acuta præſagire mortem.

Sudores frigidi cum & mitiore febre, Longitudinem.

V. In mitiori autem febre, uti in hecticis, cacochymicis & ſcorbuticis febribus, ſæpe obſervantur ſudores frigidi ſine morte ſubſequente: in his enim tantus non eſt calor, ut inde argumentari poſſimus, validam eſſe debere cauſam, quæ talem frigiditatem inducit. Neque in hujuſmodi febribus tantus eſt humorum compactus, ut liqueſcere debeant ad ſudorem producendum, cum hi homines ſimul nimia humorum tenuitate laborent. Quare ex leviſſima cauſa in his generantur Sudores frigidi. Hi autem apparentes morbi Longitudinem portendunt, quia proveniunt ex putredine ſpontanea, quæ non ita per tempora critica deſinit, uti fit in febre inflammatoria, ſed putredo ſenſim procedens tandem hominem longa macie confectum interficit.

LIB. IV. APH. XXXVIII.

148. *ET qua corporis parte ineſt ſudor, ibi morbum eſſe indicat.*

I.

Morbus latens detegitur ex partis ſudore.

SUdor in præcedente præbuit prognoſin Mortis & Longitudinis, in hoc autem exhibet ſignum latentis mali: quare indicat & deſignat interdum ſumitur in præſenti tempore, interdum in futuro. In hoc loco non determinat ſudoris qualitatem & quantitatem, ſed tantum locum, ex quo erumpit ſudor Locus eſt vel generalis vel particularis, de quibus obſervavit cauſam morbi latere in eo loco, uti in morbis generalibus, ſudor erumpit per totum corpus, ſed in partium morbis ſolummodo ea in parte erumpit Sudor. Non eſt opus examinare ſudoris eruptionem in morbis partium externarum, cum ipſe æger eam partem indicare poteſt; ſed quando in viſceribus morbus hæret, utile eſt ex apparente ſudore judicium ferre, quodnam viſcus latens ſit affectum. Quidam hunc Aphoriſmum ita late accipiunt, ut obſervationibus practicis in ſyncope & aliis morbis detectis, falſitatis arguant. Verum ita ut ſignum profertur ab Auctore, quod ferè ſemper indicat internam partem læſam. Verſatur enim auctor in morbis, qui conjunctam febrem habent, quare hæc obſervatio non pertinet ad tumores ſcirrhoſos, ſtrumoſos, ganglia, vel alios tumores chronicos, ſed ſi pars interna corripiatur Inflammatione, Abſceſſu, vel Eryſipelate. Hi tunc morbi intus latentes ſolent ſupra locum affectum in cute facere ſudorem. Nam hi morbi facientes, vel potius habentes motum vitalem inſtigatum majorem in parte ea, quam per reliquum corpus, ex motu illo majore faciunt ſimul, ut in parte adjacente fiat major humorum directio & expulſio, quæ ſudorem exhibet.

LIB. IV. APH. XXXIX.

149. *ET qua corporis parte ineſt calor, aut frigus, ibi morbus eſt.*

I.

Calor partis, morbi ſignum.

TAntus eſt inter hunc & præcedentem Aphoriſmum nexus, ut potuiſſet facile in eadem ſententia proferri: pertinet etiam ad detegendam partem affectam, quæ febrem ſimul concitat. Quare, quemadmodum in præcedente demonſtravimus, irritatione partis circumquaque extrudi ſudorem, hoc etiam eſt concipiendum de Calore. Eſt utique in noſtro corpore generalis lex, ut quævis pars ſtimulata ſe magis moveat, & ita motu illo calorem in ea parte concitet, ex cujus conſenſu tandem quoque corpus reliquum incaleſcit, ſed excellentior tamen manet in parte vellicata Calor, uti experimur in omni locali Inflammatione & Eryſipelate: Quare partis Calor inter ſigna certiſſima recenſendus, quando morbus Inflammatorius vel Eryſipelatoſus interne latet.

Frigus partis, morbi ſignum.

II. Si vero quadam in corporis parte nimium ſentiatur frigus in acutis febribus, iſtud notat, inchoatam Inflammationem vel Eryſipelas abiiſſe in ſphacelum ſeu mortificationem; nam motu vitali conſervatur naturalis in parte calor, quo motu exſtincto in parte ea percipitur frigus. Sæpe autem in acutis extrema frigent, dum tamen in iſtis non lateat morbi cauſa, ſed quoniam ita fuere debilitatæ vires, ut motus vitalis debilior non valeat in extremis conſervare naturalem calorem. Quare in Acutis peſſimum eſt ſignum, ſi poſt ardorem internum quædam pars interna refrigeretur, vel ſi partes externæ frigeant cum ardore interno.

LIB. IV. APH. XL.

150. *ET ubi in toto corpore mutationes, & ſi corpus perfrigeretur, aut rurſus caleſiat, aut color alius ex alio fiat, morbi longitudinem ſignificat.*

I.

QUidam morbi ex ſua natura ſunt longi, alii autem natura breves, quadam accedente cauſa fiunt longi, ut monuimus (*Aph.* 12, 111). Hoc loco intelliguntur morbi breves ſeu Acuti, qui dicuntur longi futuri ex viciſſitudine caloris & frigoris: an non etiam major longitudo promittatur in Chronicis, videbimus. Hæ Mutationes dicuntur fieri in toto corpore, id eſt in hac vel illa parte corporis; nam ſi voluiſſet intelligere totum corpus, dixiſſet Mutationes totius corporis. Obſervatio eſt de mutatione frequenti & inconſtanti Caloris & Frigoris in quavis corporis parte, eam præſagire Longitudinem: nam ſi ſemel refrigeretur corpus in Acutis, notat recidivam: ſi vero periodicus fiat calor & frigus, indicium eſt febris intermittentis. Ergo inveſtiganda eſt cauſa diu durans, quæ ſimul inducit mutationes frigoris & caloris inordinatas. Hujuſmodi inordinatæ mutationes contingunt in acutis, quando Inflammatio abit in *Suppurationem*, pus ſimul non evacuantem, quemadmodum fit, ſi abit pleuritis in Empyema. Sed tum præcipue, ſi morbus inflammatorius tranſit in *putrilaginem*, in qua frequens mutatio caloris & frigoris obſervatur. Utræque hæ cauſæ diu perſiſtunt, quare ſigna externa has cauſas indicantia Longitudinem portendunt. Ex his non ſolum petere poſſumus prædictionem Longitudinis, ſed etiam curatio ad morbum purulentum vel putridum dirigi poteſt.

Morbi longitudo ex mutatione Caloris & frigoris.

II. Coloris obſervatio præprimis in facie detegitur, de ea mutatione frequente quoque, ut alius ex alio fiat, dicit eam morbi longitudinem promittere. Cauſa ergo mutatio-

Ex mutatione Coloris.

nis in colore debet pendere a cauſa, quæ difficulter actione vitæ ſuperari poteſt, & tamen non cito abit in mortem. Coloris quidem mutatio habetur, ſi morbus inflammatorius tranſit in Suppurationem, ſed ſemel tantum hæc mutatio inducitur, ut color ruber abeat in pallorem: ſed quando purulentus morbus eſt factus, & pus abit in putrilaginem, uti in phthiſicis, frequentes fiunt & inconſtantes faciei phlogoſes, qui color igitur ex indicata cauſa ſemper longum morbum facit. Atque tranſitus morbi acuti in morbum chronicum putridum varios quoque infert colores. Quare coloris mutationes recte ab Auctore ſtatuuntur morbi longitudinem præſagire.

LIB. IV. APH. XLI.

151. *Sudor multus a ſomno citra cauſam manifeſtam factus, corpus uberiori alimento uti ſignificat. Si vero cibum non capienti hoc fiat, evacuatione indigere ſignificat.*

I.

IN hoc Aphoriſmo docet Auctor, ſudorem multum a ſomno fieri, vel ex alimento copioſiore, vel ſine alimentis copioſioribus; ſed non monet, quid ſit agendum in caſu primo, verum in poſteriore caſu monet evacuandum eſſe. Utrumque caſum rimabimur cum adjuncta cautela curatoria. In his ſemper ſupponimus, plures poſſe eſſe cauſas ſudorem copioſiorem producentes a ſomno, quas ſupponimus cum Autore non fuiſſe allatas; ut non habeatur major aëris caliditas, neque æger vel ſanus aſſumſerit ſudoriferum, aut alimentum, quod ſudorem movet; ſed ſi ſudor multus fiat a ſomno citra manifeſtam cauſam.

Unde ſudor multus a ſomno.

II. Multi diſputant, cur a ſomno fiat copioſior ſudor, quam in vigilantibus, veritatem experiuntur, ſed ut detegant cauſam

cauſam, multum laborant. Veteres exiſtimarunt, calorem innatum in ſomno concentrari, & ita magis valere ad expellendas humiditates. Neoterici contendunt in ſomno majorem fieri circulationem in dormientibus, quam in quiete vigilantium. Sed quoniam in Exercitatione noſtra de Somno & Vigiliis demonſtravimus, tardiorem fieri in ſomno circulationem; & quia caloris concentratio merum eſt figmentum, alia omnino eſt aſſignanda cauſa. Hoc conſtat omnibus, in ſomno totum corpus laxari, membra eſſe laxa & flaccida; atque ex pulſus exploratione conſtat, pulſum fieri tardiorem & molliorem: quibus omnibus concludere poſſumus, humores in ſomno minus compingi quam in vigilantibus, minoremque fieri inſenſibilem perſpirationem, ut nos docuit ſellæ uſus. Itaque in ſomno, quæ compacta fuere, dimittuntur & liqueſcunt, pori cutanei laxiores, cum minori perſpiratione, faciunt, ut id tenue tranſeat per cutis poros, ſed quia humor non ſatis volatilis eſt factus, cuti adhæret & copioſiorem ſudorem exhibet: inde etiam ſomnifera quoque ſunt ſudorifera.

III. Sudor ut aliæ evacuationes componitur ex duplici ſpecie humorum, materia nempe propria, & materia generali aquoſa, quæ per reliqua etiam emunctoria eliminari poteſt. Hoc autem ſpeciale eſt in Sudore, materiem ſpecialem nunquam eſſe naturalem, ut eſt in alvi excrementis, urina & perſpirabili, quoniam in homine ſano ſudoris evacuatio non requiritur, ut maneat ſanitas, quod de reliquis dici non poteſt. Sed quando materia morboſa eſt in corpore, illa non raro ſub ſudoris forma exit, quæ tunc non facile per aliud emunctorium emitti poteſt. Ergo ſudor multus formari poteſt, ſi multum de communi materia ſuppeditatur per alimentum copioſius; vel ſi magna copia materiæ morbi adeſt, quæ per cutim eſt evacuanda. Si alimentum copioſius copioſum ſudorem facit, melius erit, quam ſi non fiat copioſus ſudor, ſed præſtantius eſſet alimentis non abuti: inde ſi intelligimus hominem a ſomno multum ſudare, ſimulque ingerere multum alimenti, illa largior ingeſtio eſt minuenda, ne corpus tandem

Sudor multus ab uberiore alimento.

dem crudis onuſtum ſuccumbat: aut ſi relicta fuit cacochylia, illa poteſt alvi ductione tolli.

Sudor multus ſine uberiore alimento, an evacuatione eget?

IV. Si autem aliquis parcius vivens etiam a ſomno multum ſudat, de eo ſcimus eum ſudorem non generari ex materiâ per alimenta copioſiora ſuppeditatâ, ſed quoniam abundat humor in corpore, qui ſub ſudoris forma exit. De tali ſudore dicit, ſi fiat citra manifeſtam cauſam, eum egere evacuatione. Sed quanam egeat, non addit. Hoc certum eſt, quod ſi ea materia maneat in corpore, plus damni fieri per alienam ſuam qualitatem, quam facit largiore evacuatione, ergo eget evacuatione ea: ſed an illa evacuatio ſudoriferis ſit promovenda, an vero derivanda ſit ad alvum, vehementer dubito, quamvis multi in ea ſunt ſententia. Fieri enim debet ille ſudor citra manifeſtam cauſam, ergo non eſt criticus morborum acutorum, nam tunc ejus cauſa eſt manifeſta; ſed eſt ſudor chronicus omni nocte a ſomno apparens in valetudinariis, in quibus nullum manifeſtum morbum detegimus, qui tantam copiam ſudoris expellere poſſet. At vero talem ſudorem colliquativum nocturnum hodie invenimus in ea ſpecie phthiſis, quam vocant nervoſam, ſeu in emaciatione chronica colliquativa: Quod ſi in hujusmodi ſudoribus propinemus ſudorifera aut purgantia, ægri maraſmo conſumti pereunt. Sed ſi cohibeatur colliquatio illa ſpontanea per antiſeptica roborantia, ſenſim minuitur ſudor nocturnus, & æger lente ſanitatem recuperat.

LIB. IV. APH. XLII.

152. *Sudor multus, frigidus aut calidus, ſemper fluens, frigidus quidem majorem, calidus vero minorem morbum ſignificat.*

I.

Sudor multus ſemper fluens, malum.

QUum ſudor non ſit naturalis evacuatio, ſed ſemper vel arguit violentam cauſam exprimentem, vel abundantiam humoris morboſi ſub ſudoris forma exeuntis, decernendum eſt num cauſa violens poſſit facere ſudorem copioſum aſſiduo fluentem, an vero talis prodeat ex morboſi humoris abundantia. Verum ſi cauſa violens hoc faceret, non fieret Sudor ſemper fluens, nam tandem deficiente humiditate compactis reliquis humoribus, ſubſiſteret ſudor: ergo ſemper fluens copioſus ſudor indicat, humores bonos in humorem tenuem liqueſcere, eſtque ergo certum indicium morbi putridi, qui permittit, ut corpus privetur omni humiditate, & ut privetur humoribus etiam bonis liquefactis; qualis morbus non ſolum eſt curatu difficilis, verum etiam ſæpe tranſit in mortem, cum vix habeamus medicamina, quibus coarcere valeamus illam ſpontaneam putredinem, qua liqueſcunt humores. Quod ſi cohibeamus per actu frigida effluentem ſudorem, is alienus humor retentus eo magis inficit ſanos remanentes, ut ſuperius notavimus. Sive ergo copioſus ſudor in Acutis vel Chronicis aſſiduo fluat, ſemper eſt malum indicium.

Multus ſemper fluens frigidus majorem morbum indicat.

II. Si vero copioſus ille Sudor ſemper fluens ſimul ſit frigidus, majorem morbum declarat, id eſt, ille tunc morbus multo difficilius curationem admittit, quod ex cauſa frigidum ſimul humorem generante eſt deducendum. Sive calidus ſit ſudor, ſive frigidus, ſemper arguit putredinem, & deliquationem humorum: ſed ſi frigidus ſimul ſit, illa

frigiditas denotat motum vitalem tam debilem esse, qui non valet humores a spontanea corruptela coarcere. Igitur ut curetur ille morbus, antiseptica roborantia sunt adhibenda, quæ vitæ vires restaurant. Sed in cordialibus his hæret summa difficultas, possidemus quidem stimulantia & calefacientia, quæ videntur erigere vires, verum aperte fateri cogimur, nos nulla habere vera Cardica, quæ vires addunt: nam quæ stimulando id videntur facere, veras vires vitæ non suggerunt. Propterea hujusmodi sudores sunt periculosissimi, uti sæpe in Phthisi nervosa, seu Colliquativa chronica expertus sum.

Calidus autem minorem morbum indicat.

III. Calidus autem assiduo fluens copiosus sudor minorem morbum declarat, non tamen sine periculo, sed comparative ad sudorem frigidum, quia arguit motum vitalem validius agentem, corrumpit humores & copiosiorem sudorem extrudit. Igitur curatoria indicatio est in tali sudore cohibere putredinem & temperare nimium illum motum. At vero minuere nimium motum per refrigerantia multo facilius fieri potest, & ad hoc præstandum multa habemus auxilia. Quare hic morbus multo melius auscultat. Imo pergente morbo, dum sensim debilitantur vires, ille præternaturalis calor sponte minuitur. Si vero æque esset in nostra potestate susceptam putredinem cohibere & emendare, hic morbus curatu foret facilis; sed quoniam hoc difficile fieri potest; manet tamen sudor copiosus, calidus semper fluens morbus periculosus.

LIB. IV. APH. XLIII.

153. *FEbres, quæcumque non intermittentes, tertio die vehementiores fiunt, magis periculoſæ: quocumque autem modo intermittant, quod ſine periculo ſint, ſignificat.*

I.

ETiamſi novus non incipit Aphoriſmorum Liber, novam tamen rem hic aggreditur Auctor, quum jam proponere incipiat multa obſervanda in febribus; quare antequam ea noſtris commentariis illuſtremus, neceſſarium duxi brevem præmittere Definitionem & Diviſionem febrium, ut in ſequentibus conſtet, quid ſemper velimus per febrem intelligere. Nullus eſt in medicina morbus, de quo plures definitiones ſunt traditæ, minuſque inter Medicos conſtat, quid ſit per febrem intelligendum. Maxima fuit nata difficultas, quum multæ ſint febrium ſpecies, in quibus tamen omnibus collecta phænomena eſſe debent, ex quorum præſentia febrem adeſſe judicamus. Altera & non minor eſt difficultas, quod non omnia phænomena eodem tempore conſpiciantur, dum tamen in Definitione videtur requiri, ut omne ſimul in eadem ſententia proferatur. Verum apud Medicos manet Definitionis nomen, licet ſucceſſu temporis quædam notiones inſeparabiles proferendæ ſunt; ſed ſi plura alia adjiciuntur, quæ adeſſe & abeſſe poſſunt, tunc quoque vocant Deſcriptionem. Febris legitima, ſive uno ſive pluribus paroxyſmis abſolvitur, ille dicitur Morbus, qui incipit cum horrore, frigore & pulſu debili, pergit cum calore manente ægritudine, cum pulſu frequentiore & duriore, deſinit in ſudorem cum pulſu molliore & calore temperatiore, cum quo tandem deſinit, ſi homo ſuperſtes manet. Conferri poſſunt, quæ diximus in *Comp.* noſtro Tr. 52. II. Febris definitio.

Febris Divisio.

II. Hujusmodi febres aliæ sunt Legitimæ, aliæ autem Symptomaticæ, quæ sunt solummodo symptomata aliorum morborum, in quibus non ita attendimus ad febris curationem, quam ad morbi febrem producentis naturam investigandam. In utrisque fit distinctio ex invasionis modo, ut sit febris Continua, Intermittens vel Remittens (Conf. *Aph.* 100, 11). Ex conjunctione harum non parvus committitur error, dum Medicus judicet, omnem febrem, quæ eundem ordinem temporis servat, eandem esse febrem, dum ex Legitimis intermittentibus prolongatis fæpe fiant febres Continuæ & Remittentes; atque ex febribus symptomaticis itidem Remittentes & Continuæ fiant, imo interdum videantur veræ Intermittentes. Quare in sequentibus observaturi sumus, qualisnam febris an legitima an vero symptomatica sit intelligenda, si ratio sit reddenda alicujus phænomeni.

Febris non intermittens tertio die vehementior, periculosa.

III. Ex exacerbationibus tertio die vehementioribus constat, Hippocratem hic non intelligere febrem Continuam, neque intelligendam esse Intermittentem, cum dicat *non Intermittens*. Ergo si febris hæc ad suum genus referenda sit, pertineret ad febres Remittentes, quæ Syneches dicuntur seu Continentes; & quoniam tertio die fiunt exacerbationes, ea est species, quæ vocatur *Tritæophyes*. Hoc autem non sufficit ad prædictionem formandam, quum Tritæophyes febris generetur ex febre Intermittente tertiana, atque ex morbo aliquo latente, cujus febris hæc est symptoma. Observamus in praxi Putredinem humorum, & Pus in corruptelam conversum hujusmodi febrem generare, quando raro ægri emergunt, quare periculosa est Tritæophyes, quoniam designat ex valida putredine oriri, quæ ita facit Exacerbationes febriles alterno die, ut tempus intermedium non habeat Apyrexiam. Generatur etiam Tritæophyes ex febre intermittente Tertiana ita prolongata, ut sequens paroxysmus incipiat, priusquam prior desiit. Sed omnes febres intermittentes in remittentes conversæ, quoniam magnum augmentum causæ arguunt cum virium defectu, etiam periculum portendunt. Hoc autem discrimen admo-

admodum obſervandum in curatione, quum Tritæophyes ex putredine antiſepticis ſit curanda, ſed ex intermittentibus prolongatis optime auſcultet antidotis.

IV. Quotieſcumque autem Tertiana febris veram Apyrexiam habeat, ex ea Apyrexia cognoſcimus, illam intermittentem non formari ex putredine vel pure corrupto; ergo de hac febre judicandum, ut de omnibus legitimis intermittentibus, quæ rariſſime interficiunt hominem, niſi ita fuerint prolongatæ, ut nullam apyrexiam habeant, omni periculo carere. Atque inde deducere poſſumus, iſtos non recte agere, qui in intermittentibus tam diu exſpectant, donec corpus ſit ex ægritudine debile, priuſquam antidotum propinant. Atque ex eadem obſervatione manifeſtum eſt, quaſdam febres continuas & remittentes antidotis auſcultare, quum interdum ex intermittentibus prolongatis fiant remittentes & continuæ febres.

Tertianæ Intermittentes periculo vacant.

LIB. IV. APH. XLIV.

154. *Quibus febres longæ, his tubercula ad articulos, aut dolores fiunt.*

I.

QUum Auctor dicat febres, noluit ſolummodo intelligere febres præcedentes tertianas remittentes, ſed & reliquas omnes tam continuas quam intermittentes. In his præcipit Tubercula ad articulos aut Labores ſeu Dolores: ſed quia hæc obſervatio non eſt conſtans in praxi, operæ pretium erit rimari cauſas Longitudinem inferentes, ut ex cognita cauſa poſſimus judicium ferre, quid ſit ex febrium longitudine præſagiendum. Febrium omnium cauſa nobis eſt res aliena, quæ actione vitæ eſt ſubigenda & expellenda. Quoties ergo (1) tanta eſt ejus materiæ copia, ut vi vitæ integre ſubigi non poſſit, febris protrahitur. (2) Aut ſi materiæ non eſt abundantia, ſed

Febris longæ cauſa.

in corpore habetur debili, cujus vires languidiores non valent modicam ſubigere materiæ copiam. (3) Vel ſi materiæ indoles eſt pertinaciſſima, quemadmodum in intermittentibus febris quartana, & in remittentibus & continuis febris putrida, vel continua inflammatoria, quæ pus confectum critrice non evacuat. Si attendimus ergo ad retentam materiem in febre longa, illa erit vel cruda febrilis, vel purulenta vel putrida, quæ humoribus circulantibus miſta febrem continuare facit.

Quando articulorum Tubercula vel dolores facit.

II. Si vero ex febris longitudine conſtet, materiem oberrare in corpore, non certe ſcimus, circa articulos futura eſſe tubercula, dolores vel labores; ſed inde præſagire poſſumus omnia mala, quæ ex materia retenta oboriri ſolent: uti morbi augmentum, recidivam, metaſtaſin, & commutationem in alium morbum, niſi dicta mala præveniantur critica evacuatione. Quare non debemus otioſi eſſe exſpectantes articulorum tubercula vel dolores, ſed omni ope tentare materiæ coctionem & coctæ determinationem ad emunctoria, ut corpus liberetur ab hoſte, qui multa mala minatur.

LIB. IV. APH. XLV.

155. *Quibus tubercula ad articulos, aut dolores ex febribus longis fiunt, hi pluribus utuntur cibis.*

I.

IN præcedente Aph. obſervavimus tres diverſos humores a febre relinqui, qui finito morbo priore, novum alium morbum faciunt; imo interdum tam diu non exſpectare, ſed etiam nondum finito priore, novum formare vel prioris recidivam facere. Tunc ſimul notavimus, incertam eſſe prædictionem Tuberculorum aut Dolorum ad articulos, quum plures exitus hujus materiæ retentæ fieri poſſunt.

Hoc

Hoc etiam ab Auctore noſtro fuiſſe obſervatum, nullus dubito, quum hunc Aphoriſmum ſtatim ſubnectat, dicens Tubercula vel Dolores aut Labores articulorum fieri poſt febres longas, quando ægri hi utuntur cibis copioſioribus. Ex his verbis intelligi poteſt, cibum copioſiorem in corpore debilitato a febre longa facere hæc Tubercula vel Labores articulorum. Quæ ſententia non ita eſt repudianda, dum crudum ex abundanti cibo in corpore debilitato natum facile poſſit ad articulos deponi. Sed quoniam ægri non utuntur cibis copioſioribus a febre longa, niſi ſimul in his reſtituatur appetitus, ex fame igitur redeunte poſt febrem longam videndum eſt, qualis materia continuavit tamdiu febrem, aut quæ relicta fuerit febre finita ſine bona criſi. Si perpendamus triplicem materiem a febre relictam, facile erit invenire, materiem Crudam fuiſſe relictam, & dein cibo copioſiore magis accumulatam: nam ſi remaneat vel Pus corruptum, vel Putrefactus humor, nunquam finita febre redibit appetentia, cum omne corruptum & putrefactum famem extinguat. Ergo conſtat, ſi finita febre redeat appetentia, cum inperfecta ſanitate, quando æger valetudinarius manet, in tali corpore relictum fuiſſe crudum, quod naturalem ſenſum famis ex defectu nutrimenti natum non extinguit. Cavendum ergo eſt in hujuſmodi valetudinariis corpus onerare alimentis, ſi velimus evitare Tubercula vel Labores ad articulos, ſed parca diæta eſt inſtituenda tamdiu, donec omnis cacochylia ſit ſuperata vel expulſa, & corpus naturalem vigorem recuperaverit.

LIB. IV. APH. XLVI.

156. *SI rigor incidat febri non intermittenti, debili jam exiſtenti ægro, Lethale.*

I.

Rigoris definitio.

RIgor Græc: ῥῖγος eſt morbus ex duobus conjunctis phænomenis nominatus, ſcilicet ex frigore corporis & conſtrictione quadam forti & utcumque tremente in motu animali: nam ſi refrigeratio habetur cum levi tremore & quaſi cito decurrente per corpus, *Horror* vocatur. Unde non immerito dixit Hipp: Horror eſt levis Rigor, & propterea a practicis unum pro altero ponitur ſæpe, quum hic duo ſic dicti morbi tantum magnitudine differant, ſed Horror leviorem, Rigor autem graviorem & diutius durantem cauſam habeat. Facile erit ex his Rigorem diſtinguere a ſuis congeneribus morbis, Spaſmo, Convulſione, Tremore & Frigore. Nam in Spaſmo conſtans eſt muſculorum conſtrictio & in Convulſione alterna involuntaria valida conſtrictio ſed ſine frigoris ſenſu. In Tremore laxa eſt membrorum concuſſio, quæ tenſiva eſt in Rigore. Frigus autem corporis non habet conſtrictionem muſculorum.

Rigoris Cauſæ.

II. Rigoris cauſæ multæ ſunt, quæ hoc loco omnes non poſſunt recitari. Sed ſi iſtas percurramus omnes, detegimus cunctas indicare, noxium aliquid applicari nervis motui & ſenſui dicatis. Nam id noxium ſubito inducit muſculis motus animalis quandam conſtrictionem involuntariam, & minuit vitalem motum, ut inde generetur frigoris ſenſus, atque ita minatur actionis vitalis interitus. Illa cauſa tam in morbis chronicis quam acutis obſervatur, in chronicis autem, quia raro tam valida eſt cauſa, frequentius fiunt Horrores, quam Rigores. Qui Rigores fiunt in invaſione febrium intermittentium, non ita periculoſi ſunt; ſed

ſed in Continuis vel ſunt Critici, futuram evacuationem præſagientes, vel Symptomatici, qui ſemper mali. Sed quia Rigores agnoſcunt magnam cauſam, inde obſervavit auctor noſter H. a. 551. *Rigor una cum judicatione aliquatenus horrendus.*

III. Superius obſervavimus, febres Remittentes fieri vel ex pure corrupto, vel putredine, vel intermittente prolongata: in his ſi tam valida ſit cauſa, quæ Rigorem inducere poteſt, certe non caret periculo, quod etiam *Hipp: a.* 524 obſervavit: *Rigores*, inquit, *velut in febre tertiana ſi in media inordinata febre exacerbentur, valde maligni ſunt.* In his enim febribus fiunt Rigores, ſi morbus commutatur in ſphacelum. Rigor in febre remittente.

IV. Quod ſi æger jam ex febre non intermittente fuerit debilitatus, corripitur Rigore, nulla ſpes eſſe poteſt curationis vel commotionis criticæ: nam ſi deſignat morbi vel paroxyſmi principium, ut indicare conſuevit, hoc principium lethale erit, quum æger jam ex præcedente febre fuerit debilitatus, ferre non poterit ſequentem paroxyſmum validum, qui cum Rigore tanquam ſigno paroxyſmi validi inchoat. Si vero Rigor proveniat ex commutatione in ſphacelum, nil melius prædici poteſt, quum ſphacelus humorum in corpore debili mortem certiſſimam infert. Rigor in Debilitatis.

LIB. IV. APH. XLVII.

157. *EXſcreationes in febribus non intermittentibus lividæ, & cruentæ, & graveolentes, & biliosæ, & omnes malæ ſunt. At probe ſecedentes, bonæ. Et eadem ratio eſt quoad alvi egeſtiones, & quoad urinas. Si vero nihil ex conducentibus excernatur per hæc loca, malum.*

I.

Senſus. QUum ſenſus hujus Aphoriſmi non admodum planus ſit, quædam præmittenda eſſe judicavi, ut conſtaret, quæ res in hoc aphoriſmo ſunt exponendæ. Omnium primum conſtat, Auctorem ſigna bona & mala voluiſſe tradere in febribus non intermittentibus. Ex iſtis ſelegit Evacuationes, quæ in Remittentibus deteguntur, per Exſcreationem, per Alvum & Urinam. Ex iſtis pro ſpecimine eligit Sputum, cujus malas notiones citat, ut ſit lividum, cruentum, fœtens, & bilioſum, de his omnibus dicit malum portendere: atque ſimiles evacuationes per alvum & urinam quoque malas eſſe, adſtruit. Dein obſervat ſputum bonum, ut & reliquas evacuationes conducentes ægrum liberare poſſe a febre Remittente. Sed ſi in febre Remittente nihil de materia bonæ indolis evacuetur, hoc etiam damnat. Ergo mala materia in Remittentibus evacuata nocet, bona vero conducit, & nihil evacuari, quoque malum eſt.

Qualia ſputa mala in remittentibus. II. Remittentes febres eſſe ſymptomaticas ex Putredine vel Pure corrupto natas ſæpe obſervavimus, ſi pus vel putredo illa latitat in pulmonibus: quæ exſcreando rejiciuntur, declarant naturam materiæ retentæ; Sputa ergo livida, cruenta, fœtentia, vel flaveſcentia, bilioſa dicta, demonſtrant, talem humorem in pulmonibus colligi, qualia corrupta ſi ex ulcere quovis ejiciuntur, non permittunt ulceris conſolida-

ſolidationem, & eo minus, ſi ulcus habeatur in pulmonibus cum febre remittente, quæ declarat, totam maſſam ſimili corrupto humore infectam eſſe. Quare talia ſputa mali ſunt ominis.

III. Sed ſi Purulentum febrem remittentem faciens ſenſim minus corruptum exit, id valde bonum, quemadmodum in omnibus ulceribus, ſi bonum pus, ſatis copioſum, & tamen non nimis abundans emittitur, ſpes conſolidationis elucéſcit. Inde in febre remittente ſi emittantur ſputa alba, æqualia, inodora, libere exeuntia, quæ levant ſymptomata, modica copia ejecta, ſanitatem promittunt: ita enim ſpes eſt, totum purulentum ejici poſſe & ulcus pulmonis conſolidari. Qualia ſputa bona in Remittentibus.

IV. Sive ſputa illa bona ſive mala antea prodierint, ſed deinceps ſupprimantur, mors imminet. Nam ſi ſputa corrupta ejiciebantur, adhuc potuit morbus protrahi, utpote continuo liberabatur corpus a corrupto humore, dum id corruptum inſuper retinetur, mortem accelerabit. Imo ſputum bonum retentum, quod evacuatum promittebat ſanitatem, diuturniore mora convertetur in putrilaginem, quæ ut alii humores corrupti totam maſſam inficiet, & ita jugulabit vel ſua copia majore, vel aliena indole, ægrum. Sputum nullum in remittentibus malum.

V. Tandem ex ſpeciali obſervatione ſputi condit generalem regulam evacuationis urinæ & alvi egeſtionis. De quibus idem eſt concipiendum, quod alvi excrementa vel urina corruptionem in Remittentibus indicantia, malum præſagium præbeant: ſed bona exeuntia ſanitatem. Si vero nihil per hæc emunctoria exit in morbis, qui per talia emunctoria ſolent eliminare ſuos humores, tunc ſemper erit malum omen. Quæ autem bona & mala dicantur alvi excrementa, & qualis urina proſit vel noceat, aliis in locis traditur. Urina & alvi egeſtio bona & mala in Remittentibus.

LIB. IV. APH. XLVIII.

158. *IN non intermittentibus febribus, ſi externa quidem frigida ſint, interna vero urantur, & ſitim habeant, lethale.*

I.

NOnnulli exiſtimarunt, hanc febrem non Intermittentem denotare febrem Continuam, quoniam alibi auctor noſter eandem ſententiam profert de febre continua. Ea autem concluſio mihi non videtur ſatis valida, quum eadem phænomena fieri poſſint a diverſis cauſis, & quia verſatur in prognoſi formanda febrium non Intermittentium, quas demonſtravimus hodie vocari vel Remittentes vel Continentes. Has oriri demonſtravimus vel ex putrefactis humoribus, vel ex Pure corrupto. Si igitur ex his deduci poſſit frigus partium externarum cum ardore interno atque ſiti, videndum tunc ulterius erit, quid boni aut mali dicta phænomena portendant.

Ardor internarum in remittentibus unde?

II. Internæ partes dicuntur illæ omnes, qua nec oculo patent, neque externo tactu explorari poſſunt a medico; adeoque viſcera ventris & pectoris: in quibus ſi habeatur vel calor vel frigus, a medico cognoſci nequit, ſed ab ægro indicari debet. In his partibus per varias cauſas generari poteſt Ardor, ſed cauſæ hæ diverſæ non faciunt reliqua phænomena ſimilia, unde ex conjunctis phænomenis colligere debemus cauſam latentem ardorem inferentem, ut videamus, quænam cauſa latens non ſolum ardorem inferre poteſt, ſed etiam reliqua phænomena. Adeſt febris Remittens, unde poſſumus concludere, neque Inflammationem neque Eryſipelas eum Ardorem inducere, quia his morbis conjuncta eſt febris continua. Hinc Ardor internarum partium cum febre Remittente denotat, interna viſcera agitari a materia corrupta motum vitalem inſtigante. Ea autem materia eſt vel bilioſa, vel pinguedinoſa, vel purulenta corrupta,

rupta, quoniam reliquorum humorum corruptiones non inferunt vellicando tantum ardorem. Quoniam omnes morbi putridi ſunt periculoſi, illi excellunt, qui putrefactum habent in viſceribus internis, unde evacuari nequit, & quarum partium functiones depravatæ vel exſtinctæ mortem inferre poſſunt. Hinc etiamſi nullum præterea adeſſet malum ſignum, niſi febris Remittens cum Ardore partium internarum, hoc ſolum ſufficeret ad præſagiendum periculum.

Frigus Externarum in remittentibus unde?

III. Per partes externas hoc loco intelliguntur tota cutis, facies, membraque externa. In his ſi ſimul habeatur frigus, lethale pronunciatur in Remittentibus. Multi negant, tale quid obſervari poſſe in febribus, quia Calor & Frigus ſimul conſtare nequeunt. Nos autem in periculoſe decumbentibus ſæpe hæc duo ſimul obſervavimus, quod ægri conquerebantur de incendio interno, quaſi viſcera urebantur, dum tamen partes externæ vel erant tepidæ vel etiam algidæ. Veteres multum laborarunt ex ſua hypotheſi de Calido innato, & Neoterici ex ebullitione, aut fermentatione hæc oppoſita phænomena explicare, ſed ſemper occurrebant tricæ, quæ plenam ſententiam repudiabant: neque feliciorem theoriam poſuerunt, hæc ex obſtructione qui deducere conati ſunt, quum ſæpe integrum viſcus poſt mortem inveniatur obſtructum ſine ullo ardore interno prægreſſo. Sed ſi attendamus ad legem generalem corporis viventis, quamcumque partem ſtimulatam ſe magis movere, & illum motum vitalem eſſe cauſam naturalem caloris, facile intelligitur, ſi acre rodens hæreat in viſceribus internis, eam partem admodum calere, & ſi vehementior ſit roſio, partem videre comburi, ut experimur in cute, ſi applicatum hæret phœnigmum. Sed tunc tamen ea videtur reſtare difficultas, quomodo inde fiat frigus partium externarum, quum ex lege ſtimulantium & calefacientium applicatorum vel aſſumtorum totum corpus concaleſcat. Hoc utique ſemper verum eſt, modo vires vitæ tantum valeant, ut ex parte ſtimulata per totum corpus motus vitalis major fieri poſſit: ſed ſi ſimul habetur ſumma ſpirituum penuria, & virium defectus, pars quidem ſtimulata ardet, ſed in reliquo corpore defectu virium non propagatur ille motus major,

ſed ex motu languidiore in partibus externis generatur frigus. Propterea pejus eſt, ſi partes externæ ſimul frigent, dum interna videntur uri, quoniam in tali febre non ſolum deſignatur Corruptela, ſed etiam ſumma Debilitas.

Sitis in Remittente unde?

IV. Sitim non ſolum generari ex tenuis aquoſi penuria aut oris ſiccitate, verum etiam ex putrefacto bilioſo & pingui, in noſtra Exercitatione de Siti demonſtravimus. Hoc etiam fieri in hac febre Remittente, luce meridiana clarius patet; tantus enim calor aut ſiccitas non habetur in ore, ut inde nimiam ſitim conjicere poſſimus: dum hi ægri non raro cum ore frigido & humido admodum ſiticuloſi ſint: tunc nempe ſi id putrefactum ſimul feratur ad os, quod ſua qualitate ſitim infert, quæ multo potu non placatur, ut fit in ſiti ex ſiccitate. Hoc ſignum licet non adfuiſſet, morbus tamen per ſe, ut ex iis, quæ ſuperius expoſuimus, fuiſſet periculoſiſſimus, nunc vero accedente ſiti, quæ declarat putredinis diſperſionem per corpus, aggravatur præſagium malum.

LIB. IV. APH. XLIX.

159. *IN febre non intermittente, ſi labium, aut ſupercilium, aut oculus, aut naſus pervertatur, ſi non videat, ſi non audiat, corpore jam debili exiſtente, quidquid horum fiat, in propinquo mors eſt.*

I.

PErgit Auctor noſter in Remittentibus ex phænomenis formare prædictiones, quæ fundatæ ſunt in meris obſervationibus, conſtanter in ægris detectis: quamvis igitur hæ ſolæ haberentur ſine cauſarum expoſitione, ſufficerent in praxi ad formandas prædictiones. Sed quoniam harum apparitionum inveſtigatio apud omnes medicos laudabilis habetur, atque conducit ad alias res obſcuras elucidandas, hæc phænomena ex ſuis cauſis eruere conabimur, ut eo firmiorem habeamus cognitionem. Caſus eſt febris Remit-

Remittens cum ſumma debilitate: ſi in tali ſtatu vel inordinatus ſit motus animalis in muſculis faciei, vel ſi ſenſus auditus vel viſus extinguuntur, tunc obſervavit, mortem in propinquo eſſe.

Debilitas in remittente quid notat.

II. Ut vires corporis valeant, requiritur ſpirituum bonorum liber & ſatis copioſius influxus, quare vel ex interceptо fluxu vel ſpirituum defectu aut alienata indole debilior generatur actio movens. Verum interceptum tranſitum, aut paucitatem ſpirituum non poſſumus in febre remittente accuſare: nam ex ſpirituum defectu oritur quidem debilior motus, ſed ſine febre; atque ſpirituum fluxus interceptus particularem paralyſin parit, minime vero debilitatem univerſalem cum febre. Quare Debilitas magna in Remittentibus arguit, naturam ſpirituum ita eſſe inverſam, ut inepti ſint ad motum in noſtro corpore præſtandum. Inde admodum valens eſt corruptio, quæ etiam invertit iſtos humores, quorum efficacia boni præparandi erant humores. Quo igitur in febribus Debilitas eſt major, eo majus imminet periculum.

Faciei motus tunc mutatus mortem præſagit.

III. Satis conſtat in febribus remittentibus cum ſumma debilitate, naſum, ſupercilium, oculum, vel labrum non converti per convulſionem ex ſpirituum abundantia, aut majore motu, quum deficiat in corpore cauſa movens: ſed quoniam muſculi omnes harum partium nervos habent ex medulla oblongata cerebri provenientes indicium eſt, id acre quod febrem remittentem facit, tranſlatum eſſe ad interiora encephali, cujus irritatione hi motus inordinati in partibus faciei fiunt. Vel inde provenire poteſt, quod muſculi antagoniſtæ reſolvantur ſubſiſtente ſpirituum influxu. Sive hoc, ſive iſtud fiat, utrumque mortem inſtare, declarat: nam materia morbi ad interiora encephali tranſlata, omnem cerebri actionem invertet.

In his viſus & auditus extinctio mortem præſagit.

IV. Non ſolum viſus & auditus extinctio in Remittentibus, corpore jam debili exiſtente, inſtantem mortem præſagit, ſed etiam aliorum ſenſuum exſtinctio hoc etiam promittit: ut ſi quis antea ſiticuloſus, ſine bona cauſa non amplius ſitiat; aut ſi pars dolens non amplius dolorem exhibeat: cuncta hæc arguunt ita inverſos aut exſtinctos eſſe ſpiritus, ut iſti ſenſus non amplius exerceri poſſint. Adeoque in organis

organis ſenſuum jam inchoata mors eſt, quæ brevi poſt quoque reliquas actiones vitales exſtinguet.

LIB. IV. APH. L.

160. *UBi in febre non intermittente difficultas ſpirandi & delirium ſit, lethale.*

I.

PErgit Autor noſter in eadem morbi ſpecie ex ſupervenientibus ſymptomatibus formare prognoſin: in præcedente tradidit ſymptomata ſenſus & motus animalis, quæ propterea mortem præſagiebant, quoniam indicabant materiam corruptam vel putridam in encephalo colligi, vel verſus eam feciſſe metaſtaſim. Nunc dicit Difficultatem ſpirandi & Delirium, lethale eſſe. Non ſine ratione hæc duo ſymptomata junguntur ad deſignandum, unicum locum affectum eſſe, ex cujus oppreſſione vel agitatione utraque hæc ſymptomata ſuperveniunt: nam ſi ſolummodo dixerat Difficultatem Reſpirandi, forſan materia febris non quieſcentis, ut vocat Celſus, occupaſſet pulmones, ſed quoniam addit Delirium, inde concludere poſſumus, eam partem eſſe affectam, in qua ſpiritus conficiuntur, pro Ratiocinio & motu Reſpiratorio. Quemadmodum in Encephalo conficiuntur ad motum muſculorum in facie, & auditum & viſum exercendum: ita in eodem etiam loco conficiuntur, quibus utimur ad bene ratiocinandum, & reſpirandum. Si ergo in febre Remittente duæ actiones ſimul afficiuntur, quæ utræque ex Encephalo accipiunt ſpiritus, etiamſi altera harum in pectore exerceatur, admodum veriſimile eſt, cauſam hærere ad locum communem. Poteſt tamen eſſe, ut duæ partes ſimul afficiantur, ſed in hoc Aph: crediderim, cauſam latitare in encephalo, verſus quod febris remittens fecit metaſtaſin, quæ turbavit æquabilem motum ad judicandum & reſpirandum requiſitum. Quamobrem tamen non æque in hoc, quam in præcedente dixerit, mor-

mortem inſtare, meretur obſervari. Locus quidem in utriſque eſt communis, & actio reſpiratoria exſtincta periculoſior, quam ſi exſtinguatur Viſus vel Auditus: verum in præcedente adjecerat ſigna ſummæ debilitatis, ex quibus colligere potuimus, functiones jam incipere exſtingui; verum in hoc Aph: ſolummodo notat perturbatam actionem, nam homo non Delirat ex deficiente actione ſed turbata, ita etiam Difficile reſpirat, quod ſi non reſpiraret, ſignum eſſet exſtinctæ actionis. Igitur, quia exſtincta actio mortem inſtare declarat, ſed turbata actio periculum promittit, in hoc aphoriſmo duntaxat poſuit Lethale.

LIB. IV. APH. LI.

161. *IN febribus abſceſſus, qui non ſolvunt ad primas judicationes, morbi longitudinem ſignificant.*

I.

INterpretes multum laborant, num *Solvunt* active vel *Solvuntur* paſſive intelligi debeat, nos autem magis attendentes ad illuſtrandam ſcientiam medicam, quam extollendam Hippocratis ſententiam, hanc interpretationem Criticis relinquimus, ſolummodo notantes, ſi intelligi debeat ſolvuntur, uti videtur ex Textu græco, ſenſus hujus Aphoriſmi non eſſet Praxi conveniens, nam Abſceſſus nunquam ad primas judicationes ſolvuntur, ſed ſenſim evacuato pure, ſanantur: verum Abſceſſus ſolvunt febres vel ſtatim vel tarde, & tunc Aphoriſmus hic egregiam regulam prognoſticam præbet in medicina.

II. Ut febris per Abſceſſum in quadam parte natum tollatur, neceſſe eſt, ut ſit febris, cujus materia in pus commutari poteſt. Verum præcedentes febres Remittentes nunquam formant pus, ſed putrilaginem, quare in hoc loco ſapienter non poſuit febres non intermittentes, ſed abſolute in febribus, acſi indicare vellet, ſe in hoc loco non agere

Qualis febris abſceſſus finitur.

de Remittentibus, ſed de febribus Continuis, quæ materiem purulentam formant, quæ quoque in Intermittentibus rariſſime formatur. Quamobrem in hoc loco intelligenda eſt febris Continua, quæ poteſt per criticam evacuationem deſinere vel per Abſceſſum.

Longitudinis prædictio ex abſceſſu in febribus.

III. Omnes febres, quæ deſinunt per Abſceſſum, longiores ſunt iis, quæ per criticam evacuationem terminantur: nam nunquam tam perfecte tollitur febris materia in formato abſceſſu, quam per aliquod emunctorium, cum nunquam natura Abſceſſum formet, ſi ſatis valeat materiem eliminare per emunctorium; illa igitur debilitas cauſa eſt, cur non ſatis perfecta fiat materiæ ſeparatio. Atque ipſa ſeparatio a communi maſſa non liberat ægrum a toto morbo, cum fiat materiæ depoſitio in quadam corporis parte, ubi novum morbum format. At vero ſcopus Auctoris non eſt docere longitudinem ex febre quæ deſinit per abſceſſum, ſed febrem longiorem futuram, ſi ſtatim ac apparet abſceſſus non quieſcit. Ut enim perfecte deſinat morbus præcedens per Abſceſſum, neceſſe eſt, ut omnis morbi materia ab eo abſceſſu recipiatur. Quod cognoſcimus, ſi ſtatim quoque deſinit febris: ſed ſi perfecte non quieſcit febris, ſignum eſt totam febris materiem in abſceſſu non eſſe depoſitam, quod reſiduum, ut ſignum debilitatis virium, morbum prolongabit.

LIB. IV. APH. LII.

162. *Quicumque in febribus, aut in aliis infirmitatibus, ex propoſito (id eſt ob cauſam) lachrymantur, nihil inconveniens. Qui vero non ex propoſito, magis inconveniens.*

I.

Scopus.

Continuat Auctor formare prognoſin ex phænomenis, quæ febribus ſuperveniunt, ſed ut generaliorem doctrinam faceret, adjecit alias infirmitates ſine febre, in

in quibus omnibus dicit, inconveniens magis, vel abſurdius eſſe, ſi non ex propoſito vel involuntariæ copioſæ lachrymæ fundantur. Etiamſi Lachrymæ egregiam partem Phænomenologiæ conſtituerent, a paucis autem medicis ita exponuntur lachrymæ ex ſuis cauſis, ut ex lachrymis apparentibus aliquid certi conſtituere valeamus. Copioſius in hoc Aphoriſmo proponit Auctor Lachrymarum ſtillicidium, ut inde ferat judicium in morbis. (1) Quæ lachrymæ copioſiores fluunt ex cognita cauſa. (2) Quæ producuntur ex cauſa latente. De utriſque ſeorſim acturi ſumus.

Lachrymæ copioſæ ex manifeſta cauſa nil boni aut mali præſagiunt.

II. Ex glandula lachrymali innominata dicta, ſupra oculi bulbum in fovea oſſea hærente ſtillat aſſiduo liquor pellucidus, tenuis inſtar aquæ, qui irrigat oculi partem anteriorem, ut maneat humida & pellucida, atque depurata, ſi forſan aliquid ei adhæreret, dein abſoluto munere recipitur punctis lachrymalibus, ducitur in ſaccum lachrymalem & dein cava narium, ubi evaneſcit: Si autem majore copia ſecernatur, quam ut ita recipi poſſit a punctis lachrymalibus, vel ſi illa via ſit intercluſa, ſupra palpebram inferiorem adſcendunt lachrymæ & exſtillant. Hoc ſtillicidium frequentiſſime generatur ex animi pathematibus, oculi vel narium irritatione, vel quia, ut diximus, via eſt intercluſa, ſed ſi ex his cauſis fiat, nullum indicium præbent boni vel mali in morbis totius corporis, quum tales fiant ex vitio organi, & inde ſolummodo particulare, minime autem generale vitium declarant: & inde in morbis generalibus non cenſentur inter ſigna.

Ex latente cauſa in febre quid notant.

III. Etiamſi febris eſſet præſens, ſi lachrymæ copioſæ fluant, inde etiam nullum fieret judicium; ſed ſi dictæ cauſæ abſint, atque ex indole febris copioſæ funduntur lachrymæ, tunc indicium eſt, ſanguinem ferri majori impetu ad caput, atque tunc ea mala expectamus, quæ ex hoc majori impetu deduci ſolent. Eam prædictionem rotundis verbis expoſuit noſter Auctor H. a. 667. *Quibus in febribus acutis, magis ardentibus, lachryma invita defluunt, his ſanguinis a naribus eruptionem exſpectare oportet, ſi etiam alia pernicioſe non habeant: nam his qui male habent, non ſanguinis eruptionem, ſed mor-*

tem ſignificant. His conſtat, cur dixerit *magis Inconveniens*, quoniam interdum mortis inſtantis ſignum eſt.

In aliis in firmitatibus quid notant.

IV. Simili quoque modo ratiocinandum eſt in quibuſdam aliis morbis cum & ſine febre. Nam in *Apoplecticis* & *anginoſis*, ſi lachrymæ voluntariæ fluant, vel ex dictis irritationibus nihil boni vel mali præſagiunt: Sed ſi fiant ex impedito reditu ſanguinis per venam jugularem, peſſimum indicium præbent, cum ſanguis in encephalo collectus cerebrum & cerebellum ita comprimet, ut omnis circulatio ſpirituum ſupprimatur.

LIB. IV. APH. LIII.

163. *QUibus in febre ad dentes viſcoſa circumnaſcuntur, his febres fiunt vehementiores.*

I.

Viſciditatis dentium cauſa.

VIſcoſo vel lento humore dentes obſidi, ſæpe obſervamus in praxi tam in morbo acuto quam chronico: hujus originem ex variis cauſis deducunt; quidam putant, ex dentium ſubſtantia exhalantes humores condenſari; alii vapores ex ventriculo vel pulmonibus exhalantes, frigiditate dentium condenſatos accuſant; denique quidam contendunt, glutinoſa eſſe alimenta. Sed ſi rimamur experimenta, quæ probant dentium ſolidam ſubſtantiam craſſos non tranſmittere humores; œſophagum nihil niſi in ructibus & vomitu emittere, atque tracheam ſolum humorem integre volatilem exhalare; atque glutinoſum hoc naſci poſt oris collutionem, ſiine cibo deinceps ſumto generari, facile perſuademur omnes iſtas allegatas cauſas inanes eſſe conjecturas. Quare cauſa quærenda In humoribus, qui in ore ipſo ſecernuntur, ſive ſit mucus naturalis, ſive ſaliva in os depoſita. Hi humores vitio morboſo lentiores nati in os depoſiti, magis dentibus quam partibus reliquis adhærent: quum partes reliquæ ex ſua ſubſtantia emittentes humiditatem

tem id tenax depellunt; Dentes autem humidum non emittentes, adhæſioni favent. Inde etiam tenacia unguibus applicata diutius & tenacius adhærent, quam cuti. Signum igitur eſt, quoties ſorditate vel glutinoſo obſeſſi inveniuntur dentes, quod in humoribus in os depoſitis prædominet potentia concreſcendi. Quod ſi ſolummodo in his humoribus hoc vitium haberetur, nihil mali inde præſagiri poſſet. Sed quoniam iſtud glutinoſum raro in ſolo humore ſalivoſo prædominat, inde tanquam ſignum generale totius maſſæ accipiendum eſt.

Cur dentium viſciditas circumnata, ſignum febris vehementioris.

II. Omnis circumnata dentibus viſciditas non eſt ſignum febris vehementioris, quum ſæpe in chronicis admodum ſordeſcant dentes, ſine ullo febris indicio: ſed quando hæ ſorditates dentibus adhærentes conſpiciuntur in febribus, tunc ſemper vehementem febrem indicant. Nunquam enim humores motu circulatorio aucto convertuntur in glutinoſum corruptum, niſi motus ſit validiſſimus, qui gelatinam compingit in denſum & corruptum lentorem. Quæ ergo conſpecta phænomena, ut eſt viſcoſitas dentibus circumnata, ſunt effecta vehementioris circulationis, eadem quoque probant, adeſſe febrem vehementem. Quare hoc ſignum probat, adeſſe febrem vehementem ſed non futuram: verum febrem periculoſam futuram; quoniam humores ita compacti difficulter per bonam criſim evacuari poſſunt; & eſt quoque ſignum Longitudinis, cum lentus humor longo tempore eget ad ſolutionem. Utiliſſimum itaque eſt inſpicere os in febribus, non ut duntaxat formemus prædictionem ex phænomenis inventis, ſed ut etiam inde habeatur curatoria indicatio: nam quoties inveniuntur dentes viſcoſo obſeſſi, eam febrem curare debemus ut vehementem febrem. Et ut levetur hoc ſymptoma, os eſt colluendum abſtergente antiphlogiſtico.

LIB. IV. APH. LIV.

164. *QUibus diu tuſſes ſiccæ, paulum irritantes, in febribus ardentibus, non admodum ſiticuloſi ſunt.*

I.

Sitis conſtans ſymptoma in ardentibus.

TRia primaria ſigna numerant practici ad definiendam febrem ardentem, Calorem urentem, Siccitatem magnam, & Sitim vix ferendam. Cur autem ſitis fiat in ardentibus, hoc loco exponendum eſt. Sitis eſt ſenſus ſpecies in nobis, qua inſtigamur ad hauriendum potum. Hic ſenſus nobis a Deo eſt conceſſus, ut cognoſceremus, quando in nobis eſt defectus, qui ingeſtione potionis eſt ſupplendus, ut famis ad petenda alimenta, & tactus ad evitanda mala applicata. Quoties itaque in nobis eſt humidi defectus, naturale eſt, ut percipiamus Sitim. Ergo ſolummodo eſſet demonſtrandum, in ardentibus defectum humiditatis eſſe, quæ res tam plane conſtat, ut nulla egeat expoſitione, quum motu circulatorio aucto omne humidum expellatur, & quod expelli non poteſt, compingatur in lentorem. Hanc ſiccitatem ſeu defectum humiditatis in ore & faucibus ſenſum Sitis producere, in *Exercitatione Medica de Siti* Expoſuimus.

Tuſſes ſiccæ paululum irritantes in ardentibus, unde fiant.

II. Tuſſis dicitur ſicca, ſi tuſſiendo nihil humidi vel phlegmatis ejicitur; hujus Tuſſis ſiccæ inveniuntur multæ cauſæ, ut expoſuimus *In Exercitatione de Tuſſi.* Ex Iſtis illæ cauſæ eligendæ, quæ in febre ardente fieri poſſunt, & quæ cauſæ paululum irritando tuſſim inferunt, adeoque cauſa levis eſſe debet, quæ tuſſiendo facile lenitur, ſed & cito redit. Magis convenientem cauſam non invenio talem Tuſſim inferentem, quam internæ membranæ laryngis ſiccitatem, quæ quamdiu eſt præſens, ſtimulando tuſſim infert: ſed quoniam tuſſiendo major copia humidi fertur ad has partes,

partes, tuſſiendo ea membrana humectatur & ita ceſſat tuſſiendi irritamentum: ſed ea ceſſante brevi poſt exſiccatur, unde iterum redit Tuſſis, qua nihil ejicitur, ſed ſæpe redit. Tuſſiendo huc verſus allici humores etiam in ſanis, ſi aliquid in tracheam inciderit, probari poteſt, nam tuſſiendo ex mechanica cauſa multum muci tamen ejicitur. Inde optime hujuſmodi Tuſſim in acutis lenire potui hauriendo vaporem ebullientis aquæ, quo latera ſicca tracheæ irrigabantur.

III. Tuſſes illæ ſiccæ in ardentibus non ſolent ceſſare, quamdiu durat febris ardens, ut obſervavimus in praxi, quia tolli nequit ſiccitas hujus tuſſis cauſa manente febre ardente. Quod autem minus ſiticuloſi ſint in ardentibus, quando talis tuſſis adeſt, ex iis quæ expoſuimus deduci poteſt: nam quia tuſſiendo plus humidi ducitur ad fauces, quo lenitur tuſſis, id quoque adductum minuit ſitim, quia ſiccitas utriuſque eſt cauſa, nempe ſitis & tuſſis, & inde adductione humidi utraque phænomena mitigantur. Non debemus ex hoc Aphoriſmo colligere, ut quidam perperam fecerunt, talem ægrum in febre ardente non ſitire, ſed ſolummodo minus ſitit, quia tuſſiendo plus humidi fertur ad fauces, ut ita miteſcat ſitis. Ita videmus interdum characteriſticum ſymptoma morbi minui per aliud ſuperveniens, ut in hoc caſu, minuitur ſitis in ardentibus, & in cerebri oppreſſione minuitur febris ardentis calor. Quare ſedulo perſcrutanda phænomena in morbis, an non propter aliud ſuperveniens minuantur vel exſtinguantur.

Tuſſes ſiccæ in ardentibus minuunt ſitim.

LIB. IV. APH. LV.

165. *IN Bubonibus febres, omnes malæ, præter ephemeras.*

I.

Bubonis significatio.

BUbo ſeu βουβὼν quia non eſt vox ſemper eandem rem ſignificans in ſcientia medica, primum conſtare debet, quid Hippocrates in hoc loco per Bubonem intelligat, antequam ſcire poſſimus, quænam febris mala ſit in Bubonibus, & quæ minus mala, vel bona. In Arte Medica vel notat partem vel morbum. Pars illa Latinis dicitur Inguen. Sed ſi deſignat morbum, tunc eſt tumor proprie in Inguine. Verum non omnes tumores inguinis dicuntur Bubones, uti patet in herniis hujus loci, ex quibus ſpecies invenitur, quæ vocatur Bubonocele, ſeu Hernia inguinis, quæ tamen nunquam abſolute dicitur Bubo. Sed ſi alius tumor Inflammatorius ſeu purulentus, ut & glanduloſus, ut eſt Phygethlon, in Inguine detegitur, talis tumor dicitur Bubo. In hac ſignificatione non acquieſcunt, ſed ex tumoris ſimilitudine ſub alis & pone aures, etiam in aliis locis hujuſmodi tubercula Bubones vocant. Si ſequimur interpretationem Galeni, hoc loco per Bubones intelligendi tumores ſeu Tubercula inflammatoria vel purulenta non ſolum in Inguinibus, ſed & etiam ſub alis & pone aures, quæ ſententia quoque mihi videtur veriſſima, ut infra conſtabit.

Ephemera quæ dicatur.

II. Febris Diaria ſeu ἐφήμερος ex febribus continuis leviſſima eſt ſpecies & breviſſima, etiamſi a quibuſdam referatur ad Intermittentes, ſed quoniam unico paroxyſmo abſolvitur, ſpecies eſt febrium continuarum. Dicitur Ephemera, quia paroxyſmus ille ultra viginti quatuor horas non extenditur. Si autem diutius continuatur paroxyſmus, dicitur Synochus ſimplex vel & Ephemera plurium dierum.

Cauſa

Cauſa ergo Ephemeræ talis eſſe debet, quæ motu febrili intra viginti quatuor horas tota poteſt ſubigi & expelli, aut in aliquam partem deponi, ubi novum paroxyſmum facere non poteſt. Ea frequentiſſime obſervatur, ſi in Diæta commiſſus eſt error, vel prohibita fuit inſenſibilis perſpiratio, ut & in tuberculis inflammatoriis, ſi tranſeunt in ſuppurationem. Sufficit in curatione itaque Ephemeræ potandam dare potionem antiphlogiſticam diaphoreticam. Hujuſmodi febrem poſt aliquot ſeptimanas recurrentem inordinate obſervavi in cacochymicis, catarrhoſis, & acrimonia cruda laborantibus, qua febre finita cum ſudore corpus liberabatur a crudo illo & alieno humore.

III. Si conferamus ea, quæ ſuperius expoſuimus, dicti veritas conſtabit, omnes febres malas eſſe præter Ephemeras in Bubonibus. Bubones enim Peſtilentiales, aut qui omnem materiem in ſe non recipiunt, vel qui fiunt in morbis putridis, non excitant Ephemeram, ſed vel febrem continuam per multos dies durantem, vel remittentem, aut hecticam, quæ omnes febres, quoniam imperfectam criſim deſignant, malæ cenſentur. Ephemera autem nata ex commutatione materiæ in pus, quæ tunc ſimul ceſſat brevi tempore, deſignans totum reliquum corpus liberatum eſſe a morboſa materia, bonum ergo præſagium præbet. Cur omnes febres malæ in bubonibus præter ephemeras?

LIB. IV. APH. LVI.

166. *Febricitanti ſudor ſuperveniens, febre non deficiente, malum. Prorogatur enim morbus, & multam ſignificat humiditatem.*

I.

NAturale eſt in omni ſpecie febrium, ut circa finem paroxyſini evacuetur ſudor, & in omni febre tam Acuta, quam Remittente & Intermittente legitima, cum ſudoris eruptione febris quoque quieſcat. Multi inde exiſti- Unde ſudor in febribus.

exiſtimarunt, ſudorem formari ex febris materia: verum maxima pars ſudoris ex bonis humoribus corporis depromitur, ſudor enim erumpere poteſt, etiamſi nulla ſit febris materia in corpore. Quare idem de ſudore ſtatuendum, quod obſervant Practici in urina, tota enim urinæ maſſa non ſtatuitur componi ex morbi materia, ſed ſtatuendum eſt cum urina ſimul evacuari materiem morbi, unde habetur urina Cocta, quæ indicia præbet evacuationis materiæ morbi, ſed Cruda, quæ ſine materia hac excernitur. Hoc etiam ſentiendum eſt de Sudoris evacuatione, ſed quoniam ſudoris materia ita non poteſt examinari, uti in urina, alia criteria ſunt adhibenda, quibus cognoſcimus, num ſudor ſit criticus vel ſymptomaticus. Quando igitur motu febrili corpus valide fuit agitatum, atque humores ſoluti, accedente relaxatione pororum, id quod ſolutum fuit, Sudoris forma exit, partim conſtans humoribus bonis detritis, partim ex materia febrili ſubacta.

Febricitanti ſudor ſuperveniens, febre non deficiente malum.

II. Ut Sudor adferat levamen, neceſſe eſt, ſimul aliquid de febrili materia auferat: verum hoc ſi faciat, febris ſimul vel remittit, vel minuitur, vel quieſcit, detracta enim materia irritante febrili minuitur motus ab eo ſtimulo inſtigatus: ſed non eſt opus, ut omnino febris abſit, ſed ut minus ſæviat. Si vero febris cum tali erumpente ſudore non minuitur aut quieſcit, certum indicium eſt, materiem febris cum ſudore eo non fuiſſe ablatam. Eam retentionem admodum malam eſſe, non eget explicatione.

Talis ſudor præſagit longitudinem.

III. Sudorem non auferentem febris materiem præſagire Longitudinem, ſuperius *Aph.* 12, XII. demonſtravimus, quare ad probandam inſtantem longitudinem ex ſudoribus erumpentibus, non quieſcente febre, hoc duntaxat eſſet adſtruendum, eum ſudorem non tollere materiem morbi, ſed quoniam hoc a nobis in hoc loco ſatis fuit demonſtratum, non erit opus repetere.

Et deſignat multam humiditatem.

IV. Hunc ſudorem erumpentem in febre non quieſcente deducit Auctor ex multa humiditate, quare multi practici, ut curent talem febrem, præcipiunt danda eſſe Sudorifera, Diuretica & Purgantia, ut corpus liberent a nimia illa humi-

humiditate. Auctori noſtro conſentio, eum ſudorem indicare multam humiditatem; ſed iſtis, qui propterea contendunt illam humiditatem eſſe evacuandam, conſentire nequeo. Quod ſi rimamur originem hujus humiditatis multæ, facile iſti Practici mecum ibunt in eandem ſententiam. Febris illa ſi commutatur in putrilaginem, liquati humores ſub ſudoris forma exeunt, & inde non tollunt febrem, ſed eam prolongant, uti obſervatur in omnibus febribus putridis & colliquativis. Si tunc quis ſatageret colliquatos humores eliminare per urinam vel alvum, potius interficeret hominem, quam ut tolleret febrem ex tali putredine natam. Quamobrem in ſudoribus erumpentibus non quieſcente febre monemur, nos debere per antiſeptica ulteriorem colliquationem prævenire, ſed neutiquam per evacuantia conari evacuationem.

LIB. IV. APH. LVII.

167. *A Spaſmo aut tetano detento, febris ſuperveniens ſolvit morbum.*

I.

QUum Veteres ex phænomenis impoſuerunt morbis nomina, non raro duo phænomena ab eadem cauſâ venientia diverſa nomina accepere; alii vero morbi, cauſa admodum diverſi, non raro idem retinent nomen, quod in prognoſi formanda & curatione tradenda magnam difficultatem parit. Hoc patet in Tetani deſcriptione, ex eo enim morbo tres quaſi diſtinctos morbos faciunt *Tetanum*, *Emproſthotonum* & *Opiſthotonum*. Multi Spaſmum & Tetanum eundem morbum faciunt; alii vero dicunt, morbos eſſe diſtinctos. Ita etiam Convulſio, Rigor, Diſtentio nervorum, Epilepſia quibuſdam ſunt ſynonyma, aliis autem morbi differentes, quare ſæpe dubii hæremus, qualiſnam morbus intelligatur. Quidam ex Neotericis non ſi-

Spaſmi & Tetani differentia.

ne ratione Convulſionem diſtinguunt in duas ſpecies, unam vocant *Convulſionem Tonicam*, cui reſpondere poteſt *Tetanus* atque *Rigor* Celſi, nam Rigor hodie in medicina aliam ſignificationem obtinuit (*Aph.* 156, 1). Alteram vocant *Convulſionem Clonicam*, cui reſpondere poteſt *Spaſmus*, cujus ſpecies eſt Epilepſia, hyſterica & hyponchondriaca paſſio. Dum ſcilicet muſculi voluntati ſubjecti a cauſa morboſa interna, etiam reluctante voluntate, valide conſtringuntur, & ita conſtricti manent, illum motum morboſum vocant Convulſionem Tonicam. Sed ſi hi muſculi alterne conſtringuntur & dimittuntur, ut inde fiat motus inordinatus involuntarius validus, ille motus vocatur Convulſio Clonica. Quoniam ſuperius demonſtravimus (*Aph.* 51, v.) quali modo & quando febris ſuperveniens ſolvit Convulſionem, non erit opus eadem repetere.

LIB. IV. APH. LVIII.

168. A *Febre ardente detento, rigore ſuperveniente, ſolutio fit.*

I.

Quid ſit febris ardens.

OMnem febrem Continuam non eſſe Ardentem, ex ſuperius dictis (*Aph.* 100, 11) colligi poteſt. Quare in quadam febre Continua quædam apparere debent notiones, quibus detectis omnes medici concludunt, eam febrem continuam vocari febrem Ardentem. Semper adeſſe debet in hac febre continua Calor urens ad attactum, cum cutis Siccitate ſumma, laborioſa Reſpiratione, Pulſu duro & frequenti, oris ſiccitate, & Siti vix extinguibili. Si cuncta hæc rimemur, & quæ deinceps in febre ardente obſervantur, probant ea, dictam febrem ardentem eſſe veram inflammationem per totum corpus.

Quando rigor ſuperveniens ſolvit.

II. Quid ſit Rigor & ex qua cauſa generatur, expoſuimus (*Aph.* 156.) Ex quibus deduci poteſt, ſi materia irritando

ritando febrem Ardentem inducens commutetur in aliam naturam, tunc fieri Rigorem. Si hæc commutatio ſit facta in materiem purulentam, ſæpe ſubſequitur critica evacuatio, qua liberatur æger a febre ardente: vel eadem purulentia deponitur ad aliquam partem, ubi format abſceſſum per metaſtaſin. Rigor etiam generatur in Ardentibus, ſi commutatio fiat in Putrilaginem vel Sphacelum. Adeoque niſi ſimul perpendantur reliqua ſymptomata, non poteſt judicium ferri, num Rigor in Ardentibus portendat malum vel bonum. Solvitur quidem febris ardens ſemper a Rigore ſuperveniente, qui deſignat materiæ mutationem, ſed non ſemper bonam ſolutionem promittit. Si vero poſt Rigorem illum temperatior fiat calor, lenior ſitis, humiditas corporis, pulſus mollior, cum evacuatione critica, præprimis per ſudorem, urinam, vel ſputum, raro autem per alvum, hæc collecta ſigna demonſtrabunt, materiem febris ardentis abiiſſe in materiem purulentam, quæ ſimul evacuatur. Qualis tunc Rigor eſt optimum præſagium, & non ſolet redire: ſed ſi hæc non adſunt, verum ſæpius redeat Rigor, indicio eſt, materiem abiiſſe in putrilaginem. Si vero poſt Rigorem corpus nimis refrigeretur, vires cadunt, & exprimitur ſudor frigidus, fœtens, notat talis Rigor mutationem in mortificationem.

LIB. IV. APH. LIX.

169 *TErtiana exquiſita in ſeptem ad ſummum circuitibus judicatur.*

I.

OMnium primum ſciendum eſt, qualem febrem Hipp: hoc loco intelligat. Citat Tertianam exquiſitam, unde ſatis conſtat, alias præterea inveniri Tertianarum ſpecies. Hoc in genere conſtat per Tertianam intelligi febrem, quæ Paroxyſmos ſeu Periodos facit alternis

Quæ dicatur Tertiana exquiſita.

diebus. Sed inveniunt duas tales ſpecies, una refertur ad febres Remittentes (*Aph.* 153): Altera ad febres Intermittentes. Quæ autem ad Remittentes referuntur, dicuntur *Tritæophyes.* Sed Tritæos uti in Textu, eſt Tertiana intermittens. Verum Auctor non videtur contentus ſolam nominare Tertianam, quum addit Exquiſitam: quare non intelligit omnem Tertianam intermittentem, ſed eam, quæ exquiſite talis eſt. Nos prælucet in hac re Galenus, cum dicat in Tertiana paroxyſmum non debere ultra duodecim horas extendi, eam fieri debere in æſtate, regione & temperamento calido & ſicco; paroxyſmum incipere cum Rigore, deſinere cum ſudore, vel dejectione materiæ biliosæ. Addere poſſumus, ſi non pervertatur naturalis ordo venæ ſectione, purgante, caleſacientibus aut nimis refrigerantibus, vel alio errore in diæta. Talis tunc febris vocatur Tertiana exquiſita.

Septem ad ſummum periodis judicatur.

II. De tali nunc Tertiana exquiſita præcipit, eam ad ſummum ſeptem paroxyſmis judicari, id eſt deſinit quarto, quinto, ſexto vel ad ſummum ſeptimo paroxyſmo: quæ obſervatio practica quoque hodie vera invenitur, modo ſibi relinquatur febris Tertiana. Quare in febre Intermittente non habetur criticorum dierum annumeratio, uti in febribus Continuis, per dies ſucceſſivos, ſed per numerum paroxyſmorum, ut unusquiſque paroxyſmus habeatur pro die in febre Continua. Hoc quoque tentarunt perſcrutari in febre quartana, in qua detexerunt, ſi ſinguli paroxyſmi durent ſex horas, totum tempus febris non ultra terminum febris acutæ extendi. Sed quoniam febris intermittentis & continuæ materia non eſt eadem, non erit quoque neceſſe, ut utraque materia eodem temporis ſpatio ſubigatur: ſi autem obſervetur tale fieri, id non ex convenientia communi febrium dependet, ſed quia ex lege ſpecifica cujusque febris hoc ita eveniat: nam potuiſſet quoque temporis magna eſſe differentia, quum harum febrium non ſit eadem cauſa.

LIB. IV. APH. LX.

170. *Quibus in febribus aures obſurduerint, his ſanguis e naribus effluens, aut alvus exturbata, morbum ſolvit.*

I.

Surditatis cauſa in febribus.

DUo hic ſimul ponuntur morbi, quorum alter alteri ſupervenit, Febris nempe & Surditas. Hoc loco intelligenda eſt Febris Continua vel Remittens, quia Intermittentibus hæc obſervatio non quadrat, atque ab Hippocrate paſſim non accipiuntur Intermittentes generali nomine febris. Continuæ & Remittentes nomen diſtinctum non habent apud Auctorem noſtrum, niſi quod Remittentes, ut retro obſervavimus, interdum dicantur febres non intermittentes. Surditas in hoc loco non deſignat, ægrum non audire poſſe ſonum quemcumque graviorem, ſed non audire vocem vel ſonum alloquentium, id eſt, ut obſcurius audiat, quam antea ſolebat. Talis Surditas tunc debebat generari, quando æger febricitabat, quod arguit, eam non oriri ex vitio prægreſſo in organo auditorio; nam inde nata ſurditas nullum hujus rei præſagium præbet. Sed naſci debet ex febre ipſa, vel cauſa eadem, quæ febrem antea produxit, aures enim obſurdeſcunt in febribus, id eſt, poſtquam aliquamdiu adfuit febris, oborta fuit Surditas. Duæ in febribus præcipuæ ſunt cauſæ Surditatem inferentes, impetus nempe ſanguinis major ad caput, & materia bilioſa ad caput magis quam alias partes tendens. Sanguis igitur vel materia bilioſa ad caput delata implendo arterias prope nervum auditorium in Encephalo, vel quæ organo auditus inſunt, ita opprimunt nervum auditorium, vel implent auditus organum, ut fiat impeditus aëris ſonori tranſitus, vel nervi auditorii ſtupor. Ergo ſurditas in febribus naſci-

naſcitur ex accumulato ſanguine vel materia bilioſa circa auditus organum.

Hæmorrhagia quando ſolvit febrem.

II. Si in febribus ſanguis feratur majori impetu ad caput, quod cognoſcimus ex oculis rubentibus, trucibus, facie tumente, pulſationibus in capitis arteriis, cum ſurditate vel auriun ſonitu, timor eſt, ne motu illo majore æquabilis cerebri motus turbetur & æger deliret: compeſcitur autem nimius ille motus, ſi evacuetur ex naribus ſanguis, tunc enim minus diſtenta vaſa, minus quoque urgent. Quamobrem per hæmorrhagiam ſupervenientem ex impetu majore non ſolum ceſſant dicta phænomena, inter quæ eſt Surditas, ex majori motu ad encephalum nata, verum etiam præveniuntur inſtantia mala, Delirium, Phrenitis & Convulſio. Imo tantum valet in ea cauſa hæmorrhagia narium, ut ipſam febrem compeſcat. Ex quibus colligere poſſumus in praxi talem hæmorrhagiam, niſi modum excedat, non eſſe ſupprimendam, ut multi ex inſcitia hujus obſervationis fecerunt. Atque inde patet, ſanguinis miſſionem in tali ſurditate præcipuum eſſe auxilium, quum arte id præſtemus, quod natura demonſtrat adferre levamen. Et quoniam incerti ſumus, num certo fiet hæmorrhagia, qua non apparente, imminerent recenſita mala, prudentis Medici eſt non exſpectare hanc hæmorrhagiam, ſed ſurditate cum aliis ſignis majoris impetus ad caput apparentibus, protinus ſecare venam, & ſi prima vice inde non compeſcatur motus ille major, eandem ſanguinis evacuationem repetere.

Alvus exturbata quando ſolvit febrem.

III. Sed ſi materia bilioſa ad caput delata cum febre inducit ſurditatem, non ita levat hæmorrhagia, & minus conducit ſanguinis miſſio, ſed ſi alvus exturbatur, præcipue ſi egerit feces bilioſas, non ſolum diſcutitur Surditas, ſed & ipſa febris ſolvitur: nam materia bilioſa per alvum exturbata non amplius cerebrum petere poteſt, atque derivatio facta ad alvum temperat impetum ad caput tendentem. Ita egregia formatur curativa indicatio in febribus bilioſis, ſi ſurditas oboritur, nam quoniam levamen fit & ſolutio febris per egeſtionem bilioſam, manu veluti ducimur ad alvum

vum ducentia, quæ materiem bilioſam exturbant & ſimul minuunt impetum, qualia ſunt Cholagoga refrigerantia.

LIB. IV. APH. LXI.

171. *FFbricitanti, niſi diebus imparibus febris dimiſerit, reverti ſolet.*

I.

QUid ſit intelligendum per Recidivam, ſuperius (*Aph.* 37, II) expoſuimus: eamque ſæpiſſime fieri in omni ſpecie febris, conſtans eſt obſervatio. Sed tunc febris Recidivam facit, ſi febris materia viribus vitæ vel virtute medicamenti non fuit exſtincta & dein expulſa, verum aliquomodo mitigata, ut aliquo temporis ſpatio non valeat ita turbare corporis actiones, ex quibus mutatis cognoſcimus materiem febrilem latitare, dein malignitate increſcens, ut prius actiones vitæ irritans, iterum phænomena febris exhibeat. Ipſam enim cauſam febris nemo videre poteſt, ſed ſi illa applicetur ad organa vitalia, tunc naſcuntur in corpore phænomena, quæ declarant, febrilem materiem eſſe in corpore, quare febris cauſa eſſe poteſt in corpore ſine ullo indicio, uti aliæ etiam cauſæ morboſæ, quemadmodum Variolarum, Luis venereæ, Hydrophobiæ, antequam inducunt actiones vitæ perturbatas. Ut igitur conjiciamus ſine phænomenis, num febris materia in corpore lateat, conſulenda ſunt obſervata practica, quæ comprobant, materiem febrilem adeſſe, etiamſi nulla phænomena inveniantur. Hæc obſervata multis modis eruuntur: ut ſi poſt febrem ſanatam remaneat inappetentia; ſi fugata febre remaneat valetudo adverſa; ſi excrementa & actiones multum recedant ab ordine conſueto; ſi abiit febris ſine ſignis coctionis; ſi febris non deſinit die critico, quum ad legitimam curationem non ſolum natura expellat materiem quantitate & qualitate reſpondentem, ſed & ſervare ſoleat

certum aliquod tempus, ut monuimus in Diebus Criticis (Aph. 49). An vero illi Dies Critici ſint dies impares, quam maxime diſputant, ita ut Galenus non dubitaverit aſſerere, ſe non credere hunc Aphoriſmum ab Hippocrate eſſe traditum. At vero Auctor noſter dicit *reverti ſolet:* ergo non contendit ſemper ſed aliquando reverti febrem, ſi dimittit die pari. Non ignoro, decimum quartum, vigeſimum & quadrageſimum diem pares eſſe dies; verum decimus quartus ex duobus ſeptenariis, vigeſimus ex tribus componitur, & ita quadrageſimus ex ſex ſeptenariis, ut 20 habeatur pro 21, & 40 pro 42. Tali modo ſi accipiantur dies impares, ſententia in hoc Aphoriſmo prolata non recedit a generali doctrina Dierum Criticorum (Aph. 49.)

LIB. IV. APH. LXII.

172. *QUibus in febre morbus regius ſupervenit ante ſeptimum diem, malum eſt.* (*Niſi confluxus humorum per alvum fiat.*)

I.

Icteri definitio.

IN prædictionibus formandis non majores invenio difficultates pluresque tricas, quam ſi in morbo, uti in febre, qui ex variis naſcitur cauſis & ex phænomenis accepit nomen, aliud veniat ſymptoma, quod itidem ex phænomeno nomen accepit, uti eſt Icterus: poteſt enim Icterus in variis febrium ſpeciebus venire, & ita pro natura febris bonum & malum ſignum eſſe: atque Icterus ex cauſa varia poteſt in quadam febris ſpecie etiam bonum & malum indicium præbere. Ut igitur ex Ictero febri ſuperveniente certum prognoſticum habeatur, determinanda eſt febris & Icteri ſpecies. Hoc quoniam non ſatis exacte a Practicis fuit factum, non mirum eſt, quod tot diſſidia & variæ ſententiæ de hoc Aphoriſmo a Commentatoribus ſint prolatæ, ut quidam non dubitarint noſtrum Auctorem falſitatis

ſitatis arguere, quum invenerunt Icterum ante ſeptimum diem ſuperveniſſe cum bono exitu. Ut igitur aliquid certi in hac prognoſi ſtatuamus, definienda eſt ea ſpecies Icteri, quæ in hoc Aphoriſmo eſt intelligenda. Omnis morbus, qui cutim totam ſuffundit intenſa flavedine, nam ſi ad virorem vel nigredinem vergit, vocatur Icterus niger, ita ut oculi quoque album manifeſtam illam flavedinem exhibeat, & reddatur urina intenſe flaveſcens, quæ immerſum linteum ita inficit colore flavo, ut facile elui non poſſit, vocatur Icterus, morbus Regius, morbus Arquatus, Aurigo. Et ut hunc morbum diſtinguant a conſimili colore Cachecticorum, adjiciunt, eum colorem flavum oriri a bile flava diffuſa per totum corpus. Ad detectionem ergo hujus morbi ſola requiritur accurata coloris mutati obſervatio, ſed non profert cauſam, niſi ſolam materialem, hunc colorem inferentem: propterea ex varia cauſa oriens icterus poteſt bonam & malam præbere prognoſin in febribus.

II. Paucæ ſunt Icteri ſpecies, quæ quocumque tempore veniant, bonum præſagium præbent, dum tamen in hoc Aphoriſmo implicite patet, Icterum ſeptimo die venientem, bonum præſagium præbere; nam qui Icterus ex Hepatis obſtructione, Inflammatione, infarctione ductus Choledochi, vel veſicæ felleæ oritur, aut qui venit ex putredine, omni tempore etiam ſeptimo die febris veniens malum exhibet præſagium. Igitur in hoc loco intelligenda eſt ea Icteri ſpecies, quæ ex febris perturbatione critica naſcitur, quum ea tanquam ſignum criticum ſeptimo die bonam prognoſin præbere poſſit. Si autem ante ſeptimum diem veniat Morbus Regius, malum eſt, niſi confluxus humorum per alvum fiat, uti in quibuſdam exemplaribus habetur. Scilicet ſi febris bilioſa ante iſtud tempus commotionem faciat, qua bilis ſuffunditur per totum corpus, talis præmatura commotio bilis corruptæ abundantiam deſignat, quæ bilis ſi ſimul non deponatur per alvum, ſed in corpore retenta, ſenſim fit acrior, & ſua ſaponacea acrimonia omnes humores in tenuem putrilaginem convertit, quod admodum malum eſt. Ex dictis his clariſſime exponi po-

Quæ ſpecies Icteri ante ſeptimum diem in febribus veniens malum.

teſt Auctoris ſententia in Libro de victu acutorum. H. b. 313. *In febre bilioſa ante ſeptimum diem cum rigore morbus regius accedens, ſolvit febrem. Verum ſine rigore ſi accedat, extra temporis occaſiones, perniciоſus eſt.* Quoniam rigores accedentes indicant perturbationem aliquam criticam, poſt quam ſi ſequatur materiæ depoſitio per alvum, æger liberatur a bile corrupta: nam ſi talis rigor præceſſerat ſine ſubſequente evacuatione bilis, malum etiam eſſet indicium. Quod etiam nobis reliquit Auctor noſter in Epidemicis H. a. 663. agens de febrium ardentium affectionibus. *Quibuſdam*, inquit, *morbus Regius accidit ſexta die. Verum his purgatio per veſicam, aut alvus exturbata profuit aut larga ſanguinis eruptio.* Et paulo infra. *Senioribus vero ad Morbum Regium res devenit, aut alvi ipſis turbata ſunt, aut dyſenterici facti ſunt.* Ex quibus colligi poteſt, ſi Icterus ante ſeptimum diem ex perturbatione febrili fiat ſine ſubſequente bilis evacuatione malum præſagium exhibere. Atque conſtat, hic eam ſpeciem Icteri intelligi, quæ fit ex febris commotione, non vero omnem ſpeciem.

LIB. IV. APH. LXIII.

173. *QUibus, in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie febres ſolvuntur.*

I.

QUid ſint Rigores, & quibus cauſis generentur, ſupra (*Aph.* 156) expoſuimus, eorumque cauſas multas eſſe, eodem etiam loco demonſtravimus. Plura de Rigoribus in febribus memoriæ tradidit Auctor in Libro Coacarum Prænotionum circa principium. Verum omnes hi Rigores non fiunt quotidie, ſeu certo die non repetunt. De his igitur ſolis argumentatur in febribus, & de iis obſervavit tunc quoque febres quotidie ſolvi, id eſt non plane finitur febris, nam ſi Rigores finirent febrem, non poſ-

ſent

ſent eſſe Rigores quotidiani. Invenimus tria genera febrium, Continuas, Continentes, & Intermittentes. In febribus Continuis Rigor ſemel fit in initio, & quando tranſit in alium morbum: In continentibus ſeu remittentibus febribus fiunt Rigores inordinati. Quamobrem Rigores quotidiani duntaxat fiunt in febribus Intermittentibus, ſi novus exoritur paroxyſmus. Interdum vero accidit, ut febris Intermittens typum febris continuæ vel remittentis induat, ut obſervavi in quadam conſtitutione autumnali, ita ut in principio conſtitutionis exiſtimarem, febrem eſſe continuam, pergente vero conſtitutione omnes illæ febres in legitimas febres intermittentes commutabantur. Dum illæ febres continuæ ſenſim incipiebant commutari in febres intermittentes, quotidie febres quoque illæ facere incipiebant Apyrexiam. Ex obſervatione hac luculentiſſime patet, etiam Hippocratis tempore hujuſmodi febres regnaſſe & ſedulum noſtrum Obſervatorem inculcare voluiſſe hoc Aphoriſmo, quod ſi febris quoad conſpectum continua regulares quotidie faciat Rigores, eam non eſſe veram febrem Continuam, ſed intermittentem larvatam.

LIB. IV. APH. LXIV.

174. *QUibus in febre, ſeptimâ, aut nonâ, aut undecimâ, aut decimâ quartâ, morbus regius ſupervenit, bonum eſt: niſi dextrum hypochondrium durum ſit: alioqui non bonum.*

I.

Præcedentem *Aph.* 172 huic conjunxit Hipp: in Coacis præn. H. a. 531. *Morbus regius*, inquit, *ante ſeptimum diem accedens, malum. Septimo vero ac 9. & 11, & 14, judicatorius eſt, ſi non præcordia induret. Sin minus, ambigua res eſt.* Ex quibus patet, præcedentem aphoriſmum in

hoc libro interpoſitum fuiſſe, atque hunc aphoriſmum eſſe partem prioris. Sententia Auctoris eſt in hoc Aph. demonſtrare, Icterum die critico venientem ſalutarem eſſe, ſed tamen non ita abſolute, quin alia poſſint ſimul adeſſe ſigna, quæ ambiguam prognoſin præbent, nam ſi bona & mala ſigna ſimul apparent, ambiguus eſt exitus.

Icterus die critico in febre, bonum.

II. Supra (*Aph.* 172, 11) demonſtravimus implicite indicari, Icterum ſeptimo die venientem bonum præſagium præbere, quoniam eo die optimæ fiunt perturbationes criticæ: nunc vero plures dies criticos, nempe nonum, undecimum & quartum decimum citat, ut demonſtret, non ſolum ſeptimo, ſed & aliis diebus criticis (Conf. Aph. 49) Icterum criticum eſſe poſſe. Verum non ultra decimum quartum adſcendit, quod tamen fecit in annumeratione dierum pro ſudore critico (*Aph.* 146) quoniam poſt decimum quartum diem raro per icterum fit criſis. Si igitur Color icteritius, qui alias ſemper malum eſt ſignum, in febre oriatur diebus iſtis, cum reliquis ſignis criticis, inter ſigna critica recenſeri poteſt. Si vero color icteritius appareat in quovis alio morbo, ſemper eſt ſignum malum. Quare quædam mala ſigna, modo denotent perturbationem criticam in febribus bonum indicium exhibere poſſunt.

Icterus ex febre cum hypochondriis duris non bonum.

III. Hypochondriorum durities ut cauſa & ut ſignum prognoſin ambiguam facit: nam non ſufficit, ut Icterus ſeptimo vel alio die critico in febre veniat, ipſa bilis per totam maſſam diffuſa evacuari debebat, & relinqui debent viſcera ſana. Si vero Tumor durus hypochondria tenet, ſignum eſt, materiem bilioſam circa hepar colligi, iſtudque viſcus infarcire, unde, quamvis æger liberaretur a febre præcedente, laborare deinceps poteſt hepatis infarctione, & ita ad perfectam ſanitatem non venit, niſi ſimul reſeratur hepar obſtructum. Aut in febribus poteſt etiam iſtis diebus criticis oriri hepatis obſtructio, quæ Icterum generat, ut ſuperveniens Icterus non ſit ſignum criticum, ſed ſignum obſtructionis vel inflammationis hepatis. Quare patet, Hypochondriorum duritiem ambiguam prognoſin facere.

LIB.

LIB. IV. APH. LXV.

175. *IN febribus circa ventrem æſtus vehemens, & oris ventriculi dolor, malum.*

I.

PErgit Auctor annumerare ſymptomata in febribus, ut ex iſtis medicus poſſit judicium ferre, quid ſit præſagiendum. Quæ ergo ſymptomata hic citantur, non præſagiunt idem, ſi obſervantur in corpore non febricitante. Propterea ut ex dictis eliciatur cauſa, hæc ſymptomata inferens, talis erit aſſignanda cauſa, quæ febrem, æſtum vehementem, & Cardiogmum ſimul producere poteſt: & dein ex ea inventa formanda eſt prædictio; ſeu per practicam obſervationem conſtare debet, qualeſnam effectus boni vel mali ex tali cauſa ſoleant provenire.

II. Poteſt generari febris ex cauſa, quæ ventris ardorem induxit, & viciſſim eadem cauſa, quæ prius concitavit febrem, deinceps poteſt ventris vehementem æſtum inducere. Hoc autem eſt intelligendum hoc loco; nam ſi illud intelligeretur, dixiſſet Auctor in ardoribus vehementibus ſi oriatur febris, & ita eſſet febris ſymptoma ardoris vehementis, dum tamen hic prius ponatur febris ut morbus. Ex ſimplici hac obſervatione patet, num accuſanda ſit Inflammatio, aut Eryſipelas, aut Bilis corrupta acris calida tanquam ardoris cauſa, quoniam in his Ardor inſeparabile eſt ſymptoma, quod fere omnes ſtatuunt Commentatores. Non inficior, iſtis in morbis particularibus, ſi ventriculum vel alia viſcera ventris obſident, ardorem generari atque febrem; ſed tunc febris poſterius venit, & medici febrem ut ſymptoma iſtius morbi particularis habent. Ut ſi quis pleuritide corripitur, & reticemus iſtud nomen, volentes verbis phænomena exprimere, non dicimus, in febribus ſi veniat lateris vel pectoris dolor, nam tunc eſſet

Ventris Ardor in febribus unde oriatur.

eſſet pleuritis ſymptomatica febrilis : ſed dicimus in Lateris dolore ſi habetur vehemens febris. Ergo conſtat, ventris ardorem non eſſe veram Inflammationem aut Eryſipelas, ſed febris ſymptoma. Quoniam febris inſeparabile eſt ſymptoma æſtus, quamdiu corporis vires valeant, & æſtus magnitudo vehementiam etiam febris declarat, pro certo accipi poteſt, cauſam febrilem ſenſim copioſius colligi circa ventris viſcera, ut iſtis in partibus majorem febrilem faciat agitationem, quam per totum reliquum corpus.

In febribus Cardiogmos.

III. Quam maxime laborant Interpretes, num Cordis vel ſuperioris ventriculi morſus hoc loco ſit intelligendus. Maxima pars contendit, ventriculi orificium hic eſſe intelligendum, quoniam Hipp: dicit malum: nam, inquiunt, ſi Cor intelligeretur, dixiſſet Auctor peſſimum. Ego vero puto, ſi Cor magis a febre afficeretur, quam orificium ſuperius ventriculi, non ſentiri Dolorem aut morſum, ſed Anxietatem, quum Cordis affectiones nunquam dolorem ſed ſemper Anxietatem inferant, dum ventriculi ſuperius orificium affectum fere ſemper Dolorem moveat. Materia ergo febrilis copioſius circa orificium ſuperius ventriculi collecta non ſolum infert Ardorem, verum etiam Dolorem, quod frequens eſt febribus, ſi quandam partem nervoſam præceteris aggrediatur : nam etiam capitis Ardores ex febre ſolent conjunctos habere Dolores : adeo ut quoties materia febrilis occupet aliquam partem, ea pars ſimul doleat & caleat, ſed raro vel Dolor vel Calor ſolus, habeatur, ut febris ſymptoma in quadam parte nervoſa.

Circa ventrem æſtus vehemens & Cardiogmus in febribus malum.

IV. Conſtat ex iis, quæ adduximus, Æſtum vehementem circa ventrem & Cardiogmum indicare, materiem febrilem has partes magis, quam reliquum corpus agitare: atque per ſedulam obſervationem practicam noſtrum Auctorem didiciſſe malum ſæpe habuiſſe exitum, ſed qualem faciat exitum, non docet. Verum ſerior ætas hoc detexit, nam febris hanc partem afficiens omnem deſtruxit appetentiam, ſenſim quoque induxit anxietatem, inquietudinem, & vigilias pertinaces, atque agitatione hac non ſolum perturbatur materiæ febrilis concoctio, ſed & maxime inhibetur e-

jus

jus critica evacuatio, quum irritatio interna inhibeat directionem ad cutim: imo hac agitatione non parum turbatur bilis in hepate confectio, unde multa mala, quæ non orirentur ex eadem febre, si hanc partem præ ceteris non afficeret. Sed quoniam illa agitatio non semper istas partes corrumpit, atque febre quiescente non raro manent sanæ, dixit malum: nam si semper sequeretur corruptio, dixisset Lethale.

LIB. IV. APH. LXVI.

176. *IN febribus acutis, convulsiones, & circa viscera dolores vehementes, malum.*

I.

QUænam dicantur febres Acutæ, superius (*Aph.* 108, IV) exposuimus; in his præcipit duo conjuncta symptomata venientia, Convulsiones scilicet & circa viscera dolores vehementes, malum esse; ergo non statuit, dictam Convulsionem & dolorem vehementem circa viscera ventris tanquam morbos malum præsagire, sed si veniant ex febre. Concipiendum itaque est, vel febrem circa hanc partem præcipuam agere tragædiam, vel ad eas partes facere metastasin. Rationem dedimus, febrem convulsioni supervenire melius esse, quam convulsionem febri. (*Aph.* 51). Solas autem Convulsiones in principio acutorum venientes præprimis in pueris observavi non periculosas esse, sed in adultioribus plus periculi adferre (Conf. H, a, 470). Imo noster Auctor, H, a, 534, bonum præsagium ex Convulsione protulit; nam *Convulsio*, inquit, *in febre oboriens & eadem die desinens, bona est. Convulsio in febre oboriens, sedat febrem eadem die, aut postera, aut tertia. Si vero tempus, in quo incepit, transgrediatur, & non desinat, malum.* Ex quibus facile colligere possumus, ex sola Con-

vulſione ſuperveniente incertam fieri prognoſin, quoniam ipſa Convulſio eſt phænomenon diverſarum cauſarum, quarum quædam admodum malæ, aliæ autem vix quidquam periculi portendunt. Ut igitur magis determinata habeatur cauſa, aliud addendum eſt ſymptoma, ut fecit Auctor, dicens & circa viſcera dolores vehementes, malum. Iſte quoque Dolor etiam naſci debet ex febris commotione, nam ſupervenire debet. Propterea ſi Convulſio fieret ex perturbatione critica, potuiſſet bonum præſagium præbere, uti patuit in allegatis locis, & quemadmodum Icterus quoque die critico (*Aph.* 174, 11) bonum præſagium præbere poteſt, etiamſi abſolute veniens ſemper malum ſit indicium. Verum Convulſio in febre veniens cum diris ventris doloribus, etiamſi veniat die critico, bonam criſim promittere non poteſt, nam vexatio doloris faceret derivationem materiæ ad interiora. Si vero dolor ille naſcatur ex febre, qui dolor dein ſua vehementia concitat Convulſionem, eo pejus eſt, quum hujuſmodi acceſſus Convulſionis perturbationem ſummam ex conſenſu declarat, quæ ſemper in pejus tendit: nunquam enim ex ventris vehementi dolore ſalutares obſervatæ ſunt Convulſiones.

LIB. IV. APH. LXVII.

177. *IN febribus, ex ſomnis pavores, aut convulſiones, malum.*

I.

Quid ſomnus facere debeat in febribus.

OBdormit homo in febribus vel ex naturali vel ex morboſa cauſa: medicus & æger neſcit, quænam harum latent, quum videat febricitantem dormire. Verum ſi inveniat pulſum frequentiorem & duriorem, atque videat ægrum inquiete decumbere, nimiſque calere toto corpore, conjicit medicus, eum ægrum ex morboſa cauſa obdor-

obdormire. Sed omnia placide ſi inveniat, ſentit ſomnum eſſe naturalem, in quo nulla exercetur actio animalis, tota compages carnoſa laxior, reſpiratio æquabilior, pulſus languidior & mollior, unde ſpiritus minus conſumuntur, & coctiones, quæ ſolo motu vitali ſunt abſolvendæ, fiunt perfectiores & æquabiliores, qui humores antea majore motu fuere compacti, nunc dimittuntur, ad expulſionem diſponuntur, atque ſæpe etiam expelluntur cocti. Quare ſomnus naturalis in febribus, ut monuimus etiam in Acutis (*Aph.* 26, v), eſt utiliſſimus.

II. Verum ſi ſomnus fiat ſeu potius ſopor ex cauſa morboſa, ea recenſita bona non poſſunt exſpectari, quoniam talis non inducitur corpori diſpoſitio, qualis in naturali ſomno adeſſe debebat: imo indicatur talem latitare morboſam cauſam, quæ opprimendo cerebrum ſoporem inferre poteſt. Dum vero ex naturali ſomno omnes actiones quieſcebant præter actionem vitalem: hoc non ſemper obtinet in ſomno morboſo, quum morboſa cauſa, ſive ſit materia obſidens cerebrum, ſive cerebrum conſentiat ex quacumque alia parte affecta, non ita quietas relinquat reliquas actiones ſenſus & motus animalis, quin irritando iſtas ſæpe perturbet; quare ſomnus inquietus tam malus cenſetur in morbis. Hæc cauſa morboſa inordinatum motum dormienti inducens, quo agitatur ex improviſo cerebrum, hominem eodem modo evigilare facit, ac ſi aliquis dormiens inopinate vellicaretur, unde evigilans pavet, neſciens quid ſit factum. Hujuſmodi ergo Pavores ſeu Terrores quoniam latitantem indicant malam cauſam, atque ſimul arguunt, coctiones fieri non poſſe, uti in ſomno naturali, revera ſunt timendi. Si vero tales Pavores ſæpe fiant, ut dicit Auctor in ſomnis, non in ſomno, certum eſt, illam cauſam morboſam conſtantem eſſe, quoniam toties poſt ſomnos repetit Pavores, & inde eo majus malum portendit. In febribus ex ſomnis pavores, malum.

III. Quemadmodum ſtatim demonſtravimus, ab irritato cerebro per cauſam morboſam generari Pavores malum præſagientes, idem quoque ſentiendum de Convulſionibus. Nam nullus muſculus motus animalis movetur in ſanis abſ- In febribus ex ſomnis Convulſiones, malum.

que voluntate noſtra; ſi vero contra voluntatem moveatur, vocatur Convulſio, quæ arguit ſemper adeſſe morboſam cauſam irritantem. Hoc autem obſervamus in Oeconomia animali, quaſdam cauſas turbando motum encephali inducere mentis alienationem, alias autem motum animalem perturbatum, ut interdum convellantur corpora cum mente conſtante, & quidam delirent corpore quieſcente. Propterea Auctor recte poſuit Pavores aut Convulſiones, & non conjunxit hæc duo ſymptomata, ut fecit in præcedentibus aphoriſmis, quia non neceſſe erat ad eruendam cauſam latentem, ut utraque ſymptomata conjuncta habeantur in febribus, quemadmodum in præcedentibus fieri debuit, quum unum ex his ſufficeret ad formandam prognoſin malam.

LIB. IV. APH. LXVIII.

178. *IN febribus ſpiritus offendens, malum. Convulſionem enim ſignificat.*

I.

Reſpirationis obſervatio in morbis.

HOmines & fere omnia animalia vix per momentum ſine reſpiratione vivere poſſe, omnia ſuffragantur experimenta: an vero ad continuandam circulationem per pulmones, an ad refrigerandum ſanguinem, an vero ut animal fruatur aëris præſentia, ſit data, non conſentiunt auctores, neque eſt hujus loci agitare. Sufficiet indicare hominem natum, niſi alterne attrahat & emittat aërem purum, non diu manere ſuperſtitem, ſi enim maneat in eodem aëre diu non renovato, vel in aëre infecto, etiamſi alterne eum aërem attrahat & emittat, moritur tamen, quare non ſufficit ad continuandam vitam in homine nato, ut alterne dilatet & coarctet pulmones, puro etiam eget aëre: neque manet ſuperſtes in aëre aperto puro,

ro, ſi ejus trachea clauſa aëris ingreſſum intercipiat: aut quando pulmones conſtricti vel impleti alternam receptionem aëris denegant. Sed ut maneat vita, requiritur alterna pectoris ampliatio, pulmones obſequioſi, ingreſſus & egreſſus aëris puri. Tolle unam ex his, breve peribit homo & omne animal perfectum. Hæc ergo actio vitæ tam neceſſaria ſedulo eſt perſcrutanda in morbis ad cognitionem & prædictionem, quæ tamen hodie a multis turpiter negligitur, in ſolo pulſu quærentes indicia, vel ut alii, qui in ſola uromantia conquieſcunt. Noſter autem Auctor tam ſedulus fuit in rimanda Reſpiratione, ut nullus poſt eum; omnes enim minimas in ea mutationes notavit & poſteritati reliquit, uti Galenus fecit in Pulſibus. Sed quoniam ſparſim differit de Reſpiratione in morbis, normam Auctoris ſequemur, exponendo, quid ſit ſentiendum de quavis mutatione in Reſpiratione, donec tandem ex ſpecialibus his poſſimus generalem formare doctrinam. In genere præmittendum eſt ex phyſiologicis, inveniri Reſpirationem animalem ſeu voluntariam, quam exercemus in flando, cantando, loquendo & ſuctione, muſculis voluntati obtemperantibus, eamque actionem eſſe ſatis validam: atque vitalem ſeu involuntariam, æquabilem, ſed & minus valentem, quæ etiam in dormientibus & de reſpiratione nihil cogitantibus exercetur, quam multis modis poſſumus per animalem reſpirationem augere, minuere, & mutare: denique in pulmonibus etiam vacuis interdum tantum invenitur impedimentum, ut etiamſi per animalem reſpirationem conemur haurire aërem, non valeamus, quod ſæpiſſime experiuntur Aſthmatici, aut ſi aër pulmones ingrediens fumo ſulphuris, vel alio toxico fuerit infectus, quo videntur pulmonis fibræ ita conſtringi, ut ne quidem per animalem reſpirationem relaxari & extendi poſſint.

II. Quod hodie vocatur Reſpiratio interrupta, olim ab Hippocrate dicebatur ſpiritus offendens, τὸ πνεῦμα προσκόπλον. Dum ſcilicet neque inſpiratio neque exſpiratio unica actione abſolvitur, ſed in media veluti inſpiratione vel exſpiratione ſubſiſtit, ut debeat æger renovare actionem ad integram inſpi- In febribus Reſpiratio interrupta malum.

rationem vel exſpirationem abſolvendam. Hoc ſymptoma non patitur æger ex mutata aëris indole, neque in actione reſpiratoria animali : ſed in actione reſpiratoria vitali, vel quoniam inter reſpirandum intercludatur toties larynx, ut ita non concedatur liber introitus & exitus aëris, per cauſam quæ ſubito adeſſe & abeſſe poſſit. Si vero eſſet conſtans cauſa, ut virium defectus, vel tumor tracheæ aut faucium, vel impletio pulmonis, non haberetur interrupta reſpiratio, ſed intercepta & difficilis. Num ergo actionis vitalis defectus, quæ non permittit unico actu abſolvi inſpirationem & exſpirationem, ſit hujus phænomeni cauſa, num vero ſpaſmodica Laryngis vel fibrarum pulmonis conſtrictio, diſcernendum eſt. Debilior autem actio faceret tardiorem, debiliorem, & moleſtiorem reſpirationem, uti obſervamus in ſumma infirmitate. Quare videtur affectio ſingultui ſimillima, qua inter reſpirandum conſtringuntur tracheæ & pulmonum fibræ, ſed quæ conſtrictio ſubito etiam dimittit, uti in ſingultu. Pars affecta propterea nequit eſſe organum animalis aut vitalis reſpirationis, ſed organum id ſpeciale in pulmonibus, quo particularis motus pulmonis & tracheæ abſolvitur, quod organum movens convulſione corripitur. In febribus nunc talis interrupta reſpiratio, eſt malum, quoniam ſine febre in plorantibus eſt frequens & non diu durans: verum in febribus notat, motum particularem pulmonum in conſenſum trahi, quod magnitudinem morbi declarat, & nullum auxilium inferre poteſt.

In febribus reſpiratio interrupta Convulſionem ſignificat.

III. Non eſt contentus hoc in Aph. Auctor, uti ſæpe facit, pronunciare malum eſſe, ſed ex obſervatione practica, quia didicit ſæpe deinceps natam fuiſſe Convulſionem, adjecit Convulſionem ſignificare. Hoc autem *ſignificat*, duplici ſenſu accipitur, ut præſens tanquam phænomeni cauſa, vel futurum. Utrumque admitti poteſt : nam demonſtravimus, hanc reſpirationem interruptam a ſpaſmodica fibrarum conſtrictione oriri, quod forſan etiam ſcivit Auctor noſter. Atque in quibusdam fibris ſi inceperit Convulſio, non eſt infrequens, tandem quoque Convulſionem

nem fieri in fibris aliorum organorum. Hoc boni comparamus ex ea obſervatione, quod ſi videamus ægrum febre laborantem corripi interrupta reſpiratione, nos non ſolum medicamenta febrifuga præſcribere debere, verum etiam antiſpaſmodica, de quibus alias non fuiſſet cogitatum.

LIB. IV. APH. LXIX.

179. *Quibus non ſine febre urinæ ſunt craſſæ, grumoſæ, & paucæ, ſi ab his tenues & copioſæ mejantur, proſunt. Maxime vero tales redduntur, in quibus ſtatim ab initio, vel non ita multo poſt, ſedimentum apparuerit.*

I.

HUcuſque annumeravit ſymptomata in febribus, & inde formavit prædictiones; ſed in hoc Aph: aliquomodo mutat ſermonem; nam non format prognoſin ex urina in febribus, cum dicat in morbis non ſine febre: quare non vult hoc loco intelligere febrem eſſentialem, ſed affectionem aliquam, quæ ſæpe aliquam levem febrem conjunctam habet, quæ ergo affectio ſæpe levem diuturnam febrem adjunctam habet, quæ interdum quodam tempore incipit inchoare febrem, quæ etiam interdum reddit urinam craſſam, paucam, & grumoſam. Nam dicit, quibus ſtatim ab initio vel non multo poſt ſedimentum apparuerit. Quibus verbis indicat, talem urinam craſſam huic ſpeciei febris communem eſſe, & eam febrem diu poſſe durare, ſi poſt talem urinam in hac ſpecie febris ſequatur tenuis & copioſa, prodeſt. Cuncta hæc ſi perpendimus, ne ovum ovo ſimilius invenimus, quam hæc eſt deſcriptio febris Cacochymicæ. Illam nempe febrem intelligo, quæ generatur ex materia cruda deficiente actione corporis nata, ſenſim in corruptionem tendente, ex qua dein corruptela nata

Febris Cacochymica.

nata formatur febris quædam lenta, quæ hodie vocatur Cacochymica.

Urina crassa grumosa pauca quid notat in febre cacochymica.

II. Dum deficiente corporis actione, neque assumta alimenta satis subigantur, sed retinent utcunque indolem propriam, quam dum assumebantur, habebant; neque humores actione corporis inutiles facti satis subiguntur, ut naturalem colorem, odorem & consistentiam excernendis humoribus præbeant, id quod emittitur, utpote minus subactum seu coctum, ut Veteres loquuntur, crudum est & crassius, & constat duplici materia cruda, nempe ex ingestis alimentis & inutilibus humoribus. Ingesta alimenta sua natura leviora vix concrescibilia si antea fuere mista saponaceis humoribus primarum viarum, si cum urina reliqua emittuntur, crassam & utcunque turbidam faciunt urinam, dum partes alimentosæ deficiente actione non satis fuere attenuatæ, ut pellucidæ fiant. Sed humores utiles magis concrescibiles in excrementitios conversi, eodem deficiente motu non satis exuunt suam concrescibilem indolem, qua faciunt, ut partes turbulentiam vel sedimentum in urina facientes, colligantur in grumos. Quamdiu talis manet in corpore dispositio, ægri nulla febre vexantur & reddunt talem urinam copiosiorem. Verum si morbus ille diutius durat, id quod fuit crudum & mite, per insitam in ipsis humoribus naturalem mutationem convertitur in corruptelam: quod enim humores in corpore vivente spontaneam non subeant corruptelam, quam subeunt extra corpus vivens in loco calido, id actioni viventis corporis est adscribendum, quæ si languidior, contenti humores isti crudi in aliquam corruptelam secedunt. Hæc corruptela corpori noxia concitat febrem, qua promovetur perspiratio & sudor, quibus quod tenue est, extruditur, ita minuens urinæ quantitatem, sed relinquens crassamentum. Unde tunc in febre Cacochymica generantur Urinæ crassæ, grumosæ, paucæ.

Urinæ copiosæ & tenues in febre cacochymica bonæ.

III. Corruptum hoc in corpore vivente accendens febrem, facit, ut actio vitæ validior fiat ad id, quod damnum & irritamentum infert, subigendum & expellendum. Corpo-

Corporis etiam calor accenditur, pulſus fit plenior & citatior, reſpiratio frequentior & plenior, quibus patet, vires vitæ magis agitatas eſſe. Hæc actio major ſola eſt in corpore cauſa, quæ alienum morboſum invertere, & ſubigere poteſt, atque expulſioni adaptare. Unde febris ſibi ipſi non raro medicina eſt. Hoc quoniam obſervaverunt practici, vituperarunt Corticem Peruvianum febrem exſtinguentem, ſed laudarunt amara calefacientia febrifuga, quibus multo certius tollere potuere febrem. Quob ab omnibus eſt amplectendum, ſi æger ex tali febre cacochymica decumbat, quum ſaponacitate & calefaciente virtute ſolutio hujus materiæ crudæ promoveatur. Quum corpus tale febre exagitatur, quæ cruda magis exagitat & deſtruit, partemque attenuatam ad emunctoria trudit, urina non amplius continere poteſt materiem craſſam & minus pellucidam, ſed ejus loco redditur urina tenuior, & quoniam aucto motu vitæ major copia humorum ducitur ad renes, generatur ſimul urina copioſa. Ex quibus ſignis apparentibus patet, materiem crudam ſubigi & expelli. Si enim talis a febre non reddatur urina, indicio eſt, hunc motum majorem non valere ſubigere & expellere materiem crudam, quod pejus eſt.

IV. Majus arcanum nobis revelat Auctor dicendo, tales maxime reddi, quibus ab initio vel non multo poſt ſedimentum ineſt. Nam ſi materia illa cruda liqueſcat in putrilaginem, ſaponacitate & intima ſolutione putredinis in humore, tanta fit exacta permiſtio inter partes crudas & reliquam urinæ maſſam, ut urina nullum deponat ſedimentum, quod in morbis putridis ſæpe obſervavi. Putrefactum autem, quantum per praxin detegere potui, vix aut non vix emendari poteſt actione vitæ aucta; ſed ſi crudum aliquam accepit acrimoniam, qua febrem concitat, id acre frequentiſſime motu febrili majore ſubigitur. Quando igitur ex ſedimento in urina tali cruda conſtat, commutationem non fuiſſe factam in putrilaginem, certiorem habemus prognoſin curationis inſtantis, ſi urina craſſa, grumoſa pauca per motum febrilem majorem commutatur in co-

Cur præcipue ſi tales reddantur, quibus ab initio vel non multo poſt ſedimentum ineſt.

pioſiorem & tenuiorem: ſecus vero, ſi adfuerit putredo, quæ generationem ſedimenti impediebat.

LIB. IV. APH. LXX.

180. *QUibus autem in febre urinæ conturbatæ, qualis jumentorum, his capitis dolores aut adſunt, aut aderunt.*

I.

Urina conturbata qualis jumentorum quæ dicatur.

IN hominibus ſanis calens & frigefacta urina eſt pellucida habens levamentum aliquod circa fundum, quod non perfecte pellucidum eſt: ea autem urina dicitur turbida, quæ habet particulas non pellucidas per totam urinæ maſſam diſperſas. Verum talis fit urina (1) ſi reddatur pellucida quam diu calet, ſed ſi aliquamdiu in frigore quievit, amittit ſuam pelluciditatem, & tali circiter modo fit, ac ſi aliquis habuiſſet urinam cum multo ſedimento, quam conquaſſaverat. (2) Vel redditur ita turbata dum calet, ſed ſi in frigore aliquamdiu quievit, deponit ſedimentum, poſt cujus deſcenſum ſuperior pars redditur pellucida. (3) Denique redditur urina turbida & ita etiam perſiſtit in frigore & quiete. Hæ tres ſpecies in morbis acutis non oriuntur ab eadem latente cauſa, & inde diverſam prognoſin præbent. Neceſſe igitur erat, ut Auctor adderet diſtinctionem, dicens qualis jumentorum, vel quales veterini generis, in quibus animalibus redduntur urinae ita turbidæ & tales perſiſtentes in frigore cum quiete.

Quomodo urina jumentoſa generatur.

II. Quæ materia urinam turbat, non eſt materia ſana in corpore noſtro, receſſum enim a ſanitate indicat: ea vero emittitur cum ſana urina, & huic tam tenace cohæret, ut ne quidem in quiete & frigore reliquam maſſam ſanam relinquat, vel ab ea ſecedat. Id quod emittitur, nihil mali facit corpori, ſed exhibet ſignum maturæ nateriæ morboſæ

boſæ in corpore adhuc latentis, cujus portio nunc cum urina exiit. Quoniam autem turbida illa urina declaret, morboſam materiem intime & tenaciſſime unitam eſſe humoribus, non poſſumus aliquam ſpem ſuſcipere, corporis vires ſe facile liberare poſſe a morbi materia. Itaque ex tali urina conſtat, morbum futurum pertinacem, & ea mala oritura, quæ a remanente materia in corpore ſunt exſpectanda.

Urina jugalis in febribus.

III. Neque talis unio firmior in quovis morbo idem præſagium præbet, talis enim frequens obſervatur in morbis pectoris, ictero, cruditate humorum, in quibus diverſa præſagia præbet: propterea adjecit Auctor in febribus, & quantum ex ipſo Auctore conjicere potui, intellexit febrem continuam vehementem (H, a, 873 & 874.). Quando nempe compactus lentor febrium continuarum, qui optime ſecedit in pus, per continuatam febrem convertitur in putrilaginem, quæ omnem ſeparationem a reliqua maſſa bona renuit. Obſervavit enim noſter Auctor dicto loco urinas ſubſidentes, denſas, conturbatas, continuata febre mutatas fuiſſe in urinam rubicundam conturbatam, velut jumenti, poſt quam mente motus eſt phrenitico modo, & mortuus eſt in vehementibus convulſionibus. Ex qua obſervatione hanc deduxit regulam. *Nam urina denſa ac conturbata, certum ſignum ſunt doloris capitis & convulſionis, & mortis.* Quare hujuſmodi urina eſt corruptionis acris calidæ ſignum in febribus.

Quibus urina jugalis in febre his capitis dolores vel adſunt vel aderunt.

IV. Tandem ex iis, quæ hucuſque diſputavimus, adſtrui facile poteſt, talem Urinam conturbatam non ſolum fieri in Capitis doloribus, vel & iſtos ſolos præſagire, verum etiam multa alia capitis mala. Nam quoniam tranſitus materiæ morboſae factus fuit in humorem acrem corruptum, qui intime unitus eſt toti maſſae, id corruptum, ex communi ratione ad omnes corporis partes poteſt ferri, ut ibi ſuam tragaediam agat. Quod autem praecipue petat caput, hoc ex obſervatione practica habemus, & niſi illa hoc adſtrueret a priori, illa determinatio non potuiſſet definiri. Sed ex obſervatione hac id boni habemus in exer-

citatione practica, quod ſciamus, quid ſit in tali malo faciendum, dum expectamus mala capitis ex tali urina: ut ſcilicet demus alvum ducens, quod ad aliam viam magis ducit materiem caput petituram. Ex hac ratione ſaepe dedi Purgans in hujuſmodi aegris optimo cum ſucceſſu.

LIB. IV. APH. LXXI.

181. *QUibus morbi ſeptima die judicantur, iis nubeculam rubram urina die quarta continet, & alia ſecundum rationem.*

I.

Nubecula in urina quid ſit.

ANtequam aliquid certi formare poſſumus ex propoſito phænomeno in urina, conſtare debet, quid ſit in urina nubecula, & ex quibus cauſis & materia illa formetur. Materia viſibilis a reliquo urinæ liquore viſu diſtinguenda, tria diverſa loca occupare poteſt. Vel hæret in urinæ ſuperficie, quando ſupernatans dicitur; vel hæret ad fundum, quando ſedimenti nomine venit; vel denique medium inter has partes occupat magis minuſque elevata, quæ materia in medio ſuſpenſa Nubeculam format, ex nubium ſimilitudine & loco in aëre, quæ etiam magis minuſve elevatæ feruntur per aëra: quamvis differentia ſtatuitur inter nubeculam & nebulam, ea in urinæ inſpectione tam parvam exhibet differentiam, ut non mereatur diſtinctionem. Quoniam nubecula ſeu nebula ſe præbet viſui in medio urinæ, quamvis nebula ex partibus tenuioribus videtur congregata, ejus materia diſtincta eſſe debet a reliqua materia liquoris urinæ. In hominis perfecte ſani urina quædam ſemper nubecula invenitur, quæ videtur confecta ex portione alimentorum non ſatis ſubacta, atque ex materia detrita, per vitæ actionem in humorem excrementitium: unde in heluonibus & quibus vitæ actio eſt debilior tanta

huju

hujus copia in urina colligitur, ut vel totam urinæ maſſam turbet, vel copioſum ſedimentum turbidum faciat. In morbis autem cum majore motu circulatorio vix aliquid de dicta materia nubeculam formans inveniri poteſt, quum validiore actione vitæ ea materia ita ſubtiliſetur, ut ſui nullum indicium præbeat, quare tunc tota urina redditur pellucida ſine nubecula & ſine ſedimento: quod autem in morbis acutis tandem formetur nubecula, id non arguit ſuperius dictam materiem evacuari, ſed omnino aliam, ſcilicet morbi materiem aliquomodo ſubactam, vel partem detritam per actionem vitæ validiorem. Quum in hujuſmodi morbis talis ſemper formatur materia, ſignum eſt, quando urina in febribus acutis reddatur, perfecte pellucida, eam materiem vel aliis humoribus intricari, ut ſeparari non poſſit; vel retineri in corpore: quare debito tempore in acutis nubecula conſpecta bonum ſignum, nempe exitum materiæ morbi, exhibet.

Nubecula rubra quid ſignificet.

II. Nubecula quidem denotat exire morbi materiem, ſed color nubeculæ etiam naturam materiæ exprimit. *Nubecula in urinis albæ quidem & inferne commodæ ſunt, rubicundæ vero & nigræ, ac lividæ difficiles ſunt. H. a.* 580. *Nubeculæ quæ feruntur in urinis, albæ quidem bonæ ſunt: nigræ vero malæ. H. a.* 475. Non eſt hujus loci omnes nubecularum colores ex ſuis deducere cauſis, duntaxat notandum venit, ex qua cauſa formetur nubecula rubra. Dum in morbis acutis & febribus materia morbi paulo majore motu agitatur, quam eſt motus vitalis in ſanitate, præbet in urina materiem viſibilem albicantem: ſed in motu validiſſimo id quod prodit vel in nubecula vel in ſedimento rubrum colorem habet, imo ipſe liquor urinæ ruber eſt, quod etiam obſervatur in motu muſculari validiore: reliqui autem colores flavi, nigri &c: a diverſis humoribus una exeuntibus dependent. Quoties igitur in urina formetur nubecula rubra, ſignum eſt, tali in corpore validiſſimum motum adeſſe atque febrem vehementem. Si ergo comparatio fiat inter nubeculam albam & rubram, dici poteſt, nubeculam albam ſalutarem eſſe, ſed nubeculam rubram majus periculum portendere.

Nubecula rubra quarto die apparens cur notat Criſim ſeptimo die futuram?

III. Motus morbi acuti febrilis tam vehemens, qui valet materiem rubram pro nubecula formare, diutius quam per ſeptem dies a corpore ſuſtentari nequit ſine corporis interitu, quamobrem recte obſervavit Galenus, ſe nunquam poſt quartum diem vidiſſe nubeculam rubram in urina præſagientem futuram criſim ſeptimo die. Hæc etiam obſervatio firmat criticorum dierum doctrinam, quod quartus dies ſit index ſeptimi, quoniam in morbis acutis tantum tempus a morbi principio inſumitur uſque ad acmen, quantum in morbi declinatione, quoniam dies quartus eſt medius inter principium & ſeptimum diem. Inde etiam ſi præludia coctionis obſervantur die ſeptimo, morbus plerumque durat ad decimum quartum; & quae conſpiciuntur undecimo, illa morbum ad vigeſimum diem prolongare ſolent. Hoc tamen obſervatur in diebus criticis, quod brevius tempus accuratius ſervet ordinem, quam tempus longius. Dum igitur quarto die ex nubecula rubra conſtet, febrem eſſe vehementem, cujus tamen materia incipit quarto die evacuari, ſpes eſt perfectam futuram eſſe coctionem die ſeptimo. Verum ſaepiſſime evenit, quod in tali febre vehemente vires vitae ſuperentur, & ut ita morbus abeat vel in corruptionem vel ſphacelum, hoc ſignum criticum minus ſecurum eſt, quam ſi apparuiſſet Nubecula alba, denotans vires vitae praevalere. Neceſſe igitur erat, ut Auctor adjiceret, *& alia ſecundum rationem:* Nam ſi modo unum alterumve adeſſet ſignum, vires vitae ſuperari a magnitudine morbi, cum homo talis ita verſetur in ancipiti ſtatu, & quaſi in puncto interitus, hoc ſignum ſolum non ſufficeret ad criſim ſeptimo die praeſagiendam.

LIB. IV. APH. LXXII.

182. *QUibus urinæ pellucidæ, albæ, malæ. Maxime autem in phreniticis obſervantur.*

I.

QUoties urinæ liquor omni in puncto ſibi ſimilis eſt, atque per ſuam totam ſubſtantiam transmittit lucis radios, quemcumque etiam habeat colorem album, flavum vel rubrum, talis tamen dicitur urina pellucida. Talis ergo privata eſt omni materia ſedimentoſa, & quæ format nubeculam; neque habet admiſtam materiem, quæ turbidam facere poteſt urinam. Inde tamen non inferri poteſt, morbi materiem huic urinæ non eſſe miſtam, ita enim ſales ſolvuntur aqua, & tamen ejus non turbant pelluciditatem: atque multæ tincturæ inveniuntur pellucidæ virtute medicamenti ſaturæ. Sed quando talis invenitur urina, quæ etiam morbi materiem miſtam habet, ſignificat, perfectam eſſe unionem inter morbi materiem & reliquam maſſam urinæ. Ita duriſſima & opaciſſima etiam metalla in ſuo menſtruo ſoluta pellucidiſſimum liquorem præbent. Quare urina pellucida vel indicat in morbis materiem non evacuari, vel reliquo liquori urinæ intime miſtam eſſe. Urina pellucida quæ dicatur.

II. Materia autem morboſa magnâ copiâ urinæ intime miſta non turbat ejus liquorem, ſed tamen mutat ejus colorem, unde habetur urina alba pellucida aquoſa diaphana, vel pellucida & colorata: hæc ſemper indicat, nihil de materia morbi vel materia detrita vitali actione corporis urinæ liquori eſſe miſtum: illa autem, quo color magis eſt ſaturus, eo majorem copiam materiæ detritæ vel morboſæ admiſtionem arguit. Ex urina itaque pellucida alba ſcimus, neque materiem detritam neque morboſam evacuari. Alba pellucida mala.

cuari. In febribus autem talis urina evacuari nequit, quin designet materiæ utriusque retentionem, quum sola actio vitæ vehementior, etiamsi nulla fieret materiæ morbi subactio, tinctam faciat urinam, uti in sanis etiam experimur, quorum corpora sana exercitiis validioribus fuere agitata. In Chronicis autem sæpe evenit, talem reddi urinam, quum circulatio validior non multum deterit: sed si tamen maneat pellucida longo tempore, significat, materiem crudam, quæ generatur in Chronicis, retineri. Ergo tam in Acutis quam Chronicis alba pellucida urina est mala, tanquam signum retentionis materiæ.

Alba pellucida cur maxime phreniticis?

III. Non consentiunt Interpretes, num talis urina præsagiat magnum malum in Phreniticis, num vero talis in Phrenitide saepius, quam aliis morbis observetur. Ego autem puto, utramque sententiam esse admittendam. Nam dum Æger laborat Phrenitide (*Aph.* 109, VII) & inde corripiatur febre, saepe reddit urinam albam pellucidam, cum morbi materia collecta in encephalo, non potest tincturam aliquam praebere urinae: atque urina talis, quoniam indicat, non solum retineri materiem morbi, verum etiam materiem detritam per validam vitae actionem, quae in Phreniticis solet esse vehemens, certissimum indicium praebet, utramque hanc materiem in encephalo colligi, quo signo nihil pejus inveniri potest. Si unquam Purgans datum vel Epispasticum pedibus applicatum ad derivationem faciendam, est adhibendum, talis urina summo est indicio, nam nisi derivetur materia, mors certissima est exspectanda.

LIB. IV. APH. LXXIII.

183. *Quibus hypochondria elevata murmurant, dolore lumborum superveniente, his alvi humectantur, nisi flatus eruperint, aut urinæ copia prodierit. In febribus autem hæc.*

I.

Unde in febribus Hypochondria murmurantia?

ANtequam certa potest tradi prognosis de alvi humectatione, flatuum eruptione, vel copia urinæ, determinandus est status corporis, in quo observantur hypochondria elevata murmurantia, post quæ venit lumborum dolor, unum ex his tribus præsagiens. Auctor dicit in febribus, quoniam illa observavit fieri in febricitantibus; sed propterea non excludit, sine febre quoque fieri non posse, verum quia veritatem expertus est in febribus. Recte monet Galenus, Hippocratem, si absolute ponit febrem, intelligere febrem essentialem & non symptomaticam, adeoque in febre continua vel remittente, quoniam intermittentes raro generali nomine febris citantur. Si ergo aliquis laborans generali incalescentia febrili, sine locali inflammatione, erysipelate aut suppuratione, incidat in Hypochondria inflata murmurantia, quæritur, unde tunc veniant illa murmura seu borborygmi cum hypochondriorum inflatione. Dum materia febrilis per totam massam sanguinis dispersa sensim ad aliquod organum incipit colligi, ut vergat ad eliminationem vel metastasin, tali in parte quædam concitat phænomena functioni istius partis propria: nunc autem febris facit Hypochondria elevata murmurantia, quæ notant augmentum quantitatis aëris in hoc loco, unde illa inflatio; atque inordinatum in his partibus motum, unde Borborygmi. Omnia experimenta in viventibus animalibus docent, quod quoties intestina in motu suo peristaltico turbentur, intus in

ſe generare aërem artificialem, ac ſi motus ille aërem ab humoribus in cavo inteſtinorum hærentibus intricatum ſepararet, quemadmodum motus ordinatus eum aërem jungit. Hinc conſtat ex ventris inflatione cum borborygmis, quod febris illa deponat materiem ſuam ad meſenterium & inteſtina, in quibus tamen partibus non facit obſtructionem aut infarctionem, nam tunc non generaretur inflatio murmurans, ſed tumor aliquis hypochondriorum durus.

Lumborum dolor præſagiens alvi humectationem.

II. Ex lumborum dolore in non febricitantibus (*Aph.* 130, IV.) demonſtravimus indicari purgans per alvum, quoniam tunc ſignificavit ille dolor cacochyliam. Hoc autem loco materia febrilis ſe pro maxima parte hic depoſuit & quærit exitum per inteſtina. Sed niſi ſit materia bilioſa febrem excitans aut materia chyloſa cruda corrupta, raro febres per hanc viam moliuntur exitum. Sed potius per cutim vel urinam, unde non ſine ratione adjecit Auctor, niſi flatus eruperint, indicantes materiem potius determinatam eſſe ad cutim, vel prodierit urinæ copia, quæ ſecum fert materiem febris. Inde non incongruum erit, ſi lumbi ex febre doleant cum ventris murmuribus & inflatione, atque ſignis cacochyliæ vel bilis corruptæ, propinare alvum ducens, quod illam evacuationem magis determinat.

Dolor lumborum præſagiens urinæ copiam.

III. Quia vero lumbis quoque accumbunt renes, vix diſtinguere poſſumus, num ex renibus vel nexu meſenterico lumbi doleant: ſæpe enim evenit, ut calculoſi, de quibus certe ſcimus, cauſam latitare in lumbis, colicis doloribus, ventris murmuribus & inflationibus tententur, quum tantus ſit inter illarum partium nervos conſenſus, ut affecto nervo renum, meſenterium & inteſtina inordinate moveantur. Quod ſi vero febris materia magis feratur ad renes excitans tamen ex conſenſu inteſtinorum & meſenterii ſymptomata, non eſt mirandum, in hujuſmodi febre fieri poſſe materiæ evacuationem per urinam copioſiorem.

LIB. IV. APH. LXXIV.

184. *QUibus ſpes eſt abſceſſum fore ad articulos, eos liberat ab abſceſſu urina multa & craſſa, & alba prodiens, qualis in febribus laborioſis quarto die quibusdam fieri incipit. Si vero etiam ex naribus ſanguis eruperit, brevi admodum ſolvitur.*

I.

Qualis urina liberat ab inſtanti abſceſſu ad articulos?

QUalem ſtatum in febribus Hipp: intelligat, non eſt opus anxie quærere, nam (*Aph.* 141.) expoſuit ad articulos & circa maxillas abſceſſus exſpectandos eſſe in laſſatis per febres: reſtat ergo videre, qualis urina talem liberationem portendit; illa autem debet eſſe multa, craſſa & alba. Talis urina ſi veniat in febribus, indicat lentorem febris continuæ incipere ſolvi & commutari in materiem purulentam, quæ dicitur cocta in morbis inflammatoriis: nam ſi talis urina die indice, ut eſt dies quartus, apparet, exhibens rudimenta coctionis, die judicatorio perfectam criſim exſpectamus; nempe urinam cum ſedimento albo & copioſo, quæ omnem materiem coctam e corpore evacuat. Nam ipſa urina multa craſſa, & alba, tanquam ſignum imperfectæ coctionis hominem non liberat, ſed eſt ſignum perfectæ coctionis inſtantis, uti flores præſagiunt fructus. Hujuſmodi urina alba craſſa & copioſa quibuſdam fieri incipit in febre laborioſa (*Aph.* 26, 1) die quarto, ſed etiam aliis diebus indicantibus, ſeptimo, undecimo, imo ſerius apparere poteſt, quoniam eſt ſignum principii coctionis in febre laborioſa, nam in febribus laborioſis præſagiuntur etiam abſceſſus, ſed non ita in aliis febribus: quippe niſi febris tam valida ſit, ut labores faciat, non exſpectamus abſceſſum. Igitur inutile foret dicere, urina craſſa, alba, copioſa prævenit abſceſſum, ſi tali febre laboraret æger

ger, ex qua nullum abſceſſum exſpectamus. Igitur admodum conveniens eſt in febribus laborioſis, ſi videamus urinam albam, craſſam, copioſam, ut ſignum futuræ criſis, hunc non turbare naturæ ordinem per aliquam artificialem evacuationem.

Quando ſanguinis eruptio prævenit abſceſſum?

II. Particula *Etiam* multis dedit dubitandi anſam, aliis autem errandi occaſionem, ac ſi ſignificaret, ſanguinis eruptionem prævenire abſceſſum brevi, ſi tunc oriretur, quando in febre laborioſa ex urina alba craſſa & copioſa conſtaret, futuram eſſe ſolutionem per urinam. Unde etiam magni nominis viri non dubitarunt hoc tempore imperare venæ ſectionem, ut eo citius æger liberaretur. Hi autem non revocarunt in memoriam monitum noſtri auctoris (*Aph.* 20.) quæ judicantur & judicata ſunt perfecta, neque movere oportet, neque innovare, ſed ſinere. Nam ſi in febre laborioſa ex febris vehementia exſpectabamus abſceſſum ad articulos, ſed tunc incipiebat prodire urina copioſa, craſſa & alba, ut ſignum criſis per urinam, hoc tempore vel per hæmorrhagiam ſupervenientem, vel per inſtitutam venæ ſectionem turbaretur coctionis ordo, & fieret innovatio. Imo omnis evacuatio ſanguinis mala eſt, ſi Lentor incipit mutari in purulentiam. Reſtat igitur illa difficultas, quomodo illa particula *Etiam* ſit accipienda, ut ſenſus reſpondeat experientiæ. Ego puto, Hippocratis ſententiam eſſe veram & ita cum ſtudio ſummo traditam. Scopus ejus eſt demonſtrare in febribus, quæ per ſuam vehementiam demonſtrant, exſpectandum eſſe Abſceſſum, ſi in tali febre urina alba, craſſa, copioſa prodit, quæ præbet ſigna futuræ coctionis & evacuationis, ſpem affulgere, eam febrem non abituram in abſceſſum, ſed liberatum iri per urinam coctam. Sed ne judicaremus, per ſolam talem criſim præveniri poſſe abſceſſum, addit *Etiam* liberationem fieri poſſe per hæmorrhagiam, ſed tunc citius ſeu breviori tempore liberari: Nam ut ſanguinis fluxus liberet hominem a febre (*Aph.* 170, 11) fieri debet in morbi principio, antequam ſuppurationis ſigna apparent, qualia ſunt urina alba, craſſa, copioſa. Unde hæmorrhagiæ & ſanguinis miſſiones in morbo-

rum

rum principiis ſunt ſalutares minuendo nimium febris impetum, ſed tempore ſuppurationis ſi fiant, ſemper damnum inferunt inhibendo puris concoctionem ulterionem, vel exhibent ſignum corruptionis. Si ergo ex febris natura & vehementia conjicere poſſumus, exſpectandum eſſe abſceſſum, expedit, ſi ſponte non fiat hæmorrhagia, largam inſtituere venæ ſectionem, quæ his temporibus prævenit pleuritidis, peripneumoniæ & aliorum morborum inflammatoriorum tranſitum in ſuppurationem.

LIB. IV. APH. LXXV.

185. *SI quis ſanguinem, aut pus mejat, renum, aut veſicæ exulceratio ſignificatur.*

I.

PArtim hic Aph: cohæret præcedenti, quatenus agitur de ſignis ex urina: partim vero non cohæret, quoniam non pertractat ſigna ex urina in febribus. Vult enim in hoc loco demonſtrare ex ſanguinis & puris exitu per vias urinæ in utroque ſexu, qualiſnam pars ſit læſa. Antequam deſignamus partem læſam, certo conſtare debet de phænomeno, ex quo partem læſam conjicimus, nempe quid ſignificat & quali modo cognoſcitur ſanguinis vel puris evacuatio per vias urinæ, ſeu ex urethra tam feminæ quam viri. Si ſanguis purus vel urinæ miſtus per urethram evacuatur, hodie vocatur *Miſtus cruentus.* Nihil planius videtur in morbis obſervari poſſe, dum tamen a quibuſdam urina ruberrima pro ſanguinis evacuatione fuerit habita: neque tam manifeſte patet non ſatis attendenti, num ex renibus vel veſica profluat, cum topica medicamenta diverſis locis ſint applicanda: igitur operæ pretium erit ad ſignificanda loca affecta, ut reliqua criteria hujus ſanguinis evacuationis perpendamus. Sanguis & urina ſunt duo humores ſpecifica gravitate differentes. Sanguis enim eſt urinâ gravior,

Miſtus cruentus quam partem affectam denotat?

vior, unde hi humores unà emiſſi non diu manent permiſti, ſed ſanguis etiam in urina calente breve petit fundum, ſi non ſtatim aliquomodo coagulatus evacuatur ſanguis, quando facillime diſtinguitur. Urina autem ruberrima utplurimum ſubſiſtit aliquamdiu, priuſquam deponit rubedinem, & ſi ſubſidentia fuerit a reliqna maſſa ſeparata, notabilis & in liquore ipſo & in ſedimento erit differentia. Nam in mictu cruento ſuperſtans urina in colore vix differt ab urina ſana, atque ſedimentum erit tanquam ſanguis grumoſus, & corporis color non erit admodum accenſus. Urina autem ruberrima ardorem corporis adjunctum habet, & ſi ſedimentum fuit depoſitum, ſuperſtans urina intenſum colorem rubrum ſervat. Poſtquam medico conſtat, rubedinem fieri a ſanguine admiſto, obſervandus eſt locus, ex quo ille ſanguis manat, ut topica medicamenta parti læſæ adhiberi poſſint. Si ex Urethra profluit, continuo exſtillat ſanguis & ſine conatu mingendi emittitur, quum ſphincteris conſtrictionem non debeat ſuperare, vel ſine urina emittitur, vel ante urinam exit. Sæpe etiam dolor partem læſam declarat. Si vero ex veſica venit, imperfecte miſtus erit ſanguis urinæ, non raro ſub grumi forma prodit: atque pudendorum moleſtiam ſæpe & dolorem parit. Altius vero ſi ex renibus vel ureteribus profluit, perfecta eſt ſanguinis cum urina miſtio, cum affectione lumborum. Raro fit, quod arteriæ renales dilatatæ tranſmitterent ſanguinem, quando urinæ receſſus non fieret a ſanguine, quia tunc in renibus non conficitur urina.

Unde Pus in urina.

II. Alter humor, qui aquâ purâ gravior eſt, vocatur Pus, unde iſtud urinæ miſtum, quæ aquâ eſt levior prompte ante refrigerationem fundum petit, ut inde pateat, non eſſe urinæ album ſedimentum, quod tandem in refrigerata urina fundum petit. Hoc Pus ex omnibus locis, ex quibus ſanguis profluere poteſt, etiam effluit vel ex ulcere, in his locis hærente, vel quia ſanguis antea fluens reliquerit ulcuſculum. Interdum vero obſervatur in morbis inflammatoriis in ſuppurationem converſis, atque in morbis purulentis, uti Empyemate & Phthiſi, ut materia purulenta reddatur per renes cum levamine. Ex quibus patet, non

eſſe

esse certissimum criterium, si quis sanguinem aut pus mingat, vesicam aut renes ulcere affectos esse. Hanc autem sententiam colligunt ex hoc aphorismo: sed Auctor observavit in praxi, ex ulceratis his partibus Sanguinem & Pus profluxisse; propterea non concludit, nullo alio modo pus reddi posse.

LIB. IV. APH. LXXVI.

186. *Quibus cum urina crassa exiguæ caruncuiæ, aut veluti pili exeunt, a renibus excernuntur.*

I.

Versatur Auctor in expositione signorum, quæ demonstrant, Renes affectos esse, horum ulcera & vasorum cruentorum ruptionem manifestam fecit ex urina, quæ continebat sanguinem aut pus: nunc vero ulterius ex Carunculis & Pilis in urina inventis demonstrat, renes quodam morbo affectos esse, cujus nomen non addit. Detexit in urina crassa carunculas, unde concludit, renes quadam labe affectos esse. Practici non negant, se invenisse carunculas concretas in urina, sed putant esse glandulas a renum substantia separatas, & quia renes existimant esse glanduloſos, non dubitant amplecti hujus observationis veritatem, sed pilos excerni posse, qui morbus vocatur Trichiasis, cum Galeno vel negant, vel maxime in dubium vocant. Ego vero maxime dubito, hujusmodi carunculas indicare glandulas renales separatas & cum urina emissas, sed caruncularum evacuationem aliquoties observavi; nam renum papillæ, quæ ab istis pro glandulis habentur, ad summum sunt duodecim in quovis rene, quarum papillarum separatio tantam copiam Caruncularum in urina exhibere nequit. Eodem quoque modo multi ratiocinantur de glandulis Pulmonum per sputum ejectis, si in sputo detegant

Quid notant caruncuiæ in urina?

tegant hujuſmodi corpuſcula concreta, quæ carunculas referunt, dum tamen glandulæ pulmonum non in cavitate tracheæ vel bronchiorum hæreant, ſed ad externam bronchiorum ſuperficiem, & ita per ſputum reddi nequeant. Error ille natus fuit ex præoccupata opinione, qua putant inter partes firmas cohærentes & liquores maximam intercedere differentiam: qui modo attendit ad ſanguinem ex pleuritico emiſſum, juraret, pellem tegentem illum ſanguinem refrigeratum portionem eſſe cutis vel membranæ, cum non minor tenacitas in cuticula illa phlogiſtica detegatur, quam in quadam vera membrana. Fieri ergo poteſt in nobis, ut quidam humor fluidus ſtagnando concreſcat in corpus denſum firmum & compactum, quod habet figuram loculi, in quo congregratum fuit. Hæc maſſula ſenſim accedente nova materia concreſcibili, augetur mole & ita formatur ſæpe corpuſculum albicans, quod loculum diſtendendo tandem ita implet, ut loculi vaſcula cruenta dilatata evomant ſanguinem, qui ſtriis rubris externe interdum obducit moleculam illam. Tandem loculus irritatus tamdiu retentam maſſam concretam & compactam, nunc ſtriis rubris ſanguineis externe ornatam, eructat, quæ maſſula in communi via ampliore veniens cum profluente urina progreditur per ureteres ad veſicam, & tandem per urethram emittitur, quemadmodum hujuſmodi etiam carunculæ ex lacunis bronchiorum cum ſputo non raro ejiciuntur. Ergo exitus hujuſmodi caruncularum demonſtrat mucum, quo intus obtegitur renum pelvis contra urinæ roſionem, nimis tenacem fieri in ſuis loculis, & tandem extrudi, atque ita relinquere loculos apertos mucagine privatos, qua tunc loculorum cavitate ab urina acriori tacta dolores inferuntur: atque ita ſignificatur renes laborare. Et quoniam ſenſim in dictis loculis novus congeritur mucus concreſcibilis, ſæpe poſſunt quoque tales reddi carunculæ ſine amiſſione ſubſtantiæ renum, ſed non ſine dolore vel renum vitio. Non ſolum ego hujuſmodi carunculas a renibus affectis prodire obſervavi, verum etiam maſſam aliquam ſimilem concretam oblongam inſtar vermis aliquot ulnarum, quæ maſſa etiam externe

externe ſanguineis ſtriis ornata prodibat. Addit cum *urina craſſa.* Id eſt cum urina, quæ per totam ſuam maſſam non eſt pellucida, qualis urina ſana eſſe ſolet, ſed habens materiem non integre pellucidam diſperſam etiam per reliquam maſſam. Hoc adjunctum eſſe debet ſignum, ut cognoſcatur, num carunculæ illæ in lacunis renum ſint formatæ vel etiam in veſica urinaria, quæ etiam hujuſmodi lacunis ſcatet, mucum fundentibus, quo interna veſicæ ſuperficies contra urinæ roſionem obducitur. Nam ſi ille mucus veſicæ in ſuis lacunis format carunculas, non fit tanta muci reliqui unio cum urina, ut inde fieret reliqua urina turbida, uti fit, ſi formatio fit in renibus, quare hoc ſcitu eſt neceſſarium ad deſignandum locum, ſi carunculæ in urina appareant, num formentur hæ carunculæ in renibus vel veſica. Neque hæc obſervatio recedit ab aliis de origine mictus cruenti, nam ſi ſanguis manat ex vaſculis renum, multo accuratior miſcela ſanguinis habetur cum urina, quam ſi manat ex vaſculo rupto in veſica urinaria.

Pili in urina craſſa quid ſignificant?

II. Qoties in urina conſpiciuntur corpuſcula oblonga teretia inſtar tenuium filamentorum, illa dicuntur Pili. Num hujuſmodi inveniantur in urina, admodum diſputant, quoniam contendunt in renibus generari non poſſe, quum præoccupati ſunt quadam opinione, pilos hos eſſe renum tenuia vaſcula, quæ quum a renum ſubſtantia ſecedere non poſſunt, negant totum hoc phænomenon: tantum ſæpe valet præpoſtera opinio, ut quæ a multis per certam autopſiam ſunt manifeſta, tamen repudientur, quia phænomeni ratio non poteſt reddi, vel quod nobis ſit hujus cauſa ignota. Sed ſi omnia phænomena in morbis inventa ſunt abroganda, quorum cauſa inveniri nequit, certe ne tertia pars ſignorum in Medicina reſtaret. At mittamus eorum præpoſteram theoriam, qua putant eſſe vaſcula renalia, & conſulamus practicos non ratiocinantes ex cauſis, ſed ſola phænomena tradentes, ut facit Auctor noſter, num viderint Pilos in urina; uno ore confitentur omnes, ſe ſæpe vidiſſe, quemadmodum ego iſtos obſervavi in urina ægrotantium. Ergo apparitio illa negari nequit, ſed negari poteſt, eſſe vaſ-

cula, nam ſi in tubulis uriniferis, per quos tranſit ſecreta urina ſtillanda in renum pelvim, formatur materia concreta ex naturali ibidem ſecreto muco, corpuſcula illa æmulantur figuram vaſculorum ſeu tubulorum, in quibus formata ſunt: & quoniam cavitas horum tubulorum exigua eſt & oblonga, neceſſe eſt, ut corpuſcula in hujuſmodi cavitatibus formata pilorum figuram habeant. Hæc dein formata exeuntia cum urina facile præbere poſſunt conſpicienti figuram pilorum. Et quoniam in toto tractu viarum urinæ non habentur hujuſmodi tubuli exiles, non erit mirum, ſi in urina conſpiciantur, tales pilos indicare, Renes eſſe affectos.

LIB. IV. APH. LXXVII.

187. *QUibus in urina craſſa exiſtente, furfuracea ſimul minguntur, iis veſica ſcabie laborat.*

I.

Cur furfuracea in urina veſicæ ſcabiem ſignificent?

PElliculæ tenues, planæ, figuræ inordinatæ, inſtar furfuris tritici, concretæ, per urinæ ſubſtantiam diſperſæ in hoc loco intelliguntur: de his dicit Auctor, tales ſi obſervantur in urina, indicare veſicam ſcabie laborare. Hujuſmodi furfuracea ſunt corpuſcula concreta majora, quam quæ ire potuiſſent per minima renum vaſa, & propterea nata in urina poſt ſecretionem, vel admiſta ei. In Coacis (H. a. 581) mentionem facit de ſedimento furfuraceo, *Lethalis*, inquit, *in pleuriticis brevi praſina, nigram ſubſidentiam habens aut furfuraceam*, quoniam deſignat, morbi materiem ita exeuntem tenaciſſimam eſſe & promptiſſimam ad concretionem, in quo caſu nullum adeſt veſicæ vitium. Sed talis redditur urina cum morbo vehementiſſimo inflammatorio. Hoc autem loco nullam mentionem febris facit, quare concipiendum, Auctorem hic indicare voluiſſe, ſi vehemens non adſit febris. Quippe ſi ſigna ex urinis capienda vult

vult obſervare in febribus, nomen febris addit, quod plane conſtat ex. ſuperiori Aphoriſmo 183. Igitur furfuracea hic fuere admiſta in itinere, neque eſt ſedimentum furfuraceum, quale in ſuperiore allegato loco indicatur, ſed quando per urinam craſſam non ſub forma ſedimenti furfuracea ſunt diſperſa, quæ ſtatim etiam in calente urina conſpiciuntur, & dein quandoque per urinam diſperſa manent, interdum uroſcopii fundum petunt, prout diverſa proportionata gravitas locum his furfuribus parat. Hujuſmodi furfures ergo urinæ admiſcentur, quando veſica urinaria ſcabie laborat, id eſt, quando ex interna veſicæ ſuperficie tranſudat humor, qui non facile omnis permiſcetur urinæ, ſed lateribus veſicæ adhærens format cruſtulas, & dein ſeparantur, ut obſervamus fieri in porrigine & herpete in cute, humores enim lenteſcentes ex cute tranſudantes concreti hujuſmodi ſquamulas vel furfures formant. Quid ni ergo ſimile quid fieri potuiſſet in veſicæ interna ſuperficie, quod mucus naturalis intus obducens veſicam in ſua natura degeneratus, uti humor tranſeuns per cutim, concreſceret in furfures, qui dein una cum urina exeunt: nihil equidem obſtat. Sed quod non ſignificetur pars quævis alia, facile concipitur, quia nullibi talis in viis reſtat locus, in quo hi furfures generari poſſunt. Quamobrem etiam affectus cutaneus furfures emittens ſcabies vocari debet. Addit in urina craſſa exiſtente, quoniam non omnis tranſudans humor in furfures concreſcit, ſed reliqua pars urinæ miſta præbet aliquam urinæ craſſitudinem.

LIB. IV. APH. LXXVIII.

188. *QUi ſpontè ſanguinem mingunt, his a renibus venæ ruptionem ſignificat.*

I.

Sanguinem ſponte mingere, quid ſignificat?

QUam maxime laborant Interpretes in expoſitione hujus evacuationis ſanguinis ex urethra, quum dicat Hippocrates ἀπὸ ταυτομάτε, quod hic vertitur *ſponte*, Galenus vero *Inopinanter*, alii autem forte fortuna vel caſu. Ego puto intelligendum eſſe talem ſanguinis evacuationem, quam non poſſumus conjicere provenire ex vulnere, ulcere, vel corroſione aliqua in viis urinæ, ſed quod æger incipiat reddere ſanguinem loco urinæ, dum non cogitabat tale quid futurum eſſe, quoniam in viis urinæ nullam moleſtiam aut dolorem percipiat, ex quibus conjicere poteſt æger vel Medicus, evacuationem ſanguinis generari poſſe.

Qui ſponte ſanguinem mingunt an ex ruptis venis in renibus?

II. Quamnam partem affectam mictus cruentus ſignificet, ſuperius (*Aph.* 185, 1.) expoſuimus. Hoc loco duo ſunt obſervanda, (1) quæ ſignificantur per mictum cruentum, qui ſponte ſeu inopinanter fit: (2) ſanguinem eum manare ex venis, atque ex venis Renum. Veteres, etiamſi ex arteriis ſtillabat Sanguis, tamen accuſarunt venas, quoniam fabrica arteriarum & circulatio ſanguinis erat ignota ipſis. Neoterici melius edocti ſtatuerunt, omnem hæmorrhagiam fieri ex arteriis, quoniam venæ valvulis inſtructæ non permittunt regurgitare ſanguinem, at eum fundunt ex ſuis ſic dictis anaſtomoſibus. Quamobrem quoque in hac ſanguinis evacuatione ſtatuunt, ex ruptis extremitatibus arteriarum ſanguinem profluere: quod putant ſatis convenire doctrinæ veterum, qui omnem hæmorrhagiam adſcribunt venis, etiamſi fiat ex arteriis. Hæc autem nova theoria tanti mihi non videtur pon-

ponderis, ut totam doctrinam de ruptione venarum omnino repudiarem, quasi nunquam ex venis sponte potuisset erumpere sanguis. Clare enim nobis constat in hæmorrhoidibus & in aliis partibus corporis ex varicibus ruptis profluxisse magnam sanguinis copiam: atque in venis organorum, quæ semper carent valvulis, æque potest refluxus fieri a trunco versus ramos, quam in arteriis, uti hoc satis patet in venis mesentericis, & uterinis valvulis carentibus. Constat ergo tam ex principiis venarum quam finibus arteriarum dilatatis fluere posse sanguinem: atque ex varice & aneurysmate rupto ingens etiam generari potest sanguinis fluxus. Nunc autem conspiciendum est, num evacuatio sanguinis ἀπὸ ταυτομάτε, fiat ex vena rupta, vel arteria rupta vel dilatata, ut multi putant. Multo frequentior generatur in venis varix, quam in arteriis aneurysma; atque varices tolerantur sine perceptione utplurimum ægri, atque generantur sponte sine causa evidente, sed aneurysma utplurimum generat pulsationem tali in parte, & raro sine valida causa, quæ quidem ab ægro perciperetur, producitur. Denique sanguis ex arteria effusus magis concrescit, & difficilius intime miscetur urinæ, quam qui manat ex varice diffracta. Quamobrem mihi non absurdum videtur cum Auctore statuere, si antea in vena fuerit nata varix, ex ea rupta effundi posse sanguinem urinæ miscibilem, sponte seu inopinanter, cum urina accurate mistum: nam si supponatur arteriarum dilatatio, illa potest esse duplex; nempe a majori interno impetu, sed is tantum calorem & pulsationem prius faceret, quæ ab ægro facile perciperetur; si vero nimia supponatur extremitatum dilatatio in arteriis, evacuaretur quidem urina chylosa crassa, sed vix credendum est, per extremitates arteriarum in renibus dilatatas merum profluere sanguinem. Unde non ita a veritate est alienum statuere, ut fecit Hipp:, indicare venam esse ruptam. Quod autem judicaverit, eum sanguinem profluere ex Renibus & non ex aliis viis urinæ, nempe ureteribus vel vesica, non est sine ratione, etiamsi ex loco dolente non potuerit Auctor dignoscere, num ve-

ſica vel renes ſint læſi, quia dicit inopinanter fieri, quod notat ex dolore vel affectione aliqua dejudicari non poſſe, futurum eſſe ſanguinis fluxum: nam omnes venæ & arteriæ in renibus non adferunt ſanguinem ad generalem renum nutritionem, ſed & venæ & arteriæ renales functioni, ſcilicet ſecretioni urinæ famulantur, in quibus tunc venis non inveniuntur valvulæ, quæ tamen in venis veſicæ adſunt, ut alibi in corpore, ubi non peragitur ſpecialis functio. Atque vaſa in veſica non ſolum propriis ſuis tunicis fulciuntur, ſed inſuper tunicis veſicæ, quod non ita fit in vaſis cruentis alicujus organi, ubi ex allato ſanguine ſpecialis eſt facienda ſecretio. De tali mictu cruento idem eſt ſentiendum, quod obſervatur in hæmorrhoidalium fluxu, raro aliquid damni inferre, niſi nimis copioſa fiat aut diuturnior evacuatio: quamobrem non tam anxii eſſe debemus in curatione hujus, quam ſi fiat in calculoſis a calculo rumpente vas, atque eandem quoque non ſequitur curationem, ſed talis interna eſt facienda, qualis inſtituitur in hæmorrhoidibus.

LIB. IV. APH. LXXIX.

189. *QUibus in urina arenoſa ſubſident, illis veſica calculo laborat.*

I.

Unde Arenulæ in urina?

IN multis hominibus præcipue ſcorbuticis, arthriticis & podagricis invenimus, ſi ſæpius urinam reddant in eadem matula, quæ toties non repurgatur, illi matulæ circumquaque accreſcere tandem cruſtam lapideam ſeu calculoſam, uti tartarus lateribus dolii accreſcit, in quo ſervatur vinum. Imo vidi homines, in quorum urina, modo per aliquot horas ſtagnabat, uſque ad ſuperficiem ejus, formabatur cruſta calculoſa ad latera uroſcopii, quæ cruſta vix abſtergi potuit; quod etiam mulierculis notum eſt, qui-

quibus depurandi matulas officium eſt mandatum. Certo ergo & iterato experimento conſtat, urinam ſtagnantem ad latera vaſis formare poſſe cruſtam calculoſam. Sed quod magis eſt, obſervationes teſtantur, corpus durum immiſſum fuiſſe in veſicam urinariam, iſtud dum poſtea eximebatur, cruſta calculoſa erat obductum; quare etiam corpora quæcumque ſolida, ſi ab urina alluuntur, circumducuntur materia calculoſa. Quamobrem generatio Calculi, arenularum vel ſabuli facile & appoſite comparari poteſt cryſtalliſationi ſalium, quum ſales libere fluctuantes in liquore ſtagnante, ſi modo nanciſcantur corpus firmum, ſtatim ad iſtud ſuas figunt cryſtallos: ita etiam frequentiſſime ad dentes copioſus lapis accreſcit in multis hominibus, non quod ex dentibus excreſcat Lithodontis, ſed ad dentes colligatur, & non ita ad reliquas partes oris molliores. Non eſt igitur opus quærere tam anxie humorem glutinantem partes terreſtes, dum ipſa urina ſine addito illo glutine calculoſum formet ad latera matulæ. Si igitur parva cryſtallus lapidea vel ad latus veſicæ vel renum pelvis concreverit, & ſtatim inde depellatur, hoc concretum variis in locis natum, depulſum & collectum, arenularum vel ſabuli formam exhibet. Quare in ceteroquin ſanis hominibus arenularum & ſabuli generatio poteſt fieri in urina.

II. Facile fieri poſſe in urina alicubi ſtagnante, vel fluente perpetuo ſupra aliquam partem, arenularum vel ſabuli generationem, demonſtravimus, quæ corpuſcula concreta dein ſeparata facile cum urina exeuntia in fundo uroſcopii exhibere poſſunt ſabulum vel arenulas. Ne autem talia inventa illudant inſpectorem, ſedulo obſervandum eſt, num talia corpuſcula ſtatim appareant in emiſſa adhuc calente urina, an vero dein in ſola ſtagnante urina refrigerata inveniantur; nam ſi ſtatim non appareant arenoſa vel ſabuloſa in calente urina, certum eſt ſignum, horum generationem non fuiſſe factam in corpore ægrotantis, ſed nata fuiſſe cryſtalliſando in uroſcopio, in quo ſtagnavit urina: hæc cryſtalliſatio quoniam magis minuſve cohærentes potuit producere arenulas, incertum omnino eſt judicium, quod practici

An arenoſa ſubſidentia in urina notent veſicæ calculum.

practici petunt ex arenularum duritie, num in corpore vel extra iſtud arenulæ fuerint natæ. Recte propterea præcipit Auctor, Arenoſa ſubſidere, nam ſi in matulis habetur concretio calculoſi, illa arenoſa magis adhærent lateribus vaſis, quam quod ſubſideant. Hæc nunc arenoſa ſubſidentia in calida urina denotant certiſſime formationem fuiſſe peractam, ſed an fuerit facta in veſica vel renibus, incertum eſt. Hoc quidem verum eſt, evacuari non poſſe arenulas, niſi fuerint in veſica, ſed propterea non eſt indicium, originem mali latitare in veſica urinaria: imo his temporibus ex lumborum conjunctis doloribus frequentior origo eſſet quærenda in renibus, quam veſica eorum, qui ſabuloſa vel arenoſa cum urina reddunt. Quod autem illi, qui tandem in refrigerata urina multum ſabuli habent, frequentiſſime etiam in morbos renum & veſicæ incidant, res eſt notiſſima. Quippe quoties his in partibus locus eſt muco non ſatis defenſus, ad quem ſtagnans urina poteſt formare cryſtallos, urina ita prona ad calculi formationem, etiam in corpore calculum ſæpe facit: adeo ut non requiratur, ut ſemper primordia calculi formentur in renibus, qui tandem magis incruſtati majorem calculum in veſica urinaria formant: poteſt enim talis locus eſſe tam in veſica ipſa, quam in pelvi renum. Unde non conſentirem Auctori ſtatuenti, ſabulum vel arenulas indicare veſicæ calculum, niſi intelligat, evacuationem ſabuli fieri non poſſe, niſi calculus prius fuerit in veſica.

LIB. IV. APH. LXXX.

190. *SI quis ſanguinem mingat, & grumos, & ſtranguriam habeat, & dolor incidat ad imum ventrem, & perinæum, partes circa veſicam laborant.*

I.

OMnes fere Commentatores auctoritatem ſecuti credunt, Hippocratem in hoc Aphoriſmo voluiſſe indicare ægrotationem vel laborem circa veſicam, non vero ipſam veſicam laborare: ego vero malo, hæc ſigna indicare, ipſam veſicam affectam eſſe, ſi cuncta hæc ſigna collecta inveniantur in eodem ægro, uti ex expoſitione ſequenti conſtabit. Partes circa veſicam poſſunt eſſe in utroque ſexu urethra & proſtatæ, perinæum in viris, quod vocatur in feminis diſtinctionis ergo interfemineum, inteſtinum rectum in utroque ſexu, ſed tamen magis in viris, in feminis autem uteri vagina, vel accipi poteſt etiam pinguedo copioſa circa has partes hærens. Ex affecto inteſtino recto, uti patet in Teneſmo & Dyſenteria & in Hæmorrhoïdibus, non raro generatur ſtranguria, dolor ad imum ventrem, & perinæum, quoniam in hoc loco etiam inteſtinum hæret, cujus affectione partibus adjacentibus præcipue in viris, per conſenſum dolor & ſtranguria inferuntur atque in feminis ſi vagina tentetur dolore, dictæ partes adjacentes conſentire ſolent. Quare hæc ſigna ſeorſim ponderata incertum indicium præbent, num veſica, inteſtinum rectum, vel vaginæ pars præcipue affecta ſit. Idem quoque ſentiendum eſt de ſanguinis mictu, qui non ſolum ex veſica, verum etiam ex læſis renibus oriri poteſt (*Aph.* 188). Sed quando illa duo genera ſignorum, unum quod indicat locum infernum eſſe læſum, alterum quod declarat organum urinæ eſſe affectum, concurrunt, tunc certum formatur

Partium circa veſicam laborantium ſigna.

matur indicium, veſicam eſſe affectam. Quippe ex nulla parte circa perinæum & hypogaſtrium affecta evacuari poteſt ſanguis, niſi ex veſica læſa. Ille tunc ſanguis, ſi ſtatim ac effuſus in veſica, reddatur per urethram, vel ſi ſanguis non admodum ſit concreſcibilis, fluidus poteſt reddi, ſed ſi majori potentia coagulandi ſit præditus, vel aliquamdiu ſtagnavit in veſica, grumoſus reddi poteſt. Inde talis homo ſanguinem mingit & grumos, ut recte præcipit auctor noſter.

LIB. IV. APH. LXXXI.

191. *SI quis ſanguinem & pus mingat, & ſquamas, & odor gravis ſit, veſicæ exulcerationem ſignificat.*

I.

Veſicæ exulcerationis ſigna.

UNum phænomenon raro ſufficere ad detegendum latentem cauſam, ex hoc etiam Aphoriſmo conſtat: vult enim per ſigna externa detegere Auctor veſicae latentis exulcerationem, propterea tot congerit ſigna ſimul collecta, quæ omnia ex nulla alia cauſa oriuntur. Nam ex ſolo ſanguinis mictu (*Aph.* 188) indicavit, venas renum eſſe ruptas. Ex ſanguinis & puris mictu judicavit renum aut veſicæ exulcerationem (*Aph.* 185.) Ex furfuraceis in urina deduxit veſicæ ſcabiem (*Aph.* 187). Neque urinae fœtor certum eſt ſignum veſicæ exulcerationis. Verum ſi cuncta hæc junguntur, ut quædam demonſtrent ulceris præſentiam & reliqua ſignificent, veſicam ſolam talia emittere poſſe, tunc certum erit, id ulcus occupare veſicam. Multa ſunt ſigna, quæ ulceris præſentiam declarant in viis renum, uti evacuatio ſanguinis & puris: nam ſi pus ſolum evacuaretur, forſan talis fieret evacuatio per metaſtaſin, ſed tunc nunquam redditur ſanguis & dein pus, vel hæc duo ſimul. Verum

Verum ſquamulæ, quoniam ſolummodo in veſica formari poſſunt ex pure ibidem concreſcente, harum evacuatio certum criterium præbet, puris generationem fieri in veſicæ ulcere.

LIB. IV. APH. LXXXII.

192. *QUibus in urethra tuberculum naſcitur, his ſuppurato eo & perrupto, ſolutio fit.*

I.

PRopter nimiam brevitatem magna generatur in hoc Aphoriſmo obſcuritas, nam non conſtat, quodnam genus tuberculi in urethra intelligitur, neque conſtat, quidnam ſolvitur eo Tuberculo perrupto: ſi enim quis in medicina practica non ſatis expertus talem legeret ſententiam, judicaret, per ſolutionem intelligi debere finem morbi, quaſi ſufficeret ad curationem hujus Tuberculi, ſi modo perruptum eſſet, ſed in praxi contrarium inveniret, nam ſi abſceſſus vel tuberculum ſit ruptum, ſtatim non eſt ille morbus ſanatus. Propterea ſolutio reſpicere debet ad aliquid aliud, quod per Tuberculum generatur, & quod ſolvitur Tuberculo rupto. Recte monuit in hoc Aphoriſmo Mercurialis, propterea Hippocratem hunc Aphoriſmum adjeciſſe, ut demonſtraret, omnem puris evacuationem cum urina non eſſe malam, neque ſemper pus evacuari ex veſica, verum etiam ex meatu urinario, ut ita ſedulo inculcet, pus cum urina miſſum ex variis locis provenire poſſe.

II. Varia ſunt genera Tuberculorum in noſtro corpore, quæ exhibuimus in Chirurgia noſtra repurgata, ex his ſunt Tubercula inflammatoria, quæ tendunt in ſuppurationem, quare in hoc loco hujuſmodi Tubercula ſunt intelligenda, quoniam dicit Auctor, eo ſuppurato & perrupto, ſolutio fit, nam reliquæ ſpecies tuberculorum, quæ non perve-

Urethræ Tuberculum quid faciat.

niunt ad ſuppurationem, in hoc loco intelligi non poſſunt. Tubercula autem inflammatoria & reliqua ſi naſcuntur in meatu urinario, duo præcipue mala inferunt, Dolorem ſcilicet & Urinæ ſuppreſſionem. Quamdiu Tuberculum inflammatorium non abiit in ſuppurationem, neque minuitur Dolor, neque reſeratur urinæ ſuppreſſio, ſed quando in ſuppurationem abiit, minuitur quidem Dolor, ſed quoniam non eſt diminutus tumor, manet tamen urina ſuppreſſa: verum ſi maturum hoc Tuberculum rumpatur & ejus contentum pus evacuat, ſimul quoque minuitur Tuberculi moles, unde non amplius tam arcte obſtipata eſt urethra a tumente Tuberculo quam antea, quando ſæpe ſimul reddi poteſt urina per urethram nunc minus obſtructam, praeprimis ſi ſimul redditur pus, indicium praebens, urethram eſſe apertam.

Solutio fit, quid ſignificet.

III. Facile nunc erit ſolvere illum modum, quomodo Hippocrates dicere potuerit *ſolutio fit*, quod multis Commentatoribus magnam difficultatem praebuit. Solutio enim in hoc loco ſignificat, inſtans periculum ex doloris vehementia & urinae ſuppreſſione, averti, quoniam ex pure prodeunte conſtat, Tuberculum non amplius ſaevire, & urinae viam eſſe apertam. Hanc eſſe veram Auctoris ſententiam, colligere poſſumus ex aliis locis noſtri Auctoris, uti in Coacis, ubi dicit, hujuſmodi Tubercula inducere urinae difficultatem & ſuppreſſionem; & in Aphoriſmis (*Sect.* 7. *Aph.* 17.) aperte dicit *Solvitur Dolor.*

LIB. IV. APH. LXXXIII.

193. *Mictio noctu multa contingens, parvam dejectionem significat.*

I.

TRia generalia invenimus in viventibus emunctoria, quibus eliminatur abundans, & id quod inutile eſt factum, nempe Alvum, Urinæ vias, & Cutim: reliquæ evacuationes humorum in corpore non fiunt in ſanitate, ita invenitur vomitus, ſputum, humoris effluxus ex ulceribus, hæmorrhagiæ, ſed evacuationes hæ non ſunt naturales in hominibus ſanis. Hæc tria emunctoria evacuant quendam humorem aquoſum generalem, & egerunt ſpecialia ſua, quæ per alia emunctoria eliminari non poſſunt. Ea enim, quæ in inteſtinis indigeſta relinquuntur, omnia debent evacuari per alvum. Itidem eſt quidam ſpecialis humor in nobis, qui duntaxat per Renes ſeparari poteſt, quum conſtanti obſervatione comperimur, neminem vivere poſſe, niſi interdum reddat urinam, quamvis aucta alvi evacuatione tanta quidem copia humidi evacuari potuiſſet, quæ defectum evacuationis urinæ ſuppleret. Hoc etiam verum eſt de Inſenſibili perſpiratione, materia propria per hanc viam eliminanda non patitur per urinae vias vel alvum omnino duci. Ob particularem hanc materiem cuicumque organo excretorio eſt, quod requirantur ſemper illa organa emunctoria aperta, quae ſpecialem humorem excrementitium ſegregant a communi ſanguine tranſeunte per iſtud organum ſecretorium, eodem modo uti fit in ſecretione humorum, ducitur enim per quaevis organa ſecretoria generalis maſſa ſanguinis, ſed propter differentem ſtructuram & motum iſtius organi a transfluente ſanguine varius ſecernitur humor, qui nullibi in alio organo a communi maſſa ſegregari potuit.

Humor excretorius, vel eſt generalis, vel particularis.

potuit. Ita etiam conſtitutum eſt cum humoribus excrementitiis, ille ſpecialis humor, qui verbi gratia exit per urinam, nullibi per aliquod organum a communi maſſa potuit ſeparari: quare ab urinæ ſuppreſſione homo moritur, retenta urinæ materia, etiamſi alvus vel ſudor majorem copiam humorum evacuat. Sed præter ſpecialem illum humorem invenimus quoque alium, qui ſine diſcrimine per tria illa naturalia emunctoria evacuari poteſt, ut ſi augeatur ſudor vel perſpiratio, minuitur urinæ quantitas & alvus redditur ſiccior. Illa materia ſeu humor communis videtur non multum diſtare ab aqua tanquam communi vehiculo, quoniam aquoſa copioſius aſſumta evacuari poſſunt per cutim & renes, minus vero per alvum, cujus hæc videtur ratio, quod inteſtina non ſint organa emunctoria, quæ ex communi maſſa ſegregant humorem excrementitium, ſed potius humorem ſecretorium, deſtinatum ad aliquam functionem peragendam in inteſtinorum cavitate.

Mictio noctu multa quid ſignificet.

II. Si ergo quis noctu magnam copiam urinæ emittat, non quia præcedente die multum potavit, ſed quum ſolitam potionis copiam aſſumſit, talis copioſior evacuatio denotat, fere omnem humiditatem generalem hac via evacuari, vix quidquam de communi hoc liquore evacuari per duo reliqua emunctoria. Unde certo conſtat, non ſolum alvum fieri debere ſicciorem, ſed etiam in hoc homine parciorem eſſe inſenſibilem perſpirationem. Non ſine ratione adjecit *noctu*, ut indicaret iſtud tempus, in quo corpora quieſcere & dormire ſolent, ut nempe illa aucta urinæ evacuatio non producatur aliqua actione muſculari vel animi pathemate, quibus interdum hæc vel illa excretio poteſt augeri vel minui, ſed ut notaret tempus, in quo excretiones illæ abſolvuntur ſola actione vitali. Parva tunc regulariter debet fieri Alvi egeſtio, quia ſolummodo id, quod ex inteſtinis abſorberi non poteſt, deponendum eſt. In morbis autem colliquativis interdum obſervatur mictio noctu multa cum alvo profuſa, ſed hæc duo juncta malum ſignum exhibent, quoniam nunquam obſervamus duas evacuationes copioſas, niſi humores per putredinem ita ſint ſoluti,

ſoluti, ut per omnia emunctoria effluant: qualis ſtatus periculoſiſſimus eſt. Qui ceteroquin ſanus noctu multum mingit, conveniens eſt, ut huic alvus non ſolum ſit ſiccior, ſed & inſenſibilis perſpiratio parcior; nam in tali mictu copioſiore, qui ſit in corporis quiete, & non poſt potum copioſiorem, denotat omnem materiem generalem evacuari per renes. Sed ſi tantum id ſpeciale, quod per alvum & per cutim eſt educendum, evacuatur, alvus neceſſario debet eſſe ſiccior, & perſpiratio parcior, quum id ſpeciale parvam quantitatem exhibeat.

An Sanitati conducat mictio noctu multa.

III. Qui ignorant, perſpiratione maximam copiam humorum abſumi, ſemper contenti ſunt videre urinam copioſius evacuari, quum inde putant, corpus liberari ab inutili humore, atque extollunt quoque alvum liquidiorem. Verum ſi conſideremus hominem ceteroquin ſanum, ſalubrius cenſendum alvum modice ſiccam habere, & urinam parciorem. Nam invenimus, quod ſi vires valeant, naturam tunc illam maſſam liquidam communem pellere per inſenſibilem perſpirationem. In corporibus autem debilioribus illa communis maſſa magis evacuatur per renes. Ergo in hoc caſu urina parcior ſignificat vires corporis valentes, & urina copioſior vires debiliores. In morbis autem hæc regula generalis non ſemper locum habet, quoniam in morbis, quorum materia ſolummodo per renes a communi maſſa ſanguinis ſegregari poteſt, admodum conducit copioſiorem reddere urinam. Si enim aliquis materiem purulentam habet in ſanguine, fruſtra exſpectaret hujus evacuationem per ſudorem: imo ſudor copioſior in hujuſmodi morbis damnatur, quum ſit indicium colliquationis. Exemplum habemus in empyematicis & phthiſicis, in quibus ſudor copioſior ſemper habetur inter mala ſigna, ſed urina copioſior cum laudabili ſedimento non raro liberat ab Empyemate. Sed morbi imflammatorii antequam in purulentiam abierunt, ſoliti ſunt ſolutam illam materiem per ſudorem eliminare, ſed minus per urinam. Status valetudinarius utplurimnm præbet urinam copioſiorem noctu, quum vires vitæ debiliores in hujuſmodi hominibus non valent ſatis largam face-

re

re perſpirationem inſenſibilem. Quare concludere poſſumus mictionem noctu multam, non ita indicare morbum, ſed vires debiliores: unde melius eſt ad deſignandam vim vitæ validam, ut noctu mictio ſit parcior.

MEDICINA HIPPOCRATICA,

EXPONENS

APHORISMORUM HIPPOCRATIS

LIBRUM QUINTUM.

APH. I.

194. *Convulsio ex Elleboro, lethale.*

I.

INchoat Auctor hunc librum a morbo, qui nomen habet ex phænomeno in motu animali, qui motus in sanis hominibus solummodo fit ad nutum voluntatis, sed qui nunc fit ex causa morbosa: quoniam in sequentibus aphorismis repetit hunc morbum, qui Græcis vocatur σπασμὸς, nullibi convenientior est locus ad exponendum hujus morbi naturam, quam in hoc loco, quamobrem primo videbimus, quale sit istud phænomenon; dein quomodo ab Elleboro generari possit; & denique cur pronunciatur lethale, si ab Elleboro Convulsio generetur.

II. Musculi motus animales seu voluntarii non moventur in perfecte sanis, nisi voluntate nostra (Conf. Aph. 51, III.) eum motum fieri influxu spirituum per nervos, ex

Convulsio quid sit.

phyſiologicis aſſumendum, quod nimis longum foret in hoc loco demonſtrare. Ille fluxus ſpirituum per nervos in quieſcentibus corporibus tantus non eſt, ut inde contrahatur muſculus, ſed ſi accedat voluntas mentis ducens majorem copiam ſpirituum, & majori impetu ad aliquos muſculos, illi tunc contrahuntur, atque proportionate majore & minore potentia, ut eſt ſpirituum influxus. Quoniam videmus, tale quid fieri in ſanis hominibus, non miramur videre, dum tamen mihi ſit ſummum arcanum, mentem noſtram poſſe concitare fluxum ſpirituum; miramur vero, partem aliquam convelli, quod intellectu eſt facilius, quoniam morboſa cauſa eſt materialis, quæ ad intellectum facilius concipitur, eam poſſe producere motum auctum ſpirituum per nervos. Si autem ex morboſa interna cauſa talis motus producatur in muſculo motus voluntarii, qualis in ſanis fit per voluntatem noſtram, idem ille motus vocatur Convulſio. Quare nullum aliud phænomenon in hoc morbo habemus, niſi talem motum, qualem obſervamus in ſanis hominibus, qui ex voluntate movent muſculum, quoniam cauſa interna morboſa noſtris ſenſibus non eſt patens. Interdum vero ille motus eſt violentior, quam qui ex voluntate fit, in quo caſu judicamus, illum tunc motum ex morboſa cauſa fieri. Motus voluntarius in ſanis eſt vel alternus vel conſtans per aliquod tempus durans, talis quoque habetur motus morboſus, qui vocatur σπασμὸς. Si autem ex morboſa cauſa fiat, iſtum motum diſtinguunt in Spaſmum & Tetanum (*Aph.* 167. 1). Ergo phænomenon ſatis ſe manifeſtat, dum nempe ſine vel contra voluntatem Muſculi motus animalis vehementer trahuntur, iſtud phænomenon nomen morbi accipiens vocatur Spaſmus & Latinis Convulſio.

Quomodo Helleborus generat convulſionem?

III. Hippocratem in hoc Aphoriſmo intelligere Helleborum album (*Aph.* 123, 1.) minime dubium eſt, quoniam veteribus erat in frequentiſſimo uſu, non ſolum in morbis, ſed etiam in ſanis, ſi judicabant, ventriculum eſſe exonerandum: propterea multas adjecit cautelas: & quoniam vehemens iſtud Medicamentum ſæpe multa damna intulit, de eo plu-

res

res cautelas adjecit, quam de quovis alio: denique Helleborus ſi abſolute ſcribitur, veteres ſemper intellexerunt Helleborum ſeu Veratrum album; ſed ſi voluerunt alterum Helleborum, qui purgat, intelligere, ſemper ſcripſerunt Helleborum vel Veratrum nigrum. Hoc nunc Veratrum quali modo inducit Convulſionem, quia ſupra (*Aph.* 126., III.) expoſuimus, non erit opus repetere.

Cur convulſio ex elleboro, lethale?

IV. Ex iis, quæ hucuſque & locis allegatis expoſita ſunt, facile colligitur, quare Convulſio ab Helleboro cenſeatur lethalis, id eſt admodum periculoſa, ut non raro poſt convulſionem talem homo moriatur. Nam conſtat, motum animalem non pati convulſionem, niſi ex magna cauſa, ut in pueris, quorum motus animalis multo facilius turbatur. Verum Helleborus ingeſtus, vel primo ſua roſione & irritatione tantum perturbat ventriculi motum vermicularem, ut etiam totus motus animalis in conſenſum trahatur, quod nunquam fit niſi a magna cauſa: & quoniam omnia ſigna cauſæ magnæ ſunt ſigna periculoſiſſima, inde etiam Convulſio poſt Helleborum aſſumtum periculum portendit; præprimis quoniam vehemens ille motus non tollat irritantem cauſam, nam convulſio non ejicit ex ventriculo Elleborum. Vel virulentia Ellebori venis abſorpta & delata ad nervos, tandem motus voluntarii Convulſionem inducit in mortem deſinentem; nam id acre neque actione cerebri ſubigi poteſt neque inde pelli. Quamobrem recte obſervavit Hippocrates, Convulſiones ab hac cauſa lethales eſſe. Quod obſervatum hic fuit de Helleboro, id etiam applicari poteſt ad alia vomitoria vehementia & venena aſſumta, ut inde fiat regula practica generalis.

LIB. V. APH. II.

195. *Ulneri convulſio ſuperveniens, lethale.*

I.

QUemadmodum in præcedente aphoriſmo dixerat lethale, eodem modo hic intelligendum θανάσιμον, non quod ſemper inferat mortem, ſed frequentiſſime, id eſt pernicioſum, exitioſum eſt, & propterea monet, Convulſionem in vulneribus non eſſe flocci pendendam, ſed ex ſuperveniente Convulſione ſummum periculum præſagiendum, & omnia ſtatim pertentanda, quæ auxilium adferre poſſunt. Vulneris nomen hic late accipiendum, ut non ſolum indicet ſolutam unitatem in parte molli factam per inſtrumentum durum ſecans, verum etiam Contuſionem validam & Puncturam, nam in omnibus his caſibus Convulſio lethalis eſt. In præcedente Aphoriſmo notavi, Helleborum inducere Convulſionem per conſenſum vel delationem virulentiæ ad nervos motus voluntarii, utrumque hoc in vulneribus admitti nequit, nam cauſa vulnerans vel pars læſa ſemper manet in eodem loco: ergo Convulſio talis ſemper generatur per conſenſum. Quomodo autem vulnera Convulſionem inferant, non omnes idem ſentiunt. Conſtat obſervatione Chirurgica, ſtatim ab inflicto vulnere vel punctura in membris exterioribus non produci Convulſiones, ſed poſt aliquod tempus, aut ſi acre fuerit vulneri applicatum, quemadmodum obſervavi in punctura tendinis in genu ſub patella, ab indita turunda dura unguento baſilico obducta hominem fuiſſe convulſum & periiſſe, ſed in vulneribus vel contuſionibus cranii cum meningum læſione utplurimum ſtatim totus homo convellitur. Maxima pars medicorum in ea eſt ſententia, quod quædam fibræ nervoſæ fa-

faciant, ut reliquæ fibræ nervoſæ ejuſdem nervi integræ manentes, nimis tenſæ, primo dolorem dein Convulſionem inferant. Sed quoniam vulnus latius plures fibras abſcindit & pauciores relinquit integras, quæ propterea magis tenderentur, vulnus tale majorem dolorem & vehementiorem convulſionem ex ratione inferre deberet, quam levis nervi punctura. Sed ſi conſulimus experientiam, contrarium inveniemus ſemper, nam vulnera lata raro convulſiones inferunt, puncturæ autem ſæpius. Quare convulſionis cauſa non facile deduci poteſt ab inæquali tractione fibrarum, quæ relinquuntur integræ, ſed a ſimili cauſa, quæ valet irritando meninges prompte convulſionem inducere: & quoniam capſulæ nervorum Meningibus ſimiles ſunt & forſan eædem, inde ab irritamento capſularum, quibus motis contenti canaliculi nervoſi valide agitantur, videtur generari Convulſio, qualis irritatio frequentior eſt in punctura, quam vulnere. Quod autem irritatio meningum prompte inducat Convulſionem, & irritatio capſulæ nervorum poſt aliquod tempus, inde oriri videtur, quod ſi meninges agitantur, ſtatim propelluntur ſpiritus ex encephalo ad omnes muſculos motus voluntarii, ſed ſi capſula nervi irritatur, prius conſentire debent meninges, antequam univerſalis Convulſio generari poteſt, qualis propagatio non ita ſtatim fit poſt factam puncturam. Si autem illa punctura univerſalem Convulſionem fecit, ſignum eſt, cauſam eſſe magnam, quæ potuit totum ſtamen nervoſum in conſenſum trahere, & quia Convulſio non tollit cauſam irritantem, inde recte pronunciatur, lethale eſſe ſignum. Quod diximus de nervis, id etiam verum eſt de tendine vel membrana, vel alia parte nervoſa ſauciata.

LIB. V. APH. III.

196. *Sanguine multo effuso, convulsio, aut singultus superveniens, malum.*

I.

QUoniam in superiore egerat Auctor de Convulsione ex Vulnere, ne aliquis judicaret, omnem Convulsionem generari ex Vulnere, quæ post vulnus oritur, hunc Aphorismum subnectere voluit, ut constaret, Hæmorrhagiam a vulnere natam sæpe causam esse Convulsionis: quare post vulnus si oriatur Convulsio, perpendendum est, num ea nascatur ex Vulnere, an vero ex hæmorrhagia copiosiore, quoniam præservatoria curatio & ipsa prognosis differunt. Nam si ex vulnere inducatur Convulsio, ad nervum vel tendinem sauciatum applicanda erant balsamica, & resinosa, & in graviori malo urendus vel abscindendus esset nervus: verum si hæmorrhagia inducat Convulsionem, ea est compescenda, & incassum esset priori modo moliri curationem Convulsionis, atque ipsa prognosis differt, quæ enim Convulsio fit ex Vulnere, dicitur Lethalis, sed ex sanguine multo effuso tantum habetur mala, id est minus periculosa, quoniam non tam sæpe ex sanguine multo effuso moriuntur homines Convulsi, quam vulnerati & Convulsi. Quamvis hanc dicendi occasionem arripuit, non tamen hæc observatio ita est specialis, ut solummodo complectatur sanguinis fluxum per vulnus inductum, quoniam hæc observatio est generalis de omni sanguinis evacuatione copiosiore per quamcumque causam nata. Antequam dici potest, Convulsionem post largiorem sanguinis fluxum malam esse, videndum est, quali modo talis hæmorrhagia Convulsionem inducat. Hac de re multæ & variæ proferuntur sententiæ, nemo vero negat, Convulsionem fieri posse

poſſe poſt profuſionem ſanguinis, ſed de modo, quo generatur, diſſeptant. Ne autem hæreamus in aliorum ſententiis refutandis, noſtram duntaxat proferemus. Ut motus vitalis Cordis & Arteriarum peragatur, non ſolum requiritur actio contrahens alterne, verum etiam alia dilatans, nempe liquor ſeu ſanguis in cavis cordis & arteriarum, qui vaſa implet & diſtendit, ut iterum contrahi poſſint. Major autem moles humorum movendorum, & eorum defectus ergo deſtruit æquilibrium, quod conſtitutum eſt inter cauſam moventem & quantitatem liquoris. Ex hoc deſtructo æquilibrio turbatur motus ille circulatorius, qui perturbatus quandoque motum animalem in conſenſum trahit & turbat, ſeu generat Syncopen vel Convulſionem, qui Morbi fiunt ex exſtincto motu animali vel nimis agente. Ita ex ſolo defectu & non ſemper ex mutata qualitate humorum, in qua fere omnes auctores quærunt Convulſionis cauſas, generatur Convulſio & Singultus. Quippe Singultus etiam eſt ſpecies Convulſionis, quæ præcipue aggreditur Diaphragma, & inde per eandem cauſam generari poteſt ſingultus, qua producitur Convulſio generalis. Cur autem de hac Convulſione tantum dicatur *malum*, dum tamen in prioribus dictum fuerit Lethalis, meretur attentionem. Si vero rimamur rationes datas, facile liquebit hæc differentia. In præcedentibus diximus, lethale eſſe, quoniam Convulſio non potuerit tollere irritamentum ſeu cauſam, vel eam expellere: verum Convulſionis ex deſtructo æquilibrio in actionem vitalem & quantitatem humorum, per ſanguinem profuſum, tollitur cauſa, nam ſi vaſa circulatoria fuere inanita ſanguinis profuſione, eadem vaſa iterum implentur ex cellulis, vaſisque lymphaticis, & ita ſenſim ceſſat cauſa Convulſionem inducens: hinc ſolummodo dicitur malum, nam ſi tantum ſuppeditari nequit, quod tamen raro fit, moritur homo; unde quoque non poſſumus dicere, eam Convulſionem carere omni periculo.

LIB. V. APH. IV.

197. *PUrgationi immodicæ convulſio, aut ſingultus ſuperveniens, malum.*

I.

MUlti Commentatores in ea ſunt ſententia, hunc Aphoriſmum intelligi poſſe ex iis, quæ dicta ſunt de Helleboro. Ego vero puto, Hippocratem magis in hoc loco reſpexiſſe ad alvi evacuationem, quam ad ſpecificam qualitatem medicamenti; quum in ſuperioribus ſatis egerat de Convulſione ex Elleboro (*Aph.* 194,) non erat opus ſtatim illam rem repetere, & ſi idem ſentiret in his duobus locis, non dixiſſet in priori *Lethale*, & in hoc Aph: *Malum.* Videtur in his duobus aphoriſmis ſimili modo agere, uti egit in Convulſione ex vulnere (*Aph.* 195.) & ex multo ſanguine effuſo (*Aph.* 196.) Alia enim erat ratio in Convulſione ex vulnere, alia vero ex ſanguinis profuſione per vulnus. Idem etiam ſentiendum de Purgantis acrimonia inducente Convulſionem, aliud iterum per evacuationem purgante inductam ſi generetur Convulſio. Quare hoc loco videndum, quomodo Convulſio generetur ex Hypercatharſi, nullo habito reſpectu virulentiæ purgantis. Quædam videtur differentia in alvi & ſanguinis evacuatione, hæc enim evacuat bonum humorem, illa vero excrementa, ut putant: ſed ſi rem penitius perpendamus, non tam magna erit differentia: quoniam in utriſque magna demitur quantitas, & ita defectu humorum ſi deſtruitur æquilibrium, convulſio generari poteſt. Qui vero putant, in copioſiore alvi egeſtione evacuari ſola excrementa, a veritate longe abſunt, quoniam in tali evacuatione ſimul deponuntur illi boni humores, qui naturaliter in inteſtinorum cavitatem confluunt ad alimentorum ingeſtorum

rum præparationem. Quare concludere poſſumus, ex alvi egeſtione tam per evacuationem generalem, quam boni humoris, generari poſſe Convulſionem. Talis autem evacuatio faciens Convulſionem, dicitur *mala* & non lethalis ex eadem ratione, quam dedimus de ſanguine multo effuſo. Nam virulentia purgantis inferens Convulſionem, dicitur lethale, ſed per evacuationem copioſam nata Convulſio dicitur mala, quoniam ille defectus ſæpe ſuppletur.

LIB. V. APH. V.

198. *SI quis ebrius ex improviſo mutus fiat, convulſus moritur, niſi febris corripuerit, aut ubi ad horam, qua crapulæ ſolvuntur, pervenit, locutus fuerit.*

I.

Ex qua cauſa ebrius derepente mutus fiat.

CAuſæ & ſigna Ebrietatis etiamſi cuivis notiſſima ſint, nonnulli tamen exiſtimarunt, eam corporis & animæ mutationem ſoli vino eſſe adſcribendam: ſed ſi conſulimus experientiam, omnia principia in vino non habent inebriandi potentiam, ſed ſolum ſpirituoſum inflammabile hanc virtutem poſſidet: vinum enim deſtillando privatum ſpiritu non inebriat, ſed Spiritus ita ſeparatus ingeſtus ebrietatem inducit. Si examinemus chemice vini generationem, quod nimis longum foret in hoc loco experimentis adſtruere, comperimur, oleum vegetabile attenuatum fermentatione, ut inde fiat liquor totus volatilis & flammam alens, hunc eſſe ſpiritum inebriantem, qui aliis vini adhuc principiis miſtus, per novam fermentationem in acetum converſus, priorem omnem naturam exuit, & non amplius inebriat, neque flammam alit, neque tunc deſtillando a ceteris principiis vini ſeparari poteſt ut prius. Hoc oleum vegetabile fermentatione ſolutum, mutatum & volatile factum, majore copia ingeſtum perturbat hominis motum a-

nimalem, ſenſum internum & externum, quæ mutatio ſi modum excedat, vocatur Ebrietas. Omnis ergo ſpiritus fermentatus majore copia ingeſtus eſt ebrietatis cauſa. Quoniam ſuccus uvarum frequentiſſime fermentando convertitur in vinum, multi putarunt, inebriandi virtutem in ſolo vino latitare: verum uti uvarum ſuccus, ita etiam reliquorum fructuum ſucculentorum ſucci fermentati præbent ſimilem ſpiritum. Et quod multi magis mirantur, ſaccharum & mel aqua dilutum & dein fermentatum tale vinum quoque præbet: ut & decocta ex frumentaceis ſeminibus, atque farinæ dilutæ aqua fermentando in fere ſimilem ſpeciem vini convertuntur, quod hodie vocatur Cereviſia, nam ex his omnibus deſtillando comparatur ſpiritus ardens. Quare multi decepti, neſcientes, cuncta hæc fermentando præbere ſpiritum inebriantem, mirantur inebriari poſſe ſine vini potu. Sed in his omnibus oleum vegetabile fermentatione mutatum in ſpiritum inflammabilem, ſi aſſumitur, producit ebrietatem. Parva autem hujus vini vel ſpiritus quantitas non infert Ebrietatem, ſed corporis incaleſcentiam, ſed ſi major ejus ingeritur copia. Niſi conſtanti obſervatione compertum eſſet, nimio uſu hujus ſpirituoſi vacillare motum animalem, ſenſum & ratiocinium perturbari, nemo ex cognita natura ſpiritus fermentati valeret talem effectum præſagire. Hinc poſt inventionem hanc multi rimati ſunt modum, quo ſpiritus fermentati inferant ebrietatem; quidam hoc deducunt ex levitate, qua caput petunt; alii ex contractione fibrillarum nervoſarum; alii iterum ex coagulatione ſpirituum. Sed ſive hoc ſive illo modo operentur, effectus tamen eſt certus, & pauciſſimi ſunt, qui multitudine ſpiritus fermentati tandem non obruuntur. Plus facit ad cognitionem medicam obſervare, hunc ſpiritum in excrementis hominum non inveniri, qui ſatis copioſe bibunt: quare conſtat, hoc ſpirituoſum ſubigi actione vitæ, & ita exſtingui, ut ne veſtigium ſui relinquat; quod etiam comperimur, ſi convertatur vinum in acetum, nam ſpirituoſum non exhalat, ſed commutatur. Hæc obſervatio docet, hominem vino obrutum tunc liberari ab ebrietate, ſi actione

ctione vitæ exſtinctum ſuerit ſpirituoſum; ſed ſi ſpirituoſorum copia eſt tanta, ut obruat actiones vitæ, perit homo plerumque apoplecticus. Quum vero actiones vitæ vocem formantes opprimuntur, ut ebrius reddatur ex improviſo Mutus, talis ſtatus non multum diſtat ab apoplexia: nam ſpiritus ardens exſtinguens fluxum ſpirituum animalium per nervos in muſculos laryngis & linguæ, aphoniam facit; ſed eadem cauſa major inducit apoplexiam.

II. Si ratiocinando præſagirem mortem ex Aphonia in ebrio, nunquam judicarem, talem ægrum dein Convulſione periturum, quoniam aphonia magis convenit apoplexiæ, quam convulſioni: ſed quoniam in Græcia admodum valuit bibendi conſuetudo, noſter Auctor hanc ſententiam non poſuit ſine multiplici experientia. Quia vero Aphonia æque generari poteſt a convulſis muſculis laryngis, quam ab eorum paralyſi, veriſimile mihi videtur, derepente natam aphoniam proveniſſe ex convulſione horum muſculorum, cujus cauſa ſi augetur, generatur perfecta Convulſio. Quæ perſiſtens, ſimul impedit motum circulatorium atque ita interficit. Non eſt opus, ut ſtatim ſubſequatur poſt aphoniam in ebrio Convulſio, nam in fine hujus habetur etiam, quod Convulſio non ſit exſpectanda, eo tempore, quo ſolet ſolvi Crapula, ergo ſi quis poſt tam longum tempus non loquatur, tunc tandem convulſus moritur.

Quando talis convulſus moritur.

III. Monuimus, actione vitæ tandem exſtingui & diſcuti ſpiritum fermentatum, ſi ergo vis vitæ langueat, diu durare debet, antequam ille ſpiritus ſit ſubactus: ſed vires vitæ inſtigatæ multo citius exſtinguent fermentatos ſpiritus: ex hac ratione obſervatur, quod qui refrigerantur ex vini potu, multo magis periclitantur, quam quorum corpora incaleſcunt, quoniam frigus indicat, vires vitæ ſuccumbere, ſed calor notat inſtigatas eſſe vires, quare in his multo major eſt ſpes ſubigi poſſe ſpirituoſum. Febris in hoc loco indicat calorem majorem cum pulſu aucto, & ſudore rorido in corpore, eſt ergo indicium ſpirituoſum fermentatum in corpore magis ſubigi, quam ſi corpus maneret frigidum & tepidum. In tali autem corpore ebrio, quod ex improviſo

Febris ſolvit aphoniam ex ebrietate natam.

corripiebatur aphonia, tanta erat ſpirituum inebriantium abundantia, ut ſuperaretur actio muſculorum voci famulantium: niſi ergo accedens motus vitalis reddatur major hunc ſpiritum ſubigens & depellens, non caret illa oppreſſio periculo, nam ſi paulo magis augetur cauſa opprimens, æger convulſus morietur. Hæc obſervatio actionis naturæ egregiam regulam curationis ſuggerit: monemur enim in hoc caſu, nos debere calefacere iſtud corpus per actu calida & aromatica calefacientia, minime ſpirituoſa, vel vinoſa, ſed quæ calefaciunt ſine inebriandi virtute.

Loquela tempore crapulæ ſolvit aphoniam ex ebrietate.

IV. Quamdiu igitur durat aphonia ſine febre in ebrio, verſamur in ancipiti, num manebit talis homo ſuperſtes, num vero exſtinguetur ſuperveniente convulſione: ſcimus enim in tali corpore adeſſe ſpirituoſum calefaciens in magna copia, quod ſua virtute, modo valeant vires vitæ, faciet ſtimulando majorem calorem ſeu febrem, verum eam febrem non invenio, ergo mihi indicium eſt, vires vitæ obrutas eſſe multitudine vini. Si ergo exſpectamus per duodecim horas vel viginti quatuor, quo tempore crapula ſolvi ſolet, & tamen vires vitæ non facere majorem motum, & permanere aphoniam, periculum eſt, ne ex tam diu perſtente cauſa tandem obruatur ebrius: ſed ſi tunc demum ebrius loqui incipiat, ipſa loquela etiamſi nihil faciat ad ſubigendum vinoſum, periculum detrahet, non ut cauſa, ſed ut ſignum; quoniam loquela redeuns notat, opprimentem cauſam eſſe minutam, & inde valentibus ſenſim magis corporis viribus totum vinoſum ſubigetur. Etiamſi talis homo maneat ſuperſtes, non ſemper redibit ad perfectam ſanitatem, non raro invenimus ex tali veſana & abominabili potatione relinqui alicujus partis paralyſin vel delirium diu durans, ita enim cerebrum ſpiritu fermentato obrutum, mutatur ſæpe in ſua functione, ut ablato vel ſubacto ſpirituoſo ad officium ſuum redire nequeat. Hoc ſi quis perpendeat, is nunquam Bacchum delirantem & furentem tot laudibus celebraret.

LIB. V. APH. VI.

199. *QUi a tetano corripiuntur, in quatuor diebus pereunt. Si vero hos effugerint, ſani fiunt.*

I.

Tetanus qualis morbus.

SI omnibus medicis conſtaret, quænam phænomena conjuncta facerent Tetanum, non eſſet opus hunc morbum circumſcribere: ſed multi Tetanum faciunt Convulſionis ſpeciem, & inde generari potuiſſet confuſio in morbi cognitione. Noſter Auctor in Libro de Internis Affectionibus H. b. 266. tres ſpecies Tetani proponit, primam ſpeciem ita graphice depingit. *Maxillæ conglutinantur, & rigent, & os aperire non poteſt: & oculi lachrymantur, & contrahuntur, & dorſum conglutinatum riget, & crura flectere nequit, neque manus, neque ſpinam. Quum autem lethalis fuerit, potum & cibos, quos prius accepit, aliquando per nares reddit.* Ex quibus apparitionibus concludendum eſt, omnes muſculos motus voluntarii valide contractos eſſe & in tali contractione diu perſiſtere, & inde a reliquis convulſionibus (*Aph.* 167, 1) facile diſtinguitur hic morbus, qui a Celſo vocatur Rigor, quoniam totum corpus riget, ita ut neque ab ægro neque ab alio facile flecti poſſit.

An Tetano correpti in quatuor diebus pereunt?

II. Omnes muſculi motus voluntarii ſi laxi ſunt vel alterne moventur, permittunt ſanguinis fluxum ex arteriis iſtis in venas, quæ per iſtum muſculum decurrunt: ſed ſi validiſſime contractus eſt muſculus, minus libere continuari poteſt illa circulatio: atque in validiſſime contracto muſculo omnino ſiſtitur, quoniam arteriæ & venæ in ventre muſculi decurrentes tam valide comprimuntur a contracto & indurato muſculo, ut dilatari non poſſint per implentem cauſam. Quo igitur validius eſt contractus muſculus, eo magis ſiſtitur ſanguinis transfluxus. Si ergo in Tetano omnes muſculi motus voluntarii valide & conſtanter manent

nent conſtricti, magna pars circulationis eſt intercepta, & ſolummodo peragi poteſt per vaſa, quæ non decurrunt per corpora muſculorum. Atque ut maneat illa perpetua conſtrictio, ex cauſa morboſa perpetuo ducendi ſunt ſpiritus motus animalis ad iſtos omnes motus voluntarii muſculos; unde magna generatur ſpirituum conſumtio, ut patet in iis, qui ex voluntate aliquem muſculum diu retinent conſtrictum, ſentiunt enim muſculum illum maxime eſſe fatigatum & debilitatum. Hi bini effectus diu perſiſtere nequeunt, ut permaneat illa impedita per omnes partes circulatio, atque magna conſumtio ſpirituum, quin exſtinguetur vita. Quare pronunciare poſſumus Tetanum validum brevi tempore mortem inferre. Si autem minus valide conſtricti ſint muſculi, non omnino ſiſtitur circulatio ſanguinis per muſculos iſtos, & non fit tanta ſpirituum conſumtio, quare idem morbus ſed ſpecie levior, ad plures dies continuari poteſt, ut a nobis & aliis practicis obſervatum fuit, hominem ultra quatuor dies laborantem Tetano tamen fuiſſe ſervatum. Veriſimile ergo mihi videtur, Hippocratem obſervaſſe hos homines plerumque ante quartum diem periiſſe & inde hanc obſervationem nimis generalem nobis reliquiſſe.

An Tetanici quartum diem effugientes ſervantur?

III. Ex iis, quæ ſupra diſputavimus, colligi poteſt, quod Tetanus ultra quatuor dies perſiſtens non ſit graviſſima ſpecies: ſed an propterea æger poſt quartum diem ſit incolumis, valde dubito, nam omnis cauſa Tetanum inducens quarto die non finitur, & experientia etiam conſtat, homines tales etiam poſt ſeptimum diem periiſſe, quod ſi Tetanus eſſet morbus ſemper ex eadem cauſa dependens, terminus temporis facilius potuiſſet limitari, ſed quoniam eſt morbus ex varia cauſa natus, aliquid certi de tempore limitari nequit.

LIB. V. APH. VII.

200. *QUibus Epilepſiæ ante pubertatem contingunt, mutationem habent. Quibus vero accidunt viginti quinque annos natis, his plerumque commoriuntur.*

I.

TOtus hic Aphoriſmus ex ſuperiore explicatione (*Aph.* 70) intelligi poteſt, quare non opus eſt eandem rem repetere.

LIB. V. APH. VIII.

201. *QUi pleuritici facti, non repurgantur ſuperne in quatuordecim diebus, his in empyema convertitur.*

I.

HOc in loco intelligi Pleuritidem veram ſuperius a nobis deſcriptam (*Aph.* 109, IV) non eſt opus probare, nam ſi ſine diſcrimine omnis ſpecies Pleuritidis intelligeretur, certus temporis terminus non poſſet definiri: neque omnes ſpecies etiamſi diutius quam quatuordecim dies durarent, non producerent Empyema, ut ſæpe obſervavimus in pleuritide ex materia tenui acri catarrhoſa: quare in hoc loco intelligenda eſt vera Inflammatoria Pleuritis. Hæc Pleuritis varios habet exitus, quoniam ſequitur naturalem generalis Inflammationis mutationem (1) In reſolutionem. (2) Evacuationem criticam per ſputum vel urinam. (3) Mutationem in purulentiam, quod pus confectum vel colligitur in ſacco formato in pleura, vel funditur

Pleuritidis mutatio.

funditur in pectoris cavum, vel traditur sanguini circulanti, aut id demum deponitur ad partem aliquam, ut fiat metastasis. (4) Abit in putrilaginem vel tenacem vel tenuem ichorosam. (5) Denique transit in sphacelum. (6) Auctores addunt commutationem in scirrhum vel cancrum, quam fateor mutationem non licuit mihi videre in tota praxi, an alii viderint, vehementer dubito.

Empyema quid significet?

II. His temporibus per Empyema semper intelligitur puris collectio in cavo pectoris, sed apud Hippocratem passim indicat suppurationem, seu puris generationem in quocunque loco vel viscere: hoc autem in loco mallem frequentissimam significationem admittere, nempe puris collectionem in cavo pectoris; vel in sinu facto a membrana pleura aliquomodo recedente a costis; seu in parte cellulosa pleuræ.

Quæ pleuritides & quando convertuntur in Empyema?

III. Ut Pleuritis transeat in Empyema seu purulentiam, necesse est, ut Lateris dolor, unde derivatur nomen, proveniat a morbo tali, qui in purulentiam commutari potest: inter causas dolorem pectoris inferentes Inflammatio est, quæ commutatur in suppurationem. Hæc autem Inflammatio non semper convertitur in purulentiam, ut supra indicavimus: ergo adesse debent signa suppurationem indicantia. Sufficiens signum est, si inflammatio duravit per quatuordecim dies, nam non novimus, inflammationem diutius perstitisse sine conversione in purulentiam, & plerumque quarto vel septimo die incipit formare pus. Si ergo Pleuritidis inflammatoriæ signa permaneant ad quatuordecim dies, certi sumus, pus esse confectum. Si vero interea temporis commutata materia inflammatoria in materiem purulentam conversa non repurgatur, necesse est, ut maneat in corpore, quoniam materia purulenta nunquam invisibiliter exit. An vero in hoc loco sola repurgatio superne, id est per sputum, intelligatur, ut multi contendunt, non ita plane constat, quoniam pleuritici non raro liberantur per urinam sedimentosam. Neque Hippocratis sententia probari potest, hic intelligi purgationem per sputum, quoniam ἐκκαθαίρω generaliter notat expurgo, & perpurgo, sed

ſed interdum ſumitur pro purgo ſurſum. Sed quando ex conſtantia inflammationis apparet, Inflammationis mutationem fuiſſe factam in purulentiam, & non deteximus intra quatuordecim dies, vel in urina vel ſputo, materiem purulentam fuiſſe evacuatam, certi eſſe poſſumus, hoc in corpore collectum eſſe pus, ſeu empyema. Et quoniam poſt inflammationem pleuræ pus iſtud confectum frequentiſſime deponitur in cavum pectoris, non erit ſine ratione ex tali perdurante pleuritide præſagire Empyema pectoris, quamvis quoque alia inde potuiſſet fieri ſuppuratio, ut in ſequentibus locis data occaſione ſumus demonſtraturi.

LIB. V. APH. IX.

202. *TAbes maxime fit ætatibus ab anno octavo decimo uſque ad quintum trigeſimum.*

I.

Quanam ætate fit phthiſis?

POſt prædictionem Empyematis ſtatim ſubjungit prædictionem Phthiſis, quaſi innuere vellet, ſi quis laboravit pleuritide & non expurgatur intra quatuordecim dies, is ſæpe incidet in Phthiſin; & ita intelligit Phthiſin purulentam (*Aph.* 89, III). Sed ut ſententiam magis univerſalem faciat, phthiſin ponit abſolutam purulentam, ſive fiat ex pleuritide, peripneumonia vel ſanguinis ſputo natam, atque obſervavit, eam phthiſis ſpeciem accidere frequentius intra XVIII & XXXV Ætatis annum. Hoc tempus ſubdividitur in tempus Adoleſcentiæ (*Aph.* 106, 1), quod hic limitari poteſt intra XVIII & XXV. Tempus autem ætatis intra XXV & XXXVIII, tempus Juventutis (*Aph.* 64, 1 & *Aph.* 108, 1) appellari poteſt. Hoc nunc tempore ætatis nempe Adoleſcentiæ & Juventutis obſervavit frequentius fieri Phthiſim, quam in ætatibus reliquis, quod etiam his temporibus conſtante obſervatione practica

confirmatur. Qualiſnam vera ſit conſtitutio in hac ætate, quæ diſponit ad phthiſim producendam, non conſentiunt Auctores, magna pars derivat hunc morbum ex intemperantia, quæ in hac ætate præprimis viget; ſed etiam in temperate viventibus juvenibus non raro oritur Phthiſis frequentior quam in quavis alia ætate; unde in juvenili corpore quædam naturalis eſſe debeat cauſa corpus diſponens ad ſuſcipendam phthiſin. Eam diſpoſitionem cuique ſatis patere poteſt, ſi modo rimatur naturalem mutationem incrementi corporis, & augmentum virium. Quamdiu enim increſcunt corpora mole, ejus quoque increſcunt virtutes agentes & magis, quam increſcit moles; nam vires juvenum habito reſpectu corporis ſunt majores quam in pueris: ut ſi juvenis non acquirat molem corporis majorem quam alter puer, corporis tamen vires præcellent. Si ergo corpus noſtrum ita tam in mole quam in viribus increvit, circa XVIII ætatis annum non amplius multum increſcit corporis moles, ſed tamen ulterius augentur vires. Inde ita augentur corporis vires, ut potentia cohærendi in partibus mollioribus vix ſufficiat hanc ſuſtentare actionem: in puellis tunc ſanguine menſtruo effuſo, hæ vires refrenantur; ſed in juvenibus increſcentes a leviſſima cauſa incidunt in inflammationes, febres ardentes, hæmorrhagias varias, atque ſanguinis ſputum. Hi morbi in juvenibus nati non raro terminantur in purulentiam, quæ ſæpe afficit pulmones, quoniam pulmo etiamſi non fuerit affectus, a pure tamen tranſmiſſo facile ulcus contrahere poteſt, quod phthiſin inducit, & quoniam hæmoptyſis juvenibus eſt morbus frequentiſſimus, quæ plerumque terminatur in pulmonis ulcus, non eſt mirum, quod hac in ætate frequentior quam in quavis alia producatur phthiſis. Si nunc his cauſis naturalibus accedat intemperantia, ſpirituoſorum abuſus, in quo juvenes magnam ſibi quærunt gloriam, ſe plus quam adultos bibere poſſe & pergræcari, eo frequentior fit in hujuſmodi juvenibus Phthiſis. Etiamſi quotidiana exempla ſint obvia, vix tamen Adoleſcentes & Juvenes perſuaderi poſſunt, ut temperate vivant, ſed moniti non raro

raro avidiſſime hunc morbum ſibi accerſunt. Ex hac obſervatione etiam intelligitur, quamobrem Phthiſin in ea ætate multo periculoſiorem pronunciant, cum natura prona ad morbum producendum ſemper curatu difficiliorem morbum producat. Obſervavi etiam in praxi, adultiores phthiſi pulmonali purulento laborantes me facilius curare poſſe, ſed in juvenibus raro curationem obtinere potui.

LIB. V. APH. X.

203. *QUi anginam effugiunt, iis in pulmonem vertitur, & intra dies ſeptem intereunt, quos ſi evaſerint, ſuppurati fiunt.*

I.

STatuit in hoc Aph. Auctor, fieri poſſe tranſlationem materiæ morbi ex faucibus ad pulmones, quæ tranſlatio ſi fiat, obſervavit, tales ægros utplurimum periiſſe intra ſeptem dies; quod ſi vero intra iſtud tempus non perierunt, incidebant deinceps in Empyema. Senſus.

II. Duæ ſunt ſpecies anginæ faucibus infeſtæ, una quæ præcipue corripit Laryngem, quam vocant Cynanchen, altera quæ afficit Pharyngem, hanc vocant Synanchen: ſed ſi etiam ſigna inflammationis appareant externe in collo, vocatur vel Paracynanche vel Paraſynanche, prout ſimul Larynx, vel Pharynx ſit affecta, ſeu prout Reſpiratio vel Deglutitio magis ſit impedita. In textu eſt κυνάγχη, ergo intelligit Auctor eam anginæ ſpeciem, quæ Laryngi eſt infeſta & ſuffocatam reſpirationem inducit, & quoniam illa ſpecies non præbet ſigna externa, ſcimus internam Laryngis membranam affectam eſſe. Illa membrana jam inflammatione tumens raro ad ſeptimum diem extenditur, quin ita faciat anguſtum tranſitum, ut æger ſuffocatus pereat, Ex angina peripneumonia quomodo?

vidi, hujuſmodi homines periiſſe intra duos treſve dies. Quia vero inflammatio ad ſeptimum uſque diem increſcere ſoleat & dein commutari in ſuppurationem, inde plerumque inflammatio internæ membranæ Laryngis ſuffocationem induxit, antequam ad ſuppurationem deducta ſit. Si autem levior fuit inflammatio & minor tumor, quam qui potuit inducere ſuffocationem, illa poſt iſtud tempus formabit pus, quod ſua gravitate deorſum deſcendens implet Tracheam arteriam & Bronchia, ubi ſtagnando collectum generat pulmonis ſuppurationem. Sed ſi inchoata angina talis ſenſim etiam pergit continuatam membranam Tracheæ & Bronchiorum inflammare, inducit peripneumoniam, quæ interimit.

Quinam ex Angina poſt ſeptimum diem fiunt ſuppurati?

III. Suppurati ἔμπυοι ſunt homines, qui vel in pulmonibus vel in cavo pectoris colligunt pus: tales ſuppurationes præſagiuntur ex Angina prægreſſa, quæ abiit ſine ratione, id eſt ſine critica evacuatione; nam quæ angina emittit ſputa copioſa cocta, non transfertur in peripneumoniam, ſed quæ evaneſcit ſine evacuatione hac, & tamen ægri manſerunt ultra ſeptem dies ſuperſtites cum ſignis, materiem tranſlatam eſſe ad pulmones. Hoc tam evidens eſt in praxi, quam quidquid certiſſimum: conſtitit enim, in Larynge adfuiſſe Inflammationem, eam ſuam materiem purulentam confectam non evacuaſſe, acceſſerunt ſigna, hanc materiem fuiſſe depoſitam per tracheam in pulmones, nam ſucceſſit peripneumonia hoc declarans; nunc eſt præterlapſum tempus inflammationis poſt ſeptimum diem, ergo facile conjici poteſt, eam materiem jam eſſe collectam in bronchiis, veſiculis pulmonalibus, vel in cavo pectoris. Ita habemus egregiam prognoſin inſtantis ſuppurationis ſeu Empyematis, ne decipiamur judicantes, ægrum eſſe ſanatum, quia effugiit anginam. Præſtantius autem foret hoc inſtans malum evitare per optimam medendi methodum. Si vocamur in tali periculoſa angina, omni ope tentanda eſt Inflammationis reſolutio per repetitam venæ ſectionem, ſi unicæ non auſcultat, alvus ducenda antiphlogiſticis, collum fovendum cataplaſmate, fauces colluendæ diluentibus cum adjecto

adjecto nitro; & vapores aquoſi ſæpe hauriendi, qui uſque in pulmones penetrant. Sed ſi his omnibus ante ſeptimum diem non auſcultat malum, reliquum tempus morbi ut peripneumonia ſuppuratoria vel Empyema pertractandum, ut pus confectum per expectorationem ejiciatur.

LIB. V. APH. XI.

204. *IN tabe vexatis, ſi ſputum, quod tuſſi rejiciunt, carbonibus infuſum gravem odorem emittat, & capilli e capite defluant, lethale eſt.*

I.

POſtquam ex angina erat natum Empyema, pus in pulmone collectum ſæpe contrahit pulmonis ulcus, ex quo tandem formatur Tabes: voluit nunc Auctor duo recitare ſigna in tali Tabe, quæ periculoſiſſimum ſtatum declarant, nempe profert ſputum carbonibus injectum olens, & capillorum defluvium. Sed ne aliquis judicaret, hæc ſigna duntaxat præſagire malum in tabe poſt recenſitam anginam nata, omiſit textum priorem & ita nobis reliquit generalem prognoſin in omni vera tabe purulenta ex ulcere pulmonis. Nexus.

II. Sputa duobus præprimis ex locis proveniunt. Primo ex tota membrana pituitaria & faucibus, hæc exſcreatu ſolent reddi, tali enim actione ſputum ſeu mucus tenax adhærens his partibus avellitur & ita rejicitur. Vel veniunt ſputa ex Larynge, trachea arteria & pulmonibus, hæc ejiciuntur iterata tuſſi, qua hæ partes agitantur & aër cum impetu emittitur, qui ſimul educit ſputum lateribus harum partium adhærens. Quoniam Auctor addit *quod tuſſi rejiciunt*, hoc in loco intelligi debet Sputum, quod ex pulmonibus venit. De hoc Sputo dicit, ſi gravem odorem emittat carbonibus infuſum. Ergo non eſt opus, ut ſputa ſint fæ- Quid notat ſputum carbonibus infuſum, olens?

tentia, niſi injecta carbonibus ſeu prunis candentibus, ut multi exiſtimarunt, qui ad hæc verba exponunt ſputa fœtentia. Verum noſtri Auctoris ſententia eſt, elicere indicia ex ſputo non fœtente, quod prunis injectum fœtorem ſpirat. Multa commentati ſunt de hoc ſigno, quæ non merentur recenſeri. Simplex hoc experimentum magni eſt uſus, ſi modo ſciamus, quinam humores noſtri inodores prunis injecti fœtorem ſpirant, & qui inodores manent. Invenimus humores ex pituitaria membrana & trachea ſecretos in ignem projectos nullum ſpirare fœtorem, ſed ſi ſanguis, humor nutrititius & pus infunditur prunis, tunc ſemper exhalat fœtor, etiamſi aliter ſint humores inodores. Ergo ex hoc experimento conſtat, vel humorem bonum circulatorium, vel pus tuſſiendo ejici. Quod experimentum non multum diſtat ab eo, quod cum ſputo in aqua dejecto inſtituitur: nam excrementitii humores aquâ ſunt leviores & inde ſupernatant: humores autem circulatorii & pus aquâ ſunt graviores & fundum petunt.

Capillorum defluvium quid notat?

III. Capillos ex ſuis bulbulis, in vel ſub cute in tunica celluloſa hærentibus excreſcere, res notiſſima eſt Anatomicis, atque pilos formari ex humore concreſcente, ut Bombyx format ſericum, Phyſiologi demonſtrant. Sic nati capilli ex cute cranii ſenſim magis excreſcunt, & glutinoſitate humorum cutis poris infixi hærent. Si vero hi humores glutinoſi exareſcunt, uti in multis morbis cutaneis, capilli extenuati defluunt; aut humores hi glutinoſi putredine ſoluti non amplius infixos retinent capillos. Inde in morbis putridis fere ſemper capilli decidunt, poſtea renaſcendi. Adeo ut capillorum defluvii cauſa quærenda ſit vel in ipſa cute, vel in generali humorum maſſa, quæ aliquam contraxit putredinem.

Cur ſputum olens & capillorum defluvium tabidis, lethale?

IV. Hoc in loco intelligi Phthiſin veram purulentam (*Aph.* 89, III.) nemo dubitare poteſt, quoniam ponitur ſequi poſt anginam inflammatoriam in empyema converſam. Sed Phthiſis illa debet eſſe confirmata, quoniam dicit in Phthiſi vexatis, quæ phraſis apud Hipp: ſemper ſignificat morbum aliquamdiu duraſſe. In tali Phthiſi confirmata ſi

ſputum

ſputum carbonibus infuſum gravem odorem ſpirat, ſcimus pulmones conſumi ulcere: hoc unum ſignum non ſufficit ad pronunciandum ſignum lethale, nam ſi reliqui humores manent ſani, non raro evadunt: propterea aliud ſignum adeſſe debebat, indicans circulatorios humores quoque infectos eſſe. Inter ea ſigna ab Auctore recenſetur Capillorum defluvium, quod in phthiſicis non oritur ex vitio cutis cranii, ſed ex corrupto humore totius corporis. Inde poſt morbos quoque graviores toties capilli defluunt e capite. Hoc autem ſignum ſolum non ſufficit ad lethalitatem pronunciandam, ſed ſi jungitur cum ſigno certo corrupti pulmonis, tunc utraque hæc juncta lethalitatem inferunt.

LIB. V. APH. XII.

205. *QUibus tabe laborantibus capilli de capite defluunt, hi alvi fluxu ſuperveniente, moriuntur.*

I.

IN præcedente Aph: lethale pronunciavit ſignum in Phthiſi vexatis ex ſputo & capillorum defluvio, ita ut talis tamen homo aliquamdiu vivere potuiſſet: nunc vero vult mortem magis inſtantem præſagire in phthiſicis ex Alvi fluxu ſuperveniente, id eſt non concitato aliquo medicamento, nam tunc non eſt ſignum latentis mali, verum malum inductum evacuatione ſola. Notavimus in præcedente, Capillorum defluvium in phthiſicis indicare, materiem corruptam diſperſam eſſe per totam maſſam, & ita corruptam eſſe materiem nutrititiam, atque exſtinctam naturalem humorum glutinoſitatem, ut exareſcentes capilli excidant. His nunc ſi ſuperveniat Alvi fluxus, moriuntur tales ægri brevi tempore. Quod fit vel ex deſignata cauſa, vel quia alvi fluxus tantum mali inducat, vel ab utriſque ſimul, quod crederem. Sponte ſi veniat Alvi fluxus in humo-

humorum defectu, ſemper eſt mali ominis, talis enim nunquam fit in tali caſu, niſi ex humorum colliquatione, ſeu nimia ſolutione morboſa, cum ſumma debilitate virium, qua humores non amplius in corpore contineri queunt: Diarrhœa autem in abundantia, ab irritata natura concitata, ſæpe multum levaminis adfert. Ergo ſolummodo demonſtrandum eſſet, in Phthiſi confirmata humorum eſſe defectum, quod puto tam clare conſtare, ut nullus dubitare poſſit; phthiſicorum enim corpora ita ſunt emaciata & humoribus privata, ut nullus ſit morbus, in quo ante mortem minor invenitur humiditas, quam in Tabidis. Ergo in his ſignum eſt ſummæ corruptionis, & eliquationis: verum tali in ſtatu aliquamdiu perſiſtere poſſet, ſi non accederet copioſa evacuatio, quæ quod reſtat brevi tempore tollit, uti eſt Diarrhœa. Hæc enim brevi tempore reſiduum in corpore humorem brevi tempore tollit, ſupprimit ſputa exſcreanda, corruptum purulentum ducit ad alvum, novum nutrimentum detrahit; propterea brevi tempore mortem inducit. Ex hac obſervatione ſatis conſtat, quam perverſe multi dant medicamenta purgantia in Phthiſicis, quum ipſa natura doceat, alvi evacuationem, ut ſignum & cauſam nocere: experti enim ſunt practici, a purgante dato ſupprimi ſputum, & ſi alvum reſeraveris, non eſſe in medici poteſtate eam iterum ſupprimere poſſe.

LIB. V. APH. XIII.

206. *Qui ſanguinem ſpumoſum exſpuunt, his ex pulmone talis rejectio fit.*

I.

Quid notet ſanguinem exſpuere.

NOn conſtat inter Commentatores, quale ſit id phænomenon, quod vocamus ſanguinem exſpuere, & propterea certum ſignum eſſe nequit alicujus latentis mali, vel partis læſæ: ſcopus enim auctoris noſtri eſt docere

docere per phænomenon ſanguinem provenire ex pulmonibus, ſi ergo non conſtat inter Commentatores, quale iſtud phænomenon ſit, incertus quoque manet locus. Poſſumus exſpuere ſanguinem confluentem ex tota membrana pituitaria in fauces; vel qui manat ex ipſis faucibus & oris cavitate; vel qui in ventriculum confluxit & vomitu redditur; vel denique qui ſtillat in tracheam arteriam & bronchia, atque dein tuſſiendo ſurſum elicitur, & ita exſpuitur. Ad ambiguitatem evitandam ſi diceretur pro Exſpuere, Extuſſire, quod quoque alii obſervarunt, firmior eſſet ſententia, & minus obſcura. Hippocratem in hoc loco intellexiſſe ſanguinis rejectionem tuſſiendo emiſſi, nullus dubito. Nam ſi exſcreatum vel vomitum intelligeret, talis tunc rejectio non ſignificaret, eum ſanguinem provenire ex pulmonibus: verum quidquid tuſſiendo ejicitur, ſive ſit ſanguis, ſive pus, ſive ſputum, id omne ex pulmonibus venit; quum vomitus ſit actio exonerans ventriculum, ſcreatus purgans fauces; ſed Tuſſis liberans pulmones ab inhærente humore.

II. Ut magis certum eſſet ſignum, rejectum ſanguinem venire ex pulmonibus, adjecit *Spumoſum*. Hoc quoque his temporibus invenitur verum, ſi quis tuſſiendo reddat ſanguinem ſpumoſum, ille ex pulmonibus ſanguinem rejicit. Quæ autem ſit ratio, admodum diſceptant: multi ſunt ſtatuentes, ebullientem ſanguinem proſilire, alii autem ipſum ſanguinem efferveſcere in pulmonum vaſis. Sed ſi conſulamus experimenta in animalibus viventibus, quæ demonſtrant, nihil ſpumoſi aërei contineri in ſanguine arteriæ & venæ pulmonalis, evincimur credere, ſpumam eam non eſſe in ſanguine vaſis ſuis contento, verum poſtea ſanguinem in pulmones & bronchia effuſum, ſpumoſum fieri. Quod autem ille ſanguis magis quam quivis alius ſpumeſcat, non deſunt rationes ſeu cauſæ. Pulmo enim eſt iſtud primarium in nobis organum, quod actione ſua conciliat ſanguini concreſcibilem naturam, quare tota maſſa ſanguinis, quæ tranſiit per pulmones, magis concreſcibilis eſt, quam quæ per venam cavam adducitur. Lien e contra videtur

Sanguis ſpumoſus cur ex pulmonibus?

hanc potentiam concreſcendi in ſanguine exſtinguere, ne tardo illo motu in vena portarum concreſceret, & quia forſan talis natura ſanguinis requiritur, ut aptus ſit ad bilis ſecretionem. Illa major tenacitas in ſanguine pulmonis facit etiam, ut ſi bulla aëris in eo recepta ſit, non tam facile ſeparari poſſit, quemadmodum invenimus puram aquam conquaſſatam vix per momentum continere bullulas aëris, ſed ſi ſapo aut glutinoſum aquæ adjunctum ſit, bullulæ diutiſſime remanent. Hoc etiam in urina ægrotantium obſervatur verum, quo plus ſaponacei vel glutinoſi, eo diutius conſervat ex conquaſſatione factas bullulas. Altera quæ accedit cauſa majoris eſt momenti, nempe continuus introitus & exitus aëris ſingulis reſpirationibus, qua actione aër trajectus toties per exſtillantem ſanguinem, totam illam ſanguinis maſſam in ſpumam fere convertit. Quoniam hæ binæ cauſæ ita coöperantes non inveniuntur ita alibi agere, ubi exſtillat ſanguis, talis ſpumans ſanguis poteſt eſſe certiſſimum criterium, eum ex pulmonibus venire. Hoc egregium eſt ad prædictionem formandam ex ſanguinis ſputo, qui ex faucibus profluit, quum amplitudo faucium non faciat ita fieri ſanguinem ſpumoſum, & quoniam ille ſanguis non venit ex arteria vel vena pulmonali, ſed ex vena cava vel arteria aörta, ut alibi in corpore.

LIB. V. APH. XIV.

7. A *Tabe detento alvi profluvium ſuperveniens, lethale.*

I.

QUi putant, Hippocratem conſcripſiſſe ex rationibus Aphoriſmos, a veritate longe recedunt, nam quæ in Aphoriſmis traduntur, ſunt obſervationes practicæ, quæ ab Hippocrate ipſo, vel ab ejus anteceſſoribus fuere detectæ,

detectæ. Inde vix alicubi adjicit, quanam ex ratione hoc vel iſtud contigit ; ſed ſimpliciter ponit hoc vel iſtud exſpectandum eſſe, quoniam obſervavit tale quid conſtanter vel ſæpe fuiſſe ſubſecutum. Hoc etiam verum eſt in Tabidis, ſi veniat alvi fluxus; obſervavit enim Auctor nunquam ab alvi fluxu levamen allatum fuiſſe, ſed ægrum magis aggravari, debilitari & ſputum ſupprimi, propterea in præſente ſtatu, ſi oboritur alvi fluxus, tale quid facile præſagire potuit, ut ex floribus conſpectis præſagiuntur fructus: ſi talis fluxus alvi veniat in Phthiſi, dum capilli de capite defluunt, mortem inſtare ſignificabat (*Aph.* 205) verum in quavis ſpecie Tabis & ſine prægreſſo capillorum defluvio, lethale eſt ſignum, quoniam ut ſignum notat humores colliqueſcere, & non obſervamus in praxi, morbos pectoris per alvum facere criſim ſalubrem; & ut cauſa quoque nocet alvi fluxus, quoniam ejicit nutritium, & derivat purulentum aut ichoroſum ex pectore ad alvum, atque ita ſupprimit ſputi ejectionem, quod admodum malum eſt in phthiſicis. Ex hac obſervatione ut ex præcedente (*Aph.* 205) certe conſtat, quam male multi agunt, qui non dubitant phthiſicis dare medicamenta purgantia.

LIB. V. APH. XV.

208. *Qui ex pleuritide ſuppurati fiunt, ſi intra quadraginta dies, ex quo ruptio fuerit facta, repurgentur ſuperne, liberantur: ſi vero minus, ad tabem tranſeunt.*

I.

Quid ſit Pleuritis (*Aph.* 109, IV.), ejus mutationes (*Aph.* 201, I) & exitus in Empyema (*Aph.* 201, III) explicata ſunt, ergo in hoc loco videndum eſt, quando debemus ex tali nato Empyemate exſpectare ſani-

tatem, vel commutationem in Phthiſin. Tempus determinat Auctor intra quadraginta dies, & ſolutionem petit ex ſputi rejectione.

Empyema ex pleuritide intra quod tempus expurgari debet?

II. Intra quatuordecim dies ſolet Pleuritis inflammatoria commutari in ſuppurationem, ſed propterea ſtatim non generatur Empyema ſeu puris collectio in cavo pectoris, quum ſæpe pus colligatur in tunica celluloſa pleuræ, ubi quandoque diu hæret, antequam rupto illo ſacco pus funditur in cavum pectoris: quamdiu pus in eo ſacco hæret, ſupputatio non eſt facienda expurgationis, ſed tunc demum, ſi pus in pectoris cavitate colligitur. Quoniam Hipp: dicit *intra quadraginta dies, ex quo ruptio fuerit facta*, plane conſtat, numerationem eorum dierum non debere inchoari a principio pleuritidis, vel a die decimo quarto, ſed a tempore eo, in quo abſceſſus ille ruptus effudit pus. Si ergo non formetur abſceſſus in ſacco pleuræ, dies numerari poſſunt a die decimo quarto, ſed ſi ſaccus formatus fuit, tam diu eſt exſpectandum, donec ruptus fuerit ille abſceſſus. Hæ ruptiones non fiunt ſemper eodem temporis termino, quædam citius, quædam ſerius. *Siquidem dolor in principiis fiat, & ſpirandi difficultas, & tuſſis, & ſputatio perſeverans, ad vigeſimum diem pertingat, eruptionem tunc exſpectare oportet, aut etiam prius. Si vero quietior fuerit dolor, & alia omnia pro hujus ratione, eruptio poſterius exſpectanda eſt. Neceſſe vero eſt accedere & dolorem, & ſpirandi difficultatem, & ſputationem, ante puris eruptionem: Hipp: a.* 461 *&* 462. Ut hoc tempus, a quo initium dierum eſt ſupputandum, juniori medico conſtet, paulo planius tradenda ſunt ſigna. Siquidem ex ſignis conſtet, ægrum laboraſſe pleuritide inflammatoria, eam pleuritidem duraſſe ultra quatuordecim dies ſine reſolutione & ſine puris evacuatione per ſputum vel urinam, dum tamen ex ceteris ſignis conſtet, pleuritidem abiiſſe in purulentiam, tunc judicandum eſt, pleuritidem formaſſe abſceſſum in ſacco dilatato pleuræ, nam ſi pus fuiſſet effuſum ſtatim in cava pectoris, aliquid redderetur per ſputum. Ille ſaccus ſenſim fiet major, unde febris ſuppuratoria fit cum reſpirationis difficultate & tuſſi inani,

inani, quia pus in hoc ſacco contentum evacuari nequit per ſputum: ſic ſenſim pergit morbus, donec ſaccus ille rumpatur & pus effundatur in cavum pectoris. Facta hac ruptione æger judicabit ſe liberatum eſſe a morbo, liberius enim reſpirabit, minus tuſſiet & dolebit, nam pus in cavum pectoris effuſum minus premit pulmones, & pleura rupta minus tenſa lenimen doloris faciet. Ab hoc tempore numerandi ſunt dies Empyematis, quod initium temporis non habetur eodem tempore ab invaſione pleuritidis in omnibus hominibus. In robuſtis enim fit citior ruptio, ut & in validiore inflammatione, at in debilioribus, ſenioribus ægris & mitiori morbo, ſerius rumpitur ille abſceſſus. Poſt ruptionem hanc obſervavit Hipp: ſi æger non expurgetur ſuperne, id eſt per ſputi rejectionem, intra quadraginta dies, incidet in Tabem. Quando iſtud pus ita in cavum pectoris effuſum eſt, propterea non ſemper ſequitur Tabes, nam ſi pus iſtud rejicitur per ſputum intra quadraginta dies ab dicta ruptione, ægri hi non incidunt in Tabem, ſed liberantur ab Empyemate.

III. Quam maxime diſputant phyſiologi, num pus ex pectoris cavo ingredi poſſit pulmones, ut reddatur per ſputum, & urinam. Practici autem hanc viam admittunt, etiamſi contendunt phyſiologi tales non inveniri vias, pus nimis craſſum eſſe, quam ut poſſet intrare, quum inveniant in ægris, ut quoque in hoc loco notavit Auctor, pus fuiſſe evacuatum ex pectoris cavo, & per ſputum, & per urinam. Vidi ego etiam in quodam viro, cujus pectus ita plenum erat pure poſt pleuritidem, ut meditaremur paracenteſin, quod omne iſtud pus fuerit evacuatum per ſputum & urinam, & homo perfecte curatus: ſive ergo dicant phyſiologi, nullas eſſe vias, ſive vias concedant, obſervationes autem hæ frequentes probant, pus evacuari poſſe. Si vero ſedulo perpendimus, quæ fiunt in viventibus, injecto acri humore in cavum pectoris, qui tuſſire facit, liquorem etiam injectum evaneſcere; inflatos pulmones tranſmittere aërem, & multa alia experimenta comparamus huic

Quomodo Empyema curari poſſit per ſputum.

obſervationi practicæ, admittere debemus non unicam ſed binas vias pro exitu puris ex pectoris cavo, nempe in veſiculas pulmonales aërem etiam tranſmittentes in pulmonibus inflatis, atque in vaſa venoſa abſorbentia, quæ receptum pus, miſcent ſanguini. Per primam viam, quæ facillima eſt, fit puris receptio ex cavo pectoris & rejectio per os, ſed per alteram viam potius ſuppeditatur iſtud pus, quod cum urina redditur. Inde fieri poteſt, ut pus ex cavo pectoris omne reddatur per os, vel per renes; ſed quoniam via in veſiculas pulmonales eſt patentior, quum tranſmittat aërem, per ſputum facilius quam per urinam reddi poteſt pus.

Cur tabes, ſi Empyema non repurgatur intra quadraginta dies?

IV. Quum vero Pus collectum hæreat in pectore, & non rejiciatur ſuperne, vel via eſt clauſa, vel pus eſt tenacius, vel deficit actio, quæ abſorptionem facit. Igitur Pus hic manens ſimilem ſubit mutationem, qualem obſervamus in abſceſſu purulento, ſcilicet ſtagnando corrumpitur. Hoc Pus corruptum ſemper hærens ad pulmonis ſuperficiem, ejus externam membranam corrodit & ita pulmones exulcerat, in principio leviter, ſenſim vero profundius, ita ut poſt quadraginta dies ſic habeatur exulceratus pulmo, qui ſanationem reſpuit, atque inducit Phthiſin pulmonalem. Si quis rogat, cur poſt quadraginta tandem dies hoc fiat & non prius? illa nimis aſtuta eſt interrogatio eo ſcopo excogitata, ut quidquid certi habeatur in Praxi reddatur ridiculum, nam invaluit opinio, quod qui non poteſt reddere rationem alicujus rei, illa res cenſetur incerta aut nullius momenti: quum igitur nihil certi de termino hoc temporis poſſit proferri, quibuſdam videtur, hoc tempus ex mente Hippocratis fuiſſe excogitatum. Verum ego omnino aliter ſentio, nempe Hippocratem uti & nos & alios practicos obſervaſſe, pus in cavo pectoris effuſum ſi maneat ultra quadraginta dies, produxiſſe Tabem, ſed ſi ante iſtud tempus reddatur per ſputum, raro intuliſſe Tabem. Hæc conſtans obſervatio non eſt opus ratione probetur, & qui hoc temporis ſtadium ratione conantur probare, inanem impendunt operam, nam ſi quis vellet ex natura examinata

minata radicis bulboſæ plantarum definire florendi tempus, ridiculam navaret operam, quoniam tempora hæc ſolis obſervationibus ſunt detecta.

LIB. V. APH. xvi.

209. *Calidum, eo frequenter utentibus, has affert noxas; carnis effœminationem, nervorum impotentiam, mentis torporem, ſanguinis eruptionem, animi deliquium: hæc, quibus mors.*

I.

Calidum quid notet.

ANtequam per experimenta fuit inveſtigatum in corporibus quid ſit Calidum, admodum diſputarunt Medici & Phyſici, ut ſatis conſtare poteſt ex Veteribus, qui de Calido innato integros libros conſcripſerunt: poſtquam vero Phyſici experimentis rimati fuere naturam Caloris, detexerunt eſſe aliquam corporis proprietatem, quæ adeſſe & abeſſe poteſt, augeri & minui in corporibus, cujus præſentia detegitur thermometro & ſenſibus noſtris. Thermometrum expanſione ſua tamen multo perfectius quantitatem caloris demonſtrat, quam poſſit ſenſibus noſtris inveniri: an vero pari gradu augmentum caloris faciat expanſionem corporum, quam detegimus thermometro, adhuc inquirunt: neque ſatis conſtat, an augeatur Calor collectis particulis igneis, vel quovis alio modo. Nobis in hoc Aphoriſmo ſufficit ſcire Thermon, ſeu Calidum eam in corporibus vocari qualitatem, quæ facit elevationem thermometri & in nobis concitat talem ſenſum, quem Calorem appellare ſolemus.

Quæ ſpecies Calidi intelligatur.

II. Talis Calor in nobis generatur duobus modis, nempe ſponte, ſine cauſa externa, quæ aliis in corporibus concitaret Calorem majorem, vel ab extenre applicatis. Quia vero agit de iſtis Calidis, quibus uti poſſumus, ſatis patet, Hippocratem petere

petere indicia ex iis rebus calefacientibus, quæ ſunt extra corpus noſtrum, in quibus frequentior & rarior conceditur uſus. Si has res Calefacientes examinamus, inveniemus quoddam corpus non ſolum noſtrum vivens, ſed etiam alia corpora mortua calefacere, quæ res continent Calorem Actualem, qui ambientibus communicari poteſt. Aliæ autem res corpori viventi ingeſtæ vel applicatæ augebunt quidem iſtius corporis calorem, ſed corpora mortua non calefaciunt. Talia ingeſta vel applicata dicuntur Calefacientia vel Calida Potentialia. Hæc per ſe non calefaciunt, at applicata vel ingeſta eam cauſam magis inſtigant in viventibus, quæ calorem naturalem corporis viventis producit, id eſt motum vitalem. Præter duo hæc inveniuntur quoque alia, quæ fermentando, putreſcendo, efferveſcendo Calorem generant: ſed quoniam noſtri humores ſani has operationes non ſubeunt, inde per Calidum in hoc loco intelligendum Calidum Actuale & Potentiale.

Calidi frequentior uſus quales noxas affert?

III. Calor actualis corpori noſtro variis modis applicatur. Ita eſt Aër calidus, ſive per ſolem, ignem, vel vaporem exhalantem corpori applicatur; vel aqua calida in modum vaporis, balnei, cataplaſmatis, aut fomenti applicata; vel corpora ſicca calentia adhibentur, ut vel pars quædam corporis vel totum noſtrum corpus concaleſcat. Hi modi diverſi varios quoque ſortiuntur effectus, & ſunt Medicis in frequentiſſimo uſu ad multos curandos morbos: ne autem quis judicet, horum omnium uſum frequentiorem non poſſe inferre noxas, Auctor quaſdam noxas recitat, quæ ex tali abuſu proveniunt, nullo habito reſpectu ad humiditatem vel ſiccitatem adjunctam; nam ſi hæc ſimul adſunt, compoſiti etiam effectus proveniunt. Idem etiam ſentiendum de Calefacientibus ſpirituoſis & aromaticis. Quare in hoc loco non omnes noxæ Calidi & Calefacientis recenſentur, ſed quædam, quæ ex ſimplici calore majore frequenter adhibito proveniunt. Frequentior uſus hic proponitur, quia ſi ſemel aut bis vel raro aliquis uteretur iſtis, non deberet exſpectare recenſenda mala.

IV. Car

IV. Carnis effœminatio notat talem ſtatum in partibus mollioribus ſeu fibris carneis noſtri corporis, in quo ſentitur ad attactum major mollitudo, & detegitur minor contractilitas, quam in hominibus ſanis eſſe debet, qualis ſtatus morboſus in fibris hodie vocaretur Atonia vel Laxitas, & quoniam in fœminarum carne talis diſpoſitio magis invenitur, quam in corporibus virorum, inde ille ſtatus ſeu diſpoſitio corporis non inepte vocatur Effœminatio. Actu Calida talem inferre Laxitatem, expoſuimus in *Comp: noſtro* T. 6. atque experimentis quotidianis comprobari poteſt, modo calor tantus non concilietur, qui comburere poteſt. Quod autem Potentia Calida uti Spirituoſa carnis effœminationem inferant, paradoxum videtur, quia hæc ſtimulando videntur roborare & firmare ſolida: ſed ſi intuemur corpora potatorum, veritas obſervationis noſtri Auctoris abunde conſtat, talia enim bene pota corpora laxa, enervata, frigida, tumida & tremula inveniuntur, & tam debilia, ut ſine ſtimulo illo vix valeant ſe movere. Cavendum omnino, ne quæramus auxilia noſtra ad firmandas vires in frequentiori ſpirituoſorum potu, nam ſi ſtimulus ſpirituoſorum evanuerit, corpus iſtud magis effœminatum erit, quam ante horum uſum. Neque balneum, fomentum, cataplaſma actuali calore omni noxa carent; ſæpe enim obſervavi in praxi, horum frequentiori uſu membra amiſiſſe potentiam movendi; & qui ſemper bibunt aquam calidam magna copia, ut hodie moris eſt, in tantam ventriculi atoniam incidunt, ut vix valeant digerere alimenta, atque pedes & reliquum corpus tumeant propter effœminationem tumore oedematoſo & aquoſo frigido.

Producit Carnis effœminationem.

V. Duplex in fibris valet actio, una fit ex contractilitate, quæ debilitatur, uti in præcedente. §. monuimus; altera fit ex motu vel animali vel vitali, vel particulari, quæ in ſolis viventibus obſervatur. Hæc actio a Veteribus tribuitur nervis, unde nervorum Impotentia hodie deſignat debiliorem actionem moventem in fibris muſcularibus cujuſcunque motus recenſiti. Calidorum frequentiorem uſum omnem illum motum debilitare, nunc demonſtrandum eſt.

Nervorum Impotentiam.

Actu calida ſtatim minuunt contractilitatem, & in majorem fluorem redigunt humores: inde potentia accurtandi ex voluntate & actione vitæ debilior, quia ad motum illum requiritur non ſolum ſpirituum influxus, verum etiam debita contractilitas in fibris, qua minuta, idem ſpirituum influxus minus validum motum inducere poteſt: ſi ergo talis cauſa fiat frequens, totus fere tonus fibrarum exſtinguitur, ſpiritus debiliori actione vitæ minus præparantur, & propter fluiditatem humorum, & largiorem exhalationem, magis minuuntur, unde ſpiritus minus puri, & pauciores ſimul, faciunt Nervorum impotentiam. In tali Nervorum impotentia calore frequentiore & nimio inducta, obſervavi, frigore, ſeu potius aura frigidiuſcula, & potu egelido vires recuperatas fuiſſe, imo aſperſione aquæ frigidæ homo leipothymia oppreſſus ad ſe rediit. Cavendum autem in his, ne nimis ſubito & magnum frigus admittatur. Potentiâ Calida nervorum impotentiam producere, abunde probatum invenimus in ſpirituoſorum amatoribus, hi enim, niſi vaſa ſpiritu fermentata fuerint impleta, tremunt, horrent, frigent, & toto corpore languent; tandem vero frequentiore ſpirituoſorum uſu, pareſi, imo apoplexia ex virium defectu moriuntur. Si quis talem Nervorum impotentiam curare aggreditur, quærens auxilium in ſpirituoſo ſtimulo, infidelem præſtabit curationem, dum inveniet virium augmentum, quod evaneſcet cum exhalante ſpiritu fermentato, relinquens majorem debilitatem, ſi omittat ſpirituoſa, corpus ſtimulo ita aſſuetum omnino languet: Quare ad curationem fidelem nihil aliud valet, quam ſenſim minuere ſpirituoſi ingeſti quantitatem.

Mentis corporem.

VI. Acumen ingenii ſenſim fieri hebetius ſeu torpidius frequentiore uſu calidorum & calefacientium, ut olim obſervavit Auctor noſter, ita etiam his temporibus comperimur, magis autem abuſu ſpirituoſorum, quam actu calidorum, ita ut quidam ſpirituoſorum abuſu deperditi, omnino ſtolidi fiant, omni fere judicio privati: ita enim ſpiritus noſtri corporis frequentiore uſu a naturali craſi degenerant, ut mentis actionibus peragendis fiant inepti: horum multa, tam

tam in viris quam in fœminis, non deſunt exempla, qui per reliquam vitam quaſi ſemper ebrii, mentis torpore correpti, manſerunt.

Sanguinis eruptiones.

VII. Non eſt opus ut actu vel potentiâ Calida in frequentiore uſu adhibeantut, ſæpe etiam prima vice hæmorrhagiam inferre poſſunt: actu enim calida ſolvendo ſanguinem, & laxando ſolida faciliorem vaſculorum ruptionem & oſculorum dilatationem permittunt; & ſanguis tenuitate acquiſita, facilius exit. Potentia calida quoniam ſtimulando faciunt, ut ſanguis ruat majori impetu in latera arteriaram, & earum oſcula, ſæpe minima vaſcula diſrumpit vel dilatat, ut ita exeat retinendus ſanguis. Quod ſi frequentiore horum uſu vaſcula ſunt laxiora facta, & ſanguis tenuior, eo facilior fiet iſta ſanguinis evacuatio. Inde juvenes, qui ſpirituoſis abutuntur vel delectantur aromaticis, aliiſve calefacientibus, toties incidunt in narium hæmorrhagiam & hæmoptyſin. Inde etiam æſtate & aliis locis calidioribus frequentior hæmorrhagia, quam hyeme & regionibus frigidis.

Animi deliquia.

VIII. Quid ſit Leipothymia, ejuſque cauſa, ſupra (*Aph.* 66.) expoſuimus, ex quibus colligi poteſt, a calidorum frequentiore uſu, quo exhauriuntur ſpiritus, & partes firmæ laxantur, facile fieri poſſe animi deliquium, quod toties fit, ac ſpiritus non amplius fluunt ab encephalo ad organa motoria. Si ab uſu Calidorum tantus ſit defectus ſpirituum natus, ut inde fiat vel Leipothymia, vel ſyncope, verendum eſt, ne ſubſiſtens maneat ille motus, & homo tandem ex improviſo moriatur.

Hæc, quibus mors.

IX. Late diſputant, qualis ſit lectio & ſenſus hujus partis ultimæ, quia etiam Galeni tempore varia habebatur lectio, ut *His mors ſuccedit. Ad quæ mors. Hæc quibus mors. Hæc ad mortem ferunt.* Qualis autem lectio ſit ſervanda & ſequenda, relinquo Criticis, & iis, qui verba ſectantur rem intactam relinquentes. Quod ſi aliquis ſenſus ſit obſcurus, vel lectio varia, id nullam mutationem ſcientiæ medicæ inducit. Quod ſi ſcientia noſtra nitebatur auctoritate Hippocratis, ſevero examine illa loca eſſent perſpicienda &

cum aliis conferenda. Sed quoniam medicina nititur experimentis, non vero auctoritate, ſi occurrit ſenſus obſcurus vel lectio varia, recurrendum eſt ad experientiam. Hanc ſi conſulimus, facile erit hanc ultimam partem explicare. Hujus aphoriſmi ſcopus eſt demonſtrare, calidorum frequentiorem uſum multas noxas inferre poſſe, & inde quaſdam noxas recitat, plures annumerare potuiſſet: dein dicit, *Hæc quibus mors*, vel utitur reliquis lectionibus, quæ omnes notant, poſt noxas has non raro homines mori. Quod experientia confirmatur; nam ſi frequentior Calidorum uſus tantum defectum virium potuit inducere, qualis cognoſcitur in recenſitis morbis, illa cauſa ulterius continuata mortem inferet. Quare ſententia non eſt iſtas noxas inferre mortem, ſed mortem tandem fieri per continuatam illam cauſam. Et inde recenſita mala non ſunt flocci pendenda, ſed protinus minuendus eſt Calidorum & Calefacientium frequentior uſus, & ſenſim tranſeundum ad Diætam magis frigidam & refrigerantem, nam ſi ſubito talis induceretur mutatio, citius fieret mors, ut experiuntur ſpirituoſorum amantes, ſi ex aliquo morbo coguntur mutare vitæ genus.

LIB. V. APH. XVII.

210. *Rigidum autem convulſiones, tetanos, nigrores, & rigores febriles.*

I.

Frigidum quid ſit & quæ mala facit.

UT duo ſunt genera Calidi actu & potentia, totidem etiam ſunt genera frigidi, quæ dicuntur frigida & frigefacientia. Summus autem gradus frigoris vocatur gelu, ut major gradus caloris urit: propterea in hoc loco non inquirendum, quid faciat Gelu, ſed gradus gelu proximus quid faciat. Calor & frigus comparative ſumuntur

tur ad eum caloris gradum, qui temperatus poteſt dici ad corpus noſtrum. Ab eo gradu uſque ad gelu videndum eſt, quas noxas infert frigus. In genere monendum, quo frigoris gradus propius accedat, eo magis illa mala ſunt exſpectanda. Contrarias cauſas non ſemper contrarios effectus producere, ex allegandis morbis conſtare poteſt, nam tunc deberet frigus corpus roborare, nervos firmare, mentem acuere &c: verum a frigore æque quam a calore producuntur morbi. Inde conſtat in hoc Aph: intelligi frigus majus, quam quod poteſt a corpore ſano tolerari ſine damno. Iſte autem frigoris gradus non omnibus hominibus illa damna inferet, ſed quibuſdam: experimur enim in his locis ſeptentrionalibus, corpora noſtra ab acri & urente gelu roborari, & inveniuntur homines ita robuſti & frigori aſſueti, ut ab intenſiſſimo frigore non afficiantur: alii vero a leviori frigoris gradu in multos morbos incidunt; quod inde eſt deducendum, quod cujus corporis actio vitæ eſt debilis, talis homo a frigore majore amittit vel totum illum motum vitalem, in nobis naturalis caloris cauſam, vel tantum minuitur, ut partes firmæ priventur ſuo motu, & humores ſubſiſtant, & ita concreſcant. An vero in hoc Aph: ſint intelligenda Refrigerantia, uti in præcedente Calefacientia, ambigo, quum Refrigerantia non operantur per oppoſitam cauſam, quæ in Calefacientibus eſt aſſignata. Stimulus enim erat cauſa, ejus oppoſitum non habemus, & ſtimuli ablatio non eſt frigiditatis cauſa in corpore ſano, quod non eget ſtimulo, ut exerceat ſuum motum: ſed ſi calor major ex ſtimulo fuit ſuſcitatus, ſtimuli ablatio refrigerat, id eſt redigit nimium calorem in naturalem teporem. Inveniuntur autem Refrigerantia, quæ aſſumta vel applicata naturalem calorem minuunt; illa autem recenſita damna non inferunt. Propterea in hoc loco accipienda ſunt frigida actualia; an vero humida vel ſicca ſint accipienda, longe diſputant Commentatores, ſed quoniam Auctor noſter nullam hujus faciat mentionem, duntaxat videbimus, quid faciat frigus actuale in partes firmas, humores & actiones, ex quibus generalibus recitati morbi facile deduci poſſunt.

A frigido ſpaſmus & tetanos.

II. Quod ſupra monuimus (*Aph.* 167) Spaſmum & Tetanum diverſum eſſe morbum, ex hoc Aphoriſmo ſatis conſtare poteſt, numerat enim Auctor noſter morbos ex frigido naſcendos; incongruum equidem foret in hoc loco duo proferre nomina eandem rem ſignificantia: igitur per Spaſmum in hoc loco intelligimus alternam violentam contra voluntatem, muſculorum conſtrictionem per totum fere corpus: ſed per Tetanum conſtrictionem conſtantem, ut muſculus interim ſe non dimittat. Quomodo vero hi duo morbi a frigore inducantur, allucinantur multi. Tales tamen fieri motus involuntarios, tam in motu animali, quam vitali & particulari, per frigus applicatum, aliquoties experimur: ita hauſtu gelidæ aquæ homines fuere ſuffocati contractis fibris reſpirationi ſervientibus: applicato frigido ad pedes, ventrem, vel alias partes colicus dolor ex conſtrictis fibris inteſtinorum vel & meſenterii inductus fuit: qui vel inſtrumento vel liquore frigido tangit in ulcere vel fiſtula nervum nudum, æger utplurimum in motu animali convelletur. Ergo experimentis ſatis conſtat, frigido applicato vel ingeſto generari ſæpe Spaſmum & Tetanum. Hoc quidem ſufficeret ad cognitionem practicam, nos propterea non imprudenter debere ingerere vel applicare frigida. Sed quando ad originem uſque adſcendere poſſumus, non ſolum major accedet fides, ſed etiam egregium ornamentum ſcientiæ. Quænam ſit mea ſententia, paucis expoſituri ſumus. Conſtat, omnem motum in nobis fieri influxu ſpirituum, & omnem cauſam morboſam propellentem hos ſpiritus, producere vel Spaſmum vel Tetanum. (Conf. *Aph.* 126, III, 194, II, 195, I.) prout conſtantem vel interruptam propulſionem faciant. Igitur in hoc loco adſtruendum, offendens frigus talem propulſionem facere poſſe. Obſervavimus, fibras molles noſtri corporis a frigore accurtari, atque experimur, excedens frigus applicatum inſtar ſtimuli agere: ſi ergo frigus applicatum ad nervi capſulam ratione contractilitatis vel ratione ſtimuli faciat, ut nervi capſula contracta urgeat contentos canaliculos ſpiritibus plenos, hi ſpiritus tanto impetu propulſi ad partem aliquam

aliquam, faciunt, ut muſculi iſtius partis vel ſpaſmo, vel tetano corripiantur, & quoniam nervorum capſulæ ſunt continuæ, totum corpus conſentiens convellitur.

III. Poſtquam experimentis detectum fuit, ſanguinem rubrum in quadam parte collectum nigrum præbere colorem, nullum amplius myſterium eſt quærendum, ut multi ex veteribus, cur frigus inferat nigrores. Frigus enim exſtinguens in vaſculis minimis motum circulatorium, dum tamen arteria major adducit ſanguinem, facit, ut tali in parte motu privata accumuletur ſanguis: & idem frigus coagulando ſanguinem facit, ut ille collectus ſanguis in thrombum concreſcat. Ergo ſanguis ruber collectus & ita coagulatus præprimis in parte, quæ tangitur a frigore, illos nigrores inducit. Nigrores.

IV. Quid ſint Rigores, antea (*Aph.* 156, 1) definivimus, eorumque differentiam ad conſimiles morbos expoſuimus; quibus ſatis patet, Tetanum & Rigorem non eundem eſſe morbum. Quomodo autem Horrores febriles, id eſt tales horrores, quales in febribus obſervantur, a frigido applicato vel ingeſto concitentur, paucis videndum. Dum frigus applicatur parti nervoſæ, illa ratione noxii ſtimuli ſe inordinate movere incipit, quæ eſt lex particularis corporibus viventibus, nam in corporibus mortuis non obſervatur; ille motus inordinatus a nobis perceptus & obſervatus vocatur Rigor, cujus multas cauſas expoſuimus. (*Aph.* 156, II.) Rigores febriles.

LIB. V. APH. XVIII.

211. F *Rigidum inimicum oſſibus, dentibus, nervis, cerebro, ſpinali medullæ: calidum vero utile.*

I.

ETiamſi regulariter idem morbus diverſis in partibus corporis, idem videatur exigere curationis & medicamenti genus, quum generetur ex eadem cauſa, conſtat Curatio variat pro parte varia.

conſtat tamen in praxi, nos ſæpe debere mutare curationis indicationem & medicamentum pro parte affecta, quod Medico & Chirurgo magnam difficultatem parit: qui enim novit, quid ſit agendum in hoc vel illo morbo, decipietur interdum, ſi ille morbus ſpecialem partem aggreditur: itidem qui cognoſcit medelam alicui parti propriam, ſummopere peccaret, ſi omnes morbos iſtius partis eodem modo curare vellet. Exemplum aliquod in hoc Aphoriſmo proponit Auctor, demonſtrans quædam generalia curationis, ut eſt Frigidum & Calidum prodeſſe & nocere poſſe pro diverſitate partis. Inimicum πολέμιον hic ſignificat adverſum, noxium, hoſtile, infeſtum. Utile ὠφέλιμον notat adjumentum, emolumentum adferens, commodum, amicum, profuturum. Igitur differentia hæc non eſt quærenda in re applicata, ſed in natura partis. Hipp: in hoc loco noluit omnes partes noſtri corporis recenſere, in quibus hæc differentia obſervatur, nam multo plures hujuſmodi partes inveniuntur, ſed quaſdam, ut moneat, nos non ſolum in applicatione attendere debere ad morbum, verum etiam ad partem variam.

Frigidum noxium oſſibus, dentibus, nervis, cerebro, ſpinali medullæ.

II. Detegimus in noſtro corpore vivente aliquam actionem, quæ a nobis vocatur motus vitalis, de quo integram Exercitationem conſcripſimus, quæ actio noſtri corporis viventis eſt naturalis caloris cauſa, ita ut cum validiore hoc motu etiam intendatur calor, & cum motu minuto corpus refrigeretur: ille calor ſanguini transfluenti communicatus, etiam aliquomodo tranſfert illum calorem ad partem aliam, uti fit in tranſlatione caloris actualis. Nam ſi aqua calida duceretur per vaſa alicujus partis, ea pars concaleſceret: quare Veteres exiſtimarunt, corporis viventis calorem pendere ab influxu ſanguinis calidi, quaſi ſanguis in ſe faceret & foveret cauſam calefacientem. Nos vero, quod alibi latius diſputavimus (*Comp.* T. XLIX.) poſuimus calefacientem cauſam in partibus firmis, motu vitali ſe invicem terentibus, qua actione vitali transfluens ſanguis calorem concipit, quem calorem deinceps aliis partibus minori motu vitali donatis, vel frigori externo magis expoſitis

ſitis communicat. Omnibus autem in partibus non eſt æque valens ille motus vitalis calefaciens, validiſſimus mihi videtur in pulmonibus, hi quoniam per totam ſubſtantiam in ſingula reſpiratione perfunduntur aëre frigido, tamen manent calidi. Aliæ autem partes, quæ paucas arterias habent, & per quas parum ſanguinis calefacti fluit, minus calent, quum cauſa calefaciens ſit motus vitalis, non vero particularis, qui requiritur ad ſpecialem confectionem vel ſecretionem humorum. Si igitur his diverſis partibus majore & minore motu vitali calefaciente præditis frigus applicatur, facile erit in parte debiliori motu vitali donata, totum exſtinguere motum. Solummodo itaque demonſtrandum eſt, recenſitas partes, Oſſa, Dentes, Nervos, id eſt Ligamenta, membranas, omneſque partes albicantes, Cerebrum & ſpinalem medullam, exiguum habere motum vitalem, & parum ſanguinis calefacti tranſmittere. Hoc unicuique conſtat, quoniam iſtis in partibus vix conſpiciantur arteriæ cruentæ motu vitali donatæ: illud autem conjicimus ex actione particulari tali in parte, quæ non eſt ſimul cauſa calefaciens, ut eſt actio vitalis. Igitur pro regula generali, loco recenſionis partium accipi poteſt, omnibus partibus, quibus eſt debilis motus vitalis, & parvus tranſfluxus ſanguinis, frigidum applicatum eſt infeſtum. Inde quoque hoc bonum habemus, quod in hominibus diverſis frigidum etiam infeſtum eſſe poſſit, dum vero aliis ſit utile, nempe hominibus, quibus motus vitalis eſt debilior, quum frigidum ſiſtens motum vitalem in tali corpore debili, totam vitam facile exſtinguit.

III. Hippocratem hoc in loco non intelligere exceſſum Caloris, facile ex antecedentibus (*Aph.* 209) colligi poteſt; neque hic accipiendum Calefaciens nomine Calidi, ſed ſolummodo actu Calidum. De eo dicit utile eſſe recenſitis partibus, quibus infeſtum erat frigus, & hoc ex eodem principio: nam quibus in partibus, & quibus in hominibus debilior eſt actio vitæ, conveniens eſt, ut per actualem calorem conſervemus fluorem in humoribus, & ita nullum imponimus impedimentum motui vitali. Ex qua obſerva-

Calidum quibus partibus utile?

tione generali hoc commodum habemus in imperanda diæta, & facienda curatione, ne omnibus partibus, omnibuſque hominibus æque frigida & calida adhibeamus, ſed ſemper perpendeamus vires vitæ tali in homine & parte.

LIB. V. APH. XIX.

212. *QUæ perfrigerata ſunt, excalefacere oportet, præter ea, quæ ſanguinem profundunt, aut ſunt profuſura.*

I.

Refrigerata excalefacere oportet.

CONtraria contrariis mederi, generalis eſt regula, quæ ergo ſuggerit, nos debere partem refrigeratam calefacere: ne tamen aliquis judicaret hanc regulam tam univerſalem, ut non pateretur exceptionem, hunc conſcripſit aphoriſmum experientia confirmatum, hanc nempe curationem omittendam eſſe, ſi pars illa ſanguinem fundit vel profuſura eſt. Antequam dare poſſumus rationem hujus cautelæ, præmonendum erit, quali modo calefacere oportet partem refrigeratam. Pars aliqua corporis hominis viventis refrigeratur vel defectu motus vitalis vel applicato actuali frigore. In utroque caſu tardius tranſit ſanguis ceterique humores per ſua vaſa, & ipſi ſunt ſimul refrigerati. Humores autem noſtri corporis ſtagnantes concreſcunt, & eo magis ſi ſint frigidiores, quum frigus concreſcendi potentiam augeat. In parte igitur refrigerata humores vel ſunt concreti, vel ad minimum ſpiſſiores & ita inepti ad fluendum per ſua vaſa determinata. Si quis in tali diſpoſito ſanguine partem ſubito calefaciat vel per actualem vel potentialem calorem, quo ſimul magnus concitatur motus, ſanguis ille circulationi ineptus, tanta vi propulſus, vaſa infarcit, diſtendit & tandem etiam rumpit, ut ſæpe experiuntur illi, qui partes externas frigore ſuffocatas admovent

vent igni nimis ſubito. Propterea expedit partem refrigeratam lente tepefacere & dein excalefacere, ſic ſenſim liqueſcet concretus ſanguis & fiet circulationi aptus.

II. In morbis autem, qui contra habent indicantia ſigna, perpendendum eſt, num prior indicatio ſit implenda vel negligenda propter alteram adjunctam indicationem. In tali ancipiti caſu eligenda eſt cauſa potior & magis valens, ut ea tollatur, ne corpus per curationem levioris mali, quæ obeſſet ſimul graviori, detrimentum patiatur. Hujus regulæ egregium habetur exemplum in hoc aphoriſmo, nam indicatio generalis eſt, pars refrigerata eſt excalefacienda, etiamſi illa calefactio fiat ſecundum recenſitas cautelas, quando pars talis vel fundit ſanguinem, vel profuſura eſt, recte monet, eam partem non eſſe excalefaciendam. Hic non intelligitur hæmorrhagia ſalutaris, vel tam parva, quæ nihil damni inferre poſſet, ſed major & periculoſa. Quoniam Auctor dicit, partem talem non eſſe calefaciendam, duo ſimul ſupponit. (1) Hæmorrhagiam periculoſiorem eſſe frigiditate partis. (2) Calefacientia tali in parte revocare ſanguinis fluxum. Hoc paucis eſt exponendum. Pars refrigerata aliquamdiu ſine corruptione poteſt manere ſuperſtes, & ſi demum recaleſcat prudentiſſimo auxilio, ſana erit ut antea, ergo permitti poteſt aliquamdiu pars refrigerata ſine periculo: ſed ſi ſanguis nimia copia profuſus fuerit, non tam facile reſtaurari poteſt bonus ſanguis; imo ex nimia ſanguinis profuſione tandem periret totus homo, ſed ſi pars per continuatum frigus tandem amitteret vitam, duntaxat periiſſet pars, non vero totus homo, ergo hæmorrhagia periculoſius eſt ſymptoma, quam frigus alicujus partis. Alterum quoque plane conſtat, nam in parte refrigerata ſanguis eſt denſior vel concretus & motus vitalis propellens eſt languidior: ſi talis pars calefaciendo agitetur, ſanguis in fluorem redactus, & motus vitalis inſtigatus, renovabit hæmorrhagiam.

Pars refrigerata non calefacienda, quæ ſanguinem fundit vel profuſura eſt.

LIB. V. APH. XX.

213. *ULceribus frigidum quidem mordax, cutem obdurat, dolorem inſuppurabilem facit, nigrores, rigores febriles, convulſiones & tetanos.*

I.

Frigidum quid faciat ulceribus.

QUid ſit frigidum, ſuperius notavimus (*Aph.* 210, 1). Atque Ulceris definitio ex *Chirurgia noſtra repurgata N.* 1293. deſumi poteſt. De hoc frigido ulceribus applicato multa obſervavit Auctor noſter damna, inter quæ inveniuntur quædam generalia ſuperius (*Aph.* 210) recenſita, uti Nigrores, Rigores febriles, Convulſiones, & Tetanos. Hi morbi magis fiunt a frigido ulceribus applicato, quam ſi frigidum cuti integræ applicaretur, quoniam actuale iſtud frigus immediate tangit partem nudam & ita validius operatur.

Ulceribus mordax.

II. Non ſolum ulceribus eſt *Mordax* id eſt ulceribus dolorem, ac ſi pars morderetur, infert, ſed & etiam partibus reliquis, hoc ſæpe nos obſervamus in regionibus ſeptentrionalibus habitantes, quod frigus intenſum vix tolerabilem mordacem dolorem pariat, antequam gelu pars integre ſit concreta. Si enim per majus frigus ſenſim contrahantur fibræ nervoſæ & ita impediatur ſpirituum transfluxus, tam diu augebitur dolor, donec omnino omnis ſpirituum fluxus per eam partem ſit interceptus. In frigidiſſima autem tempeſtate, dum thermometrum ſub ſignis deſcendebat, inveni partes congelatas quibuſdam hominibus ſine prægreſſo dolore, quod intenſiſſimum iſtud frigus non ſenſim impediebat ſpirituum fluxum, & ita faciebat dolorem, ſed unico momento omnem fluxum ſupprimebat, quemadmodum etiam in morbis malignis, partem ſphaceleſcere ſine prægreſſo dolore. Hanc Morſionem magis inferri Ulceribus, quam parti-

partibus integris a frigido applicato, facile intelligitur, quia omnes partes nudæ ad omnem attactum magis doleant, quam partes integræ & ſanæ: inde frigidum, quod a parte ſana facile potuiſſet tolerari ſine dolore, ulceri applicatum, ſive ſit Aqua ſive Aer frigidior, dolorem mordacem infert. Propterea in deligatione Ulcerum cavendum eſt, ne frigidum applicetur, vel ulcus exponatur aëri frigido.

III. Experimenta docent, partes firmas cum augmento frigoris ſenſim magis contrahi & fieri rigidiores, atque liquores ſenſim fieri magis cohærentes: quare partes noſtri corporis ex his binis conſtantes, non tam facile cedunt ad attactum, ut antea, ſi a frigido applicato refrigerantur, ſed molles partes fiunt duræ. Inde tempore hyemali toties in hac rigione inveniuntur tubercula dura in partibus aeri frigido expoſitis. Propterea a frigido applicato non ſolum cutis ſeu potius margo ulceris indureſcit, ſed etiam ipſa cutis, etiamſi ulcus non habeat. Ulceribus cutim obdurat.

IV. Quoniam humores concreti actione vitæ convertuntur in pus, inde ſæpe per mordacia applicata promovetur ſuppuratio: verum non omnia mordacia eodem modo operantur; infertur enim dolor ab applicato medicamento, quod inſtigando motum vitalem dolorem & morſionem infert; tale applicatum in ulceribus ſordidis & frigidis promovet ſuppurationem. Frigus etiam infert morſionem ulceribus, ſed contrario modo, exſtinguendo nempe illum motum; quare frigidum ſimul exſtinguendo cauſam ſuppurationem facientem, impedit ulceris ſuppurationem. Hoc evidentiſſime comperimur in pernionibus hyemali tempore, qui relinquunt ulcera ſordida ſine puris generatione tam diu, donec calor accedens ſuppurationem promoveat. Dolorem inſuppurabilem facit.

LIB. V. APH. XXI.

214. *Est vero, ubi in tetano ſine ulcere, juveni bene carnoſo, æſtate media, frigidæ multæ affuſio caloris revocationem facit. Calor autem hæc ſolvit.*

I.

Senſus. SUperius (*Aph.* 210.) dixerat, frigidum inducere Tetanos, nunc vero aliquam ſpecialem adferre voluit obſervationem practicam, Tetani ſpeciem eſſe, quæ refrigerat corpus, tamen affuſione multæ frigidæ recuperare calorem: & ut hanc ſententiam non faciat generalem, dicit *Eſt vero*, quod ab aliis dicitur *quandoque* vel interdum. Id eſt, rara exſtant exempla, quod corporibus tetano correptis per affuſionem aquæ frigidæ revocetur Calor. Ne igitur in quovis Tetano hoc tentaret auxilium, tres adjecit cautelas. (1) Ut Tetanus fiat ſine ulcere. (2) In juvene euſarco. (3) Media æſtate. Quoniam expertus fuit tali in caſu affuſionem aquæ frigidæ revocaſſe calorem. Contra hanc curationem multi ſe oppoſuerunt medici, quoniam in praxi viderunt, potius generari quam curari Tetanum affuſione frigidæ. Sic ſemper multæ lites moventur in morborum curationibus, ſi morbus ex phænomeno appellatus non diſtinguatur in ſuas cauſas diverſas. Exiſtimarunt veteres & adhuc multi, Tetanum unicum eſſe morbum, & propterea conſtantem habere & ſemper ſibi ſimilem curationem: ſed quoniam eſt phænomenon cauſæ latentis, ejus curatio ſibi mutuo contraria eſſe poteſt. Propterea videndum erit, an non valeamus ex adjunctis rimari, qualiſnam ſit latens cauſa Tetanum inducens, quæ minuitur affuſione multæ frigidæ.

Tetanus ex impetu & calore majore. II. Tetanum & Convulſionem ex majore ſanguinis impetu ad encephalum fieri poſſe, nobis fidem faciunt morbi acuti

acuti ardentes, in quibus ſemper veremur Convulſionem, Tetanum vel Delirium, ſi ſigna docent, ſanguinem ferri majore impetu ad caput: ille impetus major ſi producat Tetanum, quo in toto corpore per conſtrictos muſculos ſiſtitur circulatio, vel ita ſimul comprimitur cerebellum, ut ſpiritus vitales fluere nequeant: talis impetus major propter ſuffocatam circulationem & impeditum ſpirituum vitalium fluxum, facit corporis refrigerationem. Hæc refrigeratio ſeu caloris nativi exſtinctio, & talis Tetanus curandus eſt minuendo motum vitalem propellentem. Quod egregie fieri poteſt, ſi corpus affuſione multæ aquæ frigidæ perfundatur, dum actuale frigus augeret conſtrictionem contractilitatis, ſed minuat contractionem ex motu vitali. Ita per minutam actionem vitalem dimittitur cerebellum compreſſum, & reſoluto tetano permittitur circulatio per vaſa, unde iterum redit calor naturalis, remotis cauſis impedientibus. Quantum juvet diſtinctio inter contractionem automaticam & vitalem, ex hoc mirabili morbi ſigno & curationis modo eluceſcit, quum a frigore augeatur contractio automatica, & e contra minuatur contractio vitalis. Videndem nunc eſt ex phænomenis ab Hippocrate una citatis, num hic recenſitus Tetanus a majore impetu vitali dependeat. Excipit *Ulcus*, ut indicet, ſe non intelligere Tetanum ab applicato frigido ad ulcus, quod in præcedente Aphoriſmo notaverat. Sed quamvis ulcus adeſſet, potuiſſet tamen generari Tetanus ex impetu majore & exigere frigidæ affuſionem; at vero ulcus ſive adſit ſive abſit nihil determinat. Dein addit, *Juveni bene carnoſo* εὐσάρκῳ, id eſt robuſto, valido, nec macilento nec obeſo, cujus corpus eſt ſanum & robuſtum. Tali in corpore maxime vigere motum vitalem, nemo dubitare poteſt; quamobrem omnes morbi juvenum (*Aph.* 108.) ex hoc majore impetu deducuntur. In hujuſmodi corporibus ſi Tetanus fiat, magis ex impetu majore quam ab acrimonia cruda ſtimulante is erit deducendus. Et ut aliquam ſimul aſſignaret ſtimulantem cauſam, quæ majore impetu ducit ſanguinem ad caput, adjecit *Æſtatem mediam.* Quo tempore præcipue fiunt

unt febres continuæ ardentes (*Aph.* 100, 11.) Si igitur aliquod phænomenon, nempe Tetanus, conſpicitur, quod ex majore impetu & calore generari poteſt, cum adjuncta ætate & cauſa his producendis prona, veriſimile eſt, hoc phænomenon ab illa cauſa provenire. Quia vero ex cauſa raro oriatur Tetanus, adjecit *Eſt vero*, quod notat, ut monui, interdum, quandoque, non ſemper occurrens. Et inde ſcimus, nos non temere hac methodo medendi uti debere, & non, niſi nobis conſtet, ab hoc impetu & calore majore naſci Tetanum. Si autem aliquis plura ſigna hujus majoris impetus deſiderat, ut firmiorem habeat praxin, adire poteſt (*Comp. noſtrum.* T. 46. XI.)

LIB. V. APH. XXII.

215. *Calidum ſuppuratorium, non in omni ulcere magnum ſignum ad ſecuritatem: cutem emollit, attenuat, dolores ſedat, rigores, convulſiones, tetanos mitigat: capitis vero gravitatem ſolvit: plurimum autem confert oſſium fracturis: maxime vero denudatis: ex his quidem maxime, qui in capite ulcera habent: & quæ a frigore moriuntur, aut exulcerantur: & herpetibus exedentibus ſedi, pudendo, utero, veſicæ. His calidum quidem amicum, & decretorium: frigidum vero inimicum & occidens.*

I.

Calidum actuale applicatum quid faciat.

PRopter rerum copiam & lectionem variam Commentatoribus hic Aphoriſmus maximam difficultatem præbuit. Duntaxat rimabimur rem ipſam, variam lectionem relicturi criticis & literatoribus: neque ubique uſuri Hippocratis auctoritate, quum ille vir, quidquid habet, ex obſervationibus, quemadmodum nos omnes, haurire debuit.

Scopus

Scopus noſter erit cum Auctore perſpicere quid faciat θερμὸν (*Aph.* 209, II.) quod in hoc loco indicabit Calorem moderatum, ut eſt in corpore ſano, & paulo majorem, minime vero adurentem, qui concitatur ab actu calidis applicatis. Nam ſi ſimul adducerentur ea, quæ potentiâ calefaciunt, ſenſus ubique fieret obſcurus. Ita enim exponuntur effectus unius ſimplicis cauſæ, ſed ſi ſimul adderentur effectus calefacientium, non conſtaret eadem ſententia, quum effectus actu & potentia calidorum inter ſe multis in caſibus differant. Iſtud Calidum applicatum vel eſt ſimul ſiccum vel humidum, & hac ratione etiam differunt effectus, quod ſimul in expoſitione effectuum erit recenſendum. Quid autem ſit Calidum & quotuplex hoc ſuperius indicavi (*Aph.* 209, I.)

II. Iſtud vocatur ſuppuratorium ἐκπυητικὸν, quod humores concretos tenaces vel in ulcere cavo ſorditatis nomine, vel in marginibus impactos hærentes, convertit in humorem albicantem, ſubpinguem, ſatis conſiſtentem, aqua graviorem. Ex qua materia formetur pus, quomodo generatur, & per quamnam actionem, indicavimus (*Aph.* 72.) Ex quibus conſtabat ad puris confectionem paulo majorem calorem requiri, quam eſt calor naturalis noſtri corporis: inde itaque actu calida applicata, quoniam iſtud requiſitum faciant, juvant puris generationem. Propterea experimur in tumoribus imflammatoriis, qui non facile ſuppurantur, quod cataplaſmata calide applicata promoveant ſuppurationem, quam ſuppurationem non potuimus obtinere ullis emplaſtris. In tumoribus vero frigidioribus & ulceribus ſordidis ſimulque frigidis, niſi ſimul applicentur calefacientia, id ſordidum in pus converti nequit & diutiſſime permanet, atque margines manent indurati. Hinc quæ parantur ex terebinthina, alöe, myrrha & ſimilibus dicuntur digeſtiva, id eſt ſuppurationem promoventia. Ne autem aliquis judicaret ſe poſſe actuali calore promovere ſuppurationem, adjecit *non in omni ulcere.* Nam non omnis materia in ulcere apta eſt ut inde conficiatur pus. (*Conf. Aph.* 72, III.) Neque humores qui inchoaverunt putredinem vel corruptionem, per calorem in Pus poſſunt commutari, uti recenſet

Calidum ſuppuratorium, non in omni ulcere, magnum ſignum ad ſecuritatem.

Galenus Dyſepulotica, Cancroſa, Chironia, Telephia, & Phagedænica, quæ omnia dicuntur Anecpyetica. Nam putrefactum converti nequit in pus, & quod fuit majore corporis calore corruptum, per calidum applicatum non convertitur in pus, ſed in majorem corruptelam & acrimoniam. Utinam hoc ſemper aſſequeretur a Medicis in variolarum curatione! toties non periiſſent ægri variolis in putrilaginem converſis: unice enim multi contendunt calidis applicatis, & calefacientibus exhibitis promovere variolarum ſuppurationem, etiamſi experiantur puſtulas varioloſas abire in putrilaginem. Quod ſi animo attente hanc generalem perpenderent, non ſemper calefacientibus tentarent variolarum curationem. Dein addit *Magnum ſignum ad ſecuritatem.* Quibus verbis indicat, quod ſi calidis applicatis experimur promoveri ſuppurationem, hæc obſervatio erit ſignum ſecuritatis, quoniam ex hoc conſpecto ſcimus materiem illam ſordidam non eſſe corruptam, & humores in ulcere hærentes aptos eſſe, ut inde præparetur pus. Hoc experimur ſemper, quod qui humores morboſi permittunt converſionem in pus, iſti ſemper ſunt blandi & benigni, qui vero in pus non ſunt commutabiles, hi ſunt corrupti, rebelles & acres, ex quibus nihil boni exſpectari poteſt: præterea ipſa converſio in purulentiam eſt quoad vires corporis bonum ſignum, nam niſi vires vitæ valeant, nunquam ullus humor in pus convertitur. Quamobrem puſtulæ varioloſæ ſi non ſuppurantur, ſed convertuntur in hylatides vel putrilaginem, mortem inſtare indicant; ſi vero ſuppurantur & coctum pus præbent, ſalutem & ſecuritatem pollicentur.

Calidum cutem emollit, attenuat.

III. Per Calidum applicatum partem molliri, quotidiana docet obſervatio, nam calidum laxat partes firmas & contentos humores in faciliorem fluorem redigit, quare pars ad attactum redditur mollior. Hoc etiam verum eſt in tumoribus morboſis, quare ad emollienda indurata ſemper Chirurgi adhibent actu calida. Quæ autem ſua efficacia calefaciunt, quoſdam tumores emolliunt, alios vero magis indurare faciunt: qui enim ad partem inflammatam applicaret

ret Calefaciens, majorem indurationem faceret, quoniam his in tumoribus per motum majorem eſt nata durities, qui motus per Calefacientia adaugetur. *Attenuare* ſeu potius Extenuare ἰσχναίνει, notat partem tumefactam corporis ſeu partis ſanæ molem minuere: ſive enim ex impetu majore, ut in tumoribus inflammatoriis, pars tumeat, ſive ex humore craſſo & lento impleatur tunica celluloſa, ut ita partem tumere faciat, in utroque caſu actu calida talem partem extenuant; cum actu calidis & humidis, qualia hic præprimis intelliguntur, temperetur nimius motus vitalis tali in parte, qui partem diſtendebat; atque humor lentus & concretus pituitoſus a Calore in fluorem redactus, priorem locum relinquens, ſæpe partem extenuat. Sic norunt Chirurgi pedes oedematoſos tumentes fovendo omni veſperi extenuare, cum Calore pituita attenuata eo tempore, dum horizontalis dein conceditur ſitus pedibus, pedem relinquat. Hoc etiam obſervavi membra arthritica ſæpe fota, ita fuiſſe emaciata, ut viderentur aridura correpta.

IV. Promptiſſimum eſt auxilium fere omnibus hominibus, ſi ubicunque ſentiatur Dolor, ſtatim applicare corpus aliquod calefactum, ſic teſtæ calentes ad ventris dolorem appoſitæ fabrefactæ inveniuntur, quæ nomen ex colico dolore traxerunt: alii arenam calefactam ſacculo receptam applicant: Chirurgi propterea fomenta & cataplaſmata calida adhibent ad leniendos dolores. Hæc autem conſtanti experientia comprobata ſunt magnum ſolamen attuliſſe, nam perpendamus theoriam, horum uſus admodum eſſet incertus, cum ex concepta opinione fere omnes exiſtiment cunctos dolores a frigore oriri, dum tamen maxima pars omnino aliam cauſam agnoſcat. Qui vero perſpicit omnem fere dolorem leniri per ea, quæ laxant fibram nervoſam, & humorem concretum atque ita obſtruentem reſolvunt, facile concipiet, calidum fere ſemper anodynum eſſe, quum utrumque faciat. Dolores ſedat.

V. Quum ſupra expoſuimus, quid ſit Rigor (*Aph.* 156, 1.) Convulſio & Tetanus (*Aph.* 167, 1.) ſimulque exhibuimus hos morbos validam facere tenſionem in fibris, ſolum Rigores Convulſiones, tetanos mitigat.

lum reſtat hoc loco videre, quomodo actu calida applicata hos morbos mitigent. Experientia ipſa loquitur nos non citius compeſcere poſſe Rigorem quam actu calidis applicatis, quibus prompte ſuperatur ſenſus frigoris, qui ſimul in Rigore habetur. Tenſio autem reliqua in Rigore & ceteris citatis morbis, quoniam calida laxent, neceſſario quoque minuitur, & ita dimittitur pars conſtricta. Inde in Doloribus ventris & aliarum partium a ſpaſmodicis conſtrictionibus tanto cum ſucceſſu adhibentur corpora calefacta.

Capitis graviratem ſolvit.

VI. Caput nobis videtur grave, vel dum majore humorum pituitoſorum copia oppletum eſt, vel ſi potentia movens eſt debilior: ſæpe hoc obſervatur in valitudinariis & morbis chronicis. Tali in caſu Auctor & etiam nos obſervavimus Calida capiti applicata levamen attuliſſe. Dum ſcilicet pituitoſus humor aggravans caput, non potens ob debilitatum motum vitalem inde expelli, a Calore actuali reſolutus, inde depellitur, & ita minuit Capitis gravitatem. Ipſa quoque potentia calida hoc præſtant, exagitando partes languentes: propterea ad Capitis gravitatem levandam, capiti affricantur ſpirituoſa & olea aromatica ceteraque calefacientia.

Confert plurimum oſſium fracturis.

VII. Oſſa frangi nequeunt, quin vaſa per os currentia diffringantur ſimul, & medullæ ex oſſis cavo liber concedatur exitus in partes circumjacentes, atque humores vaſculis antea coarciti effundantur: rarum eſſet ſolum os ita frangi ſine contuſione vel læſione partium mollium ambientium. Pars ita diſpoſita effuſos habens humores, multaque diffracta vaſa, ſi tractetur frigore, faceret validiſſimam accurtationem fibrarum, quæ ſunt laceratæ, & fieret effuſorum humorum coagulatio, quæ deinceps ſolvi non potuiſſet: propterea optimum eſt actuali calore adhibito temperare nimiam contractionem fibrarum, & prævenire coagulationem humorum, ut ita humores fluxiles ſervati reduci potuiſſent per venas, ne ſtagnando corrumperentur. Quam perverſe igitur multi agunt Chirurgi applicantes ad oſſium fracturas frigida, ex his dictis facile colligi poteſt.

VIII. Oſſa

VIII. Ossa omnia nostri corporis, si excipiantur dentes, sunt ubique tecta partibus mollioribus, in quibus demonstravimus (*Aph.* 211, 11) validiorem esse motum vitalem concitantem naturalem calorem, qui quoque communicatur ossi incluso, ut corpora calefacta inter se calorem communicant. Talia ossa si fiant nuda, ob duplicem rationem ferre non possunt frigus, sed juvantur actuali calore. Nam privantur non solum suo integumento calefaciente, verum etiam multa vasa os intrantia, quorum munus est conservare motum vitalem in osse, abrumpuntur, ita privantur actione sua, ut tale nudatum os semimortuum haberi possit, præcipue si simul suo periosteo privetur. Ne igitur debilis restans in nudato osse motus vitalis frigore exstinguatur, & ne humores atque medulla concrescat, expedit actuali calore moderato istud os fovere. Hæc observatio magni est usus in omnium ossium morbis, ne unquam ad ossa nuda applicemus actu frigida, neque nimis diu in renovatione deligationis moremur & exponamus os aëri frigido: si vero diu os nudum est tenendum, uti in terebratione cranii, prudentissimi Chirurgi semper curant, ut ambiens aër arte incalescat. Maxime convenit denudatis ossibus.

IX. Ex textu satis constat omnibus ulceribus conducere calida, sed inter ea maxime conveniunt Calida ulceribus capitis. Quod ulcera amant calida, ex iis, quæ diximus, facile deduci potest, quum pars ulcerata multa vasa habeat diffracta, & debiliorem motum vitalem, atque humores effluentes per calorem in fluore sint conservandi. Quamobrem autem id magis ulceribus capitis, quam aliarum partium conveniat, ex alio fonte est petendum. Non novimus loca exulcerata, quæ ossibus propiora, quam ulcera in cranio, si his adhibentur frigida, facile inde pericranium & subjectum os potuisset lædi, quod minus verendum est in aliis partibus; propterea in deligatione ulcerum capitis magis debemus evitare frigidi aëris attactum, quam in deligatione ulcerum aliarum partium. Capitis ulceribus

X. Duplicem speciem morbi ex frigore nati proponit, in qua laudat Calidum, nempe mortificationem, & exulcerationem ex Et quæ ex frigore moriuntur, aut exulcerantur.

ex frigore. Hujuſmodi morbi in noſtris regionibus ſunt frequentiſſimi hyemali tempore. In facie enim, manibus & pedibus præcipue puerorum tubercula dura naſcuntur, quæ Perniones vocant, aut generantur livida ſordida & frigida ulcera, non recedentia niſi accedente ſolis æſtivi calore. Quæcunque laudantur ad hos præveniendos & curandos morbos, niſi ſimul adferant Calorem actualem vel potentialem, nullius ſunt momenti, quum frigus externum exſtinguens motum vitalem in tali parte nuda, mortificationis & exulcerationis ſit cauſa. Propterea medicamentum quodvis, modo ſimul adhibeatur artificialis calor, hujuſmodi morbos ſanat, & eo magis ſi applicatum medicamentum lenem ſimul calefacientem virtutem habeat. Si vero nimis concilietur parti calor, ægri ferre vix poſſunt dolorem, & pars profundius mortificatur, quam ſi ſenſim adhibeatur. Quid autem ſit agendum in parte congelata expoſuimus in *Chirurgia repurgata noſtra.* N°. 1283.

Calidum convenit herpetibus exedentibus, ſedi, pudendo, utero, veſicæ.

XI. Qualem morbum intellexerunt Veteres per Herpetem exedentem expoſuimus in *Chirurgia Repurgata* N°. 1374. Ex quibus conſtat partem eam Herpete tentatam ſenſim latius corrodi & exulcerari per humorem acrem corrodentem. Qui ſi retinetur, ſtagnando ſenſim redditur acrior. Sed notatu eſt dignum, quod non abſolute recenſeat Herpetem quemcumque, ſed qui exedit ſedem, pudenda &c: Unde concludere poſſumus partes has magis exigere Calidum quam morbus ipſe. Hoc etiam quotidie experimur in praxi omnibus morbis pudendorum utriuſque ſexus & ani admodum conducere Calida. Ut ſi quis vellet uteri hæmorrhagiam vel menſium profluvium ſupprimere applicatis frigidis ad pudenda, ut conſuevimus facere ad aliam hæmorrhagiam compeſcendam, ſummum inde damnum eſſet exſpectandum. Eo itaque magis ſi ipſe morbus harum partium, ut eſt Herpes exedens, vetat actu frigida.

Quibus partibus calidum amicum & decretorium.

XII. Poſt recenſionem partium, quæ afficiuntur Herpete exedente, uno verbo voluit indicare applicata Calida non ita conducere morbo recenſito, ſed præcipue his partibus, ut conſtaret medicos & chirurgos ad omnes morbos harum partium

partium ſemper debere applicare actu Calida, quum Calidum ſit Amicum & Decretorium, id eſt hæ partes jucundo ſenſu afficiuntur per Calida applicata, & commodum ſentiunt, & ſi aliquis morbus in his partibus ſit curandus, vix curari poteſt, niſi actu Calida ſimul applicentur.

Quibus partibus frigidum inimicum & occidens.

XIII. Quibus partibus frigidum ſit inimicum & noxium ſuperius (*Aph.* 211, 11) recenſuimus; ſed his addi poſſunt anus, pudenda, uterus, veſica, ex eadem ratione, quod partes hæ debili motu vitali donatæ ſint. Verum inſuper nullus eſt locus in toto corpore, ad quem tanta eſt humomorum excretoriorum colluvies, quorum effluxus ſi cohibeatur per frigidum applicatum, facile poteſt omnem illarum partium actionem ſuffocare.

LIB. V. APH. xxiii.

216. *IN his autem frigido uti oportet, unde ſanguis erumpit, aut erupturus eſt: non ſuper ipſa, ſed circa hæc, unde influit. Et quæcunque inflammationes, aut flammei ardores ad rubrum & ſanguineum colorem vergentes novo ſanguine, ſuper ipſos: nam inveteratos nigrefacit: eryſipelas etiam non exulceratum juvat, quoniam exulceratum lædit.*

I.

NE autem aliquis judicaret frigidorum uſum ita noxium eſſe, ut non potuiſſet adhiberi frigidum ad ullum morbum curandum, hunc Aphoriſmum ſcripſit Auctor, in quo tres proponit morbos, quibus frigida ſunt adhibenda, & quidem cum tanto judicio, ut mirari poſſimus, tunc temporis ſolis experimentis practicis eo uſque pervenire potuiſſe ſcientiam medicam.

II. Gene-

Frigidum quomodo adhibendum in ſanguinis eruptione.

II. Generalem regulam exhibet de frigidorum applicatione ad ſanguinis fluxum cohibendum, quia per frigus minuitur motus vitalis propellens ſanguinem & ipſum ſanguinem coagulat, quibus junctis, ſiſti debet ille effluxus. Propterea ſi damnum ſit verendum ex ſanguinis fluxu, generaliter frigida ſunt adhibenda, quæ effluxum ſiſtunt. In hac autem regula curationis generali duo ſunt obſervanda. Ne pars ipſa vetet frigidi applicationem, & ut applicetur ad locum convenientem. Primum ex præcedente aphoriſmo colligi poteſt, nam partes circa anum & pudenda frigidi applicationem vetant, unde in menſium & lochiorum profluvio atque in hæmorrhoïdum fluxu nimio nunquam per frigida conamur ſiſtere fluxum, ſive actu fiat ſive inſtet. Alterum eſt, ut non immediate applicetur ad partem, quæ ſanguinem fundit, ſed circa eam nude influit. Si enim parti ſanguinem fundenti applicetur frigidum, id quidem effluxum ſanguinem coagulabit, ſed non inhibebit affluxum novi ſanguinis, unde tali in loco ſæpe ingens ſanguinis copia colligitur: quod ſi vero frigidum applicetur ad arteriam ducentem ſanguinem ad locum apertum, ut valeat temperare ſanguinis impetum, & ad extremitatem iſtius arteriæ coagulare, ſecure ſiſtetur ſanguinis fluxus, quia nihil novi adduci poteſt, unde in narium hæmorrhagiis fronti adhibentur frigida, non vero ipſis naribus.

Quali inflammationi ſeu epiphlogiſmati frigida applicanda.

III. Quam difficile ſit ex phænomeno conſpecto aptum adhibere auxilium, illi norunt, qui cum ſtudio diu exercuerunt praxin, naſcuntur enim ſæpe ſimilia phænomena ex oppoſitis cauſis, ut inde idem phænomenon diverſam exigat medelam. Ita in hoc aphoriſmo laudat frigidi applicationem ad Inflammationem, dum tamen experientia doceat per frigida applicata inflammatam partem vel abire in ſphacelum vel indurationem. Inde per circumlocutionem Auctor indicare voluit, ſe non intelligere veram Inflammationem, quæ incipit cum Calore, Ardore, Dolore & Tumore, ſed aliam ſpeciem, quam vocat Epiphlogiſma, ſeu incendioſa ad rubrum & ſubcruentum ex recenti ſanguine ver-

vergentia. Ex qua circumſcriptione colligere debemus cutis rubedinem cum ardore ſubito natam ſine tumore, & ſine dolore, quæ in Inflammatione adſunt. Neque hæc conjuncta phænomena ſufficiunt, quoniam in phthiſicis, empyematicis, & ſcorbuticis ſæpiſſime obſervemus hujuſmodi fugaces rubedines & ardores præprimis in facie, quæ non ſunt curandæ applicatione frigidi, quum id acre irritans, quod rubedinem & incaleſcentiam facit, ſimul a motu illo majore ſubigatur, & nunquam abeat in ſuppurationem. Epiphlogiſma autem morbus eſt conſtantior & ſi perduret motus major non raro tranſit in veram inflammationem, ſed ſi per actu frigida motus & calor ille major compeſcatur nihil periculi eſt exſpectandum. Si vero tam diu duravit Epiphlogiſma donec fecerit tumorem, dolorem, & in ſanguine ibidem retento lentorem, tunc frigida applicata concreſcere faciunt ſanguinem, ex quo concreto & collecto pars fit nigra & dein corrupta. In tali Epiphlogiſmate monet frigidum applicandum eſſe ad partem ipſam, quod in ſanguinis profluvio vetaverat, quia motus major in hoc non erat in parte ipſa ſed in adjacentibus; in illo autem pars ipſa motum majorem habet, ad quem temperandum adhibentur frigida.

IV. Quid ſit Eryſipelas in *Chirurgia repurgata* N°. 1418. expoſuimus. Iſtud autem per ſigna externa ab Epiphlogiſmate difficile decernitur, habetur enim in utriſque rubedo & ardor, ſed Eryſipelati aliquis adeſt dolor, & rubedo ad flavedinem vergens. Humor Eryſipelas producens a veteribus dicitur bilioſus, id eſt tenuis, ſaponaceus, ſubpinguis. Tali in morbo monet tam diu adhibenda eſſe frigida donec ſit exulceratum Eryſipelas. Hoc etiam hodie experimur in praxi & non caret ratione, quum humor talis per frigus applicatum minus agitatum, & magis incraſſatum, multum amittat de ſua acredine: non tamen nimis diu debemus refrigerare, ſed continuare donec naturalis calor & color redeat parti. Si vero deſtructa ſint vaſa format ſpeciem Herpetis (*Aph.* 215, XI) in quo frigida ſunt noxia, uti omnibus ulceribus (*Aph.* 213, II.)

Frigida quando Eryſipelati adhibenda.

LIB. V. APH. XXIV.

217. *Frigida, velut nix, glacies, pectori inimica, tusses movent, sanguinis eruptiones, ac catarrhos inducunt.*

I.

Frigida, velut nix, glacies, pectori inimica.

VErsatur auctor in exponendo usu & damno calidi & frigidi applicati, & in præcedente tradidit usum frigidi applicati; nunc agere vult de summo frigore & propterea exemplum ponit in Nive & glacie, quia hæ paulo majore calore liquescunt primo in aquam frigidissimam. Hodie constat experimentis thermometrorum majorem gradum frigoris esse in nive & glacie, quam in quavis aqua fluente. Propterea in hoc Aphorismo solummodo perpendendum quid faciat frigoris gradus major, quam qui reperitur in aqua frigidissima. De tanto gradu frigoris dicit eum inimicum esse pectori. Quoniam nos in septentrionalibus regionibus inhabitantes frequentia habemus nivis & glaciei experimenta facile judicare possumus, quid sit sentiendum de veritate hujus sententiæ. Non observamus degentes in locis nive tectis vel gelu constrictis frequentius corripi pectoris morbis quam reliquis temporibus, imo in rigidissima tempestate Anni 1740, pauciſſimi morbis pectoris correpti fuere: quam ob rem posita ab auctore sententia non satis videtur veritati convenire. Sed si rem penitius inspiciamus veritas clarissime constabit. Auctor enim in hoc loco agit de usu & damno frigidi & calidi applicati, & nunc pro exemplo adducit nivem & glaciem pectori applicatam, & tali in casu pronunciat ea pectori inimica esse. Hoc autem nostris in regionibus raro instituitur experimentum, sed in calidioribus regionibus, ubi Hippocrates habitavit erat in frequentiori usu ad temperandum

randum nimium calorem. Inde hoc modo concipienda eſt ſententia, ſi quis excalefactus fuerit & tunc pectori applicat nivem vel glaciem ad temperandum calorem, id omnino damnoſum eſt. Quare monet medicos iſtorum locorum ne imitentur illam malam conſuetudinem. Aut ſi faciant exſpectare debent tuſſim, ſanguinis ruptionem & catarrhos.

Cur frigida pectori applicata inducant tuſſim, ſanguinis eruptiones & Catarrhos.

II. Ut nos Auctoris noſtri ſcripta legentes intelligeremus qualia genera malorum pectoris obſervaverat Hipp: ab applicata nive vel glacie producta, citavit Tuſſim, Sanguinis eruptiones & Catarrhos. Quali modo hi morbi ex tali cauſa naſci poſſint paucis videbimus. Tantum frigus pectori applicatum ut eſt in Nive & Glacie facile poteſt mucum in cryptis tracheæ & bronchiorum hærentem conſtringere, ut maneat inhærens ſuis lacunis: hoc quoties fiat, quia tunc aliquid durum eſt in trachea, quod irritat, id debet proritare Tuſſim. Sed quoniam tenaciſſime ille mucus concretus adhæret lateribus tracheæ tuſſiendo difficile ſeparari poteſt, & propterea manebit tuſſis pertinax, quæ iterata concuſſione violente tandem rumpere facit vas cruentum in pulmonibus, quo generatur ſanguinis eruptio ſeu hæmoptyſis. Idem frigus cohibendo naturalem ex pulmonibus exhalationem facit, ut in vaſculis & nervis exhalantibus humor ſtagnans acrior factus membranam bronchiorum & Laryngis impleat humore tenui & frigido, qui morbus vocatur catarrhus (*Conf. Aph.* 110, 111.) Hinc toties non ſolum a nive vel glacie pectori applicata oritur Catarrhus, ſed fere ſemper ab omni aëre frigidiore accepto in corpore calido. Ita quidem nobis conſtat dictos morbos generari ab applicatione frigidi ad pectus, ſed ſi ſimul inde deduci poſſet methodus medendi præſtantior eſſet obſervatio. Si quis Tuſſi vel Catarrho laborat protinus confugiunt ad eclegmata: ſed ſi perpendamus in hoc caſu cauſam fuiſſe nimium frigus concreſcens humores in organo reſpiratorio, & forſan etiam ſanguiem in extremis arteriarum, facile concipere poſſumus nihil præſtantius eſſe quam fovere iſtas partes vapore humido & calido. Quapropter

ter egregium erit auxilium ad Tuſſim & Catarrhum talem curandum, haurire ore aperto vaporem bullientis aquæ, & bibere potum pectoralem quantum ferri poteſt fervidum.

LIB. V. APH. XXV.

218. *TUmores autem in articulis & dolores abſque ulcere, & podagricos, & convulſiones, magna ex parte, frigida multa affuſa & levat & extenuat, & dolorem ſolvit. Torpor enim modicus doloris ſolvendi vim habet.*

I.

Quinam tumores & dolores articulorum levantur frigidâ multâ affuſâ.

CONtra conſuetudinem noſtram non poſſum hac in re Auctori conſentire, ut in praxi ad articulorum dolores & tumores, & contra dolores podagricos & ſpaſmata affunderem multam aquam frigidam, vel adhiberem frigida ſtupefacientia ad ſopiendos dolores, quum mihi experientia conſtet, talia attuliſſe præſens levamen, ſed ſemper veritus humores in tumore ſtagnantes ab actuali frigida concretum iri, vel repelli ad nobiliora viſcera: atque experientia didici a quodam agyrto applicatum fuiſſe frigidum ad leniendum dolorem podagricum, eo effectu, ut in poſterum articulus non potuerit moveri. Quam ob rem Auctor eſſe nolo, ſuadens juniorem Medicum, ut imitetur hanc curationem ad leniendos dolores. Scio quidem cum Hipp. actu frigidis applicatis minui dolorem, ſed ſcio ſimul inde ſæpe magnum periculum fuiſſe natum. Nam ſi quis membrum ex combuſtione dolens dimergat in frigida aqua ſtatim ſentiet doloris levamen, verum quam primum recaleſcere incipit multo acrior erit dolor & profundior eſchara, quam ſi tale quid non feciſſet.

LIB. V. APH. XXVI.

219. *Aqua, quæ cito caleſit, & cito refrigeratur, leviſſima eſt.*

I.

Quænam aqua ſit leviſſima.

NOn eſt Hippocratis ſcopus in Aphoriſmis omnia criteria alicujus rei ſimul congerere, ut factitare ſolent Syſtematici ſcriptores, ſed unam alteramve ſententiam abſolute proferre, etiamſi aliis in circumſtantiis omnino contraria inveniatur: quare non ſemper integra doctrina alicujus rei in Aphoriſmis invenimus, ſed plerumque partem duntaxat aliquam abſolute poſitam. Ita in hoc loco rimatur aquæ levitatem, ex eo quod cito calefiat & refrigeretur, ſed propterea non negat aliis etiam modis aquæ levitatem inveniri non poſſe, per ſtateram vel reliqua ſtatica experimenta; neque propterea infert eam aquam magis minuſve ſalubrem eſſe, uti quidam contendunt. Quare experimentis hæc obſervatio phyſica eſt comprobanda vel refutanda. Illa docent corpora calefacta refrigerari communicando calorem ambientibus; itidem frigida incaleſcere ſi ambientia ſunt calidiora. Quo ſuperficies tangens ceteris paribus eſt major eo promptior communicatio. Conſtat ergo quod ea corpora, quæ majorem habent ſuperficiem cum eodem pondere, citius calorem & frigus immutent & tradant ambientibus, quam quorum ſuperficies eſt minor. Ergo ad probandam levitatem ſufficit, citior communicatio caloris & frigoris, quum inde conſtet idem pondus in duobus diverſis corporibus non habere eandem ſuperficiem, & cujus ſuperficies eſt major iſtud corpus dicitur levius. Ad uſum medicum laudatur aquæ levitas, non quod talis aqua ſemper ſit ſaluberrima, ſed ut plurimum, quoniam aqua ſemel vel bis deſtillata eſt leviſſima & tamen inſalubris, & poſſunt putrefactæ exhalationes aquæ miſtæ eſſe,

quæ tamen non augent aquæ pondus ſpecificum: ſed quando aqua ſpecifice redditur gravior ut plurimum continet ſales vel partes metallicas ſolutas, quæ aquam uſui humano inſalubrem faciunt.

LIB. V. APH. XXVII.

220. *QUibus autem bibendi appetentia noctu, iis valde ſitientibus, ſi obdormiverint, bonum.*

I.

Unde ſitis nocturna.

MUlti homines noctu ſitiunt ex mala conſuetudine; alii vero quia largiore coena, præprimis alimentorum ſalitorum vel aromaticorum, uſi fuere, aut largius biberunt, quod Græcis erat in frequenti uſu; denique quidam ex quodam latente morbo aliquo chronico, omni noctu ſitiunt: nam ſi quis morbo acuto laborat non ſolum noctu ſed etiam de die ſitit. Ex his ſpeciebus conjicio Auctorem ſolummodo eam intelligere, quæ oritur ex quodam morbo chronico latente, nam ſi aliquis morbo manifeſto laboraſſet, eum ſimul morbum nominaſſet. Neque perfectam ſanitatem intelligit, quoniam iſti noctu non ſitiunt niſi ex errore commiſſo in diæta, quæ ſitis nec bonum nec malum indicat, quum noctibus ſequentibus non continuetur. Operæ pretium ergo erit rimari morbum, qui ſitim nocturnam facit. Hodie obſervamus homines cruditate humorum laborantes ex defectu virium, quæ materia cruda aliquo modo vergit in corruptelam, noctu ſitire, quando nempe id corruptum ad os delatum ſenſum ſitis infert, quæ tamen ſitis non eſt placanda largiore potu, ut fieri debet ſi quis ſitiat ex humidi defectu.

Quando ſitis per ſomnum optime ſedatur.

II. Si quis concipit præcedentem morbum, in quo vix videntur ægrotare, intellectu facilis eſt hujus Aphoriſmi ſenſus. Nam qui noctu valde ſitiunt ex hac cauſa ſignum eſt, tunc maxime prædominare corruptum crudum ex defectu

fectu virium natum. Quod ſi tunc illi multum bibunt noctu, magis onerabunt corpus inutili copia aquæ, & ita morbi cauſam potius augent opprimendo vires. Si autem ſuperdormierint bonum eſt, quia tunc non oneratur corpus multitudine ingeſti, & vires recuperantur per ſomnum. Interim continuata coctione in ſomno ſubigitur & emendatur id crudum, diſponiturque ad inſenſibilem perſpirationem, qua dein diffiatur. Hæc ergo obſervatio utiliſſima eſt valetudinariis noctu multum ſitientibus, ut ſe, quantum ferre poſſint, abſtineant a potatione nocturna. Hanc malam conſuetudinem, non ignoro, multos alios abrogare ex omnino alio principio, quod judicarent ab ingeſto novo potu turbari coctionem, ſed quoniam ea ſententia paſſim a nobis eſt refutata, coctionem in nobis non fieri ut in lebete ab igne ſuppoſito, non erit opus hanc rem repetere.

LIB. V. APH. XXVIII.

221. *Suffitus aromatum muliebria ducit. Sæpius autem ad alia utilis eſſet, niſi capitis gravitates induceret.*

I.

Suffitus aromatum muliebria ducit.

QUod ex rebus exhalat, aëri permiſcetur & ita applicatur naribus aliiſque partibus corporis, id vocatur ſuffitus: quædam ex his ſponte talem ſuffitum præbent, ut omnia odora & olentia; alia autem igni injecta tantum ſuffitum præbent, vel gratum vel fœtidum, uti maſtix, ſuccinum, myrrham &c. Hodie vero adjecto ſale volatili, vel quædam cum alcohole deſtillata, quæ aliter vix eſſent odora, pro ſuffitu inſerviunt. Quia autem Hipp: mentionem facit de ſuffitu aromatum videtur intelligere omnia aromata, quæ tunc temporis erant in uſu, quorum in loco ſurrogari poſſunt hodierna quoque omnia

Aroma-

Aromata, quæ collecta inveniuntur in Libro filii noſtri *Davidis de Gorter de Materia Medica.* Quæ vel ſponte, vel igni injecta fumum exhalant aromaticum. Ita Caryophyllus, Cinamomum, Roſmarinus, Majorana ſponte vel aquæ ebullienti injecta, ſuffitum præbent. Alia vero prunis ardentibus injecta uti myrrha, maſtix, ſuccinum, olibanum, benzoin & multa alia exhalant fumum aromaticum. Hæc nunc Muliebria ducunt, id eſt menſes vel lochia ſuppreſſa provocant, & quæ in utero continentur ejiciunt. Quidam dubitant num naribus vel pudendis adhibenda ſint. Litem de his non movebo, ego ſentio hoc in loco intelligi debere ſuffitum applicatum pudendis, vel directione infundibili in pudenda immiſſum. De omnibus aromaticis conſtat corpori noſtro applicatis facere calorem & motum majorem oromata tali in parte. Quod ſi itaque ope ſuffitus applicantur aromata pudendis mulierum, his quoque majorem motum facere. Quoties vero in fibris uteri motus major generatur, uterus quæcumque in ſe continet ejicit. Propterea ſanguis in uteri cavo concluſus vel & alia aliena in utero contenta ejiciuntur. Si vero menſtruus ſanguis in uteri vaſis contentus, propter languidiorem in utero motum ſubſiſtat, quod ſæpe fit in menſtruis ſuppreſſis, hoc ſuffitu commotis fibris uteri, ille ſanguis expelletur. Ex eadem ratione Veteres toties indiderunt peſſaria acria aromatica ad provocandos menſes. Quoniam ille Suffitus vel poteſt eſſe ſiccus vel humidus, cum judicio hoc vel iſtud eſt eligendum: nam ſi pudenda in muliebribus contentis ſimul caleſcant & ſicca ſunt, eligendus eſt ſuffitus humidus & tunc melius erit vaporem mollem & humidum applicare quam aromaticum. Si vero pudenda ſunt frigidiora & humidiora, quod ſæpe fit in menſibus ſuppreſſis, magis conducit ſuffitum ſiccum & aromaticum applicare. Quoniam hi Suffitus ſine diſcrimine omnia muliebria ducunt, cavendus eſt ejus uſus in gravidis, ob periculum abortus.

Et ad alia ſæpius eſt utilis, niſi capitis gravitates inducerent.

II. Ut ampliorem uſum hujus Suffitus aromatum traderet, addit ad alia quoque utilem eſſe, cum hac cautela interdum ſimul inducere Capitis gravitatem. Ex qua adjun-

ćta cautela patet Auctorem hic velle innuere vaporem vel fumum aromaticum exhalantem interdum hauriri naribus, ad multos morbos capitis, ſed in uſu horum debet ſelectus fieri aromatum, & etiam idioſyncraſia ægri vel ægræ eſt obſervanda, quoniam quidam ſuffitus aromatici ſimul inferant capitis gravitates: atque quibuſdam in hominibus unum aroma infert capiti moleſtiam, quod alteri adfert levamen, quod diſcrimen non ita obſervatur ſi ſuffitus adhibetur pudendis. Quippe ſuffitus membranæ pituitariæ applicatus, ſuo ſtimulo allicit humores & encephalum in conſenſum trahit, ſed humores hic alliciti non ita poſſunt per hanc viam evacuari, quemadmodum ex utero, cujus orificium aperiri poteſt: unde interdum fit, ob allicitos humores verſus encephalum, non potentes evacuari, quod caput ita multitudine humorum onuſtum, aggravetur. Hodie vero loco horum frequentius adhibentur ſales volatiles & aromata in ſpirituoſis ſoluta.

LIB. V. APH. XXIX.

222. *PRægnantes purgandæ, ſi turgeat materia, quadrimeſtres, & uſque ad ſeptimum menſem: hæ vero minus. Juniores autem & ſeniores fœtus, caute vitare oportet.*

I.

IDem aphoriſmus habetur (*Aph.* 111.) Sed ibi adducebatur ſcopo purgandi, hic vero, quia Auctoris ſcopus eſt agere de morbis & curatione gravidarum, hæc repetitio ejuſdem ſententiæ tolerari poteſt. Sed propterea non erit opus repetere expoſitionem noſtram allegato loco traditam.

LIB. V. APH. XXX.

223. *Mulierem in utero gerentem ab acuto aliquo morbo corripi, lethale.*

I.

Cur lethale gravidam acuto morbo corripi.

Quænam dicantur prægnantes ſeu in utero gerentes, ſuperius expoſuimus (*Aph.* III, II.) Et definitionem morbi Acuti dedimus (in *Comp.* T. 53. XLVII.) ubi præprimis intelleximus Morbos acutos febriles periculoſos & minus periculoſos. Galenus autem & alii ad hunc titulum etiam conferunt morbos ſine febre, uti Apoplexiam, Epilepſiam, Convulſionem. Inde variæ ſpecies morborum acutorum ſunt, uti vehementes, febriles, eſſentiales & ſymtomaticæ, quæ ex Inflammatione vel Eryſipelate particulari naſcuntur; hæ omnes in hoc loco intelliguntur. Febres autem mitiores ut ephemera & quædam ex intermittentibus, ad hanc prognoſin referri nequeunt, quoniam ſatis commode ſæpe a gravidis tolerantur. At Acuti Morbi ſine febre, qui nimiam conſtrictionem faciunt, uti Epilepſia & Convulſio, vel cum motus exſtinctione, uti Apoplexia & Animi deliquium, niſi ſint vehementes, non lethales ſunt pronunciandi. Hæc prognoſis, ut ſit certa & perſpicua, exigit cauſarum expoſitionem, quæ vel matri vel fœtui ſunt exitiales. Febres acutæ eſſentiales & ſymptomaticæ validiſſimam habent circulationem per omnes arterias, & etiam per arterias uteri, quæ ſanguinem tradunt principiis venarum in placenta. Hæ autem venæ duntaxat arteriis uteri ſunt contiguæ, & non cum iis concretæ, unde facile fieri poſſit per eam vehementem circulationem, ut placentæ venæ a contactu eo depellantur, poſt quarum ſeparationem fœtus a matre nihil amplius accipere poteſt; ita fœtus privatus communione cum matre neceſſario moritur. Quaſi hæc aſſignata cauſa non ſufficeret, alia ſimul naſcitur fœtum

fœtum exſtinguens, nempe tanta fit humorum & ſanguinis matris inverſio per motum febrilem, ut ſæpe ineptus reddatur ad nutriendum fœtum. Inde rarum eſt, ſi gravida femina corripiatur febre acuta, ut non tandem abortiat. Ceteræ ſpecies etiam non carent periculo, nam vehemens muſculorum & etiam partium internarum convulſio ita interdum conſtringit ventrem vel forſan ipſum uterum, ut vel fœtus vi excludatur, vel placenta ſeparetur ab utero, & dein ſequatur abortus. Si vero in apoplexia vel ſyncope omnis motus exſtinguatur, dimitti poteſt placentæ cohæſio, quæ reſtitui nequit, dum femina ad ſe redit. Hæc autem ſpecies minus eſt lethalis, quam morbus acutus febrilis, quum obſervetur in praxi, feminas gravidas ſæpe pati animi deliquia & tamen fœtum ſanum legitimo tempore parere.

LIB. V. APH. XXXI.

224. *MUlier in utero gerens ſectâ venâ abortit: & magis ſi major fuerit fœtus.*

I.

Cur gravida abortit a venæ ſectione.

NOs non ſolum in veſtitu ſed etiam in methodo medendi alias gentes imitamur, non attendentes num ſit ex ratione, vel malum vel bonum ſortiatur effectum; nam poſtquam in Gallia invaluerat mittendi ſanguinis conſuetudo in gravidis ad præveniendum abortum, nos quoque in regione frigidiore degentes, earum gentium mores ſecuti ſumus, adeo quidem, ut vix habeatur mulier gravida, quin curet ſibi bis terve venam tundi, quo prædicant faciliorem futurum partum, & multa alia bona. Quædam autem prudentiores ſuum conſulunt Medicum domeſticum vel Chirurgum vel Pharmacopolam. Hi prout magis minuſque addicti ſunt phlebotomiæ, vel ſuadent vel diſſuadent ſine ullo diſcrimine in quavis femina gravida venam eſſe ſecandam: ut ad hoc uſque tempus admodum fluctuet

quid ſit agendum. Qui imperant venam ſecandam eſſe, dicunt ſanguinem menſtruum geſtationis tempore retentum venæ ſectione minuendum eſſe ne officiat. Alii autem contendunt fœtus nutrimentum detrahi & ita necari. Et ita incerta redditur praxis. Si conſulamus noſtrum Auctorem ſatis patet, eum omnem venæ ſectionem interdicere. Antequam autem ejus ſententiam perpendamus, præmonendum eſt, veteres ad heminam ſeu uncias decem duxiſſe ſanguinem. Si ergo quis rogaret an fœminæ gravidæ vena eſt ſecanda, tunc omnino vetarem omnem ſanguinis miſſionem. Sed ſi quæritur an non conduceret ſanguinem mittere ad quatuor vel quinque uncias ut hodie fit, abſolute non poteſt negari vel concedi. Nam ſi femina non gravida copioſos ſolet evacuare menſes, dum gravida fit, quoniam fœtus tenellus tantam copiam in incrementum ſui non poſſit convertere, ex abundantia relicta fieri poteſt abortus depulſa placenta: ſed quæ parcius purgantur, quoniam nullus eſt abundantiæ timor, his per venæ ſectionem generatur defectus, & ita penuria alimenti abortit. Propterea priusquam prudens Medicus concedat Phlebotomiam, ipſi conſtare debet tali in femina tantam eſſe ſanguinis abundantiam, quæ placentam ab utero depellere potuiſſet. Sed in his non acquieſcunt ſciſcitantes, ſi vena ſecetur, quærunt, num venæ ſuperiores vel inferiores ſint ſecandæ. Neque in hoc conſentiunt Auctores, maxima tamen pars ſuadebit ſectionem ſuperiorum venarum, quam contendunt abortum impedire. Alii autem dicunt poſt factam venæ ſectionem æquabiliter totam maſſam eſſe minutam, & propterea ſine diſcrimine quamcumque venam aperiri poſſe. Contra hos autem inferre poſſumus, quia tempore venæ ſectionis aliquod eſt diſcrimen, ſatius erit eam eligere venam, quæ hoc tempore omnium minimam mutationem inducit, id eſt ſi fieri debet ſanguinis miſſio, melius erit ſuperiores quam inferiores venas aperire.

Cur magis abortit ſi grandior exit fœtus.

II. Sanguinis miſſionis ratio erat, minuere ſanguinis quantitatem, ne abundantia depelleret placentam. Si igitur tenellus fœtus, qui parum nutrimenti capiebat, valuit perſiſtere,

ſtere, ſane nullus timor amplius ſupereſt fœtum grandiorem, qui plus nutrimenti capit, depulſum iri ab utero per ſanguinis abundantiam. Satis itaque mirari nequeo quamobrem ita illa mala conſuetudo invaluerit mittendi ſanguinem inſtante partu, quum in partu ipſo per lochia fluentia ſatis copioſa ſit exſpectanda ſanguinis evacuatio. Si ullum ſit tempus, in quo eſſet ſanguinis miſſio vitanda, ſane iſtud erit in quo inevitabilis ſanguinis evacuatio ſit exſpectanda, ut fit in partu. Inde his temporibus ſumma obſervatur puerperarum debilitas & pallor. Contendunt tamen ſanguinis miſſione faciliorem fieri partum. Sed ſi in praxi perpendo diſcrimen inter iſtas, quibus vena eſt ſecta, & in quibus omiſſa, fateor me obſervaſſe feminas, quarum vena non fuit ſecta, regulariter facilius paruiſſe, quam quæ paſſæ fuere ſanguinis miſſionem.

LIB. V. APH. xxxii.

225. *Mulieri ſanguinem evomenti, menſtruis erumpentibus, ſolutio fit.*

I.

FEminis ætate maturis, nec lactantibus, nec gravidis, ſingulis menſibus per pudenda evacuatur quædam ſanguinis quantitas, qua evacuatione reſtituitur æquilibrium inter ſanguinis copiam & actiones moventes, unde evacuatio hæc vocatur menſtruatio, menſes, & catamenia, quæ eſt ergo evacuatio naturalis (*Aph.* 3, v.) Si vero præter ſolitum iſtud tempus hac via non emittitur in recenſita femina ſanguis, talis menſium ſuppreſſione laborat: & quando deinceps ſponte emittitur ſanguis, menſium eruptio proprie vocatur. Quare menſium eruptio deſignat anteceſſiſſe Catameniorum ſuppreſſionem ex morboſa cauſa. Quando igitur accumulata fuit in corpore abundantia, quæ ad aliquam partem ferebatur majore impetu, his erumpentibus tollitur abundantia & reducitur impetus ad partem aliam,

Menſium eruptio quid notet.

Quid notet vomitus cruentus.

II. Non omnis ſanguinis rejectio per os Vomitus Cruentus vocari debet, quum in prognoſi & curatione multum differat, num ſanguis veniat ex faucibus, pulmonibus, & ipſo ventriculo. Qui ſanguis in cavo ventriculi collectus fuit, nauſeam creans & dein vomitum, proprie Vomitus Cruentus appellari meretur, iſque ſanguis ſæpe eſt grumoſus, quum ante ejectionem concreſcere potuit in ventriculo, & habet permiſta reliqua ventriculi contenta, ut ita a congeneribus facile diſtinguatur.

Cur mulieri ſanguini vomenti, menſtruis erumpentibus, ſolutio fit.

III. Ex præmiſſis his, facile erit concludere hanc obſervationem practicam ratione fundatam eſſe, atque interdum naturam aliquam evacuationem ſupprimere alia evacuatione. Quippe femina tempore ſuppreſſionis menſium ſi inciderit in vomitum cruentum, non facile liberabitur ab eo morbo manentibus ſuppreſſis menſibus, quum feminarum corpora naturaliter generent majorem ſanguinis abundantiam, quæ renovabit vomitum cruentum. Si vero tali in femina menſes erumpunt, duo ſimul fiunt, quæ compeſcent vomitum cruentum; fit enim per menſes non ſolum ablatio quantitatis ſanguinis, qui ventriculi vaſa dilatabat; verum etiam directio impetus avertitur a ventriculo ad uterum, quo minus ventriculi vaſa diſtenduntur. Eodem etiam modo, ſed minus ſecure per aliam hæmorrhagiam & venæ ſectionem ſiſteretur vomitus cruentus; quia vero ſanguinis miſſio ſimul non habet ſignum directionis ad aliam partem, tam certe non compeſceret Vomitum cruentum: neque venæ ſectio, neque quævis alia hæmorrhagia tam certe promitterent menſtruationem in ordinem redituram, quam promittitur erumpentibus menſibus, ſine quibus femina matura, neque gravida, neque lactans, vivere nequit ſana. Ergo non ſolum ſolutio fit vomitus cruenti, ſed promittit quoque integram ſanitatem, quam non tam ſecure ex aliis evacuationibus ſanguinis poſſumus promittere. Hoc bonum obſervavit Auctor ex menſibus erumpentibus in vomitu cruento, & ulterius non concludit, quum ſit mera ſimplex practica obſervatio: ſed ſi perpendatur cauſa ſolutionis, hæc regula ad alias quoque

que ſanguinis evacuationes referri poteſt, & præprimis ad hæmoptyſin, quæ omnium periculoſiſſima cenſetur: propterea in feminis hæmoptoïcis, ex menſibus erumpentibus, ſanitatem promiſi & multo minus periculum quam in viris, qui hac naturali evacuatione carent. Dum ita in his natura nobis optimam demonſtret viam, medicus naturæ miniſter, hanc demonſtratam viam debet calcare, & potius per emmenagoga tempore menſtruationis conari in his feminis reſerare menſes, quam per iteratam venæ ſectionem temperare vomitum cruentum, & ſimul ſupprimere menſes.

LIB. V. APH. XXXIII.

226. *Mulieri, menſtruis deficientibus, e naribus ſanguinem fluere, bonum.*

I.

Ex quibus cauſis menſes deficiant.

MEnſes ex tribus his diverſis cauſis deficiunt. (1) Si femina ætatis maturæ ob morbum aliquem non fundit ſtato tempore ſanguinem, talis defectus utplurimum vocatur menſium ſuppreſſio. (2) Si talis matura femina reddatur gravida vel lactans, in quo caſu non eget alia ſuccenturiata evacuatione ſanguinis, (*Aph.* 224). (3) Denique increſcente ætate tandem deficiunt menſes, quando nullis auxiliis ſunt promovendi, quum poſt iſtud tempus ætatis ſi menſes pergunt fluere non amplius vocatur menſtruatio, ſed hæmorrhagia uteri, inter morbos recenſenda: adeo ut eadem evacuatio, quæ ante iſtud tempus ætatis ſalubris erat, & ſummum erat ſignum ſanitatis, nunc vero poſt hanc ætatem, habeatur inter morbos.

In quibus menſibus deficientibus hæmorrhagia, bonum.

II. Si rimamur has tres cauſas, facile erit judicare qualiſnam menſium defectus ſit intelligendus. Nam quibus menſes deficiunt ex cauſa morboſa, modo ſimul adſit ſanguinis

guinis abundantia, nam cum ſanguinis defectu ſemper noceret hæmorrhagia, his levamen fit ſi ſanguis e naribus fluit, quum fluxus tollat illam abundantiam: an vero talis hæmorrhagia bona ſit dicenda vehementer dubito. Præſens quidem adfert levamen, ſed eo obſtinatiorem ſuppreſſionem faciet, ut quæ feminæ ſæpe patiuntur hæmorrhagiam narium, vel quæ curant ſibi pertundi venam ut minuant ſymptomata ex ſanguinis ſuppreſſione nata, in poſterum vix unquam ad ordinatum menſtruorum fluxum redeunt, ſine quo vix ulla femina matura ſana vivit: quare hæ ad evitandam præſentem moleſtiam ſe in majus malum præcipitant. Videtur inde patere ſanguinem menſtruum pejorem eſſe reliquo ſanguine, cum ejus evacuatione maneant ſanæ, ſed fiunt valetudinariæ per quamcumque aliam ſanguinis evacuationem. Ego vero puto differentiæ hujus cauſam non conſiſtere in majori vel minori ſanguinis bonitate, quum demonſtratum ſit, ſanguinem menſtruum æque ſanum eſſe, quam qui aliunde educatur, & tenellum fœtum ex hoc præcipue ſanguine nutrimentum & incrementum capere; ſed quod omnes naturales evacuationes non patiantur integre ſupprimi ſine ullo damno, etiamſi aliqua artificialis vel nonnaturalis ſuccenturiata evacuatio habeatur. Altera cauſa ex graviditate vel lactatione ſupprimens menſes ſi faciat hæmorrhagiam, ſemper damnum infert. Propterea concipiendum eſt Hippocratem in hoc Aphoriſmo intellexiſſe ſubſiſtentes menſes ex ætate. Quæ obſervatio hoc etiam tempore vera eſt, cui feminæ enim ex ætate ſubſiſtunt menſes, huic, niſi alia fiat ſanguinis evacuatio vel naturalis vel artificialis, multi generantur morbi, quum natura conſueta per tam longum tempus huic evacuationi, non patitur ſtatim ſupprimi. Verum non perinde eſt per quamcumque viam natura exitum quærit, nam ſi faciat vel per vomitum vel hæmoptyſin, ex ratione harum partium, ſuccenturiatam evacuationem, novos morbos generaret ex læſis organis. Sed quia hæmorrhagia narium talem læſionem non adfert, bonum dici poteſt, ut aliquoties experti ſumus. Ratio autem cur bona cenſeatur

ſeatur illa hæmorrhagia eſt, quod ſuppleat defectum ſine ſubſequente læſione, ergo naturam poſſumus æmulari inſtituendo venæ ſectionem, quam alternis menſibus & dein rarius inſtituere poſſumus.

LIB. V. APH. XXXIV.

227. *Mulieri in utero gerenti ſi alvus multum fluxerit, periculum ne abortiat.*

I.

Alvi fluxus in gravidis cur periculum abortus infert?

ALvus multum fluit, ſi deponantur plura per anum, & per longius tempus, quam judicare poſſumus ſuppeditari poſſe ab alimentis aſſumtis: interdum enim accidit, ut quædam recrementa collecta in inteſtino colo, uno die ejecta multum ſuperent copiam ingeſtorum, ſed talis evacuatio etiam in femina gravida ſalubris eſt, quæ liberat corpus ab inutili ſarcina; hæc exoneratio non dicitur alvum multum fluere; ſed ſi præter recrementa alimentorum & humorum eo confluentum, & ſine prægreſſa accumulatione, alvus per longum tempus multum egerit, tunc cenſetur multum fluere. Ergo in tali fluxu non ſolum rejiciuntur inutilia, ſed etiam humores utiles, vel qui inſerviiſſent præparationi vel nutritioni. Ita ergo privatur corpus mulieris gravidæ utili ſuo humore, & inde redditur ineptius ad nutriendum fœtum, ut monuimus in venæ ſectione. (*Aph.* 224, 1.) Ex hac non ſolum cauſa abortire poteſt detracto nutrititio, verum etiam quoniam inteſtinum rectum utero adjacet, quod in tali alvi fluxu continuo inſtigatur ad egerendum, uterus per conſenſum non raro quoque diſponitur ad elidendum id quod concepit, ſeu diſponitur ad abortum faciendum. Quoniam duæ illæ cauſæ diſponunt ad Abortum, mirum eſt inde non frequentius fieri Abortum. Monemur itaque nos non debere ſine ſumma neceſſitate dare purgans mulieri gravidæ,

quibus frequens eſt alvus adſtricta; ſed ſi neceſſitas ducendi alvum in gravidis urget, ſolummodo alvum laxantia ſunt propinanda, & tam parva doſi, ſed tamen iteratis vicibus, ut duntaxat ſemel aut bis ex medicamenti uſu alvum deponant.

LIB. V. APH. XXXV.

228. *Mulieri ab hyſterica paſſione vexatæ, aut difficulter parienti, ſternutatio ſuperveniens, bonum.*

I.

Hyſterica quid notet.

QUum ipſe Galenus optimus Hippocratis interpres fateatur obſcuritatem eſſe in vocabulo ὑστερικῶν, num denotet ſuffocationem uterinam, num uteri contenta poſt partum, num omnes morbos uteri, non eſt mirum quod firma doctrina adſtrui non poſſit, Sternutationem prodeſſe vel nocere. Concedendum eſt Literatoribus hoc vocabulum frequentiſſime ſignificare Paſſionem Hyſtericam, unde medici & ipſe Galenus multis verbis conantur adſtruere, ſternutationem prodeſſe hyſtericis. Si autem ſenſum Aphoriſmi inſpicimus, multo magis conveniret per Hyſtericum in hoc loco intelligere ſecundinas retentas: nam ſi uterus non valet expellere fœtum vel ſecundinas, bonum erit ſi ſternutatio ſuperveniat. Sed hyſterica paſſio nihil commune habet cum partu. Quia vero noſter ſcopus eſt uſum medicum quærere ex ſententiis Hippocratis, non vero emendare lectionem, videbimus num ſternutatio ſit bona in Hyſterica paſſione, ſecundinis retentis, & partu difficili.

Sternutatio in hyſterica paſſione.

II. Nullum invenio in tota praxi morbum difficilius definiendum quam eum, quem ſolent vocare Paſſionem Hyſtericam. Qui enim hunc morbum ex ſua cauſa definire ſatagunt

gunt, contendunt ſemen muliebre corruptum eſſe, & ſuos halitus ſurſum pellere ad fauces. Alii vero ipſum uterum accuſant, quem putant adſcendere ad fauces. Quia vero etiam ille morbus ante maturam ætatem obſervatur, in vietis, menſium profluvio laborantibus, & in gravidis, imo etiam in virili ſexu, & quoniam anatomica diſſectio ad oculum demonſtrat uterum adſcendere non poſſe, patet clariſſime hanc definitionem nullo modo determinare & exprimere Paſſionem Hyſtericam: neque tiro Medicus inſcius ex definitione data, valeret ſibi formare morbi ideam. Qui vero ad faciliorem intellectum ex phænomenis viſibilibus definiunt Paſſionem Hyſtericam, putant ſufficere per interceptam reſpirationem hunc morbum cognitum facere, vel tam multa congerunt phænomena aliis quoque morbis communia, ut vel exercitatus medicus vix perſpicere valeat, quænam ſint characteriſtica ſigna paſſionis hyſtericæ, & quia hyſtericum nomen adeſt, quod ſolis mulieribus eſt proprium, incerti hærent ſi ſimilia phænomena etiam obſervantur in maſculino ſexu, inde coacti fuere eundem morbum in viris alio nomine appellare, propterea eum vocarunt ſuffocationem hypochondriacam: ſed quoniam animis alte inſidit opinio hunc morbum naſci ex ſemine corrupto, iterum nova naſcitur difficultas, nuptos æque quam innuptos hoc morbo tentari, & præcipue iſtos, qui ſeminis profluvio laborant vel venere abutuntur. Ut igitur in poſterum conſtet, qualiſnam morbus in utroque ſexu vocetur Paſſio Hyſterica, repudianda eſt omnis analogia vocis & falſa præconcepta opinio, & tradendus eſt aliquis morbis ſuis characteriſticis ſignis definiendus, quem aptius vocare potuiſſemus Suffocationem Convulſivam, quoniam ſpecies eſt convulſionis, quæ tandem frequentiſſime ſuffocationem inducit. In utroque ſexu ſi in ventre inferiore ſentiatur involuntaria commotio convulſiva, quæ ſenſim ſurſum vergit, in multis ac ſi globus adſcenderet, & dein ad fauces veniens ita conſtringit fauces, ut impediatur deglutitio & ſuffocetur reſpiratio, hæc conjuncta phænomena vocant Paſſionem Hyſtericam: in graviori malo fauces in quendam tumorem elevantur, &

inde compreſſis venis jugularibus tota ſæpe facies livet. In leviori malo mens manet conſtans, & membra non moventur convulſive. Verum in graviori malo, ipſa actio mentis exſtinguitur, atque vel cadunt ſimul in animi deliquium, vel convelluntur membra uti in epilepſia, interdum vero mens manet conſtans, dum tamen membra variis modis convulſione agitantur. Accedentia illa igitur ſymptomata duntaxat magnitudinem paſſionis hyſtericæ denuntiant. Ex his phænomenis nullo modo patet uterum eſſe affectum, & hoc etiam cadaverum inſpectio confirmat, quoniam in hyſtericis paſſionibus ſuffocatis & mortuis uterus fuit inventus inſons, & æque ſanus quam aliis ſaniſſimis feminis, ſed phænomena docent Convulſionem incipere in meſenterio & inteſtinis, propagari per ventriculum & œſophagum ad Pharyngem, cujus muſculi una cum muſculis Laryngis tetanica conſtrictione contrahuntur: quod ſi illa convulſio tandem communicatur meningibus, exſtinguitur mentis actio, ita comprimitur cerebellum ut non emittat ſpiritus ad actionem cordis & reſpirationis; vel ſi motus ille magis eſt inordinatus, membra externa convulſione epileptica exagitat. In tali nunc ſuffocatione hyſterica nunquam in tota mea praxi potui obſervare ſternutationem profuiſſe, neque video quid boni adferret. Propterea malo credere in hoc loco intelligendas eſſe ſecundinas retentas.

Sternutatio in ſecundinis retentis bonum.

III. Dum formatur in utero fœtus, quaſdam dedit Deus partes auxiliatrices ſeu intermedias inter matrem & fœtum, quarum ope inter hæc duo viventia corpora communis habetur vita, ea lege ut tamen mater ſine his vivere poſſit, ſed fœtus ante perfectionem ſi iis privetur, aut ſi partes auxiliatrices non communicent matri, fœtus neceſſario moritur, ut conſtat ex abortu, antequam fœtus in ſuis organis eſt perfectus. Si vero fœtus tandem organa perfecta acquiſivit, quod raro fit ante ſeptimum menſem a conceptu, patitur illam ſeparationem & ſuam propriam vitam agere poteſt, eo tamen dibiliorem quo eſt conceptui propior, unde cadit falſa opinio fœtum octo menſium debiliorem eſſe quam ſeptem menſium, quum debilitas dependeat

deat a minus perfectis organis ante exclusionem, quæ octavo menſe perfectiora ſunt quam menſe ſeptimo. An vero hæ partes auxiliatrices quoque vitales ſint vel mortuæ, nullam apud auctores invenio mentionem. Si vero perpendimus impedimenta circulationis a matre per placentam, funiculum umbilicalem intortum longiſſimum ad fœtum, atque viciſſim ex fœtu debiliſſimo per eaſdem partes ad matrem, fateor me concipere non poſſe ſine vitali actione propellente ſanguinem in his partibus, fieri poſſe communem circulationem: ſed ſi concedimus his partibus actionem vitalem, quam Deus noluit ultra novem menſes durare in generatione hominis, egregie & clariſſime multa obſcuriſſima in generationis negotio explicari poſſunt. Cur nempe fœtus cogatur nono menſe in lucem prodire? Cur mola formari poſſit, ſi in principio imprægnationis moriatur embryon? & multa alia, quæ non ſunt hujus loci exponere, ſed indicare volui multa obſcura ex doctrina hac lucem mutuare poſſe. Si igitur contingat, ut Secundæ hæ maneant in utero poſt partum, adſtruit Auctor bonum eſſe ſi ſuperveniat ſternutatio. Hæ ſecundæ vel ſunt partes firmæ uti placenta, membranæ & funiculus umbilicalis, quæ partes proprie dicuntur ſecundæ; vel ſunt humores nempe ſanguis qui fluit ex lateribus uteri & ex abrupta placenta, qui ſanguis Lochiorum nomine venit. Forſan Hipp: ad partes non ſolum firmas, ſed & ſanguinem retentum ſignificandum, dixit ὑσεριχῶν, in quo caſu ſalutare eſt ſi ſuperveniat ſternutatio: nam ſi cuncta hæc poſt partum retinentur, ſignum eſt orificium uteri eſſe clauſum, quod ut aperiatur, ſternutatio violenter contrahens ventris muſculos multum valere poteſt, quoniam talis puerpera ex voluntate non valeat tantam ventris conſtrictionem facere, ut fit in ſternutamento, quæ aperiret orificium uteri clauſum.

IV. Qui exiſtimaret in omni Partu difficiliore conducere ſternutamentum, & inde vellet adhiberi ſternutatoria ad facilitandum partum, multa damna inferret ſua præpoſtera medela; nam ſi ob ſitum alienum fœtus difficile parit mater, a concuſſione ſternutationis majus induceretur impedimentum, truderetur

Sternutatio in partu difficili, bona.

deretur enim fœtus in tantas anguſtias, ex quibus poſtea nulla manuum ope extricari potuiſſet. Sed ſi fœtus legitimo modo fuerit locatus, & propterea non parit, quod conamina parturiendi non ſufficiant ad dilatándum uteri orificium & elidendum fœtum, ſternutatio ſuperveniens, majori conamine contrahens abdominis muſculos valuit in quibuſdam parturientibus extrudere fœtum. Tali etiam in caſu conduceret ſternutatorium admovere naribus.

LIB. V. APH. XXXVI.

229. *Mulieri menſes decolores, nec eodem ſemper modo, & tempore prodeuntes, purgationem indicant eſſe neceſſariam.*

I.

Menſes decolores quinam dicantur.

IN omni ſanguine ſano eſt color ruber, qui poſt concretionem & exſiccationem magis in nigredinem vergit, ſimulque ineſt prompta concretio dum ſtagnat; quotieſcunque minuitur in ſanguine rubedo, ſimul amittit aliquomodo eam potentiam concreſcendi. Hanc rubedinem acquirit ſatis valida vitæ actione; quare omnibus in debilibus ſanguis minus ruber eſt & palleſcens. Si hujuſmodi ſanguis evacuatur per pudenda in femina matura, fluxum illum menſes decolores vocant, quando ſtatis temporibus redit & iterum ceſſat. Si autem fere continuo ſtillat liquor albicans, ille morbus vocatur fluor albus. Conſtat ex dictis menſes decolores arguere actionem vitæ debiliorem, & præſentiam cacochymiæ.

Menſes inordinati.

II. Menſes ratione temporis quo fluunt, & ratione quantitatis poſſunt fieri inordinati. Regularis fluxus eſt ſingulis menſibus, quando per unum, duos treſve dies ſanguis ille evacuatur ad certam quantitatem, non omnibus feminis æqualem. Si vero idem tempus periodi ſervent, ſive ſit lon-

longius ſive ſit brevius, & ſi iſtis temporibus æqualis fere copia emittatur, menſes dicuntur regulares: ſed qui vel in tempore vel in quantitate variant, inordinati vocantur. Ita fiunt inordinati ob aliquam morboſam cauſam, plerumque ex cacochymia, quæ ex debilitate virium naſcitur.

Cur menſes decolores & inordinati purgationem indicant.

III. Conjunxit duo ſigna menſium, ut inde formaret indicationem ducendi alvum ea ratione, quoniam unum ex his potuiſſet ex variis cauſis naſci, quæ omnes non exigerent purgationem: ita in hyſtericis ſæpe fiunt menſes inordinati qui tamen non egent purgatione. Sed quando decolores ſunt & in tempore atque copia ſimul variant, pro certo accipi poteſt cacochymiam ſimul eſſe in primis viis, quæ ſui eliminatione eget. Itaque magis ut ſignum purgationis tales cenſentur menſes, quam quod ipſi menſes decolores curarentur purgantibus. Quippe ſanguis pallidior non recuperat colorem per purgans, neque purgans valet errantes menſes redigere in ordinem. Sed quoniam horum cauſa eſt cacochymia, purgans requiritur ad eliminandam illam. Non tamen præciperem aliquoties ducere alvum, majorem enim induceret debilitatem, ſed poſtquam corpus a cacochymia eſt liberatum, ſatius erit corporis vires firmare roborantibus, ne nova generetur cacochymia, quæ menſium ordinem turbat, & pallidiorem producit ſanguinem.

LIB. V. APH. XXXVII.

230. *MUlieri in utero gerenti, ſi mammæ ex improviſo graciles fiant, abortit.*

I.

Conſenſus inter mammas & uterum.

INter multas corporis partes mirabilem eſſe Conſenſum, quem non poſſumus ex legibus mechanicis deducere, paſſim (*Aph.* 125, III. 126, III. & 127, IV.) indicavimus. Sed maximus & mirabilis Conſenſus obſervatur inter Mammas

mas & Uterum, etiamſi partes eæ admodum diſtent. Facile concipitur cur inter lumbos, inteſtinum rectum & veſicam, propter nexum membranarum, Conſenſus habetur cum Utero, verum quoniam inter mammas & uterum non inveniunt talem membranarum nexum, multis medicis magnam difficultatem paruit mediam partem Conſenſum facientem invenire. Galenus poſuit venas, hodierni aſſignant arterias. Fateor, niſi frequentiſſime in gravidis, lactantibus & morbis uteri & mammarum fuiſſet detectus Conſenſus, nemo anatomicorum & phyſiologicorum, ex inventa fabrica, & experimentis hydraulicis vel mechanicis unquam detexiſſet hunc mirabilem Conſenſum: ſed poſt eum detectum quæſiverunt id quod Conſenſum faceret. Hinc forſan neoterici auctoritate Galeni & aliorum ducti ſubſtituerunt arterias loco venarum, quæ Conſenſum facerent. Sed ſi per experimenta in viventibus tentemus inter arterias ab eodem trunco venientes rimari Conſenſum, eum nullibi talem invenimus, nam ex affecta arteria unius manus altera non conſentit, neque conſenſus inter arterias utriuſque pedis detegitur, etiamſi major ſit communis origo inter iſtas arterias, quam quæ detegitur inter arterias uterinas & mammarias. Quare mihi veriſimile videtur, arterias magis excogitatas eſſe ad Conſenſum explicandum ut aliquid dicerent, quam quod ſit vera animi ſententia eorum, qui hanc promulgarunt ſententiam, cum nemo fuerit, qui inter fauces titillatas & muſculos abdominis vomitum facientes, vel qui inter membranam internam narium titillatam & muſculos reſpirationis ſternutamentum facientes, auſus fuit eum Conſenſum ex anaſtomoſibus vel ramificationibus arteriarum deducere. Quare fateri debemus latitare aliquod arcanum, quod Deus locavit inter quaſdam noſtri corporis viventis actiones. Et quoniam uterus & mammæ in eandem rem perficiendam tendunt, nempe ad generationem & nutritionem prolis, non eſt mirandum inter functiones has majorem eſſe ſocietatem quam inter reliquas. Dum enim matura redditur virgo, quando ovaria incipiunt formare ova imprægnationi apta, mammæ quoque fororiant. Et dum mulier

mulier facta eſt gravida, ſenſim cum increſcente fœtu, tument non ſolum mammæ, ſed lac ſtillare incipiunt, ut poſt partum promptum ſit organum, quod infanti lac præbere poteſt. Hoc obſervatu eſt mirabile, quod tempore eo non mutetur mammarum ſtructura aut curſus vaſorum, ſed quod ſolummodo earum actio mutetur, quæ mammæ aliter nunquam præbuiſſent lac, nunc vero ex ſua actione mutata ſatis copioſum lac conficiant & emittant. Sed ſi hanc mutationem actionis conferamus cum reliquis actionibus generationis, nihil arcani involvit. Nam ante maturitatem tam in viris quam mulieribus organa genitalia eandem habent fabricam, ſed graciliorem, ſenſim vero ad maturitatem accedentia, redduntur majora, turgidiora, & generant ſemen & ova prolifica: tandem vero in vietis, licet ſtructura organorum non mutetur, hæ tamen partes ſenſim exareſcunt & generatur naturalis ſterilitas. Idem quoque ſtatuendum mihi videtur inter Mammas & Uterum, dum enim uterus fœtu eſt prægnans, ſenſim roborari actionem Mammarum, ut requiſito tempore in ſe conficiant lac proli præbendum. Si quis autem quærit quas partes intermedias aſſignarem hunc Conſenſum facientes, nullam huic negotio aptiorem agnoſcerem quam nervos, quorum mirabilis conſenſus multis etiam in morbis obſervatur, ut tradidi in *Comp.* T. 17. XXX ad XXXIV.

II. Præter motum animalem ex voluntate, vitalem perpetuum, & particularem in quibuſdam organis, uti in ventriculo & inteſtinis, quædam alia motus ſpecies in noſtro corpore vivente detegitur, qui ſolummodo ob certam cauſam agentem ſe exercet. V. G. non eſt in voluntate noſtra conſtringere & dilatare oculi pupillam, vel movere lentem per ligamentum ciliare, ſed hæc actio ſe accommodat viſui, in tenebris enim etiam contra noſtram voluntatem pupilla ſe dilatat, verum contrahitur in clariore luce. Hæc maxime in partibus genitalibus obſervatur, quæ ex voluntate neque rigent neque flacceſcunt. Neque femina parturiens conatum parturiendi cohibere poteſt. Ita etiam mammæ ſenſim magis turgent increſcente utero. Sed ſi interim

Cur mammæ ex improviſo graciles abortum præſagiunt.

uteri actio debilitetur, simul ob summum consensum debilior fit Mammarum actio, uti post seminis ejectionem detumescunt corpora spongiosa. Si ergo mammæ in gravidis subito gracilescunt, hujus detumescentiæ causa in ipsis Mammis non est quærenda, sed in eo organo debilitato, quod antea valens per Consensum turgere faciebat Mammas. Ergo signum est uteri actionem esse debilitatam. Quæ talis si fiat, vel quod fœtus in utero moriatur, vel quod placenta ab utero fuerit debilitata, necesse erit, ut post paucos dies ejiciatur fœtus, qualem abortum nullis auxiliis prævenire possumus.

LIB. V. APH. XXXVIII.

231. *Mulieri in utero gerenti, si altera mamma gracilis fiat gemellas gestanti, alterutrum abortit. Et, siquidem dextra gracilis fiat, marem, si vero sinistra, fœminam.*

I.

An alteruter gemellorum nequeat abortum facere.

Veteres sectione reliquorum animalium in structura uteri admodum decepti, existimantes uterum constare multis cellulis, vel etiam duobus receptaculis seu cornubus, facile concipiebant alterutrum gemellorum aboriri posse. Postquam autem in feminis detexerant neoterici uterum intus unicam habere cavitatem, inter quos quidam fuere existimantes gemellos eadem includi membrana, & communem habere placentam, negarunt abortum fieri posse, altero servato. Ego vero in quadam honestissima matrona observavi abortum, quæ matrona post tres vel quatuor menses parturiit gemellos: quare a tribus fœtibus fuit gravida, quorum unus ante legitimum tempus per abortum periit, duo reliqui gemelli perfecti in lucem prodierunt viventes. Ergo certum est alterutrum gemellorum aboriri

aboriri posse. Sed inde non constat uterum mulierum constare multis loculis distinctis, ut in quibusdam quadrupedibus. Verum constat gemellos non habere communem placentam, neque in eadem membrana concludi. Uterus quidem unam communem habet cavitatem, sed regulariter unusquisque fœtus, si plures simul sint in utero, suam propriam habet membranam & placentam; interdum autem tali in casu placentæ illæ inter se concrescunt, in quo casu necesse est, ut eodem partu gemelli prodeant. Aliter autem qui proximus adjacet uteri orificio aboriri potest relicto altero.

An dextra mamma gracilescens abortum maris præsagit, & viciſſim?

II. Rarissima sunt exempla fœminam gemellis gravidam alterutrum abortire; forsan Hipp: talem vidit abortum semel aut bis, & in iis observavit Mammam dextram gracilem factam antecessisse, dum elidebatur mas, sed sinistram, dum femina. Inde forsan judicavit hoc perpetuum esse, quum ex sectione quadrupedum constabat uterum habere duo cornua. Hanc igitur sententiam posteritati reliquit, quæ magnam habens in verbis hujus Senis auctoritatem, non dubitavit eandem amplecti. Si vero ipsa experimenta consulamus, nihil certi in hac observatione detegimus; quare non amplius hoc præsagium Mammæ gracilescentis inter certa prognostica tenendum. Et quamvis verum esset præsagium, nulla propterea in arte Medica utilitas, nam sive marem, sive feminam abortiat, par esset periculum, & nulla differentia medelæ.

LIB. V. APH. XXXIX.

232. *SI mulier quæ nec prægnans est, nec peperit, lac habeat, ei menstrua defecerunt.*

I.

Lac quid sit.

ETiamsi lac liquor sit visibilis, qui patiatur experimentis examinari, & constanti lege in omnibus viviparis animalibus post partum generatur in Mammis, est

tamen inter Auctores Medicos magnum diſſidium, quinam ſit humor. Quidam enim dicunt eſſe chylum per ductum thoracicum ad mammas delatum: alii ſtatuunt eſſe chylum cum ſanguine ad mammas delatum & dein ſeparatum: nonnulli contendunt eſſe ſanguinem per mammas in lac converſum: denique ſunt, qui Lac & Pus eundem humorem faciunt. Nos non immorabimur aliorum ſententiis ponderandis & refutandis, duntaxat exagitaturi quæ vera ſunt & ad ſcopum medicum pertinent, ex quibus demonſtratis cetera facile corruent. Lac eſt humor admodum heterogeneus, nutritioni aptiſſimus, ſecretus & confectus in mammis & dein emiſſus. Neque ipſe chylus eſt, neque ſanguis, quum ſtagnans præbeat butyrum, & coagulatum formet caſeum, quæ proprietates neque in chylo neque in ſanguine obſervantur. Eſt ergo liquor particularis in animali corpore. Si autem lactis originem ſpectamus, proxima materia, ex qua formatur, eſt chylus, qui ulteriore actione corporis eſt elaboratus, & tandem ad mammas ductus, ad majorem perfectionem deducitur, & a reliqua maſſa ſanguinis ſegregatur, cum liquor ulterius in mammis lactantium confectus & emiſſus poſt longam inediam, dum nihil amplius reſtet in corpore chyli, amittat naturales lactis dotes, & infans eum liquorem abhorreat, atque quædam proprietates aſſumtorum, quæ actione corporis viventis non facile ſubiguntur & exſtinguuntur, in lacte etiam detegantur. Hoc ſpecificum eſt in lacte, quod contineat etiam materiem nutrititiam & corpori utilem, dum vero reliqui humores, qui excernuntur in ſanitate ſint corpori inutiles. Sed hoc mirabile eſt in omni humore qui generationi inſervit: nam ipſe ſanguis menſtruus, & ſemen virile non eſt humor inutilis.

Lactis generatio.

II. Omni igitur tempore & in utroque ſexu præſens eſt Lactis materia, quum chylus in primis viis natus, in ſanguinem delatus, ibi ulterius elaboratus inveniatur: non tamen omni tempore & in utroque ſexu invenitur lac ſeparatum, & per mammas emiſſum, ſed regulariter in puerperis, in quibus etiam per longum tempus ea continuatur lactis generatio & emiſſio. Interdum autem quibuſdam puerperis nulla

nulla ſequitur Lactis confectio. Obſervatum quoque fuit facta frequenti mammarum ſuctione, ſine prægreſſo partu, mammas lac præbuiſſe; imo in quibuſdam viris, ſed rariſſima ſunt exempla: verum in recens natorum mammis aliquid lacti ſimile ſæpe invenitur, quod ab obſtetricibus exprimitur, ne mammillarum durum relinqueret tumorem. Quod autem regulariter in fine geſtationis & in puerperio generetur lac, id demonſtrat, quod mammarum glandulæ, ſi ita liceat vocare mammarum fabricam, in puerperis acquirant actionem ſeu motum, quem antea non habuere, quo materies chyloſa in communi maſſa ſanguinis confecta, in mammis ulterius ad perfectionem deducitur, & a reliqua maſſa ſeparatur. Ergo ad inquirendam lactis generationem duntaxat eſt aſſignanda cauſa, quæ hunc motum in mammis producit. Illa cauſa manifeſta eſt, nam poſtquam uterus ſenſim major eſt factus & robuſtior, ſi partes auxiliatrices fœtus incipiunt mori, vel ab utero ſeparantur, uterus non amplius valens confectum humorem tradere fœtui, mammas in conſenſum trahit, earumque actionem inſtigat, quæ tunc in principio conficiunt Coloſtrum, ſed ceſſante inſtigatione uteri, ſua continuata actione purum lac conficiunt & emittunt. Obſervavi in feminis robuſtiſſimis, quæ toto geſtationis tempore fuere lactantes, quod tamen poſt partum præbebant Coloſtrum, certo indicio coloſtrum non formari ex materia pinguiore retenta, ſed ſpeciali inſtigatione uteri, ſeu ſpeciali uteri actione ad mammas delata.

Quando menſtrua retenta lac generant in mammis.

III. Ad lactis generationem in mammis non ſufficere ut abundaret ſanguis vel chylus in corpore demonſtravimus, ſed inſuper generari debere motum ſeu actionem in mammis particularem, quæ allatum chylum cum ſanguine ulterius in naturam lactis commutet, & a reliqua maſſa ſegreget: inde ſuctio mammarum frequens hunc motum ſuſcitans, tandem Lactis generationem produxit, & femina lactans continuata ſuctione pergit generare lac; ſed ſenſim minuta ſuctione, donec ceſſaverit hæc actio, ſine incommodo evaneſcit lactis generatio. Inde non omnis

menſium ſuppreſſio lactis generationem producit, neque falſa graviditas lac præbet mammis, quum uterus morboſus non valeat ſanam illam & vegetam in mammis per conſenſum concitare actionem; etiamſi chyli abundantia habeatur in corpore, ſine hoc motu non fit ejus converſio in lac, neque ſegregatio a reliqua maſſa ſanguinis. Ex quibus omnibus concludere poſſumus ad lactis generationem requiri materiem productioni Lactis aptam, atque motum mammarum particularem, & ſive hoc, ſive iſtud deficiat, non formari Lac. Si ergo menſes deficiunt, generatur quidem abundantia humoris, ſed ſi ſimul uterus morboſa afficiatur, non generatur illa requiſita actio: verum ſi in menſibus retentis uteri actio reddatur robuſtior, quod interdum fit, tali in caſu mammæ in ſe lac generare poſſunt. Quod autem in menſtruantibus non generetur regulariter lac, inde eſt quia Lactis materia aliunde evacuatur. Novi tamen feminas, quibus omni tempore erat lac in mammis, etiamſi menſtrua ordinate fluebant: hæ etiam in graviditate & lactantes menſtrua fundebant, ſed erant admodum ſucculentæ & plethoricæ. Nunquam autem lac in mammis obſervavi, niſi præceſſerat partus, quo hæc actio mammarum fuerat concitata, nunquam vero in virginibus, niſi ſubſiſtant menſes. Egregium ergo eſt ſignum ſi virgo celat partum, ad detegendum an partus præceſſerit, quia rariſſimum eſt ſine partu prægreſſo mammas generare lac.

LIB. V. APH. XL.

233. *Mulieribus quibus in mammas ſanguis convertitur, inſaniam ſignificat.*

I.

An mania, prædicitur ex ſanguinis collectione ad mammas.

EAndem ſententiam habet (H. a. 711), ſed in maſculino, Hippocrates, unde patet non ſolum mulieribus, verum etiam viris maniam præſagiri ex ſanguinis converſione

verſione ad mammas. Ut formetur præſagium ex phænomenis, certe conſtare debet, quodnam iſtud ſit, ex quo præſagium ſit petendum: verum non ſatis conſtat quid ſit ſanguinis converſio aut collectio in mammas. Si in communi ſignificatione hæc accipiatur phraſis, denotaret ſanguinem ad mammas ferri majore impetu quam ad alias partes, & per mammas libere meare non poſſe, unde fieret mammarum tumor, rubor, ardor, dolor, pulſatio: ex quibus conſpectis ſignis prædiceremus Maniam, id eſt Delirium vehemens & conſtans. Nullus dubito, quin Auctor noſter poſt illa ſigna circa mammas obſervaverit maniam fuiſſe ſecutam, & propterea hanc obſervationem tranſtulerit in præſagium. Sed haud credo ſæpe fuiſſe obſervatum, quum ego in tota mea praxi nunquam hoc obſervare potuerim: neque convenit aliis legibus, quas in conſenſu & metaſtaſi morborum obſervamus. Inter mammas enim & cerebrum vix ullus conſenſus, ſæpe diriſſimos mammarum dolores, tumores, inflammationes & cancros tractavi, ſed nunquam inde ſecuta fuit mania: neque metaſtaſis morborum ad mammas maniam intulit. Hoc autem contingere poteſt in morbis mammarum, ut in aliarum partium morbis, quod acris materia in mammis nata a ſanguine recepta ad cerebrum delata maniam inferat: vel quod corpora valde mobilia nimio dolore mammarum commota in maniam præcipitent; ſed ex rariſſimis his exemplis & nihil ſpeciale a reliquis partibus habentibus, non poſſumus formare præſagium. Quare credo Auctorem noſtrum, dum obſervaverit ea ſigna circa mammas, & dein maniam, forſan judicaſſe hæc ſigna præbuiſſe cauſam maniæ ſequentis, dum quivis alius morbus interim maniam induxiſſet. Hoc etiam fallere poteſt exercitatiſſimos in arte medica, & fateor me non ſemel tali modo deluſum fuiſſe, ſi æger binis morbis laborabat, quorum alter latens, quædam ſymptomata inducat, quæ ex morbo manifeſto vix oriri potuere.

LIB. V. APH. XLI.

234. *SI ſcire velis an mulier conceperit, dormituræ aquam mulſam propinato, & ſi ventris tormina eam corripuerint, concepit, ſin minus, non concepit.*

I.

An ex melicrato exhibito graviditatem cognoſcere valeamus.

SI femina gravida fuerit per quatuor vel quinque menſes, ut fœtus ſe movens, uteri & mammarum tumeſcentia certa præbeant indicia imprægnationis, non eſt opus periculum facere per melicratum, num femina ſit gravida: ſed primis geſtationis menſibus utile foret hoc detegere poſſe, ne tempore eo darentur emmenagoga vel purgantia fortiora, quibus procuratur abortus. Propterea ſedulo omnia pertentarunt medici, num non poſſent primis menſibus graviditatem detegere. Inter experimenta erat Melicratum veſpertino tempore datum, ſed non additur hujus ingerendi quantitas; neque præparandi modus, an ex aqua & melle vel crudo vel cocto, an aniſo vel cumino adjecto, an ex melle cum lacte, dein an poſt cœnam, an vero incœnatæ mulieri ſit dandum, quæ omnia præſcienda erant, antequam aliquid certi ex melicrato ad definiendam graviditatem potuiſſet hauriri. Denique quædam mulieres hyſtericæ vel mobilitate laborantes, etiamſi non ſint grævidæ, ſed huic potioni non aſſuetæ, in ventris tormina inciderent. Ex quibus omnibus clariſſime patet admodum incertum eſſe experimentum, ut inde concluderemus, num femina primis menſibus eſſet gravida aut non. Quamvis quotidie examinari poſſint ſigna graviditatis, tamen ad hoc uſque tempus, etiam in mulieribus multorum liberorum matribus, tam incerta & dubia habentur, ut primis menſibus, non niſi per conjecturas detegere valeant

valeant graviditatem. Inter certiſſima inveni in mulieribus ſanis, quæ regulares habent menſes, menſium ſuppreſſionem ſine cauſa manifeſta, dum interim ſimul reddant urinam ſanam: nam quoties non ex imprægnatione menſes ſubſiſtunt, urina ſanitatis notam non ſervat, ſed aliquod ſignum morbi latentis ſolet præbere, quum ſanguis morboſe detentus æquilibrium deſtruens, aliqua labe inficiat urinam: ſed retentus ex graviditate, in incrementum fœtus cedens, non ita deſtruat æquilibrium. Si vero, ante imprægnationem, illa femina aliquo morbo laboraverit, hoc ſignum etiam eſt incertum. Quæ mulieres etiam gravidæ menſes fundunt, non poſſunt cognoſcere graviditatem, niſi quod menſes pauciores fluant quam antea. Idem quoque ſentiendum in lactantibus, hæ enim experiuntur lac minus copioſum generari, dum tamen ſanæ maneant. Reliqua ſigna uti appetitus alienus, nauſea, vomitus, inordinatus motus in ventre, anomala ſunt, & æque vexant mulieres menſium ſuppreſſione laborantes, quam gravidas, & ſæpe magis. Invaluit apud mulierculas, medicos videre poſſe ex urina, num fœmina ſit gravida, & medicus ex inſpecta urina ſæpe verum pronunciat præſagium, quoniam ex duobus facile eſt forte fortuna conjicere verum. Sed ſi tamen ſine fallacia præſagium ſit faciendum ex urina de graviditate, id paucis medicis eſt datum, & multi medici vilipendentes urinæ inſpectionem, omnino irrident hoc ſignum. Ego autem ſæpius ſine fallacia, tam in honeſtis matronis nuptis, quam in virginibus corruptis ex urinæ inſpectione prædixi graviditatem. Quia vero illa uromantia nihil arcani in ſe continet, & aliis quoque uſui eſſe poteſt, meam tradam methodum. Si honeſta matrona nupta urinam inſpiciendam præbet, dubitans an per duos treſve menſes ſit gravida, & invenio urinam in omnibus ſignis ſanam, percunctor an ante iſtud tempus regulares habuerit menſes, & an in præſenti ceteroquin ſit ſana, præterea an aliquas motiones in ventre inordinatas ſentiat & ventriculi aliena appetentia, vel nauſea laboret; quod ſi annuet, pronuntio eſſe gravidam, ex hoc principio, quoniam

aliter reddidiſſet urinam morboſam: ſi vero dicat ſe inordinata ſolere menſtrua habere, & nunc ſubſiſtere integre, atque reddere urinam morboſam, nihil certi de imprægnatione dicere valeo; quum tam in gravidis quam non gravidis morboſa poſſit reddi urina. Verum ſi quis pro virgine corrupta adferat urinam, ut videamus num ſit gravida, prudentiſſime debemus agere, ſemper rogandum per quot menſes ſubſtiterint menſtrua, an primis menſibus ſuppreſſionis graviora vel leviora aderant ſymptomata. Quod ſi reponat percunctatrix ſymptomata fuiſſe graviora, ſenſim quidem minora & mitiora fieri, ſed plane non evaneſcere, & propterea auxilium petere, ut integre liberetur, dum interim habeatur urina ſana, nunquam me fefellit, quin talis virgo fuerit gravida. Si tunc a nobis exigunt Emmenagogum, ut ducantur menſes, de quorum ſuppreſſione primarie conqueruntur, nunquam tale quid dandum eſt, & tamen medicamentum aliquod non eſt denegandum, quia aliter adiret forſan alium medicum minus peritum vel pharmacopolam, qui ipſi daret petitum forte emmenagogum, & ita procuraret infandum abortum. Tali igitur in caſu ſemper aliquod propinandum medicamentum roborans, quod ſedulo moneo hauriendum eſſe per menſem integrum: quia vero raro tales virgines defloratæ ante tertium menſem ſuſpicantur ſe gravidas eſſe, uſu hujus medicamenti, ad iſtud tempus geſtationis perveniunt, ut motum fœtus ſentiant, & venter ipſis viſibiliter tumere incipiat, quando non amplius medicamentum ecbolicum expoſcere audent. Juniores ergo medicos moneo, ne ita prompti ſint in præſcribendis emmenagogis, quamvis a virginibus poſtulentur; ſed ut ſemper ſecundum dictam methodum prius inveſtigent, num talis virgo ſit gravida, ne ſua præpoſtera exhibitione petiti medicamenti abortum faciant, quod a nobis non minus quam infanticidium tenetur. At honeſte fallere debemus virginem defloratam ecbolicum a nobis exigentem, & prævenire ne malevolorum auxilia ſibi comparet.

LIB. V. APH. XLII.

235. *Mulier prægnans, ſi quidem marem geſtat, bene colorata eſt: ſi fœminam, male colorata.*

I.

An ex colore gravidæ marem vel fœminam prædicere poſſimus.

QUæ obſervationibus vel experimentis obviis demonſtrari poſſunt, non erit opus auctoritate comprobare. Noſtro tempore æque quam olim mulieres marem & fœmellam utero gerunt. ſed ad prædicendum num paritura ſit marem vel fœmellam, hodie tam parum conſtat ac olim. Quare conſtat nulla certa eſſe criteria, ex quibus aliquid conjicere poſſumus in gravida, qualis ſexus contineatur in utero. Poſuit autem Hippocrates gravidam coloratiorem eſſe ſi marem gerat in utero. Hanc ſententiam, quæ nullis nititur experimentis, ſed quadam recepta opinione, mares fœmellis robuſtiores eſſe, paucis ponderabimus. Faciei color dependet a liquore colorato per vaſa faciei fluente, cum ipſa vaſa omni colore careant. Quod ſi ſanguis & lympha per hæc vaſa circulantia ſana ſint, facies bene colorata erit; ſed in cacochymiam converſa faciem alieno etiam colore inficiunt. Igitur faciei color denuntiat humorum bonam & malam conſtitutionem. Quando igitur mulier fit gravida, & fœtus tantum inſumit, quantum per menſes antea emittebatur, & uterus ſua extenſione nulla ſymptomata inferat, talis mulier ſive marem ſive fœmellam gerat, retinebit colorem vividum faciei: ſed ſi fœtus plus vel minus conſumit, ut ita deſtruatur æquilibrium, vel ſi fœtus ægrotat, aut uteri extenſio per conſenſum afficit chyli organum, quædam cacochymiæ ſpecies generatur, quæ faciem alieno colore inficit. Hoc autem quoniam non dependet ex diverſitate ſexus, ejus quoque ſignum eſſe nequit. Atque ſexus differentia etiam poſt nativitatem uſque

ad pubertatem tam exigua eſt in hominibus natis, ut inde vix quidquam deduci poſſit: ſed ſi organa genitalia perfecta ſunt, tunc demum cæ diverſitates introducuntur, quæ naturam maris & feminæ ſolent ſequi. Quamobrem hanc ſententiam incertam & futilem relinquimus Auctori & iis qui in re nullius arcana quærunt.

LIB. V. APH. XLIII.

236. *SI mulieri prægnanti eryſipelas in utero fiat, lethale.*

I.

Uteri eryſipelas an diſtingui poſſit ab Inflammatione.

QUum Eryſipelas & Inflammatio in partibus externis a medicis ſæpe confundantur propter multa communia ſigna, non erit mirum iſtos morbos in partibus interioribus, ubi multo pauciora ſigna habentur characteriſtica, utplurimum confundi, & vix a peritiſſimo a ſe invicem dignoſci. Qui ponunt horum morborum differentiam in diverſis humoribus, Eryſipelas ſcilicet oriri ex bile acri, & calida, Inflammationem ex puro ſanguine, ſatisfeciſſe exiſtimant: ſed quando ægra uteri morbo laborat, non indicat ſimul juniori medico, num morbus ille veniat ex bile acri calida, an vero ex ſanguine puro, ſed medicus tenetur ex obſervatis ſignis latentem differentiam eruere. Facile concipere poſſum Eryſipelas uteri valde periculoſum eſſe, difficile autem erit detegere, num uterus Eryſipelate tentetur, tum ex convenientia cum inflammatione, tum ex affectione partium circumjacentium, & quoniam tumor, dolor, & color ſenſibus externis non patent. Inde majoris momenti eſt invenire, num uterus Eryſipelate afficiatur, quam ex Eryſipelate prognoſin formare. Quantum ergo vel ex praxi vel lectione auctorum ad cognitionem hanc mihi comparare potui, proferam. Si fœmina in infimo ventre ſentiat dolo-

lorem vehementem, calorem æſtuantem, quæ ſymptomata magis ſimul urgent vaginam & pudenda quam inteſtinum rectum & veſicam, quamvis ſemper hæ quoque partes conſentiant, conſtabit ex his vel Eryſipelas vel Inflammationem tentare uterum. Sed ſi tunc ſimul per reliquum corpus habeatur febris remittens magis quam continua, cum calore mordaci magis quam urente; ſi urina evacuata ſit flammea acris pellucida ad flavedinem vergens, utplurimum ſine ſedimento & ſine ſignis coctionis; pulſus celer magis quam durus; ſanguis emiſſus ſi fluidus fere maneat & rubellus, nullam cuticulam formans, judicabimus uterum Eryſipelate tentari. Sed ſi febris continua ardens, urina rubra ſæpe cum incipientibus ſignis coctionis, pulſus durus & frequens ſimul adſint, judicandum eſt uterum inflammatione affectum eſſe, quod Galenus ponit quæſtione dignum.

Cur uteri Eryſipelas prægnanti letale.

II. Uterus in gravidis non ſolum fit amplior verum etiam in ſuis lateribus craſſior & magis valens, ut docuit anatomica inſpectio in mulieribus paulo ante vel poſt partum denatis: & Clariſſimus Ruyſchius detexit hoc tempore in uteri fundo fibras motrices orbiculares, quas muſculum vocat, certo indicio movendi potentiam tunc temporis multo validiorem eſſe quam in non gravidis. Docet nos obſervatio practica, quo pars eryſipelate tentata majorem habeat movendi potentiam, eo quoque plus periculi inferri ab eadem irritante cauſa, quum actio valens inſtigata, omnia deſtruat, quod non ita ex debiliore actione erit exſpectandum; ex qua cauſa variolæ in robuſtis cenſentur periculoſiores quam in pueris debilioribus. Ergo tempore prægnationis eryſipelas plus periculi adfert, quam alias ex ſua natura intuliſſet. Fœtui fere ſemper mortale eſt Eryſipelas, quamdiu non eſt perfectus, faciet enim abortum; ſi vero circa finem geſtationis fieret, potuiſſet excluſus fœtus manere vivens. Retineri enim in utero nequit fœtus, quum uterus Eryſipelate affectus, cum motu valido inordinato, tum exſudante ichore eryſipelatoſo placentam ab adhæſione ſua depellet: & ſanguis materia eryſipelatoſa infectus fœtus nutritioni erit ineptus. Si ergo Eryſipelas uteri generatur

ante fœtus perfectionem, mortiferum eſt fœtui; ſed dein ſi veniat, fœtus excluſus ſuperſtes manere poteſt: inde fœtui lethalis, id eſt non ſemper ſed ſæpe mortem inferens: matri quoque lethalis, nam a parvo Eryſipelate ſi ſit affectus uterus cum ſubſequente fœtus excluſione, non ſemper exſtinguitur mater, ſed ſi magnum ſit, mortem inferre poteſt.

LIB. V. APH. XLIV.

237. *QUæ præter naturam tenues exiſtentes in utero gerunt, abortiunt, priuſquam craſſeſcant.*

I.

Prætet naturam tenues, quæ dicantur.

SUpra (*Aph.* 69, II.) expoſuimus corpora ex naturâ gracilia ſeu tenuia, & diximus maciem illam tunc ſanitati & corporis actionibus non obeſſe: atque in hujuſmodi corporibus invenimus interdum majorem eſſe vigorem & copiam ſanguinis quam in craſſis ſeu obeſis. Hic autem dicit Auctor præter naturam Tenues mulieres. Ergo hoc in loco majorem gradum extenuationis intelligit, quæ ſimul defectu aliquo ſanguinis laborat, & corpus propter extenuationem quaſdam actiones exercere cum tanto vigore & conſtantia non valet, ut alia corpora ſana. Ita tamen ut non ſit extenuatum corpus ex morbo uti in phthiſi vel maraſmo, ſed quod ceteroquin habeatur ſanum. Nempe quod corpus macie confectum eſt ſine ſenſibili morboſa labe, tantummodo quod ex alimentis aſſumtis non ſatis nutriatur. Multi Commentatores in ea ſunt ſententia, hic intelligi corpus inedia confectum, ſed experimur pauperas, licet macie confectas, minus abortire quam laute viventes, quare intelligendæ ſunt feminæ macilentæ nimis, ex deficiente actione nutritionis.

Cur hæ abortiunt priuſquam craſſeſcunt.

II. Si ita gracilis & macilenta femina ſit gravida, cujus actio ad bonos generandos humores, ut ſe ipſam nutriat, eſt debilitata, vix eſſet rationi conveniens, hoc corpus valere

valere conceptum fœtum non ſolum nutrire verum ſimul incrementum dare. Propterea primo & ſecundo adhuc menſe, dum tenellus embryon, pauco liquore abſorpto vivere potuit, non excluditur, ſed vero majus incrementum capiens, egens copioſiore nutrimento ex uteri vaſis, propter humorum defectum in corpore matris, amplius nutriri nequit, inde tandem nutrimenti defectu moritur atque excluditur, plerumque ſecundo vel tertio menſe. Tam diu igitur abortui obnoxiæ ſunt, donec ſufficiens iterum ſanguinis copia in eo corpore generetur, quod ex corporis augmento conjicitur: quare tandem craſſeſcente corpore valent fœtui ſufficiens nutrimentum dare & geſtare ad legitimum pariendi tempus.

LIB. V. APH. XLV.

238. *Quæ vero mediocriter corpus habentes abortiunt bimeſtres & trimeſtres ſine cauſa manifeſta, his uteri acetabula muco plena ſunt, & non poſſunt continere fœtum præ graviditate, ſed abrumpuntur.*

I.

Uteri cotyledones muco plenæ an abortum faciant.

TRibus his aphoriſmis vult Auctor ex corporis habitu præſagire abortum ſine cauſa alia manifeſta. Demonſtravit quomodo in corpore gracili generatur, & demonſtraturus eſt abortum in obeſis: ſed quia mediocris habitus nequit eſſe abortus cauſa, ſi tamen talis femina abortum faciat ſine cauſa manifeſta, quæ potuiſſet in quovis habitu abortum facere, indicare vult cauſam internam latentem, eam dicit eſſe mucum opplentem cotyledones uteri. Quoniam hæc cauſa eſt latens, ea debuit erui ex anatomica diſſectione, quod hujuſmodi mulieres dein mortuæ habuerunt cotyledones muco plenas: vel ex aliis ſimul apparentibus ſignis conjicere debemus has partes muco plenas eſſe.

De

De Anatomica diſſectione vehementer dubito, nam ſi Hipp: inſpexiſſet uterum femineum, non dixiſſet Cotyledones, ſed dixiſſet uteri cavitatem, quoniam quadrupedes Cotyledones habent, ſed feminarum uterus intus unica cavitate donatus ſatis demonſtrat Hippocratem non inſpexiſſe uterum hujuſmodi feminarum, num mucus fuiſſet abortus cauſa. Ergo hoc ex aliis ſignis conjicere debuit, ſi nempe femina multum muci continuo fundat per pudenda, ſi poſt menſtruationem etiam multi muci effundatur, & quando una cum abortu multum muci exit. Ex quibus conſpectis forſan judicavit, habita ratione analogiæ quadrupedum, mucum illum cotyledones nimis implere.

Mittamus ergo ſententiam cotyledonum, quæ in feminis non inveniuntur, ſed ponamus feminam mediocriter craſſam continuo, ſecundo vel tertio menſe abortire ſine manifeſta cauſa, eamque ante graviditatem multum muci evacuare, & una cum abortu multum muci prodire, non erit mirandum hanc feminam ex muci abundantia abortum facere, priuſquam grandior naſcitur fœtus. Si enim uteri cavitas muco abundat, ſignum eſt in uteri fibris debilem eſſe motum vitalem, quæ cauſa ubique mucum producit. Si igitur tali in utero debiliore non ſatis etiam conſtringente ejus orificium, ovum femineum a ſemine virili imprægnetur, primis menſibus, quamdiu per placentam non eſt nexum utero, ſed ſolummodo retinetur in utero ejus orificio clauſo, humorem in cavum uteri depoſitum imbibit & ſic ſenſim increſcit: dein vero quando debet applicare placentam utero, ut acquirat cum matre communem circulationem, tenax mucus latera uteri obſeſſa tenens intercipit ingreſſum vaſculorum placentæ in oſcula uteri hiantia: quare fœtus ampliore nutrimento egens, non potentia vaſcula placentæ intrare oſcula interna uteri, debita copia nutrimenti fraudatus moritur, & quia os uteri laxius eſt conſtrictum, facile excluditur.

Ita concipimus ex muci abundantia generari poſſe abortum in feminis mediocriter craſſis, ſed inferre velle hanc unicam in his eſſe cauſam, ut plerique ex Auctore noſtro colli-

colligunt, nimis arduum videtur: quum non ſemper ex matris culpa naſcatur abortus: poteſt enim ſemen virile non ſatis valens debiliorem præbere embryon, qui primis menſibus moriens, vel facit abortiri ovum vacuum, vel ſi placenta tunc maneat vivens, producit molam: poteſt etiam vita partium auxiliatricum extingui primis menſibus, quando mulier abortiens excludit parvum admodum fœtum. Quare cauſa abortus primis menſibus tam in patre & partibus auxiliatricibus eſt quærenda, quam in matre, cujus uterus muco eſſet plenus.

LIB. V. APH. XLVI.

239. *QUæ præter naturam craſſæ exiſtentes non concipiunt in utero, his omentum os uteri comprimit, & priuſquam attenuentur, prægnantes non fiunt.*

I.

Omentum os uteri premens ſterilitatis cauſa.

SI perpendimus ea, quæ Hipp: protulit de uteri ſtructura & cotyledonibus, facile conſtare poteſt, eum non inſpexiſſe cadavera humana, & propterea nunquam vidit in denatis ſterilibus, num omentum uſque ad uterum ſit protenſum. Igitur per certam quandam conjecturam in præter naturam craſſis, judicavit os uteri ab omento compreſſum Sterilitatem induxiſſe. Experimur quidem etiam his temporibus præter naturam craſſas mulieres non ita fertiles eſſe, quam quæ mediocriter pingues ſunt, interim tamen notæ mihi ſunt mulieres obeſæ ſatis fertiles. Id autem fatendum eſt mulieres præter naturam craſſas, quales intelligit Auctor, raro concipere. Hujus cauſam dicit eſſe omentum comprimens os uteri, ut inde iſtud non potuiſſet ſe ſatis dilatare ad recipiendum ſemen virile. In valde obeſis invenimus quidem hodie Omentum uſque ad pudenda pendulum & attingere poſſe externam

uteri ſubſtantiam, inde vero argumentari velle os uteri comprimi, ita ut ſemen accipere non poſſit, non erit conveniens: nam in aqualiculo ſeu in pelvi hæret inteſtinum rectum laxum & compreſſile; atque uterus durus craſſus & firmus; ad anteriorem partem ſub oſſe pubis hæret veſica urinaria, peritonæo tecta: reliquum ſpatium impletur inteſtinis tenuibus & magna copia pinguedinis. Si increſcat ita Omentum, ut etiam in pelvi pendeat, recedent inteſtina tenuia, ſed veſica, inteſtinum rectum & uterus comprimentur a molli omento. Quæ partes hoc in loco ſunt molles & compreſſiles, eæ facilius comprimentur, quam duriores & firmæ. Si ergo quædam fieret alicujus partis compreſſio, veſica urinaria, vel inteſtinum rectum, vel tenuia inteſtina potius comprimerentur, quam uterus, qui ita firmus eſt in non gravidis, ut vix cultro perſcindi poſſit. Quia vero neque in urinæ neque in alvi egeſtione nullam experimur difficultatem, etiamſi mulier ſit præter naturam craſſa, quæ tamen fieret, ſi ab omento premente hæ partes nimis comprimerentur; optimo igitur jure concludere poſſumus Omentum premens uterum ſterilitatis cauſam eſſe non poſſe; præprimis quia uteri os coitus tempore ab omento comprimi non poſſit, nam vagina membro virili diſtenta favet dilatationi orificii uteri. Neque ad recipiendum ſemen magna orificii uteri dilatatio requiritur, modo enim paulo magis hians fiat, quam eſt amplitudo urethræ virilis, ad recipiendum ſemen ſatis capax erit. Qui ergo perpendit uteri firmitatem, & parvam orificii dilatationem, non facile admittere poteſt Omentum premens orificium uteri cauſam eſſe poſſe ſterilitatis. Interim tamen præter naturam craſſæ mulieres ob pinguedinis abundantiam ſæpe non concipiunt: cujus ratio mihi videtur, quod tanta pinguedinis copia in pelvi formetur, ut inde ova in ovario nata venire nequeant in tubam Fallopianam, ſine quibus femina manet ſterilis, etiamſi ſemen maſculinum in utero recipiat. Sive nunc receptio ovulorum in tuba Fallopiana intercipiatur ab omento interpoſito, ſive a reliquæ adjacentis pinguedinis incremento, æqualis

æqualis naſcitur ſterilitas, & eadem eſt cauſa, nam dum in præter naturam craſſis increſcit omentum, reliqua quoque pinguedo augetur. Hanc receptionem ovulorum a pinguedinis, abundantia fieri poſſe ex anatomica demonſtratione facile liquet: nam ut ovulum in ovario confectum veniat in tubam fallopianam & dein in cavum uteri, ovarium amplectendum eſt a tubæ fimbriis, qualis amplexus ob interpoſitam pinguedinem facile fieri nequit. Quod ſi hic pinguedinis interpoſitus ſit cauſa ſterilitatis, facile concipitur tam diu duraturam ſterilitatem, donec pinguedo ſit ita minuta, ut fimbriæ tubæ iterum amplecti poſſint ovarium. Igitur conducit ad hanc tollendam ſeu curandam ſterilitatem, corpus extenuare parciore diæta, laboribus & exercitiis validioribus, medicamentis evacuantibus, atque frequentiore venæ ſectione. Sed quoniam hæc cauſa non niſi in Divitibus otioſe & opipare viventibus reperitur, medicus raro voti compos fiet, nolente tali matrona tam duram propterea agere vitam.

LIB. V. APH. XLVII.

240. *SI uterus coxæ incumbens ſuppuratus fuerit, neceſſe eſt medicamenta in linteo carpto applicari.*

I.

IN nullo inveni Aphoriſmo exponendo plures tricas, quam in parvo hoc Aphoriſmo: nam multi contendunt uterum ligamentis firmatum coxæ incumbere non poſſe, & ſi ibidem hæreat, non fore neceſſe ut ſuppuretur. Denique multum litigant de ſignificatione vocabuli ἔμμοτον, num ſignificet medicamentum linteo carpto receptum & applicatum, num vero ulcus cavum, quod tali medicamento eget. Nos vero miſſis criticorum conjecturis, videbimus quomodo uterus coxæ incumbens ſuppurari poſſit; quid dein ex tali

ſuppuratione ſit exſpectandum; denique qualia auxilia ſint adhibenda.

Uterus coxæ incumbens ſuppuratus.

II. Uterus pelvi & inguinibus nexus ligamentis latis & rotundis ſatis valide in ſuo ſitu firmatur; ſed quoniam ligamenta hæc multis etiam ſcatent arteriis, hæc æque quam partes reliquæ inflammatione, quæ commutatur in ſuppurationem, corripi poſſunt. Ita tumida & inflammata ligamenta coxæ cohærentia ſi ab uno latere inflammantur, uterum verſus iſtud latus trahunt & coxæ dolorem inferunt. Quia vero veteres neſciverunt hæc ligamenta inflammari poſſe & dein ſuppurari, ex apparentibus ſignis & converſione uteri ad latus dolens, judicarunt uteri converſione hunc dolorem generari, qui tandem in ſuppurationem abiebat. Sed quoniam ex generali cognitione inflammationis facile concipimus fieri poſſe ſuppurationem, nihil amplius obſcuri in hac obſervatione latitat. Ita etiam pleura, aliæque membranæ, & ligamenta inflammantur & ſuppurantur.

Quid ſit exſpectandum ex uteri coxæ incumbentis ſuppuratione.

III. Si vero ligamentum uteri, hujus vel iſtius lateris inflammatum abeat in ſuppurationem, pus ſuppuratione confectum ſub multa pinguedine ibidem hærente latens ſenſim fit acrius, formatque ſinum ſua gravitate ſenſim magis deorſum, donec ad latera pudendorum, vel in inguinibus, vel circa interfemineum, aperturam fiſtuloſam faciat. Quod ulcus cum longe remotum habeat fomitem inſtar fiſtulæ ani in viris, difficulter ſanabitur, & perpetuo vel pus vel ichorem fundet. Si vero uterus ipſe ſuppuraretur potius, pus vel ichor per pudenda exſtillaret. Quia autem ἔμμοτος notat eum, qui ulcere cavo laborat; atque ἔμμοτον, ſi ſubintelligitur φάρμακον, deſignat aliquod medicamentum molle & liquidum, quod linteo carpto receptum, uti hodie habentur digeſtiva a chirurgis, ulceribus cavis inditur, magis conveniens ſenſui hujus aphoriſmi intelligere ulcus cavum quam medicamentum ἔμμοτον applicatum.

Curatio in uteri coxæ incumbentis ſuppuratione.

IV. Quum ſecando ad principium hujus ulceris cavi & fiſtuloſi pertingere non poſſimus, atque pinguedo adjacens a ſtagnante pure corrumpatur, curatio non ſolum eſt difficillima,

cillima, ſed & debet artificioſe pertractari. Si enim externe applicetur medicamentum aptum, ejus virtus ad originem mali pertingere nequit; liquor injectus nimis cito effluit; turunda indita claudens aperturam nimis diu intus retinet pus aut ichorem. Præſtantiſſima quæ mihi ſucceſſit curatio, conſtabat ex injectione quadam confecta ex melle roſarum, vel quodam digeſtivo ex terebinthina cum vitello ovi ſoluta, quæ medicamina poſtea diluta decocto agrimoniæ, vel ſcordii, injecta intus depurabant ulcus iſtud cavum, dein immittebam turundam ex terebinthina cocta confectam, cui admiſcebam myrrham, aloëm, olibanum, pulverem ſabinæ, vel mitigabam virtutem turundæ addito gummi tragacanthi, mucilagine radicis althææ vel ſymphyti. Dein tegebam aperturam plumaceola cum aliquo digeſtivo oblinita. Interna autem medicamenta nihil ſpeciale continebant, talia enim erant, quæ ulceribus internis adhiberi ſolent.

LIB. V. APH. XLVIII.

241. *Fœtus, mares quidem in dextris, fœminæ vero in ſiniſtris magis.*

I.

OMnia, quæ obviis experimentis & obſervationibus poſſunt detegi, non erit opus firmare auctoritate. Quemadmodum olim, ita & hodie feminæ fiunt gravidæ, & marem vel feminam gerunt: quod ſi aliqua eſſet in hoc vel illo latere geſtatio pro differentia ſexus, hoc æque nobis quam Hippocrati & aliis veteribus eſſet cognitum, dum tamen nemo compertum habeat, num maſculinus vel femineus partus ſit futurus, quæ res tam eſt incognita, ut nihil niſi inanis conjectura ſuperſit. Quæ dicuntur de majore calore dextri lateris, de perfectiore ſemi-

nis elaboratione pro ſexu maſculino ex dextro teſte, ridicula ſunt, quum ablato uno teſte vir tamen generaverit ſexum utrumque. Neque magis valet Galeni ſententia de majore hepatis caliditate, cui accumberet ovarium dextrum, nam in femina non gravida longum intereſt ſpatium inter ovarium muliebre & hepar, & meſenterium cum ſuis inteſtinis eſt interpoſitum. Quare ratio hujus differentiæ non plus valet, quam ipſa obſervatio futuri infantis. Solummodo ex dictis concludere poſſumus naturalem ſtructuram & uteri ſitum veteribus parum cognitum fuiſſe, (Conf. *Aph.* 231.) atque rationem iſtos deduxiſſe ex uteri fabrica in animalibus. Quippe uterus femineus non habet cavitatem dextram vel ſiniſtram, ſed unicam in medio ejus, ut mares & feminæ in eodem loco contineantur. Si autem fœtus hoc vel iſtud latus magis occupat, id dependet ab uteri obliquo ſitu, & talis poſitura non promittit marem aut feminam, ſed utplurimum difficiliorem partum, quem omnium optime deſcripſit van Deventer.

LIB. V. APH. XLIX.

242. *UT ſecundæ excidant, ſternutatorio indito, nares & os apprehendere oportet.*

I.

An ſecundæ expellendæ ſternutatorio.

SUperius (*Aph.* 228, III) demonſtravimus bonum eſſe, ſi in ſecundinis retentis ſuperveniat ſternutatio, qua os uteri clauſum retinens ſecundas aperitur: ſi vero ex natura non ſequatur ſternutatio, arte ea eſt facienda; qualia autem medicamenta naribus attracta ſternuere faciant, non eſt opus hoc loco recenſere, quum collata inveniantur in filii noſtri *Davidis de Gorter Materia Medica.* Hæc dum adhibentur, monet Auctor, ut ſimul claudantur nares & os, quo ſimul majore niſu deorſum trudantur viſcera ventris, &

& eo validius extrudatur id, quod poſt partum in utero reſtitat. Ex generali hac medendi regula Junior Medicus & etiam obſtetrices judicarent ſe ſemper debere tali modo ſternutationem concitare, ſi modo relinquantur ſecundæ poſt partum. Ne autem ex hac medendi methodo pejora ſequantur mala, quam ex ſecundis relictis, cauſæ retinentes ſecundas primo ſunt perpendendæ. Quod ſi remaneant poſt partum, quia uteri os nimis conſtrictum eſt, ut monuimus, (*Aph.* 228, III.) maxime conducit ſternutationem concitare. Si vero remanſerint ſecundinæ cum uteri orificio aperto, quia placenta tenacius adhæret utero, quam ut ſtatim expelli poſſit, non eſſet tutum adhibere ſternutatorium; validior enim illa protruſio ſimul forſan extruderet uterum nunc ſuo ſuſtentaculo orbatum, quod aliquoties obſervavi factum per violentiorem funiculi umbilicalis tractionem. Quæ uteri inverſio ſi non protinus reponatur, quod neſciunt illæ obſtetrices, majus periculum eſt exſpectandum, quam a retentis ſecundinis. Majus malum eſt exſpectandum ſi portio placentæ ſeparata fundat ſanguinem, dum altera pars magis adhærens deneget exitum; nam non ſolum periculum eſt ne invertatur uterus, ſed etiam nimia ſanguinis profuſione puerpera non raro in animi deliquium incidit, & convellitur, atque deinceps palleſcens diu vitam debilem & valetudinariam agit, bono ſanguine privata. Hanc tenaciorem placentæ adhæſionem ſæpe obſervavi in partu præmaturo, dum placenta, antequam ejus propria exſtincta ſit vita, ab utero ſeparari debet. Atque hoc etiam aliquomodo culpæ obſtetricum eſt adſcribendum, quæ poſt partum non ligant portionem funiculi verſus placentam, ut per funiculi vaſa aperta effluere poſſit ſanguis, qui hac via intercepta, magis detruſiſſet adhærentem placentam ab utero. In utroque igitur caſu cum orificio uteri aperto, quoniam non caret periculo indere ſternutatorium, ego ſoleo cingere & ſuſtentare totum abdomen, cujus adminiculo fere ſemper brevi poſt partum extrudetur placenta cum membranis: ſi autem non procedat, obſtetricem moneo, ut ſecundum ductum funiculi umbilicalis immittat manum, qua artificioſe

&

& prudenter adhærentem placentam ſeparat ab utero, & dein unà cum manu ſua, adjuvante conatu matris, placentam educat.

LIB. V. APH. L.

243. *Mulieri menſtrua ſi velis cohibere, cucurbitam quam maximam ad mammas appone.*

I.

Quomodo cucurbitæ mammis applicatæ conibeut menſtrua.

ANobis ſupra (*Aph.* 230, 1.) demonſtratum eſt inter uterum & mammas magnum eſſe Conſenſum, atque ſententia hæc hoc experimento ulterius confirmatur, dum nempe applicatione Cucurbitæ quam maximæ ad mammas minuatur & ſiſtatur menſtruatio. Quali modo applicari poſſunt Cucurbitæ cuivis notum eſt, quoties enim cucurbita admodum calefacta cuti applicetur, poſtquam contentus in cucurbita aër calefactus refrigeratur, cuti tenaciter adhæret; aut hoc olim fiebat accenſa flamma, quæ calefaciebat aërem cucurbita contentum, quo dein exſtincta flamma refrigerato uti adhærebat cucurbita; hodie vero ope Antliæ valvula inſtructæ aër extrahitur ex applicata cucurbita, quæ methodus hoc commodi habet, quod pro lubitu aërem extrahere poſſimus, dum vero olim ſæpius repeti debebat operatio. Ope cucurbitæ eo in loco minuitur ſupra partem naturalis aëris preſſio, unde ad locum minus preſſum magis confluunt humores, & ita partem in tumorem attollunt, quod fieri nequit, quin partes reliquæ priventur humoribus: hæc autem mutatio maxime inducitur partibus proximis, atque iis quæ huic parti maxime conſentiunt. Quia vero inter mammas & uterum maximus eſt conſenſus ratione evacuationis, non recedit a generali regula, quod aucta derivatione ad mammas minuatur eadem ad uterum: hinc feminæ lactantes rariſſime menſtrua fundunt. Propterea

rea non eſt mirum, quod moneat Auctor noſter Cucurbitam maximam applicandam eſſe, ut ita poſſit magnam ad mammas facere derivationem, & ita notabilem diminutionem facere ad uterum. Nunc quærendum eſt num Hipp: hunc aphoriſmum poſuit, ut ſimplex experimentum, an vero curationis ſcopo in menſibus profluentibus. Si velis, inquit, cohibere, unde videtur ſolummodo voluiſſe indicare fieri poſſe menſtruationis diminutionem per cucurbitas ad mammas applicatas. Si vero hoc auxilium voluiſſet adhibere in menſium profluvio, præcepiſſet in menſium profluvio applicandæ ſunt cucurbitæ mammis. Quamobrem mihi videtur hanc operationem tanquam mirum experimentum propoſuiſſe, ad probandum maximum conſenſum inter mammas & uterum.

LIB. V. APH. LI.

244. *QUæ in utero gerunt, harum os uteri clauſum eſt.*

I.

Os uteri clauſum an graviditatis ſignum.

INter certiſſima Graviditatis ſigna numerant orificii uteri clauſuram. Obſtetrices in anatomicis non ſatis expertæ credunt os uteri eſſe eam anguſtiam, quam ſtatim in pudendis offendunt, quæ pars connivens perperam a multis vocatur os uteri, dum vero ſit externa coarctatio vaginæ, quum uteri os adhuc ſatis diſtet ab hac parte, nempe hæret in altera interna extremitate vaginæ. Qui igitur ex hujus vaginæ orificio clauſo vellent judicare num femina eſſet gravida, omnino deciperentur. Dum mulier concepit, neceſſe eſt, ut conceptum ſemen & dein ovum imprægnatum retineatur in uteri cavitate, ut ibidem ulterius nutriatur & incrementum capiat: uterus autem ipſe ſuis fibris contractilis, atque muſculorum abdominalium preſſio, & u-

teri orificium in parte inferiore positum, non permitterent ut receptum semen vel ovulum imprægnatum retineretur in uteri cavitate, sed causis his expelleretur: propterea factum fuit, ut post conceptum uteri orificium contrahatur ita, ut causis his non possit aperiri & eructare contentum. Ita etiam contractum orificium omnem communionem cum aëre ambiente intercipit, ut natura methodo consueta omnibus suis operationibus, in loco clauso id faciat, quod in generatione requiritur. Inde toto gestationis tempore uteri os manet clausum, tam diu, donec vel partus vel abortus instans oris dilatationem exigat. Hæc sententia quibusdam paradoxum videtur, quum quædam feminæ, quales nonnullas novi, toto gestationis tempore menses fundant ordinate, ac si non essent gravidæ, quam evacuationem fieri non posse contendunt nisi uteri os aperiatur. Quia vero similia sunt vasa in vagina suis ostiolis donata, uti in utero, verisimile est his mulieribus menstrua fluere non ex utero, sed ex vagina. Alterum dubium majoris est momenti, fœminas quasdam passas fuisse superfœtationem, quod etiam observavi: quæ si fiat, concedendum est os uteri interea temporis fuisse apertum. Sed si animadvertimus quam parva requiratur apertura, ut ingrediatur semen, dum interim glans penis huic orificio applicata exitum intercipiat, vix verendum est, hoc tempore expelli posse ex utero contenta. Sed ut sit signum graviditatis, hæc duo adesse debent, primo istud os clausum duntaxat esse debebat solo tempore gestationis: verum utplurimum omni tempore clausum est, quare deciperet eum, qui tangeret os uteri clausum, indeque semper judicaret feminam esse gravidam. Si vero inveniret uteri os apertum, tunc tuto judicium ferre posset feminam non esse gravidam; aut si offenderet gravidam, instare abortum vel partum. Altera est difficultas, quod in non gravidis os uteri ita habeatur a pudendis remotum in quibusdam, ut digito attingi non possit: in gravidis vero, præprimis instante partu, magis ad pudenda descendens tactu explorari potest, quando non requiritur hoc signo uti ad investigandum, num gravida sit nec ne.

Prop.

Propterea hoc ſignum & quoniam eſt incertum, atque etiam impudicum, puto nunquam adhibendum eſſe, ad inveſtigandum num femina ſit gravida: ſed ut cognoſcamus num partus inſtet, obſtetrix eo ſigno carere nequit; quamdiu enim ſentiat ſuis digitis os uteri firmiter eſſe contractum, licet dolores parturientium adſint, non poteſt exſpectare fœtus excluſionem.

LIB. V. APH. LII.

245. *Mulieri in utero gerenti ſi multum lactis e mammis fluxerit, infirmum fœtum ſignificat. Si vero ſolidæ fuerint mammæ, ſaniorem fœtum ſignificat.*

I.

Lactis copioſior effluxus in gravidis cur fœtum infirmum ſignificat.

CIrca finem graviditatis, ſexto, ſeptimo & octavo menſe, quando ſenſim debilitari incipit actio vitalis in placenta & funiculo umbilicali, Mammæ ſenſim cum decremento hujus actionis, diſponuntur ad lactis præparationem, ut tandem, quando requiritur lac pro infantis nutritione, mammæ ſatis validam poſſideant præparandi & evacuandi lactis potentiam. Sic Deus voluit, ut omnia ſuis temporibus ordinate fiant, ceſſante una actione generationis altera magis valens fiat, ſine mutata fabrica in ipſis organis: nam quod uterus quoque fiat major & validior in gravidis, propterea non mutatur ejus fabrica. Neque alia eſt ante pubertatem & in vietis fabrica organorum genitalium utriusque ſexus, quam in maturis, verum organa duntaxat fiunt majora & potentiora, & denique debilitantur & exareſcunt. Si vero contingat, quod mammæ, quæ debebant ſenſim magis turgere & ſolidiores fieri, ſe accingentes ad lactis generationem, fiant flacceſcentes & fundentes multum lactis, ut ſignum & cauſa fœtum infir-

mum esse declarant. Fœtus enim debilitatus simul minuit uteri vigorem, qui est causa, quod mammæ per consensum turgeant, hujus autem flaccescentia dependens ab uteri debiliori actione signum est fœtum non esse firmum, sive hoc fiat a fœtu prius debilitato, sive ab utero ipso infirmiore, quæ infirmitas quoque debilitabit fœtum. Si autem mammæ multum lactis fundunt, signum est detrahi materiem nutritiam, quæ ad nutritionem & incrementum fœtus erat destinata, cujus privatione fœtus necessario redditur debilior, & quoniam directio ad mammas minuit directionem humorum versus uterum, ut demonstravimus, (*Aph.* 243.) ex minori itaque humorum copia ad uterum derivata etiam fit debilior fœtus. Hoc ergo signum ex mammis desumtum egregium est indicium ad cognoscendum, num fœtus in utero hærens sit debilis vel valens.

Cur mammæ solidiores firmiorem fœtum indicant.

II. Ex eadem translatione actionis ab utero ad mammas intelligitur mammas turgentes & solidas indicare fœtum & uterum valere: tument enim tunc & solidiores fiunt mammæ etiam in puellis, quando uterus ad concipiendum fit aptus, ut ex fororiantibus mammis, etiamsi talis puella non fundat menstrua, conjiciamus eam esse maturam; eo magis si circa finem gestationis fieri debeant lactis promptuaria, tunc enim sensim copia colostri magis turgent, ut non fiant duræ, sed solidæ & tumentes, promptæ ad fundendum lac pro infante.

LIB. V. APH. LIII.

246 *Quæ perdituræ ſunt fœtus, his mammæ graciles fiunt. Si vero rurſus duræ fiant, dolor erit, aut in mammis, aut in coxis, aut in oculis, aut in genibus, & non perdunt.*

I.

Quod ſi retineatur tranſlatio T. J. ab Almeloveen & multorum aliorum, hic eſſet ſenſus Aphoriſmi, quibus mulieribus gravidis mammæ fiunt graciles, hæ abortiunt: ſed ſi poſt ea ſigna abortus inſtantis mammæ fiant duræ, non fiet abortus, verum dolor erit aut in mammis &c. Ergo erunt mammæ graciliores incertum ſignum abortus, nam graciles mammæ in duras mutatæ indicarent, non exſpectandum abortum ſed dolores. Alii vero πάλιν per Contra exponunt, & tunc magis conveniens eſt Aphoriſmi ſenſus: nam tunc graciles mammæ abortum præſagiunt; ſed mammæ duræ non præſagiunt abortum, verum dolorem partium recenſitarum, quod obſervationi practicæ eſt conveniens. Senſus.

II. Cur mammæ ex improviſo ſi graciles fiant abortum præſagiant expoſuimus (*Aph.* 330, II) propterea quibuſdam videbitur Auctorem rem eandem repetere ſuperius pronunciatam. Sed hoc in praxi ſæpe debet fieri: nam quando debemus enumerare ſigna abortum præſagientia, annumerandæ ſunt mammæ graciliores factæ. E contra ſi volo ex phænomenis apparentibus aliquid futurum pronunciare, ſolummodo pono iſtud phænomenon, & dein pronuncio, quæ bona vel mala ex tali phænomeno ſunt exſpectanda. Ea methodus egregia eſt in praxi medica. Gravida verbi gratia dicit ſibi graciles fieri mammas, ergo Medicus adhuc eſt incertus, quid boni vel mali ſignificet, Graciles mammæ abortum præſagiunt.

cet, hinc conſulit obſervationes practicas, ut inveniat quid ſecutum fuerit poſt phænomenon hoc; inter prædicta mala ex mammis gracilibus invenit abortum præſagiri; itaque non confidens huic ſoli phænomeno, quod fallere potuiſſet, examinat ſigna reliqua abortum præſagientia: ſi ergo invenit præter mammas graciliores reliqua quoque phænomena inſtantem abortum declarantia, tunc certa fide prædicere poteſt futurum abortum. Hoc non ſolum in hac re, ſed & in omnibus ſignis eſt faciendum, ut ſi ex urina, pulſu, aliiſque phænomenis ſingularibus poſſimus aliquomodo judicare hunc vel illum morbum inſtare, antequam eum morbum pronunciamus futurum, reliqua phænomena eundem morbum præſagientia ſunt examinanda an adſint. Hinc quam maxime patet, quantum a veritate practica recedunt, qui ex ſolo pulſu, urina, ſudore, reſpiratione, dolore & ceteris ſolitariis ſignis judicium ferunt, poſtpoſitis reliquis ad pronunciandum, qualis ſit morbus præſens, vel qualis exitus ſit exſpectandus, quum pauci ſint morbi ex unico phænomeno cognoſcendi, ſed ſemper ex multis ſimul collectis. Propterea hoc ſemper in meis Collectaneis feci, ut unumquodque phænomenon duobus ad minimum in locis collegerim: ita ſponte cuncta, quæ indicabantur ex tali phænomeno, collecta invenire poſſum; atque ad rem aliquam cognoſcendam vel præſagiendam omnia quoque phænomena indicantia ſimul invenire potui. Hoc utut ſit moleſtum, uſum practicum ſuggerit egregium, & hoc niſi a multis annis feciſſem, fateor me non ex proprio ingenio formare potuiſſe omnia præſagia cujuſvis phænomeni, neque omnia phænomena eandem rem indicantia colligere. Quoniam talia non ex ingenio ſunt depromenda, ſed ex conſtanti obſervatione practica. Recte ergo & cum judicio Noſter egit Auctor, qui idem phænomenon ob ſcopum diverſum plus ſemel repetit.

Mammæ duræ in gravidis quid præſagiunt.

III. Verſatur Auctor noſter in exponendis malis, quæ ex vario phænomeno mammarum deſumuntur in gravidis, tradidit mammas graciles & flaccidas (*Aph.* 330, 11 & 331, 11) ſolidiores & tumentes (*Aph.* 245.) Nunc vero vult

vult prædictionem formare ex mammis duris. Hæc ergo Durities eſt diſtinguenda a mammis ſolidioribus, quæ firmum fœtum indicabant, & nihil mali portendebant. Neque Durities ſcirrhoſa vel inflammatoria, aut ſcrophuloſa eſt accipienda, quæ æque in non gravidis, quam gravidis accidit; ita etiam lactantibus abundantia vel concretione lactis mammæ indureſcunt: verum hæ omnes ſpecies non præſagiunt recenſita mala. Quare talis Durities eſt concipienda, quæ provenit ab eadem ſed majore cauſa, ex qua proveniebant mammæ ſolidiores & tumentes. (*Aph.* 245) Qui impetus major ita implet mammarum vaſa ſine emiſſione lactis, ut ad attactum non ſint ſolidiores & firmæ, verum duræ & ita renitentes, ut ad digitos prementes non admittant foveas, & propter turgeſcentiam illam nimiam Dolorem inferant. Signum ergo eſt uteri actionem validiſſimam eſſe, unde ad Abortum faciendum nullum erit periculum, qui non fit valente uteri actione, ſed ex ea debilitata vel perturbata. Quoniam adjacentes partes hac prævalente uteri actione ſimul agitantur & ſanguine implentur, inde in coxis & genibus quoque dolor. An vero oculi inde doleant, dubitare poſſumus, ſed quoniam in lactantibus obſervavi, quoties mammæ nimia copia lactis turgebant & dolebant, oculos quoque dolere, veriſimile videtur mihi hos oculorum dolores magis ex duris & nimis impletis mammis oriri, quam ex actione uteri validiore.

LIB. V. APH. LIV.

247. *QUibus os uteri durum eſt, his neceſſe eſt os uteri clauſum eſſe.*

I.

Os uteri durum cur clauſum.

UTeri os in vaginam patens optime comparari poteſt proceſſui ciliari in oculi bulbo, cujus ope pupilla redditur amplior & anguſtior: quando nempe uteri os,

os, quod caret motu voluntario in perfecta ſanitate, poſſit ſuis fibris orbicularibus ſphincterum inſtar contrahi, & fibris centralibus contractis dilatari; anus vero & oris labia muſculis voluntariis gaudent, quibus ab imperio mentis fieri poteſt dilatatio & conſtrictio. Os autem uteri & etiam multa alia oſcula emiſſariorum ſuis ſphincterulis contrahuntur, uti etiam oculi pupilla. Quia vero attactu conſtat, quoties uteri os eſt contractum, ſimul eſſe durum, licet nullus adſit tumor inflammatorius vel ſcirrhoſus, inde patet, quod hæc conſtrictio dependeat a contractione fibrarum orbicularium, qua contractione, uti omnes reliqui muſculi, hæ fibræ induratæ ſentiuntur: ſed orificii uteri dilatatio videtur præcipue oriri relaxatis fibris orbicularibus. Hinc tempore conceptus, partus, & menſtruationis, hæ fibræ orbiculares videntur relaxari, ut tranſitum præbeant per hoc orificium. Si vero os apertum æque eſſet durum, quam dum ſit clauſum, ſignum eſſet orificium uteri æque ſuis fibris diſtrahi quam contrahi, quod nunc contrarium patet. Inde etiam eſt, ut ad os uteri clauſum & contractum cum ſucceſſu adhibeamus laxantia, quæ nihil præſtarent, ſi uteri dilatatio fieri deberet per contractas fibras, quemadmodum ejus fit conſtrictio. Ergo quoties invenitur os uteri durum, ſignum quoque eſt iſtud contractum eſſe. Quibus nunc cauſis uteri os conſtringi poſſit, non ſatis conſtat inter auctores. Galenus & alii accuſant oris uteri Inflammationem, ſcirrhum, vel & callum: concedendum eſt hos morbos os uteri durum facere, haud tamen credo hoc in loco talem debere intelligi duritiem, ſed talem, qualem in mammis duris præcedente Aph. indicavi, ut conſtaret in gravidis, num partus inſtaret, qui fieri nequit, quamdiu os uteri eſt clauſum. Ut igitur obſtetrix ſciat in parturientium doloribus, num exſpectandus ſit partus, tangens uteri orificium, ſi iſtud inveniat durum, pronunciare poteſt uteri os eſſe clauſum & propterea partum fieri non poſſe, & exſpectandum eſſe monet, donec uteri os molleſcat. Hoc ſignum quoque valet in lochiis vel menſtruis retentis & in uteri hydrope: nam ſi detegat

os

os uteri durum, novit os eſſe contractum & ita intus continere humores; ſi vero molle inveniat, judicare poteſt iſtorum retentionem non oriri ab ore uteri contracto. Sic valet medicus opportuna adhibere auxilia, vel laxantia vel inſtigantia, ut evacuet id, quod in utero retinetur.

LIB. V. APH. LV.

248. *QUæcumque in utero gerentes a febribus corripiuntur, & vehementer attenuantur abſque manifeſta occaſione, difficulter & periculoſe pariunt, aut abortientes periclitantur.*

I.

Cur partus difficilis & periculoſus ſi gravida corripiatur febribus & vehementer attenuetur.

EXpoſuimus ſupra (*Aph.* 223.) mulierem gravidam morbo acuto corripi lethale eſſe, quoniam vehemente circulatione vel depellebatur placenta, vel ita invertebantur humores, ut ad nutriendum fœtum erant inepti. Hoc vero loco agit de muliere gravida, quæ corripitur febribus. Ego ſentio hic intelligendam eſſe febrem remittentem (*Aph.* 100, 11.), quæ recurrentibus paroxyſmis quaſi multas febres facit, quæ etiam frequentius ſummam extenuationem inducit, quam febres reliquæ continuæ & intermittentes. Obſervavit Noſter Auctor ut & nos in praxi quotidiana gravidas feminas ita vehementer ſine manifeſta cauſa extenuatas partum ſubiiſſe difficiliorem & periculoſiorem, & hoc ſufficeret in memoria tenere ad prædictionem formandam. Si vero hanc obſervationem practicam rimamur, clare conſtabit, talem partum inſtare. Ut enim partus fiat facilis, parturientis vires debent conſtare, ut fœtum excludat, atque placenta una cum partu fœtus ab utero ſecedere debet, dein ſanguinis effuſio copioſior a tali puerpera tolerari debet, ſine multo virium diſpendio. Verum ſi gravida diu fuit febribus vexata, vires vix valebunt

ad excludendum fœtum, unde partus difficilior; & sanguinis copiosior deinceps evacuatio, si quædam restent vires, istas simul auferet, unde partus periculosus. Hoc autem eo magis, si femina gravida vehementer fuerit extenuata, sive respiciamus ad humorum defectum tali in corpore, sive ad causam illam non manifestam, quæ vehementem extenuationem induxit. Nam propter placentæ separationem ab utero necessario sequitur sanguinis evacuatio lochiorum nomine veniens, atque hoc in corpore vehementer extenuato magnum malum inducet. Causa hæc non manifesta Extenuationem inducens est febris remittens colliquativa, quæ eo fit major, quo magis evacuamus: igitur dum post partum emittitur tanta copia sanguinis, partim sanguinis defectu, partim augmento febris colliquativæ moritur puerpera. Ab eadem hac extenuatione & febribus Partus fit difficilior, quia vitio matris excluditur fœtus; quia vero vita placentæ exstincta fœtus non conatur in lucem prodire, inde sæpe fit, quod post fœtus exclusionem placenta tenaciter utero adhærens, quia non satis exaruit, post partum statim non sequatur, sed remanens partum difficiliorem faciat & periculosum, cum stagnans, corruptionem suscipiens, febrem colliquativam augeat.

Cur hæ abortientes periclitantur.

II. Sive circa principium, sive medium, sive finem gestationis gravida fœmina febribus colliquativis vexata, & vehementer extenuata excludat fœtum, idem patitur periculum. Nam & in abortu & in partu naturali, effudit majorem sanguinis copiam, & placenta tenacius adhærere solet utero, quam ut perfectum abortum facere possit. Ergo per easdem assignatas causas in abortu femina ita extenuata periclitatur.

LIB. V. APH. LVI.

249. *SI fluxui muliebri, convulsio, & animi deliquium superveniat, malum.*

I.

In mensium fluxu convulsio aut lipothymia, malum.

GAlenus & fere omnes Commentatores hic accipiunt pro fluxu muliebri Menſium profluvium, vel fluorem album, vel quamcunque aliam copioſiorem evacuationem per pudenda, quæ diu durare debuit, ut tandem acrimonia humorum inde nata induceret irritando Convulſionem. Quia vero noſter Auctor antea egit (*Aph.* 196 & *Aph.* 197.) de Convulſione ex nimia evacuatione, non poſſum credere Hippocratem hic voluiſſe intelligere menſium profluvium, verum ſolitam ſanguinis menſtrui evacuationem, quæ non eſt cauſa Spaſmi vel Lipothymiæ, quali in ſenſu fere ab omnibus accipitur: propterea voluerunt hic intelligere immodicum fluxum. At vero ipſe textus non indicat immodicum vel diu durantem menſium fluxum, neque dicit ex fluxu muliebri ſi fiat Convulſio vel Lipothymia, verum dicit huic fluxui ſi ſuperveniat, id eſt ſi talia ſymptomata fiant in fluxu muliebri, malum ſignum eſt. Equidem hodie pronunciamus malum, ſi femina verſetur in naturali menſtruatione, atque tum a Convulſione vel Lipothymia corripiatur; nam obſervavi ab his ſupervenientibus ſymptomatibus illam menſtruationem non ſolum turbari, verum etiam in medio fluxu ſufflaminari, cum multo detrimento mulieris. Novi multas feminas, quæ ſæpiſſime menſtruationis tempore hujuſmodi ſymptomatibus corripiuntur, quæque per triduum vel ultra decumbere debent, donec ceſſaverit ille fluxus, etiamſi non ſit immodicus. Igitur Convulſionem & Lipothymiam non deduxi ex nimio profluvio, ſed ex aliquo morbo latente, qui producit Lipothymiam aut Convulſionem, dum uterus ſe accingat emittere

tere ſanguinem menſtruum. Quid ſit Leipothymia (*Aph.* 66.) & Convulſio (*Aph.* 51, III & *Aph.* 194, I) expoſuimus, ex quibus conſtat, homines debiles, mobilitate ſolidorum laborantes, his morbis ſæpe tentari ex leviſſima cauſa. Reſtat ergo inquirere, an menſtruatio talem cauſam ſuppeditet, & quando inde fiat Convulſio aut Lipothymia, quid mali ex his ſupervenientibus ſit exſpectandum. Quamvis fere omnes Medici hodie menſtruationem ex ſanguinis plethora derivent, non poſſum tamen his in omnibus aſſentiri, quoniam obſervavi in multis feminis, quibus ſanguinis erat defectus, hunc tamen ſtato tempore fieri fluxum: ſed quando motus aliquis particularis fieri incipit in uteri vaſis, tunc ſanguis in uteri vaſis hærens extruditur, qualem motum quoque obſervavimus in mammis aliiſque partibus genitalibus (*Aph.* 230. II & *Aph.* 232, II). Imo viri hæmorrhagiis narium aſſueti, priuſquam ſanguinem fundunt, circa naſum motum inſolitum percipiunt. A forti pulſu in ulceribus ſanguinis eruptio eſt exſpectanda, ut infra ſumus demonſtraturi. Ex quibus omnibus colligere poſſumus ipſam plethoram per totum corpus non ſufficere ad menſtruationem, ſed cauſam adeſſe debere moventem, quæ contentum ſanguinem in arteriis magis ducit ad uterum & ibidem evacuat. Quoties hæc cauſa dirigens ceſſat, etiamſi maneat tali in corpore ſanguinis abundantia, menſes tamen ſiſtuntur, quod experimur in feminis menſtruantibus ſi ſubito aliquo terrore corripiuntur. Hic nunc motus particularis derivans ſanguinem ad uterum, & eum evacuans, non raro reliquum corpus in conſenſum trahit: quod ſi cadat in mulieribus mobilitate ſolidorum laborantibus, quorum corpora ex minima cauſa admodum turbantur, ſæpe fit quod per conſenſum hunc mulier corripiatur Animi deliquio aut Convulſione, quæ hodie vocatur Convulſio Hyſterica. Quibus ſymptomatibus obortis, ſæpiſſime in medio fluxu ſupprimuntur menſes, qui deinceps difficile revocantur. Nam Leipothymia exſtinguens omnem motum vitalem etiam ſimul exſtinguit hunc motum particularem uteri, qui ceſſante lipothymia non ſemper redit, quod ſæpe obſervavimus

Menſes fluunt motu particulari.

in

in feminis Mobilitate ſolidorum laborantibus & ceteroquin ſanis. Eodem modo Convulſio hyſterica commutat motum alternum conſtringentem & dilatantem, quo propellebatur ſanguis menſtruus, in motum tonicum perpetuo contrahentem, quæ tetanica conſtrictio non ſolum valet cohibere menſtruum ſanguinem, verum etiam lochiorum fluxum, imo ſi parturienti ſuperveniat, quod ſæpe obſervavi, inhibet fœtus excluſionem. Igitur Lipothymia vel Convulſio ſuperveniens valet ſupprimere naturalem menſium fluxum. Non erit ulterius opus rogare, cur dicatur malum, & quid mali fiat, ſi Animi deliquium vel Convulſio ſuperveniat, quum menſtrua naturalia ſuppreſſa ſemper malum dicantur. Non ſuffici in Arte Medica ſcire, quid ſit malum, ſimul indicandum eſt auxilium, quod id malum vel tollit vel mitigat. Quoniam hoc malum ſæpe accidit & per experientiam didici, ſi ex ſpaſmo ſubſiſtebant menſes, me potuiſſe antiſpaſmodicis anodynis menſes revocare & minuere moleſtiam ex ſpaſmo natam, hæc auxilia reticere nolui in juniorum Medicorum gratiam. Si vero Leipothymia fuerit cauſa, his admiſceo quædam ſpirituoſa aromatica & ſales volatiles cum optimo ſucceſſu.

LIB. V. APH. LVII.

250. *Menſibus copioſioribus prodeuntibus, morbi contingunt: & non prodeuntibus, ab utero fiunt morbi.*

I.

SUperius (*Aph.* 3, v.) notavimus menſium fluxum eſſe feminis naturalem evacuationem, ſi ſint ætate maturæ, neque lactantes, neque gravidæ; hoc autem loco determinanda eſt hujus evacuationis quantitas, aliter enim intelligi nequit num menſes fluant copioſiores. Hippocrates

Menſium naturalis quantitas.

& ex ejus auctoritate multi medici quantitatem comparant duabus neminis Atticis. Quia vero ſtillatim exit ſanguis, & recipitur linteis, ratione exſiccationis & quia ſanguis ille ſeorſim ponderari nequit, vix valemus evacuati ſanguinis pondus determinare. Præterea non omnibus mulieribus æqualis eſt quantitas, quædam enim triplo majorem copiam fundunt quam aliæ, quæ tamen omnes ſanæ vivunt. Quamobrem ut determinetur quantitas mediocris, id debemus ſciſcitare ex ipſa femina, an dum ſana ſit, ſoleat tantam circiter quantitatem ſingulis menſibus evacuare. Hæc quantitas varia in diverſis feminis, ſive ſit major ſive minor, mediocris cenſenda eſt. Poſſumus tamen aliquomodo ex habitu & diæta conjicere quantitatem. Quippe in corporibus mollibus ſucculentis & feminis otioſe & opipare viventibus, multo major eſt menſtruationis mediocris quantitas, quam in corporibus ſtrigoſis & durioribus, atque in feminis duriter & parce viventibus.

Quinam morbi ex menſibus copioſioribus.

II. Si femina vel ſingulis vicibus majorem copiam ſanguinis fundat per pudenda, vel crebrius menſtruationem patiatur, vel laboret continuo ſtillicidio, illa evacuabit majorem ſanguinis copiam, quam ſuum corpus ex alimentis aſſumtis conficere poteſt, unde generatur ſanguinis rubri defectus, & reliquum corpus conficietur macie, vel turgebit humore lymphatico aut cachectico. Nam continuata nimia ſanguinis evacuatione, quæ ingeruntur alimenta & potulenta non poſſunt in bonum humorem commutari, quum ad humorum præparationem, non ſolum requiratur firmarum partium actio, ſed & debita vitalis humoris admiſti quantitas, quæ tali in corpore deficit. Illa ingeſta alimenta & potulentia actione vitæ non ſubacta in propriam corruptelam abeunt: prout nunc ille humor ex alimentis imperfecte præparatus in tenuitatem, lympham, cacochyliam, putrilaginem abeat, ita quoque deinceps naſcuntur morbi. Nam tenuitas humorum vaſculorum orificiis non retinenda relinquit corpus aridum, & tandem maraſmo conſumit. Lympha tenuis, vel pituita viſcoſa in cellulis pinguedinoſis collecta Anaſarcam, vel Leucophlegmatiam inducit. Putrilago

nata

nata producit Cacohymiam cum colore lurido. Omnes hi morbi omnem reſpuunt curationem durante copioſiore menſtruatione, ſed ſi moderatus fiat fluxus, & corpus firmetur roborantibus, atque alimentorum confectio promoveatur ſtomachicis, ſenſim evaneſcent recenſiti morbi, & recuperabitur color ruber ſanguinis.

A Menſibus non prodeuntibus, ab utero fiunt morbi.

III. Menſes non prodeunt vel ex naturali vel ex morboſa cauſa; nam ante pubertatem, & vietis ſalubriter non apparent; neque in gravidis & lactantibus. Quare ad has ſubſiſtentes menſes non reſpicit Auctor, verum ſi in femina matura neque gravida neque lactante menſes non prodeunt obſervavit uteri morbos fieri. Sed inde concludere nolit per reliquum corpus nullos fieri morbos, hoc enim non quadraret obſervationibus practicis, quæ docent multos morbos totius corporis fieri a menſibus non prodeuntibus, quod non eſt hujus loci exagitare. Verum ex menſibus non prodeuntibus multo frequentius fiunt uteri morbi quam ex menſibus profluvio: nam in profluvio ſi quid morboſi eſſet in utero, id ſimul evacuaretur: ſed in menſibus non prodeuntibus plerumque cauſa ſuppreſſionis latitans in utero, ibidem continetur, atque ſanguis hic evacuandus retentus & accumulatus uteri morbos inferre poteſt, nempe obſtructionem, ſanguinis coagulationem, ſtagnantis corruptionem & multa alia mala. Propterea conducit ad evitandos uteri morbos procurare, ut menſes non prodeuntes omnimodo referentur & ducantur, priuſquam recenſiti morbi fuerint firmati. Curationis modum hic addere nequeo propter multiplices cauſas menſes ſupprimentes, quæ non omnes eadem methodo ſunt tollendæ.

LIB. V. APH. LVIII.

251. *Recto inteſtino inflammato, & utero inflammato, & renibus ſuppuratis, urinæ ſtillicidium ſupervenit. Hepati autem inflammato, ſingultus ſupervenit.*

I.

Inteſtino recto inflammato ſupervenit ſtranguria.

Quid ſit Stranguria ſeu Urinæ ſtillicidium ſupra (*Aph.* 110, IV) expoſuimus, ex quo loco ſimul conſtitit hunc morbum ex variis cauſis naſci: hoc autem loco indicat Auctor inteſtini recti inflammationem, ſed non determinat, num Inflammatio hæc ſit cauſa ſtranguriæ, an vero ſtranguria per aliam cauſam natam ad Inteſtini recti inflammationem accedat, nam utroque modo ſtranguria ſupervenire poteſt. Hoc autem non fecit ſine ratione, quum non ſemper ex inteſtino recto inflammato generetur ſtranguria. Quippe in feminis raro fit ex inteſtino recto inflammato ſtranguria, quia vagina interpoſita facit ut inter inteſtinum rectum & urethram minor ſit communitas quam in viris, in quibus hæ partes juxta locatæ ſunt. Dein non ſemper ex Inflammato inteſtino recto ita conſentit veſica vel urethra ut ſtranguriam faciat. Tamen propter vicinitatem harum partium, & quia ex Inteſtino recto inflammato etiam interdum afficitur Veſica vel Urethra, fieri poteſt ſtranguria. Propterea non debemus ſemper in inflammatione inteſtini recti quærere aliam cauſam ſtranguriam inducentem, quamvis videatur morbus novus, quum Inflammatio latius diſperſa, vel veſicam & urethram in conſenſum trahens, ſtranguriam inducere poſſit. Hoc boni ex hac obſervatione habemus, quod ſolummodo tentemus curare Inteſtinum rectum inflammatum, poſt cujus mitiga-

tigationem & curationem curabitur quoque ſponte ſtranguria.

Utero inflammato ſupervenit ſtranguria.

II. Hoc in loco non ſolum illam partem intelligi, quam hodie uterum vocamus, verum etiam Vaginam mihi veriſimile videtur, quoniam vagina magis conſentit urethræ & veſicæ, quam uterus ipſe. Quando igitur in femina Uterus aut ejus Vagina ab inflammatione tentatur, eodem modo, ut ſtatim dixi de Inteſtino recto in viris, ſtranguriam inducere poteſt, & curari debet. Quomodo Inflammatio ab Eryſipelate harum partium diſtingui poteſt ſupra (*Aph.* 256.) expoſuimus; interim credibile eſt Eryſipelas æque quam Inflammationem producere poſſe ſtranguriam.

Renibus ſuppuratis ſtranguria ſupervenit.

III. Sive Renes, vel ex prægreſſa inflammatione formaverint pus, ſive corrodendo vel detritu calculi contraxerint ulcus pus fundens, quamdiu iſtud pus eſt blandum redditur per urethram ſine ulla roſione, unde ſæpe in empyematicis, phthiſicis, & critica evacuatione morborum acutorum redditur cum urina pus, ſine ulla inducta ſtranguria, quoniam interna urethræ latera muco naturali obducta non afficiuntur a puris tranſitu. Si vero iſtud pus redditur acre corruptum & ichoroſum, non ſolum ſimul in tranſitu ſuo aufert mucum naturalem, verum etiam tangens nuda latera veſicæ & urethræ, irritando facit ut involuntarie contrahantur. Hinc in principio dum fluere urina incipit, urethra ſe dilatari permittit, ſed in tranſitu irritata ſe contrahens iterum exitum urinæ & puris intercipit, qualis morbus vocatur ſtranguria. Quoniam non omni in caſu pus ita eſt acre & corruptum, non ſemper adeſt ſtranguria. Sed ſi ſuperveniat, ſignum eſt majoris acrimoniæ & corruptionis in pure tranſeunte, quod malum eſt, & difficiliorem curationem arguit.

Hepati inflammato ſine ulcus ſupervenit.

IV. Hepar inflammari poſſe, quum donatum ſit arteriis ab aörta provenientibus, in quibus omnibus inflammatio fieri poteſt, nemo inficias ire poteſt: non tamen in omni Hepatis inflammatione generatur Singultus, propterea, ſi interdum Singultus ſuperveniat interdum vero non, vel hoc pendere debet ex natura aut magnitudine inflammationis,

vel ex diverſo loco inflammato provenire debet. Quum vero experimur interdum in graviori hepatis inflammatione non fieri Singultum, qui vero ſupervenit quandoque leviori inflammationi, videtur mihi ex parte hepatis diverſa inflammata Singultum naſci. Hepar ipſum præter motum exiguum vitalem ad nutritionem ſui, & motum particularem ad bilis confectionem, non poſſidet motum, quo potuiſſet æmulari Singultum: inde neceſſe eſt, ut hepatis quædam pars inflammata Diaphragmati conſentiat, ut ita convulſive deorſum tracto ſubito Diaphragmate, cum ſimul clauditur larynx, in nobis generetur Singultus. Nam ſtatuere velle ab oeſophago convulſo ſingultum fieri, id non reſponderet phænomenis, quia oeſophagi convulſio, elevando diaphragma extruderet aërem, dum in ſingultu attrahitur aër, cujus introitus ſimul intercipitur. Crederem ergo Ligamenta hepatis nectentia hepar diaphragmati eſſe inflammata, quando ſingultus ſuperveniat. Facile ergo ex his colligitur omnia ſpirituoſa & arcana contra ſingultum hunc nihil valere, ſed eum curandum eſſe, uti curantur omnes morbi inflammatorii.

LIB. V. APH. LIX.

252. *Mulier ſi in ventre non concipiat, velis autem ſcire an conceptura ſit, veſtibus circumtectam ſubter ſuffito, & ſi quidem procedere tibi videatur odor per corpus ad nares & ad os, ſcito, hanc non propter ſe ipſam infœcundam eſſe.*

I.

An ſuffitus dignoſci poſſit num mulier ſit fœcunda vel ſterilis.

NUlla in parte Medicinæ plures nugas & perverſas ſententias detexi, quam quæ complectitur partes genitales & ipſam generationem, quod forſan ex ignorantia ſtructuræ præcipue natum eſt. Ita ſupponit Auctor

Auctor feminam fœcundam tranſmittere fumum aromaticum (*Aph.* 221) pudendis receptum, ut naribus & ore percipi poſſit: e contra feminam ſterilem non tranſmittere eum vaporem. Quaſi aura ſeminalis per totum corpus feminæ meare deberet, ut inde redderetur femina prægnans. Hæc ſententia tam inanis eſt & futilis, nullis experimentis fundata, ut non egeat refutatione, quia ad concipiendum ſufficit ſi ſemen virile veniens in uteri cavitate impræ-gnet ovum femineum maturum aliter ſterile. Sed non eſt opus totum corpus permeat ſemen virile ad imprægnationem. Præterea multæ ſunt cauſæ ſterilitatem inducentes, quæ experimento unico unam verbi gratia cauſam detegente, non poſſunt detegi. Quamvis poneretur feminam percipere debere odorem in naribus & ore, forſan annueret ſe percipere odorem eum, ut celaret ſterilitatem. Satius ergo duco hoc experimentum non inſtituere, ut nulla ſuſpicio fœcunditatis vel ſterilitatis per experimentum hoc introducatur. Si tamen ſcire expedit, inſpiciendæ ſunt externæ partes genitales, num tali laborarent vitio, quod feminis virilis admiſſionem intercipit, quo non invento pronunciandum eſt, nos nullam cauſam ſterilitatis detegere poſſe.

LIB. V. APH. LX.

253. *SI mulieri in utero gerenti purgationes prodeant fœtum ſanum eſſe impoſſibile.*

I.

OBſervavit quibuſdam in feminis Auctor menſes fluere etiamſi ſint gravidæ, hoc etiam hodie obſervatur, ſed raro: in his detexit ſemper fuiſſe fœtum debilem, unde judicavit hoc aliter fieri non poſſe. Videamus an ex natura rei fieri non poſſit, ut fœtus tamen naſcatur

An perſeverante menſtruatione fœtus ſanus manere nequeat.

ſanus ex gravida fœmina, cui prodiebant purgationes. Creavit Deus ita corpora feminarum, ut ætatis tempore maturo plus conficiant ex alimentis aſſumtis, quam ad nutritionem ſui requiritur, hoc abundans, niſi ſtato tempore evacuetur, multos parit feminis morbos. Non omnibus autem feminis æqualis eſt hujus abundantiæ generatio, quaſdam enim novi, quæ & tempore graviditatis & lactationis ſatis copioſa menſtrua fundebant, ſine ulla inducta debilitate. Quamobrem Auctori in omnibus aſſentiri nequeo ſtatuenti fieri non poſſe, ut fœtus maneat ſanus; ſed ſtatuendum eſt hoc raro fieri, quod quædam femina geſtationis tempore menſtrua habeat. Adducunt tamen argumenta, quæ ex natura rei probarent fœtum debilem fieri debere. Nam menſtruus ſanguis, qui deſtinatus erat ad alendum fœtum, eliminatur; unde ſupra (*Aph.* 224) dixit, mulierem gravidam ſecta vena abortire. Alii autem putant menſtrua fluere non poſſe, niſi uteri os aperiatur, vel & quædam placentæ portio ſeparetur ab utero. Quod ſi rationes hæ eſſent veræ menſtrua non fluerent ſine inſtante abortu: verum quibuſdam feminis ſatis copioſe menſtruantibus ex vagina profluit ſanguis, ut non ſit opus in quovis fluxu menſtruo, os uteri aperiatur in tali gravida, vel placentæ portio ſeparetur ab utero. Hoc autem verum eſt in gravidis menſtrua detrahere portionem nutrimenti: ſed ſi fiat in femina admodum plethorica, illa ablata quantitas nullum periculum adferre poteſt; quare his temporibus admodum frequens venæ ſectio in gravidis raro abortum infert: & inveniuntur feminæ plethoricæ, otioſe & opipare viventes, quibus, niſi bis aut ter geſtationis tempore ſecetur vena, abortus imminet.

LIB. V. APH. LXI.

254. *SI mulieri purgationes non prodeant, neque horrore, neque febre ſuperveniente; cibi autem faſtidia ipſi accidant, hanc in utero gerere putato.*

I.

Menſtrua ſponte ſubſiſtentia cum faſtidio, ſine horrore & febre graviditatis ſignum.

SI concepit mulier non eſt opus ut ulla mutatio morboſa in eo corpore fiat, ſolummodo enim augetur uteri moles, & ſanguis, qui per menſtrua effundi ſolebat, nunc cedit in embryonis incrementum: unde quædam feminæ ex conceptu nullam moleſtiam percipiunt: imo inveniuntur, quæ nullo tempore ita vivunt valentes, quam dum ſunt gravidæ vel lactantes. Si igitur femina perfecte ſana, cui ſine ulla viſibili vel cognita cauſa ſubſiſtunt menſes, a nobis exigit ſcire, num ipſi ex graviditate vel morboſa cauſa interna menſes ſubſiſtant, egregium reſponſum dedit nobis Auctor, dicens ſi huic ſuperveniat cibi faſtidium vel & appetitus alienus ſine horrore & ſine febre, judicandum eſt talem feminam eſſe gravidam, modo per tres quatuorve periodos non prodierint menſtrua. Non tamen judicandum eſt omnibus feminis in principio geſtationis corripi cibi faſtidio, ſi vero iſtud accidat neceſſe erit, ut non habeatur ſimul horror & febris: nam ſi dicta ſimul adeſſent, incertum eſſet ſignum graviditatis, ſed potius morboſæ ſuppreſſionis. Meretur igitur rimari, cur a menſibus ſuppreſſis ex morboſa cauſa febris & horror ſimul producantur, dum vero in Menſtruis ſubſiſtentibus fere ſemper ſolum ciborum faſtidium producatur. Si menſtrua ſubſiſtunt ex graviditate, non eſt opus, ut illa labes morboſa fiat ex deſtructo æquilibrio humorum, quod ſemper deſtruitur, ſi menſtrua ſubſiſtant ex cauſa morboſa. Uterus autem ſenſim mole increſcens inteſtina ex ſua priori ſede detrudit, atque

uteri actio fit majoris vigoris. Per hanc mutatam ſedem & auctam uteri actionem, ventriculi motus ſæpe in feminis perturbatur, ut vomant, nauſeant, faſtidioſæ fiant, ut quidam procelloſo mari non aſſueti: tandem vero magis progreſſæ gravidæ feminæ, huic motui & ſedi aſſueſcentes, nam amplius faſtidioſæ manent, ut homines longis navigationibus exercitati. Hujuſmodi etiam feminis, licet ita faſtidioſæ ſint, urina manet ſana, ut indicavimus (*Aph.* 234, 1.) Sed quando menſtrua ex morboſa cauſa ſubſiſtunt, non ſolum generatur faſtidium, ſed propter cacochyliam (*Aph.* 127, 11) ex æquilibrio deſtructo natam, generantur inſuper horror, febris, & alia cacochymiæ ſigna. Docemur ex hac obſervatione evidentiſſime, quid ſit in tali gravida femina faſtidioſa agendum, nempe compeſcendus eſt motus ille inordinatus ex conſenſu productus per ſimilia, quæ experientia didicit compeſcere nauſeam navigationis, qualia ſunt vinoſa grata acidiuſcula, & ſpirituoſa aromatica, quæ ſi non ſufficiunt, aliquod anodynum lene eſt admiſcendum. Talia danda ſunt ad compeſcendum faſtidium, ne continuato faſtidio gravida femina aliquod damnum patiatur.

LIB. V. APH. LXIII.

255. *QUæ frigidos ac denſos uteros habent, non concipiunt. Et quæ præhumidos habent uteros, non concipiunt: extinguitur enim ipſis genitura. Et ſiccos magis & adurentes: alimenti enim inopia ſemen corrumpitur. Quæ vero ex utriſque temperamentum habent moderatum, hæ ipſæ proliferæ ſunt.*

I.

Uteri temperamenta.

QUemadmodum Veteres quatuor poſuerunt in homine vivente Temperamenta ſimplicia, totidemque compoſita finxerunt. Ita etiam in Utero, tanquam parte ſpeciali,

ſpeciali, eadem Temperamenta quæſiverunt, nempe Frigidum, Humidum, Siccum, & Calidum; atque ex his quatuor compoſitum, ut frigidum & humidum vel ſiccum; atque calidum & humidum vel ſiccum. Quod ſi vero nihil horum excedebat, dicebatur Eucraſia. Hæc temperamenta erant Temperata, quando non ita excedebant, ut inde fierent morbi, ſed Intemperata, ſi morbos producerent. Quamobrem in fine inquit moderatum temperamentum non inferre ſterilitatem, ſed quando Temperamenta illa modum excedunt, ſterilitatem inferunt. Quando igitur hic agendum erit de Temperamentis ſterilitatem inferentibus, ſemper intelligendum erit Temperamentum intemperatum. Ex his elegit ſolummodo quatuor Temperamenta ſimplicia, quia ſi habeantur compoſita temperamenta intemperata, eo major erit ſterilitatis cauſa. Hinc quoque concipitur, ex qua cauſa dicit *ex utriſque*, ut indicaret Temperamentum ſimplex & compoſitum, aliter dicere debuiſſet ex his quatuor &c.

Uteri frigiditas ſterilitatis cauſa.

II. Quum Uterus in corpore lateat, per propria ſigna non potuerunt ejus intemperantiam detegere, propterea ſi volebant ſcire, num hac vel illa laboraret intemperantia, primo perſcrutabantur ſigna generalia Temperamenti frigidi, calidi, ſicci & humidi totius corporis, ex quibus conjiciebant uterum eadem intemperantia laborare: dein perpendebant magis propria ſigna ex pilis pudendorum, ex menſibus fluentibus, & denique ex actione generationis. Si igitur Pili eſſent breves, molles, rari, flaveſcentes, non ultra pudenda naſcentes; ſi Menſtrua ſero veniant interdum poſt vigeſimum ætatis annum prima vice ſine cauſa alia morboſa retinente, quæ etiam præmature deſinunt vix poſt quadrageſimum annum, quæ prodeuntia fundebant ſanguinem tenuem, aquoſum, frigidum; ſi feminæ ſe facile abſtineant a venere & eâ vix dilectantur, ſtatuebant hujuſmodi uterum intemperantia frigida laborare. In tali utero ſimul ſtatuit denſitatem, utpote ex abundantia frigiditatis uterus non potuit allatos humores diſcutere, ſed ex iis in ſe collatis denſitatem facit. Quamobrem vero talis Uterus

rus ſterilitatem parit rationem dat, quia genitura in ipſis exſtinguitur, quæ quoque ratio eſt in utero præhumido. Certe ratiocinium hoc non ita recedit ab experientia & veris rationibus, ut multi ex hodiernis autumant, eſt utique magis conveniens quam ex fermento corrupto vel quavis poſtea inducta hypotheſi deducere ſterilitatem. Nam ſi ponamus in partibus genitalibus actionem languidiorem, cujus ope conficiuntur ova matura, & ea devolvuntur ad uteri cavitatem, ea deficiente formantur immatura ova generationi inepta & non pervolvuntur in uteri cavitatem, ut ab allato ſemine virili imprægnari poſſint, ſine quibus femina concipere nequit. Nemini mirum videri poteſt quod ſolus uterus frigiditate laborare poſſit, qui perpendit actionem generalem vitalem, quæ in nobis eſt calefaciens cauſa, quadam in parte ita languere poſſe, ut una duntaxat pars, verbi gratia manus vel pes, præ ceteris partibus frigida ſit: & eo magis ſi perpendimus partes genitales habere ſpecialem ſibi actionem, quæ ſola debilitari poteſt, quod frequentiſſime quoque experimur in ventriculo, inteſtinis, hepate, cerebro, aliiſque organis particularibus. Quali modo hæc intemperantia frigida ſit curanda, ut ita fiat femina fertilis, ex data theoria facile deduci poteſt, nam generalia quæ intemperantiam frigidam curant, ſunt adhibenda & ad pudenda applicanda, vel ex uterinis eligenda, quæ ſimul calefaciunt & roborant, qualia medicamina paſſim exſtant apud Veteres Practicos.

Uteri humiditas ſterilitatis cauſa.

III. Quod monuimus ſupra in Uteri frigiditate, hoc eſt repetendum in Uteri Humiditate: nam poſt ſigna generalia temperamenti humidi attendendum eſt ad partes genitales, quæ ad attactum ſunt molles tumidæ & frigidiores; menſtrua pallida, aquoſa, ſæpe copioſa; frequens fluor albus; lumborum frigus & gravitas. Quia vero non generatur talis intemperies humida, niſi ſimul adſit firmarum partium laxitas atque motus vitalis & actio iſtius partis ſit debilior, eodem fere modo ut frigida intemperies Sterilitatem inducit, imo frequentius, quia humoris crudi abundantia, ſi forte generarentur ova matura, ita ſubmergeret ova,

ut

ut a ſemine virili non potuiſſent imprægnari. Præter recenſita auxilia Diſcutientia hic conveniunt.

IV. Non omnis Uteri ſiccitas ad hunc titulum pertinet, nam ſiccatus uterus ex inflammatione aut eryſipelate, vel ſi propendens ſiccetur, talis ſiccitas numeratur inter morbos: verum ſi Uterus ſuo loco manens minorem copiam humoris in ſe continet, & fundit per pudenda, talis diſpoſitio uteri ſicca intemperies vocatur, quæ deſumitur ex ſignis generalibus Siccitatis totius corporis, atque ex pudendis aridioribus, vix ullam humiditatem ſtillantibus, ex menſibus paucis & ſanguinem compactum exhibentibus. His fieri dicit Auctor Sterilitatem ob alimenti inopiam. Ova quidem generantur & imprægnari poſſunt, ſed quando illa ex uteri lateribus capere debent nutrimentum & incrementum, ex humidi defectu ovum imprægnatum perit, atque ita in principio geſtationis fit abortus: vel dein liqueſcens in utero, abiens in humorem tenuem corruptum, abſorbetur, ut non prodeat in lucem. Talis ergo femina otioſe vivere debet, & diæta humectante uti, conducet etiam genitalia fovere fotu vel vapore aquoſo, ut laxentur fibræ & ſuppeditetur major humidi copia.

Uteri ſiccitas ſterilitatis cauſa.

V. Etiamſi veneris appetentiam deducant ex Uteri caliditate, Calida tamen Intemperies hic proponitur ut cauſa Sterilitatis, quia ſemen corrumpitur alimenti defectu: igitur non multum diſtat ab intemperie ſicca, niſi quod ſimul habeatur major veneris appetentia, imo furor uteri. Sed quoniam uteri Caliditate id eſt validiore motu in ſuis fibris, omne humidum diſcutitur, ova imprægnata exſiccantur, ut in fœtum increſcere nequeant. Præter recenſita auxilia in ſiccitate quædam ſimul refrigerantia ſunt adhibenda. Auctores præcipiunt feminam talem ſterilem imprægnari poſſe ſi nubeat viro oppoſita intemperie laboranti: ut ſi femina frigida in matrimonio habeat maritum calidum, & ita porro, unde provenit quod in ſequentibus nuptiis talis femina ſterilis fiat prolifera.

Uteri caliditas ſterilitatis cauſa.

LIB. V. APH. LXIII.

256. *Similiter autem etiam in masculis. Aut enim propter corporis raritatem spiritus extra fertur, ut semen non demittat. Aut propter densitatem humidum non pervadit foras. Aut propter frigiditatem non incalescit, ut ad hunc locum congregetur. Aut propter caliditatem hoc idem contingit.*

I.

An Intemperies nequit esse sterilitatis causa in masculis?

UTi in feminis formantur ova speciali fabrica & actione ovarii, ita in viris a testium fabrica & actione conficitur ex allatis humoribus semen, quod ulterius per epididymidem & vas deferens delatum, atque in vesiculis seminalibus collectum ad majorem perfectionem deducitur. In utroque sexu vitiato organo induci potest sterilitas. Ita ab uteri morbis vel vitiata fabrica interdum non conceditur feminis virilis admissio; vel ovaria corrupta vel obstructa non proferunt ova: In masculis eodem modo a membro virili intorto vel nimis curto, vel alio modo vitiato, semen duci interdum nequit in uteri cavitatem, vel a testibus scirrhosis vel obstructis non generatur in viris bonum semen. Atque ita per multos morbos in utroque sexu nascitur sterilitas. Has autem omnes causas noster Auctor in hoc Aphorismo assignare noluit, quamvis a Commentatoribus allegantur, sed per hanc sententiam adstruere conatur ab intemperie æque in masculis quam in feminis sterilitatem induci posse, hujusque rationem addit, quæ an multum vel parum valeat non curabimus. Observavit Hippocrates, ut & nos hodie, quod viri interdum ex matrimonio non accipiant liberos, in quibus viris vel feminis nullum apparet vitium sterilitatis, femina tamen illa in secundis nuptiis invenitur prolifera. Propterea judicavit vitium

tium ſterilitatis in ſemine virili latitare, quod quadam Intemperie laborat. Galenus acriter hic inſurgit, credens hunc aphoriſmum eſſe ſpurium & Hippocrati indignum, quaſi ex Intemperie non potuiſſet in maſculis fieri ſterilitatem. Ego vero puto hanc cauſam æque valere inferre ſterilitatem maſculis quam feminis. Uterus etenim non eſt organum ova feminea formans, ſed ea generantur in ovario, ex humore ſuis vaſis allato, per actionem ſpecialem: ſine ovis his maturis & bene formatis nullus fit conceptus in utero, etiamſi uteri cavitas ſemine virili optimo eſſet plena. Itidem in viris per actionem teſtium ex allato humore præparatur ſemen prolificum: ſi vero illa actio teſtium vel ſit debilior vel aliena, conficitur quidem in teſtibus liquor & ducitur ad veſiculas ſeminales, ſed quia non continet illa animalcula viventia, quæ in ſemine bono deteguntur microſcopiis, ille liquor ſeminalis ad ovula feminarum applicatus, ovulum imprægnare nequit. Non enim ſufficit ut ovum maturum femineum in utero irroretur liquore quodam ex viro proveniente, ut imprægnetur, ſed requiritur ſemen maturum his viventibus animalculis præditum. Quia vero demonſtravimus per Intemperiem ita mutari poſſe actionem, quæ facit ovula in ovario, ut nullum inde perfectum & maturum ovulum prodeat, nulla mihi videtur reſtare ratio, cur non æque in viris per Intemperiem prædominantem potuiſſet produci liquor ſeminalis generationi ineptus. Imo veriſimile videtur, hanc cauſam frequentiſſimam eſſe cauſam ſterilitatis in viris. Sed quoniam in feminis hæ cauſæ non ſolum inferunt ſterilitatem ex imperfectis natis ovis, verum etiam ſi uteri quoque corpus eadem laborat, ratione incrementi fœtus, viriſimile videtur hanc Intemperiem frequentius in feminis quam viris inducere ſterilitatem.

LIB. V. APH. LXIV.

257. *Lac dare capite dolentibus malum. Malum vero etiam febricitantibus, & quibus hypochondria elevata ſunt murmurantia, & ſiticuloſis. Malum autem & quibus dejectiones bilioſæ, & qui in acutis ſunt febribus: & quibus copioſi ſanguinis facta eſt egeſtio. Convenit vero tabidis non admodum valde febricitantibus lac dare, & in febribus longis & languidis, nullo ex ſupra dictis ſignis præſente: & præter rationem quidem extenuatis.*

I.

Lactis examen.

QUid ſit Lac & quomodo generetur in mammis mulierum vel uberibus animalium expoſuimus (*Aph.* 232,) ex quibus colligi poteſt, præcipuam materiem eſſe chylum ex alimentis aſſumtis confectum, actione corporis aliquomodo mutatum, ut ex eo facilius quam ex crudis alimentis produci poſſint noſtri humores ſani & proprii. Omnia genera alimentorum ab lactantibus animalibus aſſumta, per actionem organi chylificationis & affluxum humorum ſaponaceorum ita ſolvuntur in ſua veluti principia, ut referant maſſam homogeneam albicantem ad adſpectum, quam chylum vocamus. Hic conſtat ergo alimentis ſolutis, liquoribus affuſis, quibuſdam partibus non ſolubilibus, quibuſdam etiam adhuc immutatis, & portione quadam omnino ſoluta & nutritioni adaptata. Talis humor in maſſam circulatoriam delatus, reliqua actione pulmonum & arteriarum per totum corpus, & propria natura admiſtorum noſtrorum humorum, magis præparatus in humorem nutritium, amittit ſenſim indolem priorem, quam poſſidebat in aſſumtis, & tandem iterata actione corporis viventis omnem

priorem

priorem naturam amittit, & convertitur in noſtros proprios humores. Antequam ad eam pervenerit perfectionem, utcunque quaſdam retinet, proprietates priores, ut patet ex odore aliiſque ſpecialibus detectis in hoc humore proprietatibus. Quamdiu chylus talis ſanguini circulantibus miſtus eſt, in femina vel animali lactante ad mammas delatus, actione ea ſpeciali mammarum a ſanguine ſeparatur, ubi ſimul utcunque in Lac commutatur, quod in ſe aliquomodo continet naturam non facile domabilem aſſumtorum. Non debemus judicare purum chylum ita ſeparari ab allato ſanguine, ſed tenendum eſt etiam aliquid de præparatis propriis humoribus iſtius corporis chylo eſſe miſtum, ut conſtituat Lac, quibuſdam in proprietatibus a chylo diſtans, & eo magis, quia actione mammarum ille allatus chylus aliquam quoque mutationem ſubiit. Hinc Lactis materia petenda ex aſſumtis & propriis humoribus iſtius corporis, qui uniti ſubierunt aliquam mutationem in mammis. Ille igitur humor experimentis eſt examinandus, quales proprietates poſſideat, antequam aliquid certi de ejus uſu in morbis poſſimus adſtruere. Lac ex animalibus deſumtum, quæ ſolis plantis vel gramine veſcuntur, in loco tepido retentum, ſecedit in tres partes, ſuperne colligitur butyraceum oleoſum pingue, reliquum inferius partim abit in materiem caſeoſam, & partim in liquorem tenuem ſeroſum. Tota maſſa brevi tempore acorem contrahit. Sed quod Lac generatur in mulieribus & aliis animalibus carne utentibus, ſibi relictum non contrahit ácorem ſed potius rancorem. Omne Lac facile coagulatur, ſeu ejus pars caſeoſa facile unitur & ſecedit a reliquis, & ſe uniet in corpus firmum. Meretur nunc inquirere quodnam genus lactis in hoc loco intelligitur. Quia vero olim ut hodie Lac vaccinum in frequentiſſimo fuit uſu, nullum eſt dubium, quin in hoc loco ſit accipiendum Lac vaccinum, nam ovinum vel aſininum ſi dari debet, animalis nomen adjectum invenitur. Lac vero ex animalibus carnem veſcentibus raro vel nunquam datur: ſed ex mulieribus ſolis phthiſicis & infantibus conceditur. Quare quidquid dicatur

de uſu lactis in ſequentibus morbis, id Lacti vaccino eſt adſcribendum. Hoc lac quia deſumitur ex animali, quod ſolo gramine & aqua veſcitur, ejus ſpontanea mutatio eſt in coagulationem & acorem, ejus materia ita eſt ſoluta & præparata, ut proxime accedat ad naturam noſtrorum humorum.

Lac in capite dolentibus an malum.

II. Non inficior Hippocratem obſervaſſe uſu lactis intendi capitis dolorem, & qui his doloribus ſæpe ſunt obnoxii per nimium lactis uſum in Capitis dolorem incidiſſe. Neque negari poteſt, capitis dolorem leniri uſu lactis, quod ſæpe in praxi obſervavi. Ergo incertum videtur, num lactis uſus conveniat vel noceat. Quia vero Capitis dolor a multis cauſis poſſit fieri, quarum quædam uſum Lactis exigunt, aliæ vero reſpuunt, abſolute poni nequit, num conducat vel noceat Lactis uſus. Ita tamen ſolent Veteres ratiocinari in morbis, qui ex diverſis cauſis oriuntur, ut morbum talem habeant legitimum, qui ex frequentiſſima cauſa oritur. Ita abſolute dicitur Pleuritis ſi fiat ab inflammatione; Nephritis a calculo: iidem autem morbi ab alia cauſa nati habebantur illegitimi ſeu nothi. Hoc etiam ſtatuendum eſt in Capitis dolore, qui frequentiſſime oriuntur ex ſanguinis abundantia & impetu majore ad caput. His hominibus ſi detur multum Lactis, quod prompte cedit in bonum ſanguinem, generatur ex exhibitione ea capitis dolor, quia augetur ſanguinis copia, quæ doloris eſt cauſa. Hic vero Lactis acorem accuſare vel vaporem caput petentem ut multi, non videtur mihi alicujus momenti, cum decocta farinoſa, quæ citius acorem contrahunt, laudentur; & ſæpe utimur lactis vapore naribus attrahendo, ut medemur capitis doloribus.

An Lac non dandum febricitantibus.

III. Propter rancorem, in quem dicunt cito abire Lac, non ſunt auſi Lac dare febricitantibus, magis credo ut quadam ratione firmarent Hippocratis & Galeni ſententiam, quam ut proferrent veritatem. Nam in febribus eſſentialibus (*Aph.* 153) conveniunt aceſcentia, quale medicamen eſt Lac, quod in calore retentum brevi aceſcit, ut ſupra probavimus. Reponunt tamen, lac potum brevi poſt ructum

ctum nidoroſum facere, quod ejus cremor ſeu pars butyracea in rancorem abeat; & Lac coctum rancidum fieri. Vera ſunt experimenta, ſed non probant id, ad quod adducuntur, nam iiſdem in hominibus a pura tepida aqua pota etiam fit ructus nidoroſus, ex quo experimento nemo colligere poteſt aquam commutari in nidorem, ſed adfuiſſe pinguedinem corruptam in ventriculo, eamque aquæ tepidæ potu ſolutam, & ita ſupernatantem, ructum nidoroſum facere, quod etiam a lactis potione fit. Lac diu coctum nidorem contrahere verum eſt, ſed tantus non eſt ventriculi in febricitantibus calor, ut inde lac coqui poſſit. Alia igitur eſſe debet ratio, quamobrem non damus febricitantibus Lac, & cur ex ejus uſu intenditur febris. Illa ratio plana eſt: in omnibus febribus calidis victus humidus (*Aph.* 16.) eſt imperandus, & tenuis debet eſſe Diæta in omni morbo acuto (*Aph.* 7, 8, 10, 11 &c.) Quando igitur Lac multum nutrimenti præbet, febribus obeſt. Lac vero multum nutrimenti continere cum ex chylo formetur, neminem latere poteſt. Si ergo quis vellet Lac dare febricitantibus, iſtud multa aqua prius eſt diluendum. Tali modo dilutum Lac expertus ſum febricitantibus potum eſſe egregium, ſed ſi merum Lac detur, propter copiam nutrimenti a febricitantibus tolerari non potuit.

Lac an noceat quibus hypochondria elata murmurant

IV. Nonnulli elevata hypochondria murmurantia referunt ad febrem antecedentem, alii vero hoc phænomenon ſine febre accipiunt: utrumque caſum perpendemus. Si hypochondria ſint elata murmurantia ex febre, tunc ſignum eſt materiem febrilem magis ferri ad inteſtina, & eorum motum turbare. (*Aph.* 183) Ex febris ratione deduximus non convenire Lac, ſed & motus admodum perturbatus inteſtinorum convertit Lac merum aſſumtum in corruptelam. Experientia conſtat eo validiorem corruptelam fieri, quo plus nutrimenti eſt in aſſumtis, inde teterrima corruptio ex pinguedine producitur. Propterea Lac merum in tali ſymptomate non conducit. Quibus vero hypochondria elevata murmurant ſine febre, illis utplurimum contenta inteſtinorum aliquam faciunt commutationem in acidum ſpecie fermen-

fermentationis, & quoniam lac in loco calido citò etiam aceſcit, non convenit tale, dare alimentum, quod ſponte aceſcit.

An Lac non dandum ſiticuloſis.

V. Sitis naturalem cauſam eſſe defectum humidi in corpore, quo os ſiccatum nobis Sitis ſenſum concitat, demonſtravimus in ſpeciali Exercitatione de Siti: hæc cauſa fit eo major in febribus, quibus omne humidum expellitur & reliquum compingitur, quare in febribus frequentiſſimum & moleſtiſſimum eſt ſymptoma. Hoc ut tollatur, exigit humidi abundantioris ingeſtionem, quod vix aliquid nutritii in ſe continet. Si nunc examinemus Lac merum, id nutrititio abundans, non præbet tale humidum, quale ad Sitim leniendam exigitur. Si vero magna copia ingeratur, corpus multitudine nutrimenti, quod in febribus eſt evitandum, opprimitur, & non ſuppeditatur tantum humidi, quantum ad Sitim leniendam requiritur. Qui ergo Lac potandum dare vult ſitientibus cum vel ſine febre, id admodum erit prius diluendum magna copia aquæ.

Num Lac malum, quibus dejectiones ſunt biliosæ.

VI. Bilioſas dejectiones ſupra (*Aph.* 40, 11, & *Aph.* 138, 111) deſcripſimus, ex quibus conſtat eum hominem habere in inteſtinis materiem pinguem corruptam, acrem, & calidam: his igitur hominibus nulla ſunt danda pinguia, ne materiæ bilioſæ, quæ ex pinguedine corrupta præcipue formatur, demus ſuppetias. Quia vero in lacte multum pinguedinis hæret, ut patet ex ejus ſupernatante cremore, facile intelligitur Lac dandum non eſſe, niſi magna copia aquæ dilutum, ſed potius aceſcentia macra. Lactis exhibitio eo magis eſt evitanda, ſi febris acuta adſit, quæ prompte humiditatem diſcutit, & reliquum pingue in rancorem convertit. In dejectionibus autem bilioſis ſine febre lactis ſerum aceſcens, quod pinguedine caret, expertus ſum egregium fuiſſe medicamentum, quo potui omne bilioſum corruptum eliminare.

An Lac noceat, quibus copioſi ſanguinis facta eſt egeſtio?

VII. In dictione hac quædam eſt obſcuritas, quidam enim intelligunt Diarrhœam vel Dyſenteriam cruentam, in qua noceret exhibitio meri lactis; alii accipiunt ſub hoc ſenſu omnem ſanguinis evacuationem ex quacumque parte,

in

in quo etiam non conduceret; denique intelligunt quidam tempus illud, in quo æger per antecedentem ſanguinis evacuationem eſt ſanguine veluti privatus. Qualis autem ſit vera ſententia Auctoris non rimabimur, ſed videbimus quid ſit ſentiendum in his diverſis caſibus. In Diarrhœa & Dyſenteria cruenta per experientiam conſtat Lac ingeſtum vel clyſmatis ope injectum magnum ſolamen attuliſſe, nam id acre quod inteſtina vellicat, lactis injectione & aſſumtione egregie temperatur. Si vero ſanguis ejicitur propter tenuitatem ſanguinis, vel laxata oſcula vaſorum, hanc dejectionem equidem non curabit, ſed quoque nihil damni adferet. In quavis alia ſanguinis evacuatione multi ſuadent lac non eſſe exhibendum, quia copioſiorem hæmorrhagiam facit, quod etiam experimur; ſed propterea non debet æger ſe abſtinere ab omni lactis uſu, modo enim moderatam copiam ingerit; ſed ex copia majore damnum pateretur, quia corpus ſanguine exhauſtum leni & pauco nutrimento eſt ſuſtentandum, quale eſt lac modica copia ſumtum. Sed ſeſe abſtinere a lactis uſu, qui debilitatus eſt per antecedentem ſanguinis evacuationem, eum male agere exiſtimo, corpus enim illud eſt reſtaurandum bono & levi nutrimento, quale lac ſuppeditat: verum hoc corpus onerare magna copia Lactis puri, eſſet obruere vires multitudine alimenti: quare credo Auctorem in hoc caſu vetare nimiam lactis puri ingeſtionem. Hoc ex textu conſtare poteſt, quia dicit, quibus copioſa eſt facta ſanguinis egeſtio, quibus verbis indicat eam egſtionem non fieri ſed factam eſſe, quod corpus debilitatum non fert tantam copiam puri lactis ingeſtam.

Lac convenit tabidis.

VIII. Quid ſit Phthiſis ſuperius (*Aph.* 85, 11) definivimus, in quibus hominibus non eſt defectus concoctionis in organis chylopoïeticis, ſed corruptio præparati humoris præprimis in pulmonibus: in his igitur, quia tanta eſt boni humoris conſumtio in materiem purulentam, convenit ut ſuppeditetur alimentum ſatis copioſum, quod non eget multa præparatione, quale eſt Lac. Propterea phthiſici ſi non amplius alia alimenta ferre queunt, ſolo lacte ſuſtentan-

tur. Multi quidem Lac aſininum eligunt, ſed ex qua ratione non intelligo. Ruminantia animalia enim perfectius ſua alimenta præparant ruminando, quam non ruminantia ut Aſinus, atque meliori gramine veſcuntur. Si Lac aſininum ſit magis dilutum & inde facilius digeritur, hoc quoque obtineri poteſt affundendo aquam Lacti vaccino. Igitur concedo Auctori noſtro, qui laudat Lac vaccinum in Tabidis, qui non admodum febricitant, ne multitudine nutrimenti lac obſit febri, ut antea monuimus.

Lac convenit febribus longis & languidis.

IX. Diætam tenuem imperandam eſſe in Acutis paſſim obſervavimus in Libro Primo, ex hoc principio quoniam vis vitæ admodum laborans a morbo, per multa alimenta aggravata magis laboraret & forſan ſuccumberet: ſi vero febris longior erat exſpectanda concedebatur victus largior, quia corpus per tam longum tempus victu tenui non potuiſſet ſuſtentari. Eadem eſt in his febribus ratio, nam aſſignatur febris longa & languida, in qua corporis vires non multum inſtigantur, ſed quæ tamen diu duratura eſt: in qua ſi non ſuppeditetur nutrimentum ſufficiens, vires vitæ debilitarentur alimenti defectu. Hinc lac nutrimentum ſatis copioſum præbens, ſed quod etiam facile ab actione corporis poteſt ſubigi, his hominibus eſt dandum ut ſuſtententur vires.

Lac convenit præter rationem extenuatis.

X. Quænam dicantur corpora extenuata unuſquiſque intelligit, ſed cur dicatur præter rationem meretur obſervare. Hæc eſt communis locutio Hippocratis, ſi ſignificare vult non adeſſe cauſam manifeſtam, ex qua poſſumus tantam Extenuationem exſpectare. Mirum enim non eſt, quod aliquis ex morbo acuto, vel febre, vel ulcere pulmonis admodum extenuetur; ſed ſi ipſi ægri mirantur ſe ſummopere extenuari, dum tamen belle comedunt & non multum ægrotant. Talis tunc Extenuatio inde oritur, quia aſſumta alimenta ingeſta defectu virium non compinguntur in humores craſſos ſanos, ſed tenues manent. Quo nunc alimenta majori actione compingenda ſunt in humores nobis naturales, eo minus conveniunt: quæ vero levi actione vitæ commutabilia ſunt, uti eſt lac, iſta præſtantiſſima cenſenda ſunt. Inde Hipp: per experientiam practicam id detexit,

texit, quod ex firma theoria debuiſſet deduci. Sic videmus veram Theoriam ſemper reſpondere praxi.

LIB. V. APH. LXV.

258. *QUibus tumores in ulceribus apparent, non valde convelluntur, neque inſaniunt. His autem derepente evaneſcentibus, quibus in poſtica quidem parte fuerint, convulſiones, tetani, quibus verò in antica, inſaniæ, aut lateris dolores acuti, aut ſuppuratio, aut dyſenteria, ſi rubicundi fuerint tumores.*

I.

Morbi ex conſenſu & metaſtaſi.

HOc in Aphoriſmo Hipp: naturæ arcana revelat, quæ a paucis bene intelliguntur, quum ſine cognitione anatomica & intellectis actionibus corporis viventis intelligi nequeant: ea tamen detexit Auctor per praxin, non vero ex prævia cognitione theoretica. Nobis enim quædam mira reliquit exempla, quomodo morbus in uno loco corporis natus poſſit etiam alia in parte producere morbum; num vero ille alter morbus per ſympathiam vel metaſtaſin generetur non explicat; verum docet quinam morbi producant alium in aliquo loco remoto, & quinam raro id faciant. In ſuperioribus (*Aph.* 125, III. *Aph.* 126, III. *Aph.* 127. IV. *Aph.* 230. I. &c.) inter quaſdam corporis partes maximum valere Conſenſum, & maxime inter iſtas, quæ ex eodem ganglio nervos habent, vel communem fere exercent functionem. Inde ſi pars una afficiatur morbo, altera etiam afficitur, ſed quoniam tali in caſu non fertur morbi materia ex uno loco in alterum, hi morbi ex Conſenſu nati non adferunt levamen, verum ſemper magis opprimunt ægrum. Si vero morbi materia ex uno loco ad alterum feratur, quando vocatur metaſtaſis, talis tranſplan-

tatio bona eſſe poteſt, & mala. Nam ut bona ſit, omnis materia eſt transferenda ex parte magis principi ad minus principem, ex loco ubi exonerari non potuit ad aliquod emunctorium conveniens: ita enim æger liberari poteſt ab omni materia morbi. Si vero imperfecta ſit tranſlatio, vel ad partem, ubi eadem materia majus periculum inferre poteſt, augebitur morbus. Semper ergo attendendum in prædictionibus & curationibus ad has regulas generales. Has applicabimus ad exempla allata, multo plura quidem ſunt, ſed quoniam hic non eſt locus omnia tradere, quæ dicenda ſunt de Conſenſu & Metaſtaſi, pauca ea ab Auctore allata ſufficient.

Non valde convelluntur aut inſaniunt quibus tumores in ulceribus apparent.

II. Chirurgos per Ulcus intelligere vetuſtam ſolutam unitatem in partibus firmis, in qua plerumque quædam portio ſimul demta eſt, ex noſtra Chirurgia repurgata & aliis libris Chirurgicis intelligi poteſt. Ambitus hujus ulceris ſeu ora ejus vel tument vel non elevantur, prout fluens humor morboſus in iſtis colligitur vel non. Si multa ſunt Ulcera diſperſa per cutim, ut hic habetur in plurali, non poſſumus accuſare vitium locale, ſed humorem morboſum per totum corpus diſperſum uti in variolis: in tali nunc ſtatu morboſo obſervavit Auctor ægros non valde convelli, aut inſanire, id eſt, rarum eſt ſi ora ulcerum turgeant, quod tunc ægri corripiantur Convulſione vel Inſania: hoc etiam obſervamus in variolis, quoniam morbi materia per corpus diſperſa tunc colligitur ad ulcera, propterea non fertur ad encephalon, ut irritando nervos inferret Convulſionem vel Inſaniam. Si vero illa intumeſcentia evaneſcat, facile fieri poteſt, ut ad Encephalon delata materia iſtos morbos inferat. Non tamen illa intumeſcentia tam certum eſt ſignum, ut nunquam inde fieri poſſet Convulſio aut Inſania, nam obſervavi in ulceribus cum læſo nervo vel tendine intumeſcentiam magnam præſagiſſe Convulſionem vel Inſaniam. Hujus diſcriminis ratio eſt, quoniam alia pars in Conſenſum poteſt trahi, & per Metaſtaſim recipere morbi materiem. Quod ſi vero ex intumeſcentia læſi nervi vel tendinis generetur Convulſio aut Inſania, hi morbi non ſuper-

perveniunt ex Metaſtaſi ſed ex Conſenſu, qui non admodum frequens eſt in ulceribus cutis.

III. In ſuperioribus demonſtratum eſt multa ulcera arguere morbi materiem generari per totum corpus, quæ ad ora ulcerum delata ibidem manet, donec tandem acquiſita maturitate per apertum ulcus evacuetur. Si vero tali in ſtatu evaneſcat intumeſcentia derepente, ſignum eſt eam materiem non fuiſſe evacuatam per ulcera, ſed rediiſſe in communem circulationem, quod malum eſt, quia fertur a peripheria corporis ad interiora, & a loco ubi potuiſſet evacuari ad locum magis principem & ubi tam commode evacuari non poteſt. Igitur talis diſparentia tumorum ſemper mala eſt; verum non determinat, qualis morbus ſit exſpectandus; nam prout illa retrogreſſa materia in hanc vel illam partem deponitur, ita quoque morbus erit varius, & magis minuſve periculoſus. Actio tamen vitæ non ita eſt inconſtans, ut ſine ullo diſcrimine quemcumque morbum ex tali metaſtaſi faciat, propterea experimenta practica ſunt conſulenda, quid natura facere ſoleat in tali regreſſu materiæ, nam hoc ex legibus hydraulicis demonſtrare non valeo. Videamus ergo quid Auctor noſter in morbis his detexit, & quod dein per experientiam practicam fuit firmatum.

Qui morbi fiant ex derepente diſparentibus tumoribus circa ulcera.

IV. Qualis ſit morbus Convulſio & Tetanus, & quantum differant, ex iis, quæ expoſuimus (*Aph.* 167) facile colligi poteſt. Experimenta in corporibus viventibus docuerunt, irritatione facta ad nervos, vel duram matrem, totum corpus ceteroquin ſanum adigi poſſe in Convulſionem vel & Tetanum. Quibus conſtare poteſt, ſi modo aliquid acre internum feratur & applicetur ad recenſitas partes, id acre inferre poſſe Convulſionem & Tetanum. Nullus autem erit, qui per ſe non poteſt concipere tale quid fieri poſſe, ſi tumores derepente circa Ulcera evaneſcant: nam ille humor corruptus circa Ulcera ſubſiſtens evanuit, ſeu potius inde depulſus fuit & non emendatus, & receptus eſt in communi maſſa circulante, igitur mirum eſſet, ſi illa materia acris & morboſa quoque non fereretur

Ex ulcerum detumeſcentia Convulſio & Tetanus.

ad nervos & cerebrum, & in his partibus ſua roſione produceret motum illum validum & involuntarium.

Ex ulceris detumeſcent â Inſania aut lateris dolores acuti.

V. Quoniam ſpeciali titulo in noſtra *Medicina Dogmatica* expoſuimus Delirium, Inſaniam, ceteroſque congeneres morbos, non erit opus hoc loco repetere. Pleuritidis definitionem exhibuimus ſupra (*Aph.* 109, IV.) Ex iis, quæ in hoc Aphoriſmo generaliter explicavimus conſtat materiem acrem ex tumentibus marginibus ulcerum intro ferri. Illa materia ſi feratur ad nervos motorios, inducebat motum involuntarium validum; ſed ſi feratur ad partes acuto ſenſu donatas, idem tunc acre validos dolores infert, qui hic dicuntur Dolores lateris, qui locus ſolus non eſt obnoxius huic receptioni, obſervavi quoque ex tali diſparentia natos fuiſſe dolores capitis & ventris, ſed quoniam ille dolor pectoris obſervatus fuit ab auctore, eum pronunciat; ſed propterea non negat alias quoque partes dolore corripi poſſe. Eodem modo ratiocinandum eſt de Inſania, nam materia illa ad eum locum cerebri delata, in quo mens noſtra ſenſus internos exercet, eum locum in ſuo placido motu ita perturbat, ut mens tali modo afficiatur ex hac commotione interna, ac ſi agitaretur perturbatis quibuſdam ſenſibus externis, & quoniam tunc anima noſtra ex perturbato motu interno ratiocinatur, & operatur, talis actio dicitur Inſania. Hoc autem mirabile obſervavit Auctor in hac metaſtaſi, quod ex ulcerum detumeſcentia in partibus poſterioribus frequentius generetur Convulſio & Tetanus; ſed ex metaſtaſi partium anteriorum frequentius Inſania & Laterum dolores. Ego fateor me in praxi illam differentiam obſervare non potuiſſe, interim tamen non poſſum inficiari, qui tale quid detexerit per ſuam praxim frequentiorem.

Ex ulcerum detumeſcentia ſuppuratio.

VI. Quomodo autem ex hac detumeſcentia generari poſſit Suppuratio ſeu Empyema, primo intuitu videtur conceptu difficile, ſed quoniam materia purulenta in marginibus ulcerum confecta, uti alibi in corpore, inde reduci poteſt, & humoribus circulantibus miſceri, ex communi obſervatione tranſlationis puris ſatis evincitur, ſuppuratio-

nem

nem alibi in corpore, vel in cavo pectoris, fieri posse: ita observavimus in febre per metastasin fieri Anginam (*Aph.* 144.) ex Angina Peripneumoniam (*Aph.* 203.) Obstare tamen videtur nimia puris crassitudo, & nulla patens via ex una parte in aliam. Verum sæpe experimur in empyematicis pus evacuari per urinas, non quod ex pectore ad renes sit canalis apertus transmittens pus; sed pus aliquomodo liquatum, venulis absorptum, cum sanguine circulante circumductum, actione renum iterum separatur & cum urina exit. An vero talis metastasis bona vel mala sit sentienda, facile intelligitur, quia translatio a peripheria corporis ad interiora semper est mala, unde quoque talis suppuratio non solum mala est, sed & revocationem ad priora loca relicta exigit.

Ex Ulcerum detumescentia Dysenteria si rubicundi fuerint tumores.

VII. Dysenteriam non solum significare sanguinis ejectionem per anum, superius (*Aph.* 134, 1) demonstravimus, sed etiam notare alvi frequentem dejectionem cum dolore, sive sanguis exeat sive non. Talem dejectionem observavit Auctor exspectandam esse, si derepente tumores circa ulcera evanescant. Sed hic addit, si tumores fuerint rubicundi, quam phrasin ego referrem duntaxat ad hanc metastasim ex ulceribus ad intestina, non vero in reliquis omnibus: nam si rubedo illa major adsit in oris ulcerum, significatur materiem erysipelatosam vel & aliam acrem & irritantem adesse, non vero purulentam, uti in præcedente metastasi. Si illa materia acris rubedinem inducens, quæ veteribus dicitur biliosa, miscetur sanguini circulanti, illa quoque frequentissime deponitur ad intestina; ubi sua irritatione generat dolorem & tormina, & quoniam ad partem stimulatam magis confluunt humores, intestina irritata magis mota, majorem copiam recipientia, generant Dysenteriam humoris acrioris, qua egestione continuata tandem egeritur etiam ipse cruor. Quamvis illa metastasis fiat ad organum excretorium, non tamen ita bona est censenda, nam id acre obambulavit prius totum corpus, ubi reliquos quoque humores inquinare potuit; ulcus eo fluxu non est sanatum, unde fit imperfecta Metastasis, quæ semper mala; evacuatione

tione hac ſæpe etiam exulcerantur inteſtina, ut ita augeatur malum; contenta alimenta in inteſtinis tali corrupto humore perfuſa non concoquuntur, & una cum corrupto humore eliminantur, atque ita privatur corpus ſuo naturali pabulo. Tot ergo concurrentibus rationibus perſuaſus credere nequeo hanc Metaſtaſim eſſe bonam, ſed potius malam cenſendam eſſe ſtatuo. Quid vero ſit agendum in his omnibus, quoniam nimis longum foret exponere, iſt: r-vabo in locum magis opportunum.

LIB. V. APH. LXVI.

259. *SI magnis & pravis exiſtentibus vulneribus, tumores non appareant, ingens malum.*

I.

In magnis & pravis vulneribus & contuſionibus nulli tumores, ingens malum.

ULcera obſervantur cum & ſine tumore in ambitu, ſed omnia Vulnera magna, & Contuſiones validæ ſemper circumquaque Tumores faciunt, quod primo exponendum venit. Duos hos morbos hoc loco accepi, quoniam uterque generatur ab externa cauſa ſolvente, ſed ſi fiat ab inſtrumento acuto ſecante, hodie proprie vocatur Vulnus, ſed per inſtrumentum vel corpus obtuſum diffractio facta in partibus mollibus hodie proprie dicitur Contuſio. Qui vero generaliter agunt de Vulneribus, ſimul ſolent Contuſiones eodem titulo pertractare. Sic quoque apud Hippocratem τραῦμα ſæpe ſignificat Vulnus & Contuſionem. Quia vero in utriſque his morbis Tumores non apparentes malum indicium præbent, hos morbos conjunctim explicare volui. Sive ab inſtrumento acuto ſive obtuſo læſio notabilis eſt facta, illæ partes læſæ ſe magis movent, ex lege generali omnis pars mobilis in noſtro corpore vivente irritata ſe magis movet. Hoc motu aucto ita urgetur ſanguis per ſuas arterias verſus ramos minores, ut arte-

arteriæ lymphaticæ distentæ a majore illo impetu sanguine rubro impleantur; & quoniam sanguinis transitus per venas multis in locis ibidem est interceptus, pars contusa vel vulnerata sensim in majorem tumorem rubrum elevatur. Hinc quamdiu vis vitæ valet, sensim magis increscit tumore pars læsa, usque dum suppurare incipit. Quando ergo post læsionem hanc non generatur tumor, indicium est vitalem actionem in ea parte esse exstinctam. Propterea addit in Vulneribus & Contusionibus pravis ingens malum, ut intelligeremus actionem vitalem eo in loco, ubi quædam pars vitæ admodum necessaria hæret, exstinctam magnum periculum portendere: nam ea sunt Vulnera & Contusiones pravæ, quæ lædunt aliquod viscus vel partem principem. Ex quibus colligere possumus naturaliter ad omnes Contusiones & Vulnera magna, exspectandos esse tumores, ex quibus non apparentibus malum præsagium desumitur. Et novimus inde in facienda sutura humida, ne nimis arcte consuamus vulneris magni labia, quin fila transeuntia aliquomodo dimitti possint cum increscente tumore. Atque in Contusionibus omnino cavendum, ne comprimendo vel cingendo conemur inhibere Contusionis tumorem: sed applicanda sunt emollientia & laxantia, quæ tumoris generationem promovent. Si vero Tumor major pro ratione Vulneris vel Contusionis nascatur, hoc etiam malum est, non propter Tumorem ipsum, sed propter signum latentis mali: nam si ingens Tumor nascatur, indicium est latitare aliquod malum, oculis non patens, quod tantum tumorem faciat.

LIB. V. APH. LXVII.

260. *LAxi tumores, boni: crudi vero, mali.*

I.

Cur tumores molles boni, duri vero mali.

HOc in Aphoriſmo intelligi Tumores, quamquam non habetur in textu græco, ab aliis ſatis demonſtratum eſt: ſed non conveniunt, num hoc in loco ſenſus ſit generalis de omnibus Tumoribus, an vero ſolummodo de Tumoribus vulnerum & contuſionum. Ego exiſtimarem ſolummodo in hoc loco accipiendum eſſe Tumorem, qui ex vulnere vel contuſione naſcitur, ut hic Aphoriſmus ſit veluti continuatio prioris. Sententia ergo eſt Tumores vulnerum & contuſionum Laxi ſeu potius molles ſunt boni; at Crudi id eſt duri & renitentes ſunt mali. Quod paucis videbimus. Dum propter irritamentum vulneris vel contuſionis circumquaque generatur Tumor laxus ſeu mollis, qui digitis tangentibus aliquomodo cedit, & habet paulo majorem calorem, quam eſt naturalis calor in tali parte, talis Tumor denotat quidem motum vitalem inſtigatum eſſe, ſed tamen tam moderate, ut pars modice diſtendatur & impleatur. Si talis tumor ad tempus ſuppurationis pervenit, quando ſenſim iterum inſtigatus motus incipit ſedari, vaſa illa laxiora facile permittunt, ut compactus humor in purulentiam converſus ſine ulteriore læſione vaſorum evaneſcat, ſeu tradatur ſanguini circulanti, & ita evaneſcit ſæpe tumor contuſionis ſine evacuatione. Si vero Tumor crudus id eſt durus, quoniam omnis tumor durus in ſuppurationem ſeu coctionem non abit, obſervatur, malum erit ſignum; nam durities renitens oritur ex compactis & concretis humoribus, qui difficulter ſolvuntur, vel ex validiſſima vaſorum infarctione, qua vaſa ut-

utplurimum disrumpuntur, & humores ita infarcti raro retropelluntur. Igitur ex duritie ea cognoscimus validam fieri irritationem, humores nimis compactos esse, quam ut resolvi possint, & multa vasa destructa per tam validam impletionem.

LIB. V. APH. LXVIII.

261. *Posticâ capitis parte dolenti, recta in fronte vena secta juvat.*

I.

An vena frontis secta curet capitis dolorem.

EXpertus est Hippocrates Capitis dolorem in parte posteriore sublatum fuisse facta venæ sectione in vena frontali; hoc etiam posteriores Medici experti sunt, non tamen voluit ex uno alterove experimento formare regulam generalem curationis, quare dixit Juvat, non vero curat, vel secanda est vena frontis in capitis dolore, qui posteriorem partem affligit. Neque affirmari potest hæc doctrina: antequam enim definiri potuisset, num vena esset secanda, constare deberet, an dolor erat in partibus externis vel internis, & quænam esset causa eum dolorem faciens. Sed quoniam hoc non est determinatum, incerta foret curatio. Multi tamen medici hanc curationem imitati sunt, donec detecta circulatione judicarunt frustra hanc venam secari, & eundem effectum exspectari ex secta vena in brachio, quare postea obsoleta fuit hæc operatio. Deinceps vero Hydraulici demonstrantes nos posse variam facere derivationem, si hac vel illa vena aperiatur, iterum a quibusdam instituta fuit phlebotomia in vena frontali. Quia vero ratione derivationis, sive hæc vel illa vena aperiatur, non multum boni vel mali sit exspectandum, atque illa venæ sectio non instituitur, nisi collum stringatur, ut compressis jugularibus detineatur sanguis in capite, non videtur mihi opus amplius ad capitis dolores leniendos, hanc

hanc pertundere venam. Quæ narrantur de derivatione in partem oppoſitam, ab uno latere ad alterum, non ſunt alicujus momenti, quia quæcumque vena ſecta exonerat illum ſanguinem, qui ad partem eam adducitur per arterias ejuſdem lateris, quare magis evacuat ſanguinem ex parte ipſa & adjacentibus, quam ex parte oppoſita.

LIB. V. APH. LXIX.

262. *Rigores incipiunt, mulieribus quidem ex lumbis magis, & per dorſum ad caput. Viris autem, poſtica magis parte, quam antica corporis, velut ex cubitis & femoribus. Sed & cutis viris rara eſt. Hoc quidem pilus indicat.*

I.

Cur Rigores magis ex lumbis incipiunt.

SUpra (*Aph.* 156.) expoſuimus quid ſit Rigor, & ex qua cauſa proxima naſcatur. Conſtitit omne acre noxium nervis ſenſuum & motus vitalis applicatum, Rigorem inferre, quod nuper expertus fui in viro fiſtula in lumbis laborante, ſi modo immittebatur ſtylus, qui tangebat nervum, vel injiciebatur liquor vix quandam acredinem habens, ipſo momento Horrore & Rigore corripiebatur per totum corpus. Quærendum ergo eſt, cur Lumbi magis quam partes reliquæ corporis tali noxio applicato afficiantur: & dein, cur Rigores eo in loco incipientes petant caput. Ex tota theca vertebrarum nullibi plures emergunt nervi, quam ex vertebris lumborum, inde enim emergunt nervi, qui ad omnia viſcera ventris tendunt & ad pedes. Lumbi etiam conſtituunt partem infimam medullæ ſpinalis, ubi illa medulla in caudam veluti compactam, non amplius mollem medulloſam, abit. Hoc etiam in loco Infantes frequentiſſime patiuntur ſpinam bifidam. Humor roridus nutriens vagina medullæ ſpinalis coarcitus, hic ſatis magna copia colligitur, & nudis nervis accumbit. Ideo-

deoque nervi in hoc loco maxime ſunt expoſiti rebus acribus applicandis: quoties enim aliquid acre in illo ſucco hæret ob locum decliviorem & ampliorem ad nervos hic naſcendos applicatum, Horrorem & Rigorem inducit. Quia omnes hæ concurrentes cauſæ minus inveniuntur in locis reliquis, magis hoc in loco habetur Rigoris origo in lumbis quam in partibus ceteris. Non ignoro a quibuſdam Rigores hos deduci a ſucco pancreatico efferveſcente cum bile, ſed quia hujus efferveſcentia diu fuit improbata, & quia ſuccus pancreaticus, in natura vix differens a ſaliva, deponitur in duodenum, non vero circa lumbos, non erit opus multis verbis hanc repudiare ſententiam. Neque inde conſtaret, cur hic concitati Rigores peterent ſurſum ad caput, ſecundum ſpinalem medullam. Sed ſi perpendimus capſulam nervi ruditer tactam concitare Rigorem, & capſulam nervi continuatam eſſe vaginæ medullæ ſpinalis, plane conſtare poteſt, per irritatam capſulam medullæ ſpinalis in lumbis, irritamenti propagationem fieri poſſe uſque ad meninges, quum meninges cum vagina hac unam continuatam membranam conſtituant, quæ omnibus nervis per totum corpus diſperſis largitur capſulam. Quod autem in mulieribus frequentius ex lumbis quam in viris incipiant Rigores, inde forſan eſt quod feminis major conceſſa ſit pelvis oſſea, & in ea uterus locatus, plures nervi hic oriantur quam in viris, & ita major proventus hujus ſucci, qui acrimoniam illam irritantem continere poteſt.

II. Pilas copioſiores naſci in viris quam feminis conſtans eſt obſervatio, præprimis quando ad maturam ætatem pervenerint: an vero inde major vel minor Cutis raritas poſſit probari, non caret dubio: nam pili per cutis poros tranſeuntes, iſtosque implentes minorem raritatem relinquerent, quum ſpatiola raritatem facientia impleantur. Nec video ex qua ratione illa raritas probaret frequentiores horrores fieri ex dorſo, ſed abſentia pilorum uti in feminis indicaret horrores fieri debere ex lumbis. Hanc ergo ſententiam in medio relinquam, donec clarior ratio hanc obſervationem ad majorem uſum redegerit.

An cutis viris rarior quam mulieribus?

LIB. V. APH. LXX.

263. *A Quartanis correpti, a convulsione non admodum corripiuntur. Si vero prius corripiantur, & postea quartana supervenerit, liberantur.*

I.

Quartana correpti an non admodum convulsione corripiuntur.

DUo hic proponuntur morbi utrique chronici, nempe Febris quartana (*Aph.* 50, 11,) atque Convulsio (*Aph.* 51, III. & *Aph.* 194, 1.) De quartana dici potest, quod sit morbus admodum pertinax, qui interdum ad annos continuatur suis redeuntibus paroxysmis, sed tamen raro si pura manet, hominem interficit: quia vero utplurimum auscultet antidoto, constat unicam simplicem ejus esse causam, quæ antidoto subacta, hominem sanum relinquit. Convulsio autem est morbus ex variis causis natus, quæ propterea non habet antidotum constans, quod duntaxat valere potest in certa specie Convulsionis, sed non in omnibus. Hinc mihi quoque incertum est præsagium, an Quartanis correpti non admodum corripiantur Convulsione, cum quædam causæ Convulsionem inducentes æque generari possint, sive Quartana sit præsens vel absens. Imo observavi in praxi mea leviſſimas convulsiones hystericas frequentius fieri in iis, qui quartana febre laborant, quam in perfecte sanis. Nisi ergo addatur certa species Convulsionis ex sua latente causa, non possumus pronuntiare an quartanarius liber manebit a Convulsione vel non.

An convulsio tollitur superveniente quartana.

II. Quod statim proposuimus est repetendum, quum quædam causæ esse possint Convulsionem inducentes, quæ a superveniente febre Quartana subigi possunt & cum sudore subsequente expelli: sed & sunt plures aliæ causæ Convulsiones inducentes, quæ potius per quartanam intenduntur, quales differentias in praxi mea sæpe observavi. Propterea nisi per multiplicem experientiam constet, quænam species

cies Convulſionis a Quartana ſubigatur, tam diu incerta manebit prædictio.

LIB. V. APH. LXXI.

264. *QUibus cutis obtenditur arida ac dura, ſine ſudore moriuntur. Quibus vero laxa ac rara, cum ſudore moriuntur.*

I.

Signum ex cute an æger cum vel une ſudore ſit moriturus.

NUllam in curatione hic Aphoriſmus habet utilitatem, ſed ſolummodo Medico auctoritatem conciliare poteſt aliquid præſagiendo, quod omnibus non ita patet. Utplurimum experimur inſtante morte ex tota facie ſudorem guttatim exprimi: ne autem hoc phænomenon exſpectemus antequam quis moritur, hoc Aphoriſmo addiſci poteſt interdum ſine apparente ſudore homines mori. Sed ut prædicamus, num prius ſudor ſit exſpectandus vel nullus, indicia ex Cute deſumenda: nam quibus tota cutis eſt arida & dura, hi ſine ſudore moriuntur. Talis eſt Cutis in iis, qui ex maraſmo moriuntur conſumtis omnibus humoribus; vel & etiam in validiſſima febre ardente, dum omnes humores in lentorem fuerint compacti, & tamen vehementi tali motu vitali inſtigato, ita deſtruuntur ſolida & conſumuntur ſpiritus, ut æger in vigore febris moriatur. Frequentius autem diminutis viribus & colliquatis humoribus homo moritur, in quali ſtatu ante mortem cutis defectu contractilitatis laxa eſt, & tenuitate corrupti humoris undique fit uliginoſa.

LIB. V. APH. LXXII.

265. *Icterici non admodum flatulenti.*

I.

An Ictérici non admodum flatulenti.

QUum Auctor in quibuſdam Ictericis (*Aph.* 172, 1) detexerat non obſervari flatus, hanc regulam poſteritati reliquit Ictericos non admodum flatulentos eſſe. Sed ſi ipſam obſervationem Hippocratis conferamus (H. a, 739) ſatis conſtat, quod qui ictero tenebatur, etiam eſſet flatuoſus. Atque nos in Praxi frequentiores flatus in Ictericis obſervavimus quam in aliis morbis: & miror non frequentius obſervari, quum ipſe icterus cauſam frequentem flatuum contineat. Sæpe enim a ſpaſmodica contractione ductus choledochi generatur Icterus & etiam flatus (Conf. *Aph.* 183, 1.) Bilis effuſio in inteſtina intercepta permittit ut ingeſta alimenta ſponte fermentando aërem artificialem ſeu flatum producant. Icterus a calculo obſtipante exitum bilis in duodenum, atque hepatis ſcirrhoſa induratio irritando flatum producit. Hinc tam frequens etiam Tympanites in Ictericis. Ex quibus rationibus potius pro regula aliqua admitterem Ictericos flatulentos eſſe.

MEDICINA HIPPOCRATICA,

EXPONENS

APHORISMORUM

HIPPOCRATIS

LIBRUM SEXTUM.

APH. I.

266. *IN diuturnis inteſtinorum lævitatibus ructus acidus ſuperveniens, qui prius non fuit, ſignum bonum.*

I.

COpioſior & frequentior alvi egeſtio morboſa varia nomina obtinuit ex diverſa materia ejecta, ut ſi alimenta ingeſta vix aut non mutata, brevi poſt ingeſtionem ejiciantur, Græcis λειεντερία, Latinis Lævitas inteſtinorum vocatur. Galenus eos vehementer increpat, qui tale nomen impoſuerunt huic morbo, quaſi intelligerent, aſperitate inteſtinorum cibos retineri & coqui, quod omnino negat. Non vero video, iſtos ita increpandos eſſe, quoniam per canalem intus lævigatum tranſitus fiat prompte. Qui vero ſtatuunt cum Galeno, ventriculi actionem eſſe coquere cibum, & inde hunc morbum magis pertinere ad Ventriculum, quam Inteſtina, concepta quadam opinione ſeducti ſunt, quum ad præpa-

Ex qua cauſa Lienteriæ diuturnæ.

randa aſſumta alimenta plus faciant Inteſtina, quam ipſe ventriculus. Conſtat enim experimentis, in canali anguſtiore & longo contentos liquores perfectius elaborari, quam in cavitate ampliſſima; & certum eſt etiam copioſiore affuſione humoris præparatorii perfectiorem fieri coctionem ſeu aſſimilationem. Hæc ſi conferantur ad Ventriculum & Inteſtina, res ipſa conſtabit: Ventriculus enim ampliſſima cavitate complectitur ingeſta, & vix quidquam aliud agit quam ſuo calore & humiditate aſſumta macerare; Inteſtina autem huc illucque agitando tranſeuntia, poſtquam iſtis admiſta eſt bilis & ſuccus pancreaticus, non ſolum eodem calore & humiditate macerant, ſed & omnia accurate miſcent & conquaſſant, ſuis oſculis lacteorum & forſan principiis venarum meſeraïcarum præparatum deponunt, novumque humorem vitalem ex arteriis meſeraïcis recipiunt, contentis iterum miſcent, ut ita omne ſolubile miſceatur, præparetur & dein auferatur coctum, relictis in ſua cavitate, quæ ſolvi nequeunt, poſtea ejiciendis. Quare ventriculus tanquam commune receptaculum concipi poteſt, ne homo cogeretur perpetuo ſumere alimentum, ubi ſimul aſſumta aliquomodo macerantur: ſed Inteſtina vera ſunt præparatoria organa. Si actio illa inverſe conſideretur, optime comparari poteſt organo urinæ, ſi comparetur Ventriculus veſicæ urinariæ, & inteſtina tenuia renibus. Nemo enim adſtruet, veſicam eſſe organum ſecretorium vel præparatorium urinæ, ſed receptaculum, ne homo omni tempore cogeretur reddere lotium: ita ventriculus eſt receptaculum, ne homo etiam continuo cogeretur ingerere cibum. Neque hæc actio eſt ſingularis in viventibus; obſervamus enim ubique naturam uti longiſſimis & exiliſſimis canaliculis, ſi aliquid ſit præparandum, nunquam vero cavitatibus amplioribus. Si igitur Inteſtina Lævigata ſint intus muco obducta, introitum in vaſa lactea intercipientia, cum motu aucto ſolo eo, qui ad inferiora ducit, neceſſe eſt, ut Ventriculus aſſumta alimenta protinus dimittat per pylorum in duodenum, & inteſtina propellentia recepta ſine vix aliqua inducta mutatione deponant per alvum.

Con-

Conſtans ergo cauſa eſt in Lienteria, ut adſit motus major ventriculi & inteſtinorum ad inferiora, cum intercepta vel minuta abſorptione per vaſa lactea, ſive hoc producatur a muco obſidente oſcula, ſive deficiente motu vermiculari chylum urgente in eadem oſcula. Cauſa igitur unica eſt aſſignanda, quæ talem motum producit & ſimul inhibet abſorptionem, quæque diu durare poteſt. Hanc cauſam inveni eſſe Putredinem chronicam, quæ naſcitur ex deficiente actione vitali, qua humores ſibi veluti relicti corrumpuntur, & partim abeunt in humorem tenuem & partim in tenax viſcoſum: quoniam omnia putrefacta in ventriculo & inteſtinis hærentia ſtimulant has partes ad ejiciendum, uti experimur, ſi modo putrefactum ingeritur, id enim in ventriculo hærens primo nauſeam dein vomitum creat, ſed in inteſtina delatum alvi fluorem inducit. Igitur tenax gluten corruptum lateribus inteſtinorum adhærens ſuo ſpeciali ſtimulo in inteſtinis producit motum ad exonerandum diſponentem, & quia ſimul obſtipata a viſcoſo ſunt oſcula abſorbentia, & tunc ſimul non fit ille motus vermicularis, qui requiritur ad pellendum chylum in lactea vaſa, cuncta quæ tunc ingeruntur, non mutata per inteſtina trajiciuntur & egeruntur. Quia vero talis ſpontanea corruptio diu perſeverare poteſt, & corruptum tenaciter adhærens lateribus inteſtinorum, expelli nequit, neceſſe eſt, ut talis Lienteria interdum duret per multos annos, ut in quibuſdam obſervavi.

II. Conſtitit ex iis, quæ diſputavimus, putredinem chronicam permanentem eſſe cauſam Lienteriæ diuturnæ, ergo ex Ructu acido ſuperveniente conſtare debet, cauſam hunc ructum producentem tollere poſſe antecedentem putredinem. In Ructu acido duo ſunt obſervanda, primo ructum fieri motu ventriculi inverſo, quo truditur aër in ventriculo contentus per œſophagum; & ſecundo ut ille aër imprægnatus ſit vapore acido. In vetuſta Lienteria continuus motus erat deorſum, ſed quoniam nunc fit ructus, ſignum eſt, eum motum deorſum non ita conſtantem eſſe, ſed quoque incipere ſurſum, hinc ſpes eſt, fieri poſſe, ut reſtituatur motus peri-

Ructus acidus in Lienteria diuturna bonum ſignum.

periſtalticus, qui viciſſim operatur ſurſum & deorſum in inteſtinis, quali modo agit in ſua actione naturali, qua præparantur alimenta; & quia in ordinem redire incipit, ſignum eſt, cauſam priorem, eam propulſionem facientem, incipere minui. Hinc ſolus Ructus ſi prius non adfuit bonum ſignum præbet. Sed ſi Ructus fiat acidus, eo ſignum eſt melius: nam ſpontaneæ corruptiones ſunt duplices, vel per putredinem in alcali corruptum, vel per fermentationem in acidum. Ex Chemicis experimentis diſcimus, hæc duo ſimul conſtare non poſſe putredinem & fermentationem, cum alcali & acidum ſe mutuo exſtinguant. Si ergo ſigna adſunt, fieri fermentationem, certus ſum, putredinem ceſſare. Ructus autem ille Acidus tale certum eſt ſignum, quoniam ſine fermentatione tale quid in nobis nunquam generatur. Igitur ex Ructu acido ſcio, eum nunc hominem, qui tamdiu laboravit putredine, nunc laborare acido fermentato: quæ dicuntur de Acido ſucco pancreatico & ventriculi naturali, quoniam ſatis refutata ſunt, non erit opus hoc loco repetere, ſufficiet accipere, quod ab omnibus phyſiologis experimentis fuit probatum & acceptum, acidum ventriculi generari ex aſſumtis vegetantibus per fermentationem in acidum commutatis. Differentia itaque morborum nunc eſt proponenda, ex qua deducere debemus, acidi productionem bonum eſſe ſignum. Experimentis confirmatur, mutationem inductam per Putredinem immutabilem deinceps eſſe, nos nulla arte corruptam carnem ita emendare poſſe, ut non ſit corrupta: ſed acidum fermentatione natum facile eſt exſtinguere. Alcali quidem volatile in Putrefacto poſſumus per admiſtum acidum exſtinguere, ſed pinguedinem adhærentem deſtructam in pinguedinem naturalem redigere non valemus: verum acidum fermentatione natum eodem modo per additum alcali exſtinguere poſſumus, vel repetita deſtillatione, atque etiam pinguedinem adjunctam nobis iterum bonam recuperare valemus. Unde conſtat, Putredinem majorem deſtructionem facere quam fermentationem. Hæc ſi applicamus ad noſtrum corpus, clare patebit, actionem noſtri corporis valere omne

acidum

acidum fermentatione productum exſtinguere. Qui enim aſſumunt acetum vel bibunt vinum rhenanum, modo corpora ſint ſana, illi ne veſtigium acidi evacuabunt, neque invenietur remanens in corpore. Qui autem putrefactum continet, iſtud emendare non poterit, ſed reddere iterum debet, ut ab eo liberetur. Si ergo Ructus acidus ſuperveniat, ſignum eſt, motum periſtalticum in ordinem redire; putredinem ceſſare; ſed laborare morbo ex acido, qui cum poſſit actione noſtri corporis ſubigi, quæ cauſa præcedens non erat domabilis, certe tale ſignum eſt bonum. Ex iſtis facile decernere poſſumus, an ſucci vegetantes ſaponacei acidi ita ſint vitandi in diuturna Lienteria; an debeamus adſtringentibus talem Lienteriam compeſcere; an jura carnium ſint danda ad majorem nutritionem, ut multi præcipiunt.

LIB. VI. APH. II.

267. *Quibus nares naturâ humidiores, & genitura humidior, imperfectius ſani ſunt: quibus vero contraria, perfectius.*

I.

Nares naturâ humidiores quid notent.

HIppocratis ſcopus eſt in hoc Aphoriſmo ex quibuſdam ſignis colligere magis & minus firmam Sanitatem: requiritur itaque, ut primo perpendamus ſignum ipſum, ex qua cauſa naſcatur, antequam poſſimus ex deſignata cauſa aliquam prædictionem formare. Nares naturâ ſunt humidiores, ergo tales eſſe non debent ex aliquo morbo vel medicamento adhibito, uti in Coryza vel ptarmico attracto; neque illa humiditas per breve tempus durare debuit. Verum naturâ humidiores Nares deſignant, conſtantem eſſe cauſam eam humiditatem inferentem. Omnibus hominibus ſanis interna cava narium ſunt humida, ſed ſi tanta humiditas in hoc loco proveniat, ut exſtillet

mucus, nares dicuntur humidiores. Hanc abundantiam muci non ita provenire ex copia majore humorum, quam ex motu debiliore in membrana pituitaria, demonstravimus (*Aph.* 110, XI.) Igitur ex naribus humidioribus scire possumus, eam membranam debilem habere motum, & quia dicitur naturâ humidiores nares, illa debilitas est constans non facile curanda.

Genitura humidior quid notet.

II. Omnes fere Commentatores cum Galeno per genituram intelligunt semen virile, & inde ex ejus majore humiditate præsagium formant. Ego autem puto, genituram in hoc loco non notare semen, sed partes genitales tam virorum quam mulierum, quoniam γονὴ æque notat partes genitales quam semen, & hoc loco agitur de naribus humidioribus, non vero de muco humidiore; itaque conveniens est, ut hic quoque accipiantur partes genitales, non vero semen. Et quid quæso signum desumeretur ex semine humidiore, nisi vir laboraret pollutione vel gonorrhœa, quum alias humiditatem seminis non esset licitum observare. Propterea concipiendum est, Hippocratem intellexisse humiditatem partium genitalium utriusque sexus. Quæ humiditas in his partibus eodem modo, uti in naribus oritur ex laxitate & deficiente motu in partibus his.

Cur nares humidiores & genitura humidior minus perfectam sanitatem indicant?

III. Etiamsi quibusdam in partibus quidam sit debilior motus, quam qui potest suos humores attenuare & discutere, inde non sequitur, ut inde homo aliquo morbo dicatur laborare, tam levis enim est hujus partis affectio, ut non mereatur morbi nomen, sed tamen non est perfecta sanitas, tam ratione signi, quam ratione causæ; sæpe enim fit, ut si quadam in parte conspiciatur debilior actio, etiam in reliquo corpore actio habeatur languidior, præprimis si duobus simul in locis talia signa inveniuntur, uti hic in partibus genitalibus & naribus. Atque humores his in locis stagnantes, minus commoti, sensim corrupti & minus præparati traduntur communi circulationi, ubi totam massam inficiunt humore crudo & leviter corrupto, qui quidem actione vitali emendari potest, sed tamen inde non fruitur ille homo perfecta sanitate.

IV. Si

IV. Si vero partes, quæ ex naturâ ſunt laxiores & uliginoſæ modice ſiccæ inveniuntur, ſignum eſt huc confluentes humores ita attenuari, ut per inſenſibilem perſpirationem evolent, quod etiam hoc in loco notavit Galenus: nam actio validior in his partibus non ſolum propter majorem concitatum calorem ex hoc motu, & promptiorem expulſionem minuit hujus partis humiditatem, verum etiam reducit per vaſa abſorbentia & venoſa eam humiditatem, quæ alias ibidem ſubſiſteret. Hinc ratione ſigni & cauſæ harum partium ſiccitas modica eſt bona, quum notet actionem valentem, & non permittit, iſtos humores ſtagnando corrumpi.

Nares & genitalia ſicciora perfectiorem ſanitatem indicant.

LIB. VI. APH. III.

268. *IN longis dyſenteriis apoſtiæ, malum, & cum febre pejus.*

I.

SAtis conſtare poteſt ex iis, quæ diximus (*Aph.* 134, I.) quid proprie per Dyſenteriam ſit intelligendum: verum in hoc loco deſignantur Dyſenteriæ longæ ſeu diuturnæ. Adeoque Apoſitiam non ita damnat in initio Dyſenteriæ, ſed ſi aliquamdiu duraverit. Quæ differentia eſt notabilis, nam fieri poteſt, ut humor aliquis acris in inteſtina depoſitus rodendo inferat dolorem cum copioſiore dejectione, ſed poſtquam hic humor fuerit evacuatus, ſenſim quoque ceſſat Dyſenteria. Verum diuturnæ Dyſenteriæ denotant, ſcaturiginem humoris acris exhauriri non poſſe, vel eum humorem acrem induxiſſe inteſtinorum exulcerationem, quæ dein Dyſenteriam continuare facit. Ergo ſolæ dyſenteriæ longæ per ſe ſunt malæ, quod corpus exhauriant, & malam latentem cauſam deſignant. In his ſi fiant Apoſitiæ, malum. Ut intelligamus hanc prognoſin, videndum, ex qua cauſa latente illa Apoſitia fiat. Noſtrum corpus

In longis dyſenteriis apoſitiæ, malum.

pus vivens ita eſt creatum, ut egeat nutrimento, quod reſtaurat deperditum inevitabili actione corporis. Deus, ut caperemus alimenta, nobis conceſſit ſenſum famis, qui nos inſtigaret ad alimenta capienda, & ſimul Guſtum, ut acciperentur cum oblectamento. Quando per morboſam aliquam cauſam deletur famis ſenſus, etiamſi in corpore habeatur alimenti defectus, qui naturaliter in nobis famem excitat, proprie vocatur Inappetentia; ſed quando ſimul capienda alimenta averſionem pariunt, Faſtidium dicitur, quod in hoc loco per Apoſitiam intelligitur. Poteſt enim æger eſſe ſine deſiderio capiendi alimenta, ut ſi videat ea, vel commedat, dum tamen non faſtidit. Quare perpendendum, quibus frequentiſſimis cauſis faſtidium generetur. Experimur Faſtidium fieri, ſi motus ventriculi fiat inverſus, uti in nauſeoſis, vel quando aliquid putrefactum in ventriculo hæret. Si ergo aliquis faſtidioſus fiat, ſignum eſt, ventriculum conſentire & putrefactum quoque in eo cohærere. Dyſenteria autem eſt morbus inteſtinorum, & faſtidium morbus ventriculi, ergo cauſa mali latius eſt diſperſa, quod malum eſt: præterea per faſtidium deſignatur, Dyſenteriam abiiſſe in putredinem, quæ commutatio quoque eſt mala. Denique corpus per Dyſenteriam ita exhauſtum nunc privatur ſimul ſuo naturali nutrimento, quod amiſſum reſtaurare debebat. Hoc in longis Dyſenteriis periculoſum eſt, quarum cauſa eſt conſtans, ut monuimus; in incipiente autem Dyſenteria ſpes ſupererat, evacuatâ cacochyliâ, appetentiam redituram, ſed nunc vix ullam ſpem habere poſſumus, quum cauſa conſtans demum inducens faſtidium, ſimul privet corpus ſuo naturali nutrimento, & ſignum ſit, latius propagari morbum.

Et cum febre pejus.

II. Plerumque Dyſenteriis adjuncta eſt febris, verum non ſemper requiritur, ſæpe enim obſervavi Dyſenteriam ſine ullo indicio febris: quippe Dyſenteria habet motum inteſtinorum perturbatum, & febris eſt motus vitalis cordis & arteriarum perturbatus; quare hi duo morbi ſunt duas actiones diſtinctas afficientes, & non ſemper ſequitur, ut ex motu vitali depravato in febribus, motus inteſtinorum

in

in conſenſum trahatur, quod interdum fit, interdum vero non. Sed ſi motus inteſtinorum turbatus ſit, frequentius motus circulatorius in conſenſum trahitur, quod etiam in aliis motibus particularibus obſervatur. Si ex motu particulari, ut ex motu turbato inteſtinorum circulatorius motus in conſenſum trahitur, niſi ille motus ſimul valeat tollere cauſam, ille motus, & ratione cauſæ & effectus, eum morbum auget, quod paucis videbimus. Si Dyſenteria cum febre incepit, & tamen non ceſſat Dyſenteria, ſignum eſt, febrem non valere cauſam Dyſenteriæ ſuperare & expellere: interim tam longa fuit facta evacuatio, ut vires vitæ per imperfectam illam criſin fuerint exhauſtæ; quare vix ulla ſpes ſupereſt curationis. Si vero in principio non adfuerit febris, ſed poſtea ſuperveniat, talis febris vel accenditur per conſenſum ex motu perturbato inteſtinorum, vel ex tranſlatione materiæ ex cavo inteſtinorum ad organa circulatoria. Utrumque malum eſt. Nam motus febrilis in organo circulatorio per conſenſum concitatus non compeſcet motum turbatum inteſtinorum, neque emendabit corruptos humores in inteſtina confluentes, verum utraque hæc potius augebit. Si humor corruptus ex inteſtinis, ubi eſt perpetua ſcaturigo in Dyſenteria diuturna, feratur ad organa circulatoria, tunc ſimul tota maſſa ſanguinis hoc putrefacto infecta citiorem interitum minabitur. Recte ergo præcipit Auctor, cum febre pejus, quoniam latiorem conſenſum & tranſlationem indicat, quam quæ obſervatur in ſola Apoſitia ſuperveniente.

LIB. VI. APH. IV.

269. *Ulcera circumglabra, maligna.*

I.

Ulcera circumglabra, maligna.

TRia in hoc Aphorismo essent perpendenda, primo qui morbus dicatur Ulcus, sed quoniam hujus definitionem dedimus in Chirurgia Repurgata 1293. non erit opus repetere. Alterum est quando dicantur circumglabra; & denique cur talia dicantur maligna. Pars glabra dicitur, quæ omni inæqualitate caret, si fiat in parte pilosa, si pili cadant & non renascantur, in aliis autem partibus si squamulæ epidermidis secedant & quasi politam superficiem relinquant: sed præcipue tunc habentur glabræ partes, si earum superficies obducta sit muco tenaci, ac si esset pinguedo corrupta tenax parti adhærens. Hæc ultima species an sit concipienda ac si solummodo haberet in ambitu glabritiem, an vero etiam in ulceris cavitate, disputari potest, nam si ulcus ipsum & ejus margines sint glabræ, tale ulcus quoque circumglabrum dici potest. Talia nunc Ulcera pronunciavit κακοήθεα maligna, quoniam designant, hic colligi corruptos humores, & difficilem curationem admittunt, quod quoque passim in praxi observamus. Si enim pinguedo naturalis circa partem exulceratam hærens corrumpitur, illa vel abit in ichorem tenuem, qui cuncta, quæ tangit, liquefacit, ut inde squamulæ epidermidis decidant & pili defluant; vel abit in tenacem & corruptum mucum, qui omnem consolidationem impedit. Quamdiu igitur manent signa corruptæ pinguedinis circa ulcus, non possumus exspectare curationem. Hujus autem corruptionis signum certissimum præbent Ulcera circumglabra. Monemur ergo, quamdiu videmus Ulcera circumglabra, nos non posse exspectare curationem, sed transitum in

in majorem malignitatem. Hinc omni ope tentanda eſt emendatio & ablatio corrupti per externa abſtergentia antiſeptica applicata, & per interna, quæ uſus docuit ſummopere cohibere progreſſum putredinis, nam putrefactum per emunctoria eliminare non facile fieri poteſt.

LIB. VI. APH. V.

270. *Dolores in lateribus, & in pectoribus, & in aliis partibus, ſi multum differant, conſiderandum.*

I.

OBſervavit Hipp: Dolores ex variis naſci cauſis & varias aggredi partes, ut inde non potuerit certam prognoſin & curationem formare, dum tamen multi ex ſolo Dolore ſine diſcrimine forment prognoſin & deducant curationem. Hoc etiam hodie experimur, quamprimum enim aliquis in parte quadam ſentit dolorem, ſtatim auxilium petit. Empirici quoque nihil aliud quam arcana crepantes ſine ullo diſcrimine medicamentum vel applicant vel exhibent. Quia vero obſervavit Noſter Auctor, nos non poſſe ſine diſcrimine quemcunque lenire Dolorem, monere voluit medicam artem exercentes, ut, antequam dant medicamentum, perpendant Doloris differentias, exempla adducit, dolorem pectoris & in lateribus, ſed quoniam breviſſimus eſt in Aphoriſmis, non fecit annumerationem, quænam differentiæ ſint obſervandæ. Senſus Aphoriſmi.

II. Vix latior in tota praxi eſt Titulus, quam qui Dolores complectitur, quum non ſolum variis ex cauſis generetur, ſed etiam fere omnibus partibus ſit infeſtus: requiritur ergo, ut propter varietatem ſuam multiplicem certo proponatur ordine. (1) Maximam differentiam Doloris invenio tam ratione prædictionis quam curationis, prout variis cauſis & morbis producatur. Ita Dolores ex In- Quæ doloris differentiæ ſint obſervandæ.

flammatione, Conſenſu, Catarrho, Scorbuto & ex multis aliis cauſis ſummopere differunt: hi enim non ſolum leninem exigunt, ſed etiam diverſa medicamenta poſtulant his cauſis appropriata. (2) Quamvis eadem cauſa inferat Dolorem, Partes tamen diverſæ mutant præſagium & curationem, quum quædam partes affectæ ex earum neceſſitate ad vitam ſuſtentandam Doloris periculum augeant; & non omnium partium dolores eadem methodo curari poſſint. Ita habentur Dolores capitis, ventris, pectoris, oculorum & aliarum partium, natura & curatione admodum differentes. (3) Ipſi Dolores etiam ſpecie differunt, ut mites; vehementes; fixi; vagi; frigidi; calidi; increſcentes; decreſcentes; conſtantes & intermittentes. Hi omnes multum lucis præbent ad inveſtigandas doloris cauſas: nam non quælibet cauſa quamlibet doloris ſpeciem infert. Si ergo quis novit, qualis ſpecies ex cognita cauſa generetur, eadem doloris ſpecies, ſed ex latente cauſa, arguit, latentem & manifeſtam cauſam non multum differre. (4) Denique varii Effectus ex Doloribus provenientes ſunt ſedulo obſervandi, ut inde majus & minus malum inſtare cognoſcamus.

LIB. VI. APH. VI.

271. *REnum & veſicæ vitia in ſenibus difficulter ſanantur.*

I.

SUpra demonſtravimus (*Aph.* 64, IV.) Senum diuturnos morbos ſolere ad mortem durare atque, (*Aph.* 105, V) ſenes ſæpe nephritide & ſtranguria (*Aph.* 110, IV, & VI) laborare. Ergo videndum eſt, qualia Renum & Veſicæ vitia hic intelligantur, & cur illa in Senibus difficulter ſanantur. Noſter Auctor H. a. 818. *Renum affectiones*, inquit, *non vidi ſanatas ſupra quinquageſimum annum.* Frequentiora vitia Renum & Veſicæ non habentur, quam Calculus his

his partibus dolorem inferens, quare per nephritidem utplurimum intelligunt Calculum. Frequens quoque in ſenibus eſt renum & veſicæ dolor ab humore acri, qui ſæpe vocatur nephritis notha. Reliqua autem vitia, ut inflammatio, vel ſcirrhus, vel ulcus, minus frequentia ſunt; propterea judicarem, reſpexiſſe Auctorem noſtrum ad generationem Calculi & ſucci viarum urinæ acrimoniam. In Pueris & Senibus frequentior eſt Calculi generatio, quam in reliqua ætate, cum vires minus valentes non ſatis attenuent partes terreſtres & ſalinas, verum iſtas permittant concreſcere in Calculum. Pueri autem quoniam increſcente ætate ſenſim roborantur, has partes terreſtres & ſalinas ita attenuant, ut ineptæ fiant ad producendum Calculum, & ita ſponte liberantur. Senes autem ingraveſcente ætate ſenſim magis debilitati, magis proni fiunt ad Calculi generationem. Quia vero non habemus medicamina, quibus poſſumus hanc naturalem debilitatem prævenire, inde recte monuit Auctor, hos morbos & dolores difficulter ſanari poſſe in Senioribus. Neque multum valemus in corrigendo acrimoniam ſpontaneam, quæ ex debilitate naſcitur in ſucco obliniente vias urinæ ſenum, quæ maxime convenit Raucedini & Gravedini (*Aph.* 65, v.) quum illa ſit ſuperanda viribus vitæ validioribus, quæ in ſenibus reſuſcitari nequeunt.

LIB. VI. APH. VII.

272. *Dolores qui in ventre fiunt, elevati quidem, leviores: non elevati vero, vehementiores.*

I.

Dolores elevati qui dicantur.

OMnes Auctores fere ſequuntur expoſitionem Galeni, qui per μετέωρα intelligit dolores in partibus exterioribus ventris, ſeu qui ſæviunt in partibus extra peritonæum locatis, ſed per alios dolores, qui in viſceribus ventris urgent. Ego vero puto, ſi voluiſſet Auctor illam

doloris differentiam indicare, quod dixiſſet Dolores externos & internos, tunc enim multo clarior eſſet ſenſus; ita enim ſolet loqui de Doloribus Capitis & Pectoris. Si allegatus ſenſus eſſet vera ſententia Hippocratis, non ita ubique vera inveniretur: nam in partibus externis æque vehementes dolores oboriuntur, ſed minus periculoſi, quam in partibus interioribus. Imo in hepate raro tam acuti aut vehementes fiunt dolores, quam in partibus abdominis externis. Quare credo per μετέωρα tales Dolores intelligi debere, quæ ventris Inflationem ſeu Elevationem faciunt, quando nempe per dolores intenditur venter, quaſi flatibus diſtenderetur.

Quare ventris dolores elevati mitiores, non elevati, vehementiores?

II. Ventris nomine, quamvis multa ſignificat (*Aph.* 15, 11), hoc loco intelligi abdomen, nemo inficias ire poteſt, quum cavitates reliquæ non poſſint ita elevari, uti abdomen. Obſervavit Auctor hos dolores ventris ſublimes, ſeu elevatos mitiores, non elevatos vehementiores, quod etiam in praxi expertus ſum, non ſolum in ventre, ſed & etiam in aliis partibus. Si enim cauſa dolorem faciens valide agit, eo majorem dolorem infert, quo fibra magis manet renitens, quando talis pars ſimul non tumet, ſed in ſua conſtrictione perſiſtit: ſi vero fibræ dimittant tenſionem, pars ea tumere incipit & tunc fit doloris lenimen, quod podagrici ſæpe experiuntur, non enim ſævities doloris lenitur, niſi pars dolens tumeat. Hoc omnino verum eſt in ventris doloribus, ſi motu inordinato inteſtinorum producitur aër artificialis, cujus expanſio impeditur per validam fibrarum tenſionem, immanis fit dolor: ſi vero relaxatis fibris aër permittitur expandi, ſtatim miteſcit dolor. Hinc calida & humida, quæ fibras laxant, applicata cum ventris intumeſcentia leniunt dolores.

LIB. VI. APH. VIII.

273. *Hydropicis ulcera in corpore orta, non facile sanantur.*

I.

Hydrops qualis morbus sit.

QUoniam in hoc Aphorismo agit de difficultate curationis in Ulceribus, atque nullam ulceris distinctionem proponit, sed solummodo quia accidit in corpore hydropico, necesse erit hoc loco notare, quid propie in hoc loco medici per Hydropem intelligant. Omnis collectio humoris pellucidi, aquosi vel pituitosi copiosior, vel per totum corpus, vel in quadam parte proprie vocatur Hydrops: si illa collectio præcipue habeatur in tunica cellulosa sub cute & in cutis substantia, Aqua inter cutem appellari solet: sed in aliis partibus si fiat collectio, specialia sæpe accipit nomina, ut Hydrocephalon, Hydrocele, Ascites, qui morbi solummodo sunt species hujus morbi generalis.

Hydropicis ulcera in corpore orta, non facile sanantur.

II. Ulcera in Hydropicis duobus modis generantur, vel per artem, vel sponte, utraque difficulter sanantur; sed quæ sponte veniunt, difficilius. Si per caustica vel vesicatoria concitentur ulcera, ad loca ea lacerata tantus fit humorum confluxus, ut in loco eo pus formari non possit, nam ut pus formetur, aliquamdiu humores in ulcus confluentes quiescere debent, donec actione vitæ convertantur in pus, sub quo recrescit caro & epidermis, affluxus autem perpetuus lymphæ illam quietem & moram intercipit: neque aqua hydropica istius est naturæ, ut in pus converti possit. Quare experiuntur Chirurgi, factam aperturam difficulter consolidari posse. Si sponte generantur ulcera, adhuc difficiliorem curationem promittunt; nam si sponte oriuntur ulcera, signum est, tantam esse acrimoniam in latice hydropico, quæ valet corrodere cutim & epidermidem: si

ergo

ergo ad partem eam corroſam copioſus ejuſdem humoris habetur affluxus, major eſt exſpectanda corroſio & vix ulla conſolidatio, niſi per effluxum illum ſimul auferatur lympha illa acris, quod fieri poteſt in particulari hydrope, qui per factam aperturam omnem ſuum humorem exonerat, ſed ſi in generali Hydrope omnis lympha evacuanda ſit per unam hanc partem corroſam, partes ambientes continua colluvie vexatæ utplurimum moriuntur, ſeu ſphaceleſcunt. Hinc tutum non eſt in hydrope generali concitare emunctorium particulare, neque ſanitatem promittit, ſi quis ſponte acquirat in quadam parte ulcus fundens lympham: ſed in particulari hydrope conducere poteſt. Atque obſervavi in Pectoris hydrope ulcera ſponte vel & veſicatoriis in cruribus facta ſummum attuliſſe levamen, & tandem perfectam ſanitatem, evacuata aqua per illa ulcera: in Aſcitide autem talia ulcera multum quoque liquidi plorarunt, ſed poſt evacuatum laticem perierunt ægri. Ex quibus omnibus perpenſis colligi poteſt, ulcera in corpore hydropico nata difficulter ſanari, ſed non ſemper mala dicenda eſſe, quum quibuſdam in caſibus ſanitatem attulerunt.

LIB. VI. APH. IX.

274. E *Floreſcentiæ latæ, non admodum pruriginoſæ.*

I.

Exanthemata lata quædicantur.

MUltitudo morborum in cute, quia a Veteribus plerumque deducebatur a variis humoribus, ſola hypotheſi nitentibus, maximam confuſionem paruit, nam non facile eſt ex conſpectis in cute phænomenis determinare, qualis humor hoc vel iſtud phænomenon inducit. Quare idem phænomenon pro mutata hypotheſi varium accepit nomen. Hoc quam maxime apparet in morborum cutaneorum deſcriptione. Nulla mihi morborum claſſis majorem difficultatem paruit, quam qui morbi externe cutim afficiunt;

unt, quod patere poteſt ex iis, quæ in Chirurgia repurgata exhibui. Volui propterea proprium nomen græcum Exanthema (Ch. 1396.) ſervare, quod alias Efflorescentia, Puſtula, vel Papula vocatur. Quod Exanthema debet habere colorem rubrum in ambitu limitatum, cum quadam cutis elevatione, ut diſtinguatur a maculis, quæ non elevant cutim; ſed tamen ſine tumore elato, ut differat a puſtulis & tuberculis. Talia ergo Exanthemata poſſunt eſſe lata vel parva inſtar ſtigmatis, modo aliquam in cute elevationem faciant diſtinctis in locis, & colorem rubrum habeant.

Exanthemata lata, minus pruriginoſa.

II. Eundem humorem ſeu cauſam Pruritum & Dolorem inferre poſſe, demonſtravimus. (*Aph.* 110, X.) Ex omnibus experimentis conſtat, leviſſimam vellicationem ad nervum ſentientem inferre Pruritum. Obſervamus præterea non ſine diſcrimine quamcumque vellicationem Pruritum generare, imo quædam leviſſima acria applicata Pruritum compeſcere: quamobrem tenendum, ſpeciale genus acrimoniæ potius Pruritum producere, quam Dolorem, alia autem genera Dolorem ſine Pruritu. Hinc Pruritus eſt aliquod phænomenon, quod certam ſpeciem acrimoniæ vel roſionis declarat. Hoc magni momenti eſt in Medicina & Chirurgia obſervare; nam ſi Pruritus ſit inſeparabile phænomenon ſpecialis acrimoniæ, per phænomenon hoc obſervatum in morbis poſſumus judicare, qualis ſit latens cauſa. Obſervavit noſter Auctor Exanthemata lata minus pruriginoſa eſſe quam Exanthemata parva ſeu anguſta: ſi ergo examinavimus naturam acrimoniæ Pruritum excitantis, novimus quoque, quid ſit agendum in latioribus & minus latis Exanthematibus: nempe per ea applicata vel exhibita, quæ naturam ſpecificam pruritum inducentem exſtinguunt.

LIB. VI. APH. x.

275. *Caput laboranti, & circumcirca dolenti, pus, aut aqua, aut ſanguis effluens per nares, aut per os, aut per aures, ſolvit morbum.*

I.

Capitis doloris frequentiſſima cauſa quæ ſit.

EX multis obſervationibus particularibus conatur Auctor generalem conficere Aphoriſmum. Detexit enim Capitis labores & dolores, tam in partibus internis, quam externis, ſponte ceſſare evacuatione per nares, os, & aures; præterea jam liberari effluxu ſanguinis, jam puris, jam vero lymphæ. Non debemus judicare, quemcumque morbum Capitis ſine diſcrimine hoc vel illo humore effluente ſanari, ſed unaquæque ſpecialis cauſa ſuo proprio effluente humore ſolvitur: inde neceſſe eſt, antequam cum certo fundamento valemus præſagium formare, ut perſpiciamus, quinam morbi præcipue Capitis dolores inferant. Frequentiſſimi morbi Dolorem capitis inducentes ſunt Impetus ſanguinis major ad Caput, Inflammatio meningum, atque humor tenuis acer Catarrhoſus. Ut morbi hi ſuis ſignis diſtinguantur, reliqua phænomena hanc vel illam cauſam concomitantia ſimul ſunt perpendenda, ſecundum datum præceptum generale in doloribus, (*Aph.* 270.) nam capitis dolor eſt phænomenon, quod ex multis cauſis oriri poteſt, quæ cauſa detegi nequit, niſi tot colligantur phænomena dolori capitis conjuncta, quæ cauſam hanc a ceteris diſtinguere valent. Si Impetus ſanguinis ad caput ſit major, qui dolorem infert, vaſa arterioſa in partibus externis capitis magis agitata & impleta faciunt faciem inflatam & rubentem, nares rubent & pruriunt, caput incaleſcit, & arteriarum pulſatio ſentitur in temporibus, interdum etiam in collo. Atque partes arterias a carotidibus

bus internis ramos accipientes motus majoris etiam indicia præbent; ita oculi protuberant, rubent, truces fiunt, cum effluxu lachrymarum; vident ſæpe ſcintillas; aures tinniunt & ſonitum audiunt vel obſurdeſcunt; vel cerebrum agitatum delirium vel ſoporem inducit. Imflammationis ſigna non multum a præcedentibus diſtant, niſi quod dolor ſit ſeviſſimus & conſtans, & ea omnia ſint vehementiora. Quando hæc ceſſare incipiunt ſine bona criſi, judicamus abiiſſe in purulentiam. Sed quando morbus fuerit chronicus, vel continuum inferens capitis dolorem, vel per intervalla redeuntem, ſine ſignis iſtis citatis, ſed cum doloribus vagis vel fixis in aliis partibus corporis, qui nunquam abierunt in ſuppurationem, judicamus lympham acrem tenuem vellicare meninges & ita producere dolorem.

Qui dolores capitis ſolvuntur evacuatione ſanguinis, puris, vel aquæ, per os, nares, & aures?

II. Tria proponuntur emunctoria, per quæ humor evacuatus ſolutionem portendit, & tres evacuandi humores recenſentur: verum non eſt judicandum, unumquodque emunctorium ſuum ſolum proprium humorem evacuare: obſervatione conſtat, Nares præcipue evacuare ſanguinem, Os lympham, & Aures pus. Hæc tamen practica obſervatio non eſt ita conſtans, quin interdum hic ordo invertatur. Verum humoris diverſi exitus magis conſtans eſt: nam Capitis dolor ex impetu majore natus optime liberatur narium hæmorrhagia, quæ minuendo ſanguinis copiam majorem ſimul compeſcit illum majorem impetum & inde natum dolorem. Sed circa finem morborum acutorum, ſi per metaſtaſin ad caput delata eſt materia purulenta, aut quando in interioribus capitis fuerit exulceratio capitis dolorem inferens, ſæpe obſervavi, puris evacuatione per aures homines fuiſſe liberatos, interdum etiam per os & nares: ſed minus frequens per hæc emunctoria eliminatur pus. Humor autem ſeroſus acris capitis dolorem inferens ſine multo diſcrimine per tria hæc emunctoria eliminatur. Hæc eſt quotidiana experientia, & vix aliquis exercuit praxin, quin has evacuationes detexerit cum ægri levamine. Theoretici his obſervationibus non contenti, rimati ſunt encephali fabricam, invenientes omnia cranii foramina Durâ

matre tecta: quia non detegunt viam, ſategerunt hanc invertere practicam obſervationem, quaſi materiæ morboſæ fieri non potuiſſet evacuatio per partem aliquam, niſi via anatomicis eſſet cognita. Verum in viventibus multa fiunt, quæ ab anatomicis in cadaveribus non poſſunt demonſtrari, præprimis ſi vis vitæ inſtigetur ab aliqua morboſa materia. Satius itaque exiſtimo veram obſervationem practicam mordicus tenere, quam eam repudiare, vel denegare, quoniam nos latet ſtructura.

LIB. VI. APH. XI.

276. *Melancholicis, & nephriticis, hæmorrhoïdes ſupervenientes, bonum.*

I.

Melancholicis hæmorrhoides ſupervenientes, bonum.

Duplici ſenſu vocari homines Melancholicos, obſervavimus. (*Aph.* 119, II.) Nam ſi reſpicimus ad animam, triſtes & mœrentes ſine cauſa, & timentes non timenda, dicuntur Melancholici. Qui materiem Atrabiliariam collectam gerunt in vena portarum, ſive talis animi affectiones inferat, ſive non, tamen cenſentur Melancholici. Hanc præprimis poſteriorem ſpeciem hoc in loco intelligi, confido, quum citet evacuationem, qua illa materia evacuari poteſt. Quamobrem vero Hæmorrhoïdes ſupervenientes hoc loco magis extollantur, quam quævis evacuatio alia, tam ſanguinis, quam aliorum humorum, attentionem meretur: reddunt etenim melancholici urinam nigram ſine levamine, & ducitur ipſis ſanguis, vel ſponte oboritur narium hæmorrhagia cum incremento mali. Satis demonſtravimus loco citato, materiem melancholicam venire non poſſe in ſanguinem venæ cavæ vel arteriæ aörtæ, niſi tranſeat per hepar, neque per aliam viam duci poteſt ad renes, ut urinam ſua nigredine inficiat. Si ergo ejus aliqua portio

portio tranſeat per hepar, fons tamen perpetuus manet in vena portarum novam materiem ſuppeditans. Quod ſi ex naribus fluit ſanguis, non magis de materia atrabiliaria eliminari poteſt, quam de reliquo ſanguine bono: unde ſæpe miratus vidi, toties tentatum fuiſſe melancholicos curare per venæ ſectionem. Si autem Hæmorrhoides fluunt, ille ſanguis venæ portarum evacuatur, qui maxime imprægnatus eſt materia melancholica, nam hæmorrhoïdales venæ ſurculi ſunt venæ portarum. Hæc quoniam valvulis caret, permittit ſenſim omnem infectum ſanguinem hac via eliminari. Interim non tam certa fit purgatio materiæ melancholicæ a reliquo ſanguine bono, ac fieret, ſi interpoſitum eſſet organum ſeparans, quum ablata portione, & dein reſtaurato ſanguine, in eadem vena portarum, evacuando ſenſim minuitur materiæ atrabiliariæ proportionata quantitas. Hæc ſententia in exemplo clarius concipitur. Si verbi gratia aliquis contineret in vena portarum uncias duodecim ſanguinis Melancholici, & evacuaret unciam unam, duodecima portio hujus materiæ Melancholicæ evacuaretur: poſt evacuationem ſi iterum bonus ſanguis accederet, dein facta æquali evacuatione, non emitteretur duodecima portio materiæ melancholicæ. Et quo frequentior ſit facta evacuatio & reſtauratio, eo minor portio materiæ melancholicæ evacuaretur; adeo ut tandem in una uncia evacuati ſanguinis ne quidem ſemi uncia materiæ melancholicæ contineretur. Hæc eſt ratio, quod Hippocrates dixit, Bonum, non vero Solutio fit. Imo locus aptus ad producendam atram bilem inter evacuandum iterum æqualem copiam ejuſdem regenerare poteſt, quam eſt ea, quæ ſingulis vicibus emittitur.

II. Veteres omnes dolores lumborum, ubi renes hærent, Nephritidem vocaſſe ex variis locis (*Aph.* 110, VI) colligi poteſt. Credere enim non poſſum, dolorem nephriticum per calculum in renibus hærentem, dolorem inferentem, hæmorrhoïdum fluxu curari poſſe. Sed meſenterium lumbis annexum, quod multos ramos venæ portarum continet, ſi propter impletionem a materia melancholica vel ejus

Hæmorrhoïdes Nephriticis ſupervenientes, bonum.

acrimonia lumbis dolorem infert, conceptu facile eſt, facta depletione per venas hæmorrhoïdales levamen fieri doloris. Inde etiam toties per alvi ductionem, qua depletur vena portarum, minuuntur dolores nephritici, non quod calculum auferat, ſed vaſa meſenterii diſtenta, dolorem inferentia, depleat. Mirum nemini videri poteſt, me meſenterii dolorem hoc loco vocare Nephritidem, locus enim tantum non diſtat, ut per deſignatum locum dolentem has duas partes ſemper valeamus a ſe invicem diſtinguere.

LIB. VI. APH. XII.

277. *Hæmorrhoïdas curanti diuturnas, niſi una ſervata fuerit, periculum eſt, ne hydrops ſuperveniat, aut tabes.*

I.

An hæmorrhoïdes diuturnæ non omnes curandæ?

Per Hæmorrhoïdas hoc loco intelligi ſanguinis fluxum ex venis hæmorrhoïdalibus, non vero has partes dolentes (*Aph.* 109, XIII) colligi poteſt ex adjunctis verbis, *niſi una ſervata fuerit*, nam dolentes hæmorrhoïdes omnes tuto curantur, neque ex curatione doloris in hoc loco aliquid mali eſſet exſpectandum: verum ſi cohibeatur conſuetus fluxus, materia tali modo retenta morbos varios inducere poteſt. Hæmorrhoïdes diuturnæ ſi ſolummodo bonum ſanguinem fuderunt, iſtis ſanatis, corpus huic evacuationi aſſuetum, quæ nunc ſuppreſſa eſt, ad morbos diſponitur, Conſueta enim non ſubito mutanda (*Aph.* 76, I.) Hinc etiam viri hæmorrhagiis aſſueti vel venæ ſectioni, iis omiſſis in varios morbos labuntur. Maxime hoc obſervatur in menſtruo ſanguine ſuppreſſo, ſive ex cauſa morboſa ſive ætate ingraveſcente, rarum eſt, ſi inde non naſcatur aliquis morbus. Quod ſi ex hæmorrhoïdibus diuturnis effluxerit

rit ſanguis vel humor morboſus, his tunc omnibus ſanatis plura mala ſunt exſpectanda, quia tunc non ſolum ſuppreſſa conſueta evacuatione deſtruitur æquilibrium, verum retentus humor ſua malignitate utplurimum periculoſiſſimos morbos infert. Ita patere videtur, omnes hæmorrhoïdes diuturnas non eſſe ſanandas: ſed ſi permittantur, rarum eſſet ſi non generantur fiſtulæ ani, quæ quoque moleſtiſſimæ ſunt. Ergo ancipites hæremus quid ſit faciendum. Si enim curo omnes, multi morbi fiunt, ſi non ſano, generatur ani fiſtula: igitur media via eſt ineunda, nempe ſenſim omnes hæmorrhoïdes ſunt ſanandæ, ne ſubitanea inducatur mutatio. Si interim retinetur morboſa materia, illa medicamentis internis eſt emendanda, vel alibi in corpore fonticuli ſunt concitandi, qui collectam materiem evacuant: aut aliquoties eſt repetenda venæ ſectio vel alvi ductio, ne ſubitanea mutatio introducatur.

II. Qui humor ex Hæmorrhoïdibus fluit, eſt ſanguis purus, vel melancholicus, vel eſt liquor aliquis morboſus. Prout diverſus illius humoris efluxus ſupprimitur, ita etiam varii fiunt morbi. Nemo mirabitur ex ſuppreſſa melancholia vel humore morboſo retento generari morbos, ſed ſi ſanguis talis, qualis colligitur in vena portarum, hac via conſuetus evacuari retinetur, tunc dicit Auctor, periculum eſt, ne ſuperveniat Hydrops, aut Tabes. Ergo hæc phraſis duo inculcat, nempe non ſemper fieri Hydropem vel Tabem, ſed interdum; & alterum eſt ſi talia ſuperveniant, malum præbent ſignum, quoniam dicit periculum eſt. Etiamſi hos duos morbos citat, non tamen reliquos excludit, ſed inculcare vult, ſe cum damno ægri hos duos vidiſſe morbos conſecutos. Quod mirum eſt in hoc Aphoriſmo, ex eo patet, quod citat duos morbos toto cœlo ſibi oppoſitos: nam Hydrops humorum abundantiam arguit; ſed Phthiſis eſt morbus ex ſummo humorum defectu. Quomodo autem hi duo morbi ex eadem cauſa generari poſſint, paucis videbimus. Si ſanguinis evacuatio diuturna per hæmorrhoïdes ſupprimatur, ex abundantia humorum deſtruitur æquilibrium inter cauſas agentes & quantitatem humorum: hu-

Cur ex hæmorrhoïdibus diuturnis ſanatis periculum eſt, ne fiat hydrops vel phthiſis?

humores itaque minus compacti per ſpontaneum deliquium vel abeunt in Viſcoſum vel Laticem tenuem. Quod ſi id viſcoſum colligatur in cellulis pinguedinoſis, generatur tali in corpore Hydrops. Sed ſi ex defectu virium liquati humores ſimul excluduntur per emunctoria, corpus Macie conſumitur. Igitur degeneratio humorum in utroque morbo eſt eadem, ſolummodo differt evacuatio, quæ in uno morbo parcior, in altero copioſior fit. Quare duo hi morbi in ſua natura non multum differunt, ſed in phænomenis apparentibus, quæ a Veteribus maxime obſervantur, multum differre videntur. Unde ſæpe obſervamus etiam in Phthiſicis, pedes fieri œdematoſos, & in Hydropicis partes tabe interdum extenuari.

LIB. VI. APH. XIII.

278. A *Singultu detento, ſternutationes ſupervenientes, ſolvunt ſingultum.*

I.

NOn dubito, quin Auctor noſter obſervaverit, aliquem Singultu aliquamdiu detentum, ab iteratis ſternutationibus accedentibus fuiſſe curatum: ſed an inde generalis regula practica conſtans poſſit elici, vehementer dubito, fateor, me hoc in tota praxi non obſervaſſe. Sunt enim duo morbi motus depravati, qui ex phænomeno apparente obtinuere nomen. Fieri ergo poteſt, ut ſingultus naſcatur ex cauſa mobili irritante ſuperius ventriculi os, ut inde convellatur diaphragma, quæ cauſa altera actione ſternutationis depellitur; vel quod materia tenuis ab orificio ventriculi delata ad nares loco Singultus, Sternutationem faciat, & ita ſuperveniens ſternutatio curet Singultum. Sed & poteſt quoque Singultus eſſe ex multo ſanguinis fluxu, (*Aph.* 196, 1) aut Hypercatharſi, (*Aph.* 197, 1) vel

vel hepate inflammato (*Aph.* 251, IV) vel & aliis morbis fixis circa ventriculi orificium, in quibus omnibus commotio valida ſternutationis augeret morbum. Propterea ſi unus morbus ex phænomeno denominatus ab altero morbo ſuperveniente debet tolli, niſi addatur prioris morbi cauſa diſtincta, omnino incerta & inutilis eſt obſervatio practica.

LIB. V. APH. XIV.

279. *AB hydrope detento, ſi aqua ſecundum venas in alvum fluxerit, ſolutio fit.*

I.

AN Hydropem generalem vel particularem Auctor hic intelligat, contendunt Commentatores, neque conſentiunt; an intelligatur aquæ fluxus in cavum ventris, vel in inteſtina, vel etiam per veſicam. Similem fere ſententiam habet multis locis, in quibuſdam vero Leucophlegmatiam ponit; aliis etiam evacuationem per urinam laudat. Denique non concipiunt, quomodo ſecundum Venas aqua fluere poſſit. Cuncta hæc ſubtiles ſunt quæſtiones, quæ nihil lucis adferunt cognitioni aut curationi: neque multum refert, num Hippocrates aliis in locis idem vel aliquid aliud ſtatuat, quum tota auctoritas noſtra in meris obſervationibus practicis ſit fundata. Nemo neſcit, Hydropem eſſe morbum ex abundantia humoris aquoſi in vaſculis dilatatis, tunica celluloſa, vel in cavitatibus corporis: atque conſtat, nos non poſſe curare eum morbum, neque ſponte evaneſcere poſſe ſine iſtius humoris evacuatione viſibili, quum tanta habeatur aquoſi humoris copia, & tanta virium debilitas in his morbis, ut per inſenſibilem perſpirationem eliminari nequeat. Tria nobis ſunt data organa excretoria naturalia, nempe Cutis, Veſica & Alvus: ſed quoniam Cutis naturaliter tranſmittit rorem, & aquæ tanta

abundantia eouſque viribus corporis non poteſt attenuari, emitti ergo debet vel per Veſicam vel Alvum. Utraque hæc via ſatis accommodata eſt ad exonerandam aquam, ingens copia enim arteriarum fertur ad inteſtina, & quæ adit renes, ſatis magna eſt. Sanguis itaque lympha dives per arterias has vel ad Inteſtina vel Renes delatus ſi deponat copioſiorem lympham, valet tandem omnem aquæ abundantiam exantlare ſine ulla vaſorum ruptione, quod indicare videtur, dum dicit *ſecundum venas*, per quas, arterias ubique fere intelligere debemus. Id autem generale obſervamus in hydropicorum aqua, quod ſit quaſi vehiculum commune, quod per omnia emunctoria eliminari poteſt, qualis natura non habetur in ſpeciali urinæ vel perſpirabilis materiæ liquore, neque in ipſo pure: hoc enim rariſſime cum levamine eliminatur per alvum, ſed per ſputum vel urinam. Igitur ſi natura vergat ad Inteſtina vel ad Renes, hac via utraque, aqua hydropica eliminari poteſt. Si tali in evacuatione redditur aqua pura inodora, minime corrupta vel acris, ſignum eſt, corporis vires valere exonerare iſtud onus, & vaſa non eſſe corrupta, & ſic ſæpe ſanantur; quæ obſervatio etiam magni momenti eſt in propinato purgante vel diuretico; nam ſi his medicamentis in parva copia datis, magna fit evacuatio aquoſi inodori cum detumeſcentia corporis & virium levamine, magna ſpes perfectæ curationis affulget. Sed ſi per magnam doſim parum evacuant, vel emittitur aqua corrupta, poſt ſufficientem evacuationem ægri moriuntur, putrefactis & corruptis viſceribus ab incumbente liquore. Imo obſervavi, fluxu ſpontaneo oborto in cruribus copioſo ægros fuiſſe liberatos a tumore hydropico, ſed poſt ſufficientem extenuationem perierunt; quum excoriatio illa denotabat, aquam hydropicam ſuſcepiſſe acrimoniam, qua potuit excoriationem facere, & ita ſimul corrodere interna viſcera.

LIB. VI. APH. XV.

280. A *Diuturno alvi profluvio detento, ſponte ſuperveniens vomitus, alvi profluvium ſolvit.*

I.

NOn dubito, quin Hipp: obſervaverit, Vomitu ſuperveniente diuturnam Diarrhœam fuiſſe ſublatam, ſed puto tamen hanc obſervationem non fuiſſe univerſalem, ut poſſimus inde certam prognoſin formare, vel hac in re imitari naturam dando vomitorium in diuturna Diarrhœa. Fieri equidem poteſt, ut inter ventriculi plicas aliquid corruptum viſcoſum hæreat, quod tranſeuntia alimenta inficiens generet diuturnam Diarrhœam: vel quod bilis viſcoſa ex veſicula fellea in duodenum depoſita alvi diuturnum fluxum faciat. Hæc ſcaturigo quamdiu manet, continuare facit Diarrhœam, ſed quando valida actione vomendi excutiatur ex ventriculo viſcoſum, vel ex veſicula fellea bilis corrupta, ablata illa cauſa, ceſſabit Diarrhœa. Si vero hac vomendi actione non eliminatur ex ventriculo & veſica fellea omne corruptum, Vomitus ille non ſolvet Alvi profluvium. Quod ſi Alvi profluvium diuturnum naſcatur ex humorum colliquatione per totum corpus, qui continuo deponuntur ad inteſtina, quod ſæpe in praxi obſervavi, vel ex debilitate inteſtinorum, qua aſſumta ſponte permittuntur corrumpi in inteſtinis, vel a vitiata bile, quæ omnis ex veſica fellea evacuari nequit, vel per ductum hepaticum continuo deponitur, his omnibus in cauſis & in multis aliis Vomitus ſi accedat, augebit morbum: minuetur quidem quantitas dejectionis, ſed totus ille compoſitus morbus fiet gravior. Si eſſent ſigna indicantia hanc vel illam latentem cauſam proritare Diarrhœam diuturnam, aliquid certi ex ſuperveniente Vomitu hauriri poſſet, ſed

quoniam hæc ſigna admodum ſunt ambigua, nihil certi ex Vomitu ſuperveniente deduci poteſt.

LIB. VI. APH. XVI.

281. A *Pleuritide aut a peripneumonia detento diarrhœa ſuperveniens, malum.*

I.

QUales morbi dicantur Pleuritis & Peripneumonia, ex antecedentibus (*Aph.* 109, IV & V) peti poteſt, iis ſi detineatur æger, id eſt ſi hoc vel illo morbo aliquamdiu laboraverit, & dein corripiatur Diarrhœa, ille fluxus malum portendit. Obſervavi in praxi, a Diarrhœa ſuperveniente ſputum in pleuriticis & peripneumonicis præſtantiſſimam evacuationem ſupprimi, & corpus ſummopere debilitari. Paradoxum autem quibuſdam videtur, per alvi dejectionem copioſiorem fieri non poſſe criticam evacuationem in pleuriticis & peripneumonicis, cum ſit ampliſſimum emunctorium, per quod in capitis morbis toties obſervatur fieri levamen, & multi medici ex dato purgante in principio horum morborum egregium quoque levamen percipiunt. Meretur igitur, ut hæc evacuatio in dictis morbis penitius perſpiciatur. Conſtans eſt obſervatio, quodcumque organum ſecretorium & excretorium ſuum proprium humorem ſecernere a communi maſſa ſanguinea, ita Renes omnium optime purulentiam ex communi maſſa auferunt & cum reliqua urina emittunt; Inteſtina autem materiem biliosam & melancholicam: putrefactum vero & aquoſum omnia emunctoria. Viciſſim conari evacuationem non procedit: nam etiamſi urina ſubnigra denotet evacuationem melancholiæ, & fulva aut flava exitum bilis, niſi his morbis fiat alvi evacuatio, nunquam perfecte curantur, ſed evacuationes hæ ſunt ſymptomaticæ. Ita etiam puris

puris evacuatio per alvum, ſi pus non ſit formatum in inteſtinis, nunquam liberat hominem a morbo ſuppuratorio, quum inteſtina non ſint organa, quæ valent purulentum ſeparare a tota maſſa. Si igitur fiat Diarrhœa in Peripneumonia & Pleuritide inflammatoria, quæ abierunt in ſuppurationem, quod indicatur his verbis, *Pleuritide vel Peripneumonia detento*, ſignum igitur eſt, hac via non evacuari pus, ſed humorem alium, aliter enim dixiſſet Auctor alvi egeſtionem purulentam. Inde colligendum eſt, morbos iſtos inflammatorios non abiiſſe in purulentiam bonam, ſed in putrilaginem malam, quæ materia facile poteſt per inteſtina eliminari. Quia vero a pectore ad inteſtina non habetur via particularis, ſed putrilago prius eſt tradenda communi maſſæ circulatoriæ, antequam ad inteſtina veniat, concludere poſſumus, malam fuiſſe factam commutationem morbi inflammatorii, & materiem corruptam toti maſſæ eſſe traditam, a qua difficulter ſeparari poteſt per inteſtina tanquam organum excretorium. Dein etiam ex conſtanti lege comperimur, unam evacuationem impedire alteram, unde alvus fluens non ſolum dicta mala indicat, verum etiam faciet ſputi ſuppreſſionem, ſine quo peripneumonia & pleuritis non curatur, unde ex materia in pulmonibus collecta generatur difficultas ſpirandi, cum ſummo ægri periculo. Ex quibus obſervationibus clare conſtat, quam male agunt medici, qui in pectoris morbis inflammatoriis præbent purgantia, quibus ſputum ſupprimunt. In principio autem Pleuritidis & Peripneumoniæ purgantia conceduntur, ut tollant cacochyliam primarum viarum, quæ longiore mora exacerbaretur, & ut temperent nimium motum circulatorium, antequam materia ea per ſputum reddi poteſt, nunquam vero adhibenda purgantia morbo ad coctionem vergente, vel ſi jam ſputum expurgari incipit.

LIB. VI. APH. XVII.

282. *Ophthalmia laborantem ab alvi profluvio corripi, bonum.*

I.

VEteres phænomenis magis quam cauſis morborum impoſuerunt nomina, & interdum quibuſdam in morbis natura diverſis, modo phænomena non multum differant, idem morbi nomen retinuere, unde in prognoſi formanda & in curatione tanta plerumque differentia, ut idem morbus oppoſita methodo curetur. Hoc evidentiſſime eluceſcit in Ophthalmia: varia enim genera morborum qui oculos infeſtant, modo rubedinem adjunctam habeant, Ophthalmiam vocant, ſeu Lippitudinem, quod etiam retinetur nomen in palpebrarum morbis. Quoniam hoc in loco abſolute ponit Ophthalmiam, innuere vult omnem ocilorum morbum, qui adjunctum habet dolorem & rubedinem, ſive ſit ex humore acri rodente, ſive ex Inflammatione, ſive ex Eryſipelate, eo præprimis ſcopo, ut demonſtraret, in oculorum morbis externis viſibilibus, ratione partis conducere Alvi profluvium, quod antea damnaverat in morbis pectoris. Equidem non inter omnes partes æqualis eſt Conſenſus, qui enim morbi fiunt in pectore, facillime liberantur per vias urinæ, difficulter per alvum; morbi autem oculorum difficulter per urinam ſed commodius per alvum. Quare medicum oportet ſcire non ſolum quali cauſa morboſa laboret æger, ſed etiam in quali parte, quum eadem morboſa cauſa diverſis in partibus, ſæpe diverſam exigat curationem. Inde non ſufficit, ut accurate teneat cognitionem curationis cujuſvis cauſæ morboſæ, ſed inſuper ſcire oportet, quid ſit mutandum, ſi cognita cauſa morboſa hanc vel illam partem aggreditur. Inde in oculorum

rum morbis frequentius ducenda alvus, quam in morbis pectoris, quum natura demonſtret, hos morbos oculorum levari alvi fluxu.

LIB. VI. APH. XVIII.

283. *CUi perfecta eſt veſica, aut cerebrum, aut cor, aut ſeptum tranſverſum, aut aliquod ex inteſtinis tenuibus, aut ventriculus, aut hepar, lethale.*

I.

Quæ vulnera dicantur lethalia.

NOn omnia vulnera, poſt quæ moritur vulneratus, breviori vel longiori tempore, ob errorem commiſſum, vel ex inſcitia, vel neglectu, vel quodam caſu, pronunciantur abſolute Lethalia, ſed quæ inevitabilem mortem inferunt, etiamſi omnes cautelæ fuerint adhibitæ. Hoc tamen in ſenſu non accipitur vox θανατώδες, quod etiam ſupra indicavimus, (*Aph.* 195. 1) ſed quando admodum eſt periculoſum, & ſæpe mortem infert. Talia vulnera in hoc Aphoriſmo citantur, quæ non leviter lædunt dictas partes, ſed ſatis late & profunde; nam διαχοπὴ diviſionem, inciſionem, præciſionem & ſeparationem indicat, quæ non eſt levis aut ſuperficiaria, ſed ſatis lata, profunda, vel integra. Quoniam variæ partes citantur ab Auctore, quæ non omnes idem periculum inferunt, quamvis omnia illa vulnera dicantur lethalia, videbimus quid ſit de his partibus vulneratis ſentiendum.

Veſica perfecta.

II. Omnia Veſicæ vulnera non eſſe lethalia, comprobat calculi ſectio, qui educi nequit, niſi plaga facta in veſicæ collo; & poſt altam dictam operationem Lithotomiæ in veſicæ fundo inciſio fuit facta, poſt quam operationem nonnulli fuere ſanati. Ruyſchius etiam obſervavit Veſicæ vulnus ſanatum. Non tamen ſentiendum eſt, omnia Veſicæ

cæ vulnera non eſſe lethalia: nam ſi ejus magna quædam arteria ſit abſciſſa, quoniam medicamentum vel inſtrumentum adhiberi nequit, ut compeſcatur hæmorrhagia, inevitabilem mortem intulit: atque vulnera ſatis lata ita in Veſicæ fundo, ut omnis in veſica colligenda urina effundatur in ventris cavitatem, quæ ibidem ſenſim majore copia collecta & acrior denique facta, comprimendo & corrumpendo viſcera abdominalia, mortem inferunt; parva autem punctura hoc in loco veſicæ, quæ ſe contrahit, ſanata fuit.

Cerebri vulnera. III. Multum differt in aſſignanda lethalitate vulneris, ſive dixerim Cerebri vel ἐγκέφαλε vulnera, ut habetur in textu, nam per Cerebrum eam ſolam partem intelligunt Medici in encephalo, quæ in ejus parte anteriore continetur, dura & pia matre tectam, unde nervi motus animalis & ſenſuum ſuam originem habent: hac in parte leviſſima vulnera non attulerunt ſemper mortem: quæ vero profundiora fuere, abſciderunt aliquod vas cruentum, vel læſerunt medullam oblongatam, vel cerebellum, illa omnia nullâ arte curari potuere. Antequam ergo pronunciare poſſumus, num vulnus Encephali ſit lethale, ſcire prius oportet, quænam pars in Encephalo fuerit læſa. Multi putant, omnia vulnera Duræ matris lethalia eſſe, verum experientia probatur, talia vulnera ſæpe fuiſſe ſanata. Nam ſi ſanguis dura matre tectus invenitur poſt terebrationem cranii, non dubitant Chirurgi pertundere Duram matrem, ut evacuent ſanguinem, & ita ſanarunt hominem læſione Encephali laborantem. Sæpe etiam Cerebri fungus, qui ſine Duræ matris læſione fieri non potuit, curatur, ſublata ſatis magna portione Cerebri. Nimis latam autem concluſionem facere non debemus de his fungis, quaſi ſatis magna portio Medullæ cerebri ſimul tolleretur, cum arteriæ in cerebri cortice ſuſtentaculo privatæ, in ſatis magnam molem excreſcant, ex cujus ablatione non ſequitur ſimul ablatio medullæ; neque fibræ medulloſæ iſtius portionis privantur ſanguine circulante, quum arteriæ corticis cerebri tam frequentes faciant anaſtomoſes, ut etiamſi quædam portio tollatur, per

per alias tamen arterias anaſtomoſes facientes ſuppeditetur ſanguis.

IV. Cor conſtare fibris muſcularibus in gyrum decurrentibus, nullus eſt qui neſcit, iſtud quoque intus habere duas cavitates, quas ventriculos nominant, dextrum ſcilicet & ſiniſtrum, quibus recipit ſanguinem & dein eum extrudit magna vi, dexter nempe ducit in arteriam pulmonalem, & ſiniſter in aörtam. Olim hoc in corde locarunt fontem Calidi innati, quod exſtingueretur vulnerato corde, unde ejus vulnera lethalia erant. Hodie vero tribuunt Cordi totam actionem circulatoriam, ſine qua etiam vivere nequit animal, & propterea ejus etiam vulnera abſolute pronunciantur lethalia. Obſtupefacti tamen hærent, ſi obſervant in Cadaveribus relictam cicatricem vulneris conſolidati in homine, qui ſatis diu poſt acceptum iſtud vulnus vixit. In aliis detexerunt, poſt vulnus acceptum, quod penetravit cor, locutos fuiſſe & per aliquod tempus vixiſſe: & quod captum ſuperat, rana exemto corde ſaltat & natat, atque partes inſectorum diſſectæ diu viventes manent toto corde privatæ. Quibus adductis experimentis multi hæſitant, num Cor ſit in nobis organum tam neceſſarium, ut ſine eo nemo vivere potuiſſet. Si autem rem ipſam perpendamus, luce meridiana clarius conſtabit, nos vivere non poſſe ſine motore illo generali, nobis enim unicum Cor eſt datum, unde inchoamentum totius circumductionis ſanguinis, iſtud enim non ſolum dat impetum ſanguini circulanti, verum etiam ſuppeditat arteriæ aörtæ ſanguinem, qui ducendus eſt ad omnia organa, ut his ſuum præbeat requiſitum humorem, ſine quo functio nulla fit. Sed præterea in arteriis eſt motus aliquis vitalis, qui receptum a corde ſanguinem ulterius propellit, ad quam circulationem continuandam Cor ſolum eſt impos. Si ergo Cor ita læditur, ut ejus exſtinguatur motus, veluti in abſciſſione nervorum cardiacorum, Corde non amplius ſuppeditante aörtæ ſanguinem, neceſſario ſequitur mors, ſed non ſtatim, dum Cor agere ceſſat, ſed quando arteriæ illæ ſuo motu vitali ſuppeditarunt omnem ſuum ſanguinem, nihil amplius ex corde

Cordis vulnera.

recipientes. Hoc etiam fieri poteſt abſciſſa arteria coronaria, quo intercipitur ſanguinis circulatio per cordis ſubſtantiam, quum experimentis conſtet, nullum muſculum operari, cui denegatus eſt influxus ſanguinis per ſuam arteriam. Quia vero talia vulnera nullum admittunt auxilium & mortem ſemper inferunt, lethalia abſolute ſunt pronuncianda, etiamſi vulneratus per aliquod tempus maneat ſuperſtes. Experimenta Inſectorum hanc obſervationem dubiam non faciunt, quum non ſit neceſſe in his, ut unicum generalem habeant motorem: atque illa longo tempore jacere poſſunt omni motu privata, & poſtea reviveſcere, quod nobis non eſt conceſſum. Alterum genus vulnerum facere poteſt ex cavis cordis tantam ſanguinis effuſionem, ut homo talis ſanguinis defectu pereat: ſi autem ſenſim introducatur ſanguinis defectus, mirabile eſt obſervatu, hominem vivere poſſe tunc cum exigua ſanguinis copia in arteriis & venis, ſed ſi ſubito auferatur, quia vaſa ſe tam ſubito contrahere nequeunt, vel moriuntur tunc defectu ſanguinis, qui non amplius propellitur, vel a ſanguine effuſo ita opprimuntur partes, ut earum actio omnino exſtinguatur. Talia quoque vulnera abſolute ſunt lethalia, ſive mors cito ſive tarde veniat. Denique Cordis leviſſima vulnera num ſint lethalia, vehementer diſputant, quum inveniantur cicatrices in corde relictæ. Si Cor potuiſſet quieſcere uti reliqui muſculi motus animalis, vulnus non penetrans in ejus cava, facile conſolidari potuiſſet, quum ſit pars carnoſa uti reliqui muſculi: ſed propter perpetuum ſuum motum non niſi raro permittit conſolidationem, unde fere ſemper poſt langas miſerias mors obrepit. Quum vero nemo potuit apta medicamina huic vulneri adhibere, ſi æger poſt tale acceptum vulnus, etiam poſt longum tempus, moriatur, iſtud fuit vulnus abſolute lethale. Hoc ſolum præſtare poſſumus in tali vulnerato, ut minuamus circulationem tantum, quantum fieri poteſt manente vita, ut ita concedatur hujus partis conſolidatio.

Septi transverſi vulnera.

V. Quid ſit Diaphragma ſeu ſeptum tranſverſum, ſatis ex Anatomicis conſtat: ex quibus diſcimus, Diaphragma iſtud eſſe

eſſe ſepimentum, quod thoracis cavitatem a ventre inferiore diſtinguit, iſtud circumquaque nexum eſſe extremitatibus coſtarum, vertebris præprimis lumborum, & parti inferiori oſſis ſterni; habere figuram convexam verſus pectoris cavitatem; in hujus medio habetur locus tenuior tendineus, qui deorſum trahitur & complanatur; ſi fibræ carnoſæ hujus Diaphragmatis operantur. Conſtrictione muſculorum abdominalium viſcera in dicta cavitate contenta ſatis valide urgentur ad internam hujus convexam ſuperficiem. Vulnera hujus partis ponuntur lethalia. Sed debemus maximam differentiam ponere, quænam pars in Diaphragmate ſit læſa, & inſuper num ſolum diaphragma, vel & adjacentia vaſa & viſcera, quod frequentiſſime fit: denique a Diaphragmatis vulneribus homines diu manſerunt ſuperſtites, qui tamen poſtea poſt multas miſerias paſſas moriebantur. Si pars carnoſa in ambitu Diaphragmatis lædatur, & vulnus non admodum fuit magnum, tale vulnus non ſemper attulit mortem, ſed coaluit cum viſceribus adjacentibus: illa autem conſolidatio difficilius fit & tardius, quam in reliqua carne propter motum perpetuum reſpirationis. Si vero ſimul alia vaſa vel viſcera fuerint læſa, incertum eſt, num Diaphragmatis vel reliquarum partium vulnus mortem intulerit. Sed vulnera penetrantia, præprimis in ejus parte tendinea, ſi parva ſint, lentam, ſed tamen certiſſimam mortem inferunt: pars enim illa tendinea tenſione Diaphragmatis ſenſim magis dehiſcet, & ſi ad locum illum hæreat ventriculus aut inteſtinum colon, hæ partes membranoſæ contractione muſculorum abdominalium continuo preſſæ, per dictam aperturam ſenſim formant ſpeciem herniæ, quæ prominet in cavum pectoris: illa hernia ſenſim increſcens ita implet pectoris cavitatem, ut pro pulmonibus & corde non ſatis magnum ſpatium relinquatur, unde tandem ægri ſine ullo auxilio pereunt. Talia fuiſſe facta, teſtantur diſſectiones anatomicæ in cadaveribus, in quibus invenerunt ventriculum vel colon totum pectus fere implens. Quidam ex his ultra annum poſt inflictum vulnus tandem perierunt poſt intolerabilem cardialgiam vel colicum dolorem.

Inteſtinorum vulnera.

VI. Inteſtinorum tenuium non ſolum, verum etiam craſſorum vulnera lethalia eſſe poſſunt, & interdum curantur, quare ita abſolute lethalia pronunciari non poſſunt. Quoties enim inteſtinum aliquod ita eſt læſum, ut ſua contenta ejiciat in ventris cavitatem, & læſum inteſtinum ſe ita ſubducat, ut cum abdominis integumentis conſui non poſſit & cum iis conſolidari, ut e corpore deponat ſua contenta, omnia talia vulnera etiamſi lentam mortem inferant, ſunt tamen lethalia: excrementa enim in cavum ventris effuſa, cuncta viſcera corrumpentia tandem mortem inferunt. Si vero vulnus ſit parvum, quod ſe contrahere poteſt, vel & partibus adjacentibus accreſcere, talis vulneratus ſervatus fuit. Si inteſtinum tenue autem abſciſſum ſit prope pylorum, quo vulnere intercipitur chyli abſorptio, etiamſi contenta inteſtinorum ejicerentur extra corpus, tale tamen vulnus inferret mortem poſt lentam extenuationem, propter chyli ingredientis defectum.

Ventriculi vulnera.

VII Ventriculi vulnera ratione periculi multum differunt, nam exigua vulnera, quæ ventriculo vacuo & contracto clauduntur, conſolidari poſſunt, ſi modo caveamus, ne ventriculus nimis impleatur, & ne alimenta duriora ingerantur. Latiora autem, quæ fundunt recepta ſua alimenta in abdominis cavitatem, lentam mortem inferunt, partim defectu alimenti in toto corpore; partim effuſo humore in ventris cavo, vel comprimente viſcera, vel ea corrumpente recepta putredine. Interdum vero accidit, ut docuerunt obſervationes chirurgicæ, talia latiora vulnera fuiſſe conſolidata cum abdominis integumentis, emittentia recepta alimenta per apertum vulnus. Quandoque vero perfoſſis ventriculi vaſis majoribus ægri brevi tempore perierunt ſanguinis defectu, qui ergo ex ventriculi vulnere brevi tempore moriuntur, ii magis ex ſanguinis effuſione, quam chyli vel alimenti defectu pereunt.

Hepatis vulnera.

VIII. Hepatis magna vulnera perſcindentia ramos venæ portarum magnos, brevi tempore interficiunt effuſo ſanguine ex hac vena in ventris cavitatem, & dein poſt animi deliquium exſtinguuntur: alia autem minora, quæ ſimul lædunt

dunt ductum choledochum, inferre ſolent anxietatem, punctionem, quæ ad jugulum & ſcapulas extenditur, vomitum & dejectionem bilioſam, accenditur dein febris cum æſtu ingenti, poſt quam moriuntur: unde diſcimus, hepatis affectiones interdum uſque ad jugulum extendi, qui dolor perperam pro pleuritide habetur. Vulnera autem exigua non raro conſolidantur, obſervavi enim, magnam copiam humoris corrupti per aperturam in integumentis abdominis fuiſſe evacuatam & hominem perfecte curatum fuiſſe benignitate naturæ.

LIB. VI. APH. XIX.

284. *UBi diſſectum fuerit os, aut cartilago, aut nervus, aut genæ pars tenuis, aut præputium, neque augetur, neque coaleſcit.*

I.

Quæ partes diſſectæ, neque augentur neque coaleſcunt?

INter plantas & corpus noſtrum illa maxima obſervatur differentia, quod ramus arboris amputatus, renaſcatur, arbor ex ſuo trunco novos emittit ramos, noſtrum autem corpus ſi privatur quadam parte, non regenerat novam, ſi excipiamus pilos & ungues: ideoque in nobis & aliis animalibus perfectis conſtantem hanc legem obſervamus, partem aliquam mutilatam non regenerari. Ergo non eſt opus, ut ſolummodo annumeremus partes a Veteribus ſpermaticas dictas: ſi autem portio media ex carne fuerit ablata, regenerabitur, & quali modo, infra videbimus. Per Coaleſcentiam intelligunt, ſi duæ partes ſeparatæ, ſibi mutuo junctæ inter ſe ita concreſcunt, ut verus ſine glutine fiat nexus. Hanc non adſtruunt ſententiam ex vera obſervatione practica, ſed ex quadam opinione theoretica, partes ſcilicet ex ſemine natas, quales citantur in hoc Aphoriſmo, amplius increſcere non poſſe vel coaleſcere, quia de-

deficit materia ſeminalis; partes autem ſanguineas putant, augeri & minui poſſe, quia ſanguis etiam poſt nativitatem augetur. Qui autem perſpectam habent ſubtiliorem anatomiam, bene ſciunt, inter fabricam membranarum & carnis nullam eſſe differentiam, nam eloto omni ſanguine ex parte carnoſa, pars reſidua mera pars nervoſa apparet: & viciſſim fortiter vaſis arterioſis lymphaticis membranæ impletis, membrana videtur rubra caro: quod etiam ſæpiſſime in morbis occurrit, tunica enim oculi adnata ſi ophthalmia ſit affecta, ita rubet, ut vera caro videatur. Quid autem ſit ſentiendum de partibus ſpecialibus in Aphoriſmo citatis, paucis videbimus.

An Os diſſectum neque augetur neque coaleſcit?

II. Miror ſane Galenum, virum longo uſu practico exercitatum hanc ſententiam adſtipulari, contendentem partes oſſis fractas poſtea conſolidatas vero nexu non concreſcere, ſed per callum circumnatum conferruminari, dum hodierna obſervatio chirurgica conſtans ſit, ita conjuncta oſſa vero nexu conferruminari, & quidem tam firme, ut ſi os bene conſolidatum ſit, eo in loco firmiorem habere nexum, quam in partibus nondum ruptis. Neque latere poteſt oſſium incrementum, ſi quædam pars media fuerit ablata: obſervationes chirurgicæ multæ exſtant, in quibus ſatis notabilis portio oſſis fuerit ablata, qui locus dein vero oſſe fuerit impletus. Portio quoque cranii fuit ablata, & locus dein primo membranoſa ſubſtantia, dein cartilaginea, ultimo oſſea fuit impleta. Quare non poſſumus diutius dubitare, quin oſſa in loco tecto, modo extremitates eorum maneant viventes, poſſint poſt nativitatem ulterius increſcere, & conſolidari.

An Cartilago?

III. Tria genera partium in corpore noſtro inveniuntur: Duriſſima ſunt Oſſa, quæ neque flectuntur neque accurtantur, ut reliquis partibus præbeant firma ſuſtentacula & munimenta: alterum genus, quod permittit flexuram & extenſionem & adductionem, & quod extenſum ſe ipſum accurtat, ſe accommodat extenſioni & flexuræ variæ ſine integra ſeparatione, ut eſt caro, membrana, vas: denique tertium genus eſt, quod permittit flexuram ſine ruptione, ſed

ſed ſibi commiſſum ſe non accurtat, ſed loca, quæ munit, magis expandit, illa pars proprie vocatur Cartilago; in qua id ſpeciale detegimus, quod ſi flectatur vel per cauſam aliquam externam, vel per actionem muſcularem, quamprimum ſit ſublata cauſa flectens, ſe iterum expandat. Harum ergo partium uſus eſt egregius in locis, ubi canales debent manere aperti & tamen contractiles, quod neque ab oſſe neque a membrana fieri potuiſſet, uti in organis reſpiratoriis. Partes hæ ut reliquæ omnes pari modo cum corporis mole increſcunt & augentur, quare idem de Cartilagine ſentiendum, quod antea obſervavimus de oſſibus. Aliquis tamen inferre poſſet, ſi cartilagines narium fuerint abſciſſæ, iſtas non regenerari; regero autem, quod ſi hoc experimentum probet, cartilaginem non conſolidari vel augeri, tunc nulla pars eſt in corpore noſtro præter ungues & pilos, quæ regeneratur, & tunc una pars præ alia non erit excipienda: nam ſi membrum aliquod fuerit amputatum, nulla pars in trunco remanente magis excreſcit, ſed omnes accurtatæ manent.

IV. Latior Veterum quam Hodiernorum eſt Nervi ſignificatio: nos enim per Nervum duntaxat intelligimus eam partem organicam, quæ ex medulla oblongata cerebri & medulla ſpinali oritur, diſtributa per omnia puncta corporis, ut functionem ſenſus & motus faciat, ſive illa functio concipiatur fieri a fluentibus per iſtos ſpiritibus, an vero a fibris ſuis, hoc in loco non eſt inquirendum. Veteres autem non ſolam hanc partem Nervi ſignificatione intellexerunt, verum etiam membranas, fibras, ligamenta, tendines, adeoque omnes partes tenaces, flexiles & albicantes nomine nervi complexi ſunt. Inde quando dicit Auctor Nervus diſſectus neque augetur neque coaleſcit, intelligit omnes has partes. Omnes hæ partes admodum tenſæ ſunt, ſi modo ſeparentur, quam maximus fit hiatus inter iſtas, propterea non facile uniri poſſunt. Experimenta Chirurgica in his ſunt conſulenda; de membranis id accipi poteſt, quod ſuperius in veſica, & inteſtinis notavimus. De Tendine obſervatum fuit, Tendines conſutos coaluiſſe. De Ner- An nervus?

vis

vis ipſis, non novi unquam abſciſſum Nervum coaluiſſe, ſed partem inferiorem ſemper factam fuiſſe inutilem, ſcilicet amiſiſſe ſenſum & motum.

An Genæ pars tenuis?

V. Genas conſtare epidermide, cute, tunica celluloſa & muſculis, ut quævis partes noſtri corporis, res ita cognita eſt anatomicis, ut nemo inficias ire poſſit. Genam autem perſciſſam neque augeri, neque coaleſcere, obſervationibus chirurgicis eſt adſtruendum vel refutandum. Faciei vulnera ſuturis colligata brevi tempore ita conſolidantur uti in aliis partibus corporis, ſi quis dubitat, perpendeat modo, qualiſnam ſit curatio Labii leporini, quæ naturalis ſeparatio arte ita curari poteſt, ut poſt conſolidationem parva duntaxat relinquatur cicatrix. Quia vero inter curationem vulneris faciei & aliarum partium in conſolidando nullam invenio differentiam, hanc partem ab aliis non exciperem, niſi quod in curandis vulneribus faciei, quia viſui patent, majori cura ſtudendum eſt pulchritudini cicatricis, quam in partibus reliquis.

An præputium?

VI. Quod ſtatim monuimus de conſolidatione labiorum oris, idem quoque ſentiendum de præputio, quo naturaliter tegitur glans penis, eo enim perſciſſo & dein conſuto coaleſceret: quia vero in circumciſione non requiritur conſolidatio, ſed ut præputium abſciſſum relinquat glandem nudam, inferri inde non poteſt, eam partem conſolidari non poſſe.

LIB. VI. APH. XX.

285. *SI in ventrem ſanguis effuſus fuerit præter naturam, neceſſe eſt ſuppurari.*

I.

Suppuratio quid ſit.

ILla morboſa mutatio, qua humores convertuntur actione vitæ in materiem albam, ponderoſam, ſubpinguem, conſiſtentem, vocatur Suppuratio. Quoties enim deeſt in mor-

morboſo illo humore color albus, vel vocatur Ichor, vel materia lenta, corrupta, glutinoſa, & nunquam puris nomine venit, vel dicitur Pus corruptum. Si humor morboſus natus levior ſit aqua, ut ſupernatet, etiamſi omnes præterea notiones puris præbeat, non tamen nomine puris venit, ſed vel mucus vel pituita aut phlegma vocatur; interdum lac ex mammis ſuppuratis ſtillans vix a pure diſtingui poteſt, niſi quod minus ſit cohærens, & ſpecifice levius. Pituitoſi humores intime miſceri poſſunt aquoſis, Pus autem ſubpingue magis renuit miſcelam. Denique niſi illa materia habeat conſiſtentiam mellis, bonum non eſt pus, etiamſi ex pure ſit formata, ſed ad Ichorem convertitur, qui minus ſalubris eſt ulceribus & abſceſſibus. Talem materiem purulentam generari ſola actione vitæ & ex humore gelatinoſo bono, vel prius commutato in lentorem, ſupra (*Aph.* 72.) demonſtravimus.

An ſanguis in cavitatibus effuſus ſemper ſuppuratur?

II. Sanguinem manere ſanum & fluorem conſervare in arteriis, venis, cavis cordis & quibuſdam cavernis & thalamis, id ſoli circulationi vitali eſt tribuendum, iiſdem enim in locis ſtagnans primo concreſcit, & ſi maneat in calore, ut eſt calor noſtri corporis, ſenſim ſuperveniente ſpontanea putredine reſolvitur in liquamen fœtens acre: hoc etiam verum eſt de ſanguine retento in quodam vaſe clauſo, ſi foveatur ſimili calore per aliquod tempus. Itaque ſanguis ex propria ſua natura, ſi ſibi relinquatur, nunquam tranſit in pus, ſed, ſi adjunctam retineat humiditatem, convertitur in putrilaginem: ſi autem parte tenuiore interim privetur, compingitur in maſſam quaſi ſolidam & nigram. Ex quibus colligimus, Puris confectionem ex ſanguine non eſſe mutationem ſanguinis ſpontaneam, ſed eſſe liquorem productum per actionem vitæ. Si ergo effuſus ſanguis hæreat præter naturam in cavo ventris, pectoris vel capitis, aut alicubi in cavitatibus vi morbi factis, uti in parte contuſa, per propriam mutationem in iſtis locis non poteſt commutari in pus, ſed in ichorem. Hoc etiam experimur, ſi vulneratus effuſum habet ſanguinem in quadam corporis cavitate, nunquam obſervaverunt Chi-

rurgi, iſtum ſanguinem abiiſſe in purulentiam, ſed ſemper in humorem corruptum. Quod autem in parte inflammata ſanguis abeat in Pus, illa commutatio non fuit facta, poſtquam fuerit ſanguis effuſus in eo tumore, ſed dum adhuc hærebat in vaſculis minimis magis dilatatis & actione vitæ validiſſime agitatis, quo formato dein Pure vaſcula diſrumpuntur & colligitur Pus in cavitate vi morbi facta. Contrarium autem videtur fieri in pulmonibus poſt hæmoptyſin, quæ dein generat puris ſputum. Hæc autem obſervatio non docet nec evincit, ſanguinem in veſiculis pulmonalibus reſtantem abiiſſe in pus; ſed quia ſanguis ibidem ſtagnando corruptus, ut & vaſculum diſruptum, formant in eo loco pulmonis vomicam purulentam tectam, qua dein rupta exſpuitur pus. Neque magis adſtrui poteſt ſanguinis degeneratio in Pus in parte quadam contuſa, nam vaſcula in loco contuſo lacerata formant eo in loco ulcus tectum, quod Pus ſuppeditat. Ex his rationibus adductis conſentirem Galeno, vocabulo ſuppurationis hoc in loco potius accipiendam eſſe omnem ſpontaneam ſanguinis corruptionem.

LIB. VI. APH. XXI.

286. *INſanientibus, ſi varices, aut hæmorrhoïdes ſupervenerint, inſaniæ ſolutio fit.*

I.

Quæ inſaniæ ſpecies ſolvitur varicibus aut hæmorrhoidibus?

VArias eſſe Delirii ſpecies, expoſuimus in particulari libro, quare non opus ea repetere. Galenus atque alii Commentatores hoc loco exiſtimant, intelligi debere Melancholiam, quoniam ſupra (*Aph.* 276.) Auctor dixerat, Melancholicis hæmorrhoïdes ſupervenientes, bonum. Verum hos duos morbos omnino diſtinguit Hippocrates (*Aph.* 99, 111) Quare credere non poſſum, perſpicaciſſimum

mum & in arte medica exercitatiſſimum virum Auctorem noſtrum poſuiſſe unum morbum pro alio, ſed hoc in loco intellexiſſe eam Delirii ſpeciem, quam Maniam vocant, minime vero Melancholiam. Neque reſponderet obſervationibus practicis, quia melancholia non ſolvitur Varicibus, ſed Hæmorrhoïdibus: quia levatur ſanguine fluente ex vena portarum, non vero ex vena cava, in cujus ramis naſcuntur Varices. Quales autem Varices & Hæmorrhoïdes hoc loco intelligat, an clauſas vel apertas, facile eſt hariolari. Si enim homo ex ſanguinis abundantia & impetu majore ad caput adigatur in Inſaniam ſeu Maniam, multum conferret, ſi ſanguis flueret ex aliqua vena, tam ex vena portarum, quam ex vena cava: ſed illæ intumeſcentiæ venarum, quæ varices & hæmorrhoïdes etiam vocantur, parum conferre potuiſſent ad detrahendam tantam ſanguinis copiam, quæ ſufficeret ad minuendum totius quantitatem vel impetum. Sed ſi fluant eodem modo, ut iterata venæ ſectio, ita valent ſiſtere impetum & derivationem majorem ad caput, ut non amplius ex hac cauſa turbari poſſit æquabilis motus cerebri, qui Inſaniæ hujus eſt cauſa. Quotieſcunque igitur conjicere poſſumus, Inſaniam fieri majore impetu ad caput, nihil præſtantius erit, quam ſecare venam in pedibus, ut non tantum minuatur impetus, verum etiam ut fiat derivatio a capite ad partes inferiores.

LIB. VI. APH. XXII.

287. *QUæ ruptiones ex dorſo ad cubitum deſcendunt, venæ ſectio ſolvit.*

I.

VEnæ ſectionem in validioribus contuſionibus ſummopere prævenire doloris incrementum & inſtantem ſuppurationem, res eſt notiſſima, quoniam ſanguinis illa evacuatione minuitur nimius impetus ad partem contu-

Quomodo ſolvit venæ ſectio ruptiones, quæ ex dorſo ad cubitum deſcendunt?

tuſam, ſi ergo in hoc loco intelligatur quædam ſpecies contuſionis vel divulſionis, quod permittit ſignificatio ῥήγματα, res eſſet plana. Sed de hujus ambigua ſignificatione admodum diſputant Commentatores, & ipſe Galenus contendit, Ruptiones deſcendere non poſſe ex dorſo ad cubitum, propterea mavult hoc loco intelligere Dolores. Pace tantorum virorum ego tamen puto, Ruptionis ſignificationem ſervari poſſe, & bonum ſervari hujus Aphoriſmi ſenſum. Quotieſcunque enim per cauſam aliquam diſtendentem ſolvitur vel membrana, vel fibra, vel caro muſculoſa, pars enim talis rupta dicitur. Si igitur in paleſtra vehementi conatu membrorum quædam fibræ muſculi vel tendinis in dorſo fuerint ita ruptæ, ut Dolor hujus læſionis uſque ad cubitum protendatur, ſignum eſt, Dolorem per conſenſum etiam partes remotiores afficere: ut nunc illa doloris propagatio minuatur, qui ex Ruptione fuit natus, admodum conducit ſanguinem mittere, quo compeſcitur motus ex conſenſu tali productus. Qualis vena autem ſit aperienda, non indicat Auctor, ſed quia ad motum majorem compeſcendum optimum eſt proximas venas aperire, ut ita eo in loco maxima fieret depletio, non inconveniens videtur, venam iſtius cubiti eſſe aperiendam, ad quem dolor deſcenſum fecit. Si vero eſſet humor tenuis & acer, qui ex dorſo deſcendit ad cubitum, uti in morbis catarrhoſis, minus conducere arbitror venæ ſectionem, quamvis Commentatores in ea ſunt ſententia, tunc venæ ſectione educi humorem acrem, quum humor acris non latitet in ſanguine arterioſo, qui rediturus eſt per ejuſdem brachii venam, verum potius in ſucco nervoſo, qui humor non facile evacuari poteſt ſanguine evacuato ex aliqua vena.

LIB. VI. APH. XXIII.

288. *SI metus & triſtitia multo tempore perſeverant, melancholicum id ipſum.*

I.

AN hoc loco per Melancholiam ſit intelligenda illa animi affectio, quam Melancholiam vocare ſolemus, an vero materia ipſa Atrabiliaria, non conſentiunt Commentatores. (vid. *Aph.* 99, II & *Aph.* 119, II.) Hujus dictionis eſt ambigua ſignificatio: nam qui metuunt vel triſtes ſunt longo tempore ex aliqua evidenti cauſa, tandem veri fiunt melancholici, id eſt pertinaciter cum triſtitia delirantes. Hinc Metus & Triſtitia multo tempore perſeverantia Melancholicum eſt, id eſt melancholiam inferunt; ſic ſolent medici ſæpe exprimere cauſas morbum aliquem inferentes. Itidem Melancholicum eſt, quando Metus & Triſtitia diu durant ſine manifeſta cauſa, hæc tunc animi pathemata declarant, materiem melancholicam eſſe in corpore Quomodo autem Triſtitia & Metus inferant materiem melancholicam, & quomodo materia melancholica inferat viciſſim Triſtitiam & Metum, paucis videbimus. Inter animi pathemata & motum particularem venæ portarum, atque motum organi chylopoiëtici maximum conſenſum detegimus, quoniam ſæpe obſervavi, ex oborto timore vel triſtitia vel terrore inteſtina & ventriculum ita inordinate moveri, ut venter diſtenderetur flatibus, concitaretur præcordiorum anxietas, colicus dolor, vomitus, & diarrhœa interdum bilis æruginoſæ, ipſo momento vigens appetentia convertebatur in faſtidium, & multa ſimilia ſigna indicantia turbatum motum periſtalticum, quæ ſymptomata toties exacerbabantur, quoties novum tale ingruebat animi pathema: quare dubitare non poſſumus, quin mo-

tus vermicularis ſe accommodet animi pathematibus. Illa igitur pathemata, quæ motum minorem faciunt ſpirituum, ut Metus & Triſtitia, diu perdurantia, tandem etiam faciunt, ut in vena portarum ſanguis minus propulſus, integre fere ſubſiſtat, atque ita ſtagnando producat materiem melancholicam, quæ nata ipſam animæ melancholiam inferat: adeo ut illi, qui antea per externam cauſam erant timentes & triſtes, denique ſine cauſa ea, ſed ex nata mala diſpoſitione in corpore, maneant melancholici. Quomodo autem ex materia Atrabiliaria ſanguini circulanti tradita animæ melancholia formetur, non niſi per analogiam probari poteſt, quum inveniamus, Opio animam ſopiri in his regionibus; Daturam inferre Delirium ſpeciale; Spirituoſa inducere Ebrietatem; morſum canis rabidi inferre aquæ timorem: quæ omnia ſunt mera obſervata ſpecialis mutationis mentis ad certam mutationem in humoribus, quamvis neſcimus, qualis ſit facta ſpecialis mutatio, quæ neceſſario inferat mentis degenerationem: atque ſufficit in ſcientia medica pervenire ad talem regulam generalem; nam inde ſcimus, nos non poſſe emendare Inſaniam, niſi tollatur ea materia e corpore. Nemo utique valet aliquem ab ebrietate liberare manente ſpiritu fermentato in vaſis; ita non valemus melancholiam curare, quocumque etiam modo ipſi ægri obnituntur, ſi in corpore maneat materia atrabiliaria. Propterea monemur per hunc Aphoriſmum, ægros poſt Metum & Triſtitiam perſeverantem lapſuros in veram melancholiam, quare dehortandi ſunt, ut relinquant ea animi pathemata, ne in eum morbum incidant: atque ſcimus, nos debere Melancholiam natam curare evacuando & emendando materiem melancholicam.

LIB. VI. APH. XXIV.

289. *SI ex inteſtinis tenuibus aliquod diſſectum fuerit, non coaleſcit.*

I.

VUlnera tenuium inteſtinorum neque coaleſcere neque augeri, ſupra inter aliarum partium læſiones (*Aph.* 283, VI.) annumeravit, quare non opus eandem rem repetere.

LIB. VI. APH. XXV.

290. *ERyſipelas foris quidem intro verti, non bonum: intus vero foras, bonum.*

I.

QUidam morbi definiuntur ex cauſa, alii vero ex phænomenis, ſed quoniam cauſa utplurimum latet, ſuis phænomenis detegenda, non parvi tali in definitione naſcuntur errores: alii vero ex phænomeno appellati, quoniam medici utplurimum unum phænomenon proferunt, multi morbi idem phænomenon habentes confunduntur, non ſine multo damno ſcientiæ medicæ. Qui enim dicunt, Eryſipelas eſſe Bilem aduſtam ad aliquam partem depoſitam, nihil equidem contribuunt cognitioni: nam ſi tiro medicus vocetur ad ægrum, talis æger neque novit neque indicat, ſe laborare bile aduſta acri, & ſi proferat, hoc ex incertis principiis deducit: neque junior medicus tam firmam habet memoriam, ut poſſit ſtatim ex conſpectis in ægro ſignis Eryſipelatis definitio.

nis ratiocinando invenire, ea ſigna ex Bile aduſta acri provenire; ideoque obſervat ſigna, ſed neſcit, quale ſit iſtius morbi nomen, & propterea non poteſt conſulere Auctores practicos, quid ſit in tali morbo agendum. Ideoque magis conduceret ad detegendum morbi nomen, ſolummodo ex phænomenis definire morbum; ut quoties in practicis inquireret tale phænomenon, potuiſſet invenire morbi nomen. Hac autem in re duplicem detego errorem, nam qui volunt ex unico phænomeno definire morbum, multos morbos natura diverſos idem phænomenon habentes, inter ſe miſcent, cum magno ægri damno: alii autem tot phænomena congerunt, quæ vel propria vel accidentalia ſunt, ut onerent memoriam. Id equidem in Eryſipelate definiendo comperimur; qui enim dicunt, bilem eſſe aduſtam & acrem, herpetem, icterum, febrem bilioſam, & multos alios morbos confundunt, & non præbent veram ideam morbi indocto, quod per Definitionem fieri debebat. Qui ex Rubedine vocant Eryſipelas, hi nullam faciunt inter Inflammationem, Epiphlogiſma, Phlogoſin, Maculam rubram, & Eryſipelas differentiam. Quare Rubedo debet eſſe ad flavedinem accedens, late diſperſa, ut ita diſtinguatur a Maculis: quæ cedit rubedo prementi digito, quo diſtinguitur ab Inflammatione: quæ conjunctam habet intumeſcentiam aliquam, ut differat a Phlogoſi, & Epiphlogiſmate (*Aph.* 216, IV) in quo calor eſt urens, ſed non ſemper rubedo, neque tumoris elevatio. Si ergo conjuncta ſigna Eryſipelatis perpendamus, tunc tandem concludere poſſumus, tali in parte eſſe majorem motum vitalem, qui partis calorem auget, impletionem extremitatum arteriarum cruentarum & lymphaticarum, ex qua pars rubet ex ſanguine majori copia collecto, & ſero in vaſis arterioſis lymphaticis retento. Denique ex natura Eryſipelatis, quod facile priorem partem relinquat & aliam occupet, colligere poſſumus, materiem eſſe acrem ſtimulantem & meabilem, quæ ex uno loco facile duci poteſt in alium, & quam partem occupat, eam in tumorem aliquem cum calore & rubedine flaveſcente attollere.

II. Ma-

II. Materia Eryſipelatis generans in quadam parte rubedinem, ardorem & aliquam intumeſcentiam, non videtur compingi poſſe in lentorem immeabilem, neque in materiem purulentam, nam obſervamus in eo morbo perſeverante, materiem illam ſtimulantem viribus vitæ inſtigatam acriorem & tenuiorem fieri, & tandem commutari in tenuem rodentem humorem. Inde hujus materiæ tranſlatio eſt facilis. Si ergo hæſerit in vaſculis cutaneis, erat in loco, ubi evacuari potuit, & in parte, cujus læſio ſine mortis periculo potuit tolerari. Si ergo inde feratur, & ut ſignum, & ut cauſa malum portendit: loca enim interna eliminare nequeunt morboſam materiem; & illarum partium functio turbata, vel abolita per materiem hanc in ea collectam, mortis cauſa eſſe poteſt. Neque ſponte valentibus vitæ viribus morboſa materia unquam interna petit, ſed ſemper ad exteriora truditur: ſi autem morboſa materia intro vertatur, ſignum eſt, vitæ vires tam debiles eſſe, ut non valeant aliena pellere ad corporis peripheriam, quod in omni morbo periculoſum eſt. Neque laudabile eſt per externa frigida & adſtringentia ad interiora trudere Eryſipelatis materiem, ob recenſita pericula. Eryſipelatis tranſlatio ad interna, non bonum.

III. Si vero Eryſipelatis materia primo occupaverit partes interiores, & dein ducatur ad Exteriora, ſignum eſt, vim vitæ valere, ut ſe liberet ab eo hoſte infeſto, & eo deducta materia minus nocere poteſt cutim, quam priores partes, atque ſpes eſt, tandem totam eliminari, propterea valde bonum eſt, ſi natura hoc faciat. Inde tamen non licet argumentari, nos debere in morbo eryſipelatoſo dare calefacientia ſudorifera, quæ materiem trudunt ad corporis ambitum, quum materia eryſipelatoſa ex altera parte magis redditur acris per medicamenta calefacientia. Quare non debemus prodeſſe expellendo & magis nocere acrem reddendo materiem, ſed refrigerantia & temperantia Diaphoretica conducunt, quæ juvant deductionem ad cutim, non faciunt acriorem materiem, ſed ſimul aliquomodo infringunt acre id bilioſum, iſtudque blande incraſſant. Eryſipelatis tranſlatio ad extrema, bonum.

LIB. V. APH. XXVI.

291. *QUibus in febre ardente tremores fiunt, delirium ſolvit.*

I.

Unde Tremores in ardentibus?

FEbrem Ardentem (*Aph.* 109, VIII.) habere validum motum circulatorium, quo ſupra modum pellitur ſanguis per arterias, nemo dubitare poteſt, qui modo ſemel exploravit pulſum & attendit ad reſpirationem; hic motus vehementior, ut ſæpe obſervamus fieri in ira vehementi, non ſolum concutit organum vitale, ſed etiam ſpirituum animalium nervos, ut ſpiritus per hos non æquali ut ſolent fluxu, fluant, ſed motu quodam perturbato; qui ita fluentes in muſculos inæqualem ſeu trementem motum faciunt. Tremunt enim partes, ſi muſculi ſe ſine valida conſtrictione contrahunt alterne, nam ſi valida ſimul fiat conſtrictio, Convulſio vocatur. Uterque motus fit ab inordinato ſpirituum influxu in muſculos, ſed Tremores ſimul arguunt potius ſpirituum defectum cum motu inordinato, dum Convulſio ſimul indicet, ſpiritus majori impetu pelli in muſculos. Si igitur in ardentibus motus vitalis fiat vehemens, ut ſimul perturbet ſpirituum fluxum per nervos motus animalis, exinde fit motus perturbatus, Tremor vel Convulſio: ſed quando ſpiritus ſimul deficiunt, fiunt Tremores: unde Tremores in Acutis & Ardentibus ſunt mali ominis, denotantes ſpirituum defectum cum motu turbato.

Quomodo Delirium ſolvit Tremores in ardentibus?

II. Ex perſpectis Delirii cauſis (*Aph.* 27, III.) conſtat, motum cerebri perturbatum Delirium inferre poſſe. Ergo cauſa eadem, nempe motus vitalis validior & inæqualis ſi ipſum cerebrum in conſenſum trahit, paracopen ſeu mentis aberrationem inferre poteſt. Hoc autem fit, ſi ipſa cerebri

rebri moles inordinate moveatur: ſæpe hoc accidit, ſi principia nervorum inordinate moventur, ubi ſtatuitur animæ ſedes in Cerebro, quod nervi ad motum animalem deſtinati, ex eadem cerebri parte provenientes, copioſiorem accipiant ſpirituum influxum, quo Tremor ex defectu ſpirituum natus, evaneſcat, aut commutetur in Convulſionem. Ita quidem ceſſat Tremor ſuperveniente paracope, ſed homo non liberatur a toto morbo, ut multi putant. Ergo ſolvere hic notat ceſſare Tremorem, non vero commutationem in ſanitatem: quum Delirium ſuperveniens non ſit bonum, ſed potius malum ſignum.

LIB. VI. APH. XXVII.

292. *QUi ſuppurati aut hydropici uruntur, aut ſecantur, hi pure aut aqua acervatim effluente, omnino moriuntur.*

I.

Cur pus acervatim effluens in ſuppuratis mortem infert?

DUobus modis Veteres ſolebant pus aut aquam in quadam cavitate collectam evacuare, nempe ſecando, quæ operatio hodie vocatur Paracenteſis, vel urendo, hæc autem nimis crudelis operatio, quum omnes timent ferrum ignitum, rariſſime hodie adhibetur, ſed ejus loco per corrodens applicatum formatur eſchara, poſt cujus ſeparationem fit apertura tranſmittens pus vel aquam. Quia vero Auctoris ſcopus non eſt hoc loco tradere ipſam operationem, ſed quæ mala poſt inſtitutam operationem ſequuntur, igitur ſcopum Auctoris ſequemur, videndo, cur ſi in Empyematicis acervatim evacuetur Pus, æger utplurimum moriatur. Non debemus ab hac regula excipere ſpontaneam puris eruptionem, quia non moritur æger, quum ſit ſectus vel uſtus, ſed quia acervatim evacuavit pus, quod æque in ſpontanea eruptione fieri poteſt, quam poſt

ſectionem vel uſtionem. Galenus dicit, quia tolluntur opercula arteriarum, unde multi ſpiritus ſimul exhalant. Alii autem adſtruunt, calorem innatum exhauriri, quum poſt talem evacuationem corpora ſummopere refrigerentur, & in animi deliquium incidant. Conſtat ergo ex hac ſententia, non eſſe abrogandam pectoris perforationem, ſed in ea facienda nos non debere permittere omnis puris effluxum. Videtur autem hæc obſervatio impingere regulæ generali, materiem morboſam cito eſſe auferendam, ut corpus promte liberetur. Hæc utique regula manet firma, modo per ſubitaneam evacuationem non inferamus majus malum, quam erat retentio iſtius humoris, quod in hoc caſu fit. Quippe ſi omne pus affatim evacuo, magnam intus relinquo cavitatem, cujus latera a præcedente pure fuere eroſa & macerata: vaſa in his lateribus hærentia a pure contento ſuſtentabantur; nunc vero omni illo ſuſtentaculo orbata, ab interno naturali impetu ea vaſa diſtenduntur, atque implentur ſanguine, quæ interdum non ſatis valentia ferre impetum, diſrumpuntur, unde loco puris illa iterum cavitas impletur ſanguine. Hæc fieri non poſſunt, quin reliquum corpus ſuo adhuc bono cruore privetur, qui collectus ſtagnat vel in vaſis ſupra modum dilatatis, vel effuſus in pectoris cavitate: hinc in principio ex ſanguinis defectu in reliquis arteriis & venis generatur animi deliquium & corporis refrigeratio. Sanguis ille vel in vaſis dilatatis vel cavo pectoris ſubſiſtens ſenſim abit ſtagnando in corruptelam & format febrem hecticam, ex qua pereunt. Itaque in omni eruptione puris, ſive ſponte fiat, ſive per ſectionem, ſive per uſtionem, cavere debemus, ne nimis magna quantitas unica vice emittatur, ſed pedetentim parva portio ſimul eſt evacuanda.

Cur aqua acervatim evacuata in hydropicis mortem infert?

II. Quid Medici per Hydropem intelligant, notavimus (*Aph.* 273, 11) hoc autem loco illa ſpecies eſt concipienda, quam Aſciten vocant, nempe collectionem magnam aquæ in inferiore ventre, quum hac in ſpecie ſolebant ſecare & urere, quod aliis in ſpeciebus non erat conſuetum. Hanc operationem hodie quoque vocant Paracenteſin. Eadem

dem cautio eſt obſervanda in perforatione ventris, quæ adhibita fuit in pectoris empyematici paracenteſi; imo eruptio ſpontanea per umbilicum æque quam paracenteſis mortem infert, ſi acervatim permittat evacuationem aquæ. Ratio mortis per demtum ſuſtentaculum a præcedente non differt; ſed in hac cavitate poſſidemus auxilium, quod in pectore adhiberi nequit. Pectus enim coſtis firmatum externa compreſſione non poteſt anguſtari, venter autem laxus & compreſſilis, artificioſa cinctura ita poteſt adduci, ut poſt ablatum ſuſtentaculum aquæ, æque ſuſtentari poſſit, ac ſi aqua non fuiſſet evacuata. Felici igitur cum ſucceſſu, tam in ſpontanea eruptione aquæ per umbilicum, quam in inſtituta paracenteſi hac arteficioſa ventris cinctura fum uſus, modo illa ſtatim in principio adhibeatur, nam ſi ſero novum hoc ſuſtentaculum adhibemus, poſtquam ſanguis vel ſtagnat concretus in vaſculis dilatatis, vel effuſus in ventris cavitate, cinctura hæc prævenire nequit collectionem & corruptionem ſanguinis. Propterea ſtatim dum effluit aqua, laxum abdomen eſt ſuſtentandum, priusquam ſanguinis collectionem fecit, ad prævenienda omnia illa mala. Non tamen per hoc auxilium certam curationem promittere audeo: ſæpe enim ita fuere macerata & corrupta ventris viſcera, ut, etiamſi ſuſtentetur venter, viſcera & humores corrupti mortem inferant. Ex hac obſervatione judicari poteſt, quid ſit ſentiendum de nimia illa evacuatione continuata per purgantia, qualis methodus a multis ita extollitur.

LIB. VI. APH. XXVIII.

293. *EUnuchi non laborant podagra, neque calvi fiunt.*

I.

QUoniam his in regionibus nulli inveniuntur Eunuchi, per experientiam obſervare non datur, num Podagra laborent vel non. Quod autem Hippocratis tempore non, vel rariſſime laborarunt Podagra, ex iiſdem forſan fuit cauſis, quibus his temporibus ruſtici, aliique viles homines raro Podagra corripiantur; victus enim parcus & multus labor, etiamſi prædiſpoſitio podagræ ſit in corpore, ejus ulteriorem generationem intercipit; dum vita lauta & otioſa, luxuria, intemperantia, ut & ſtudia ſeveriora Podagræ parentes ſint. Obſervavit itaque Galenus ſuo etiam tempore, Eunuchos Podagra corripi. Quare non poſſumus argumentari, podagricam materiem ex ſemine formari, cujus generandi potentia Eunuchis omnino eſt intercepta. Si ex analogia eſſet ratiocinandum, ſeminis materia non poteſt accuſari, quum feminæ etiam inveniantur Podagra laborantes, in quibus ſemen non generatur, niſi quis haberet ovula in ovario nata pro ſemine, qui liquor a ſemine virili multum diſtat. Num Eunuchi fiant Calvi, non videtur mihi tanti momenti, ut mereatur attentionem; multa quidem fiunt in Eunuchis, quæ aliter obſervantur in perfectis hominibus, ſed quoniam nihil faciat ad cognitionem vel curationem morborum, tota hæc ſententia omitti potuiſſet. Miratus ſæpe vidi hanc ſententiam nullius momenti omnium frequentiſſime ab Auctoribus fuiſſe allegatam, & copioſiſſime expoſitam, quam ego propter parvum in ea uſum ſicco pede tranſibo.

LIB. VI. APH. XXIX.

294. *MUlier non laborat podagra, niſi menſes ipſi defecerint.*

I.

HÆc ſententia, ſi continuata obſervatione eſſet probata, majoris eſſet uſus, argueret enim ſexus ſequioris felicitatem, ſed etiam temporibus his, tam mulieres quam viri podagra corripiuntur. Multo autem frequentior eſt viris morbus, quam mulieribus. Videtur hæc ſententia arguere quandam latentem podagræ cauſam, nempe ſemen præbere podagræ materiem, quod etiam veteres conceſſerunt feminis, hoc ſemen corruptum ſi ſtatis temporibus cum menſtruo ſanguine eliminaretur, exiſtimarunt, materiem podagricam generari non poſſe. Tota autem illa doctrina obſervationibus hujus temporis corruit, quum etiam feminæ eodem morbo laborent. Quod autem poſt menſium ſuppreſſionem frequentius corripiantur, quam dum menſes ordinate fluant, conſtans eſt obſervatio; forſan quia acre id podagricum aliquomodo ſimul expurgetur; vel quia retentis menſibus morboſa illa cauſa citius propullulet. Fateor, me non ita perſpectam habere materiæ podagricæ cognitionem, ut inde argumentari poſſim, ex quonam humore ſano formetur. Invenio quidem in corpore latitare poſſe ſine ullo indicio, ſed quando ſævire incipit, regulariter primo aggredi ligamenta articuli pollicis pedis cum vehementi dolore, dein quoque invadere ligamenta aliorum articulorum tam peduin quam manuum, denique, ſi vetuſtior fiat, aggredi internas partes, ubi loco doloris ſummam anxietatem inducit; nunquam abire in ſuppurationem, ſed interdum in calculoſam concretionem, etiamſi pars ſimili fere tumore & rubore afficiatur, ac ſi locali inflammatione

matione fuiſſet tentata; unumquemque paroxyſmum conſtare ex aliis minoribus, qui omni veſperi magis intendi ſolent; tandem, poſtquam varios articulos occupavit, ceſſat totus paroxyſmus, relinquens debilitatem articuli cum aliquo dolore, ſi articulus ille movetur; denique, niſi nimis valida fuit podagra, vel frequentius aggreſſa fuit eundem articulum, perfectam relinquit ſanitatem, atque interdum ultra annum durat, priuſquam novum paroxyſmum format: ſed ſi vetuſtior fuit, bis terve in anno redit, & in quibuſdam non dimittit, niſi æſtate media, deſtruens omnem articulorum uſum. Has proprietates viſibiles non invenio in ulla alia materia acri, quæ ejus ſpecialem indolem exprimunt, ſed ex his intimam materiæ naturam non valeo eruere & ita diſtinguere a Rheumatiſmo, Arthritide atque doloribus Catarrhoſis, ut aliis hanc materiem depingere valeam. Invenio quidem quaſdam viſibiles proprietates hunc morbum a ceteris diſtinguentes, ſed ex his elicere velle intimam hujus materiæ naturam, nimis arduum mihi videtur. Hoc autem elicere poſſum, non eſſe impoſſibile inveniri poſſe antidotum, ſed iſtud a priori invenire non datur, forſan medicaſter vel agyrta aliquis periclitando tale inveniet, ut detectum eſt antidotum febris intermittentis & luis venereæ. Hucuſque nulla innotuit hujus materiæ ſubactio vel exſtinctio, niſi per vires vitæ moderate agentes: nam ſi calefacientibus has vires inſtigamus, Podagra eo magis ſævit; ſi minuamus actionem per refrigerantia & ſtupefacientia, diutius protrahitur, & majus articulo damnum infert.

LIB. VI. APH. XXX.

295. PUer *non laborat podagra, ante veneris uſum.*

I.

EX eodem principio hic etiam videtur deductus Aphoriſmus, feminis materiem præbere materiem podagricam, quoniam ante pubertatem non formatur materia ſeminalis in corpore, etiamſi omnia organa ſint formata & adferantur omnes humores. Hæc obſervatio eſt ſatis firma, novi tamen Pueros ex podagricis natos, qui ante pubertatem podagra fuere correpti, quare conſtat, ut ſupra monuimus in Eunuchis & Mulieribus, liquorem ſeminalem non eſſe eum humorem, qui in materiem podagricam degenerat. Hoc magis patere poteſt, ſi perpendamus, abſtinentes maxime obnoxios eſſe debere morbis ex ſemine corrupto provenientibus, dum tamen nihil magis promoveat podagram, quam nimia feminis evacuatio. Ergo ſemen non præbet materiem podagricam, quum major ejus evacuatio provocet podagram, & illi, quibus non generatur ſemen, tamen a podagra corripiuntur. Textus innuere videtur, veneris uſum inferre Podagram, quia puer ante veneris uſum podagra non laborat. Si ſtatuitur, ablationem feminis generare podagram, itaque tunc quammaxime Eunuchi & Pueri Podagra laborarent, in quibus major eſt hujus materiæ defectus. Si contendimus, debilitatem ex feminis profuſione natam inferre podagram, certe hoc etiam non reſponderet experientiæ, quum homines robuſti frequentius quam debiles Podagra tententur. Contenti itaque eſſe debemus pronunciando, nos latere naturam materiæ Podagræ, ſed iſtius eſſe naturæ, ut vegetos, crapulis & lucubrationibus deditos, ſeveriora ſtudia exercentes, divites

ſeu laute & otioſe viventes, magis afflciat, noſque hoc ſolummodo ſcire conſtanti obſervatione practica.

LIB. VI. APH. XXXI.

296. *Oculorum dolores meri potus, aut balneum, aut fomentum, aut venæ ſectio, aut purgatio ſolvit.*

I.

Oculorum doloris cauſa.

OCulus multis ex partibus & humoribus compoſitus tot varios præbet morbos, ut apud Ægyptios & Romanos haberentur Medici oculares, qui ſolis morbis oculorum medebantur; non ſolum enim Oculi bulbus viſus organum, verum etiam reliquæ partes auxiliatrices Oculorum nomine veniunt, quod morborum numerum auget. Inde hoc loco non ſolum bulbi ſed & palpebrarum dolorem intelligere debemus. Quum multæ ſint cauſæ his partibus dolorem inferentes, nemo mirari poteſt, Hippocratem tam varia citaſſe medicamina, quæ obſervavit lenimem doloris attuliſſe. Hæc autem omnia auxilia ſimul adhiberi nequeunt, neque omnia ſine diſcrimine attulerunt levamen: quare prudens medicus debet ex præcipuis his eligere unum vel alterum, quod cauſæ inventæ magis reſpondet: non vero empiricorum more nullo habito reſpectu cauſæ, hoc vel iſtud tentare: ſi autem quædam auxilia fuere tentata, priuſquam vocatur medicus, ille poterit ex juvantibus & lædentibus ſciſcitare, qualiſnam fuerit Doloris cauſa. Non erit opus quærere Doloris ſigna, ipſe æger enim indicabit ſibi dolere oculos, & petere lenimen & curationem; ſed magni momenti eſt invenire iſtius Doloris cauſam, quæ ſuam ſpecialem curationem exigit: nam etiamſi haberem cuncta medicamina, quæ dolores oculorum leniunt & curant, illa nullius eſſent

ſent uſus, quamdiu latet cauſa; tentando enim omnia facile periret viſus. Si cunctas perpendimus cauſas, illæ poſſunt (1) referri ad cauſas externas lædentes, ſed illæ hoc in loco non ſunt perpendendæ, quum tali in caſu ſimul indicari ſoleat illa manifeſta cauſa lædens. (2) Internæ quia latent ſuis conjunctis ſignis ſunt diſtinguendæ. Hæ ſunt, vel Tenſio vehemens fibrarum nervoſarum, vel Compreſſio, vel Roſio ab aliqua acrimonia. Dolor enim eſt vehementiſſima ſpecies ſenſus, qui his modis formatur. Quia vero Auctor varia auxilia profert, inquirendæ ſunt ex dictis generibus cauſæ ſpeciales cum ſuis ſignis, quæ hoc vel illo auxilio tolli poſſunt & debent.

Qualis oculorum dolor curatur meri potu?

II. Vinum potum ſuo ſtimulo ſpirituoſo majorem facere circulationem cum corporis incaleſcentia, omnibus notum eſt: talis ergo meri potio valet talem ſubigere & excutere doloris cauſam, quæ ex minori circulatione fuit nata, hæc enim materia a majore circulatione agitata & ſubigitur & expellitur. Hanc autem cauſam in Oculorum doloribus ſuis ſignis detegere, non eſt facile. Hoc vero conſtat, acrimoniam ex minori motu natam ſenſim generari, quia ſpontaneæ mutationes lente augentur. Acre tale natum infert quidem roſionem, ſed vel nullam, vel exiguam incaleſcentiam inducit, quum proxime accedat ad acrimoniam nitroſam: plerumque ſimul adjunctam habet viſcoſitatem, quæ ex minori motu generatur. Si ergo aliquis diu laboravit oculis dolentibus ſine multa rubedine, quorum oculorum palpebræ lemis ſordeſcunt, ſimulque effluunt humores acres frigidi catarrhoſi, his imperanda eſt meri potio, quæ aucta circulatione ſolvit viſcoſum & emendat acre ſpontaneum catarrhoſum frigidum: conduceret quoque hoc in caſu palpebras abluere ſpiritu vini. Si his adhibentur emollientia, laxantia, anodyna fomenta, fieret quidem doloris levamen, quia his diluitur id acre & ita temperatur, & fibræ motrices fiunt minus agentes ad impingendum id acre; ſed augeretur his deinceps dolor, quia humoribus conceſſa diuturniori ſtagnatione, ſimul conceditur major acrimonia.

Qualis per balneum?

III. Per Balneum, quo corpus totum incaleſcit & abluitur, ſuiſque ſorditatibus purgatur, promoveri inſenſibilem perſpirationem, humoreſque tenues magis determinari ad cutim, obſervavimus in Aphoriſmis de *Inſenſibili perſpiratione*. Si ergo Oculorum dolores oriantur ab humore acri, qui ſolitus erat per Inſenſibilem perſpirationem exhalare, ſed cohibitus continuo deponitur ad oculos, iſtis infert dolores: hujuſmodi dolores tolluntur reducta materia ad naturale ſuum organum excretorium, ut per iſtud educatur. Quia vero his in regionibus nullus eſt Balneorum uſus, in eorum locum ſubſtitui poſſunt Sudorifera & Diaphoretica, vel in pertinaciori malo ſudare poteſt corpus accenſo alcohole ſtragulis tectum. Requiritur in hoc caſu, ut non ſit vitium locale ex deficiente actione ipſius organi, vel ex ſtagnante & corrupto humore in partibus oculorum, ſed ut ſit humor acris per totum corpus diſperſus, & dein ad oculos depoſitus, & natus ex prohibita perſpiratione. Si ergo anteceſſerint cauſæ prohibentes inſenſibilem perſpirationem, quas in proprio illo libro recenſui, & ſigna adſint humoris acris oberrantis per totum corpus, vel per Balneum, vel ea, quæ promovent perſpirationem ille oculorum dolor eſt curandus.

Qualis per fomentum?

IV. A Balneo differt fomentum, quod ſolummodo actuali calore admoveatur parti affectæ, dum Balneum applicetur toti corpori vel parti remotæ. Talia fomenta ex variis medicamentis componi poſſunt, quæ ſunt eligenda ſecundum cauſam acrimoniæ lædentis, quod in hoc loco nimis copioſum eſſet. Quod ſi inveniamus, oculorum partes admodum tumere, rubere, & dolere, ex quibus conjicimus, ſanguinem ferri majore impetu ad oculos, & ita diſtentas fibras inferre dolorem calidum pulſantem, admodum conducit per fomenta humida laxantia, & actu calida oculos fovere, ut relaxentur fibræ tenſæ, & minuatur impetus.

Qualis per venæ ſectionem?

V. Si autem oculi rubent, tument, dolent, quia ſanguis majore impetu feratur ad caput (vid. *Comp.* T. 32, VII. & 46, XIII.) præprimis in juvenibus, plethoricis, opipare viven-

viventibus, quibus ſolita ſanguinis evacuatio fuit ſuppreſſa, præſens eſt auxilium mittere ſanguinem, ut ita minuatur totius quantitas, & temperetur impetus. Hoc in principio ſolum valet abſolvere curationem, ſed ſi diu duraverit, & partes per continuatum impetum fuerint deſtructæ, talia ſunt adhibenda topica, quæ poſt ſpecialem mutationem inductam uſus docuit præſtantiſſima eſſe.

VI. Hoc loco intelligi alvi ductionem per medicamentum ore datum, nullus dubitat, quomodo autem eo poſſumus curare Oculi dolorem, non omnes conſentiunt. Supra (*Aph.* 282) autem notavimus cum Auctore noſtro, alvi profluvium prodeſſe Ophthalmia laborantibus, quia ab oculis ad alvum conveniens fit derivatio. Hoc etiam in his Oculorum doloribus eſt tenendum fieri per artificioſam alvi evacuationem. Sed præprimis talia alvum ducentia conveniunt, ſi ſimul ſigna cacochymiæ habeantur in corpore. Ex purgantibus tunc eligimus refrigerantia, ſi oculi dolentes ſimul calent. Qualis peti purgationem?

Plura hic potuiſſent utilia adduci auxilia ad curandos oculorum dolores. ut ſetacea, fonticuli, veſicatoria, anodyna, emollientia, ſed quia Auctoris ſcopus erat præcipua recenſere, quæ obſervavit ſuſtuliſſe oculorum dolores, horum expoſitione quoque contenti eſſe poſſumus.

LIB. VI. APH. XXXII.

297. B *Albi longo alvi profluvio maxime corripiuntur.*

I.

QUamvis τραυλοὶ proprie notat tales, qui literam T, vel R pronunciare nequeunt, videtur tamen Auctor intellexiſſe omnes, qui in quavis litera vel ſyllaba deficiunt, vel in media dictione, uti Balbi, Blæſi, & lingua

hæſitantes. De his obſervavit, iſtos maxime corripi alvi profluvio longo. Non dubito, quin hoc fuerit ab Hippocrate obſervatum. Ego quoque multos novi Balbutientes & Blæſos, & inter iſtos duos fratres, qui vix unam Syllabam articulatam proferre potuere, quibus tamen alvus ſatis fuit adſtricta. Sed tales Balbutientes, qui continuo os plenum habent ſaliva, ut præ oris humiditate vix articulate loqui potuerint, his erat alvus laxior. Hujuſmodi in hominibus non eſt mirum alvum laxiorem eſſe propter majorem humorum confluxum; ſed qui ex ſolo defectu linguæ ſunt Trauli, Balbutientes vel Blæſi, nulla eſt ratio, quamobrem alvum haberent laxiorem. Hoc enim linguæ vitium eſt vitium in muſculis motus animalis, quæ actio nihil commune habet cum motu periſtaltico inteſtinorum. Quare hanc obſervationem inter rariora & incerta locarem, & quæ vix quidquam utile ſcientiæ medicæ præbent.

LIB. VI. APH. XXXIII.

298. *Acidum ructantes non admodum pleuritici ſunt.*

I.

ACidum ructum oriri ex liquore vel maſſa acida in ventriculo hærente, quæ emittit aërem acido impræguatum, ſuperius delibavimus (*Aph.* 266, II.) Quibus conſtitit, talem Ructum formari ex alimentis acescentibus aſſumtis ſponte in acidum abeuntibus: ergo ſemper arguit debiliorem ventriculi actionem & minorem ſaponacitatem alcalinam in bile, ſucco ſtomachico & pancreatico, quibus aliis affluentibus humoribus cohibetur ſpontanea aſſumtorum degeneratio in Acidum. Pleuritis (*Aph.* 109, IV.) autem morborum acutorum ſpecies eſt, quæ

quæ dicitur vera, ſi ex Inflammatione naſcatur (*Aph.* 109, IV.) Hæc ſemper majorem vitalem motum arguit, quo omne acidum fermentatione natum exſtinguitur, quamvis multi acidum Pleuritidis cauſam eſſe ſtatuant, quod ita impugnat omnibus experimentis, quam quodvis alieniſſimum. Quibus igitur debilis eſt organorum chylopoiëticorum motus, raro accidit, ut in reliquis organis ex motu majore generetur morbus. Inter debilitatis hujus ſigna certiſſima eſt Acidus ructus, & Pleuritis ex motu majore naſcitur, inde mirum erit, ſi tales homines Ructu acido laborantes Pleuritide corripiantur. Non tamen hæc obſervatio ita abſolute vera eſt, ut omnino fieri non poſſet, quia motus periſtalticus & motus vitalis ſint duo motus diſtincti, quorum unus debilis eſſe poſſet, dum alter ſit nimis valens: atque non omnis dolor lateris ab inflammatione naſcitur, humores enim acres in pleuram depoſiti etiam interdum inferunt Pleuritidem notham, ſed multo minus frequens eſt ille pleuræ dolor, quam qui fit ex Inflammatione.

LIB. VI. APH. XXXIV.

299. *Qui calvi ſunt, his varices magni non fiunt. Quibus vero dum calvi ſunt ſuperveniunt varices, hi capillati fiunt.*

I.

An Calvis non fiant varices magni?

TUmentia interſtitia venarum Varices vocari, ex Chirurgia repurgata noſtra 694 colligi poteſt, ubi cauſas & curationes ſimul expoſuimus: nondum tamen notavimus hanc mirabilem Hippocratis obſervationem, qua adſtruere vult, Calvis non generari magnos varices, quum in Calvis ſemper majores detexi, quam in junioribus: ſenibus enim ſive calvi ſint, ſive ſolitum colorem capillorum ſervent, maxime tumentes fiunt Varices, horum enim corpora laxiora facilius magis tumentes venas producunt.

cunt. Si vero φαλακρὸ notat Capillorum defluvium, hoc itaque ſi fiat ex ſenectute, non impediret intumeſcentiam Varicum. Sed ſi humor morboſus generet Capillorum defluvium, quando ille morbus ex auctoritate Galeni vocandus eſſet Madaroſis, forſan potuiſſet impedire Varicum magnitudinem, ſed quia in tota mea praxi talem obſervationem colligere non potui, hanc ſententiam Auctoris Auctoritati relinquo. Neque facile credere poſſum, tale quid frequenter contingere, quia Varices præcipue naſcantur ex laxitate venarum, vel impedito reditu ſanguinis per iſtius venæ truncum, quæ cauſæ non intercipiuntur depoſitione materiæ verſus caput, qua intercipitur capillorum nutrimentum & incrementum.

An Calvi fiunt capillati a ſupervenientibus varicibus?

II. Hippocratem hic intellexiſſe capillorum defluvium, patet ex hac altera parte Aphoriſmi, nam ſi coloris mutationem intelligere voluiſſet, dixiſſet Capillos ad naturalem colorem redituros a varicibus ſupervenientibus. Videtur in hoc Textu adſtruere velle quandam naturalem metaſtaſin humoris, qui delatus ad radices capillorum, iſtas corroderet, ſed ad tunicas venarum, iſtas tumere faceret, qualem ego nunquam in praxi obſervare potui; an vero Auctor in ſua regione hoc obſervaverit, negare non poſſum.

LIB. VI. APH. XXXV.

300. *Hydropicis tuſſis ſuperveniens, malum.*

I.

BRevis ſed utilis & magni momenti Aphoriſmus, ex quo colligi poteſt, quid mali ſit exſpectandum, ſi morbus morbo ſuperveniat; hoc in loco ſolummodo dicit malum, ſed infra pronunciabit, lethale eſſe. Si duos hos mor-

morbos inter ſe comparemus, facile liquebit, quid ſentiendum erit de Tuſſi ſuperveniente hydropicis. Hydrops enim eſt morbus ex humorum abundantia, qua vaſa lymphatica & cellulæ pinguedinoſæ turgent, & ſimul enervantur & macerantur. Hujus laticis naturalis indoles eſt blanda, benigna, ſola ſua abundantia peccans, nullo modo irritans. Tuſſis autem arguit humorem acrem irritantem laryngem; ſcimus ergo ex Tuſſi ſuperveniente, humorem Hydropis jam aliquam ſuſcepiſſe acrimoniam, quâ vix pejus in Hydrope exſpectari poteſt: adeſt enim humoris abundantia in corpore debilitato, qui nunc ſuſcepit acrimoniam; hæc autem acrimonia ex ſpontanea corruptione nata, a debili hac actione emendari non potuit, unde hujus acrimoniæ majorem progreſſum exſpectamus. Tuſſis inſuper validiſſime concutit corpus ita liquore oppletum, cujus vaſa macerata vix ferunt aliquem impetum, periculum igitur eſt, ne conquaſſatione hac aliquod vas rumpatur, & ita latex hucuſque vaſculis coërcitus, in corporis cava effundatur, & ita augeat morbi periculum. Neque pulmo eſt organum excretorium, quo eliminari poteſt illa aqua hydropica: nam tuſſiunt ſine memorabili excreatione, atque edunt ægri fruſtranea conamina, quibus magis debilitantur. Denique ſignum eſt, Pulmones ab eo latice obrui, unde intercipitur iſtius organi actio, quod præparare debebat humores, & libera in reſpiratione agitari, nunc vero multitudine laticis acrioris obſeſſi Pulmones, defectu præparationis majorem generant laticis copiam, & tandem totius pulmonis oppreſſio & corroſio eſt exſpectanda. Propterea meretur Tuſſim ſuperveniéntem maxime damnare, præprimis quum præcipuam curandi indicationem intercipiat: Tuſſis enim laxantia & mucilaginoſa exigeret ad leniendum, quæ Hydropicis ſunt vetita.

LIB. VI. APH. XXXVI.

301. *URinæ difficultatem venæ ſectio ſolvit: ſecandæ vero internæ.*

I.

STranguria, Dyſuria, & Iſchuria in cauſis tam parum differunt, ut non mereantur diſtinctis titulis deſcribi; nam quæ cauſa Urinæ difficultatem inferre poteſt, ſi major fiat, integram ſuppreſſionem producere poteſt; ſi autem ſimul guttatim exit urina, Stranguria vocatur. Propterea in his ſpeciebus omnibus videndem erit, num Vena ſit ſecanda. Quoniam hi tres morbi, quod ſæpe diximus, oriuntur ex variis cauſis, quia nomen obtinuerunt ex phænomeno, Venæ ſectio prodeſſe & nocere poteſt. Quia vero Hipp: obſervavit Dyſuriam curatam fuiſſe ſanguinis miſſione, hanc obſervationem inter generales Aphoriſmos practicos locare voluit, eo fine, ut poſteri quoque potuiſſent tentare hoc auxilii genus, non vero quod exiſtimaverit, venam ſecandam eſſe in omni Dyſuria. Tali enim modo fere omnes ſunt ejus deſcripti Aphoriſmi. Sed quoniam non adjecit ſigna, quibus hanc ſpeciem diſtinguit a ceteris, æque poteſt junior Medicus peccare venæ ſectione quam prodeſſe. Multi dubitant, num hic ſit genuinus Hippocratis Aphoriſmus, quia putant, Venæ ſectionem nunquam conducere poſſe, quia frequens dyſuria fit ſenibus (*Aph.* 110, IV.) catarrhoſis, calculoſis, quibus non conducit venam ſecare. His auctoribus omnino eſt concedendum, Venæ ſectionem non conducere; ſed obſervavit etiam noſter Auctor ex Inteſtino recto vel Utero inflammato (*Aph.* 251.) Stranguriam ſeu Dyſuriam generari, in iſtis utique caſibus quammaxime conduceret mittere ſanguinem: atque poſt eum etiam Riverius, Sydenham & nos obſervavimus fruſtra

ſtra tentatis omnibus auxiliis, urinæ ſuppreſſionem & Difficultatem curatam fuiſſe ſanguinis miſſione. Ut nunc ſciat junior Medicus, quali in ſpecie Dyſuriæ mittendus ſit ſanguis, debet ſigna inflammationis applicare ad vaginam, inteſtinum rectum, vel & urethram, ea ſigna ſatis definient, ſanguinem eſſe mittendum. Quod autem ſuadeat, internas venas eſſe ſecandas, hoc facile condonari poteſt, quia tunc temporis ex ignorata circulatione, magis quam par erat fecerunt ſelectionem venarum, quæ aperiendæ erant. Si autem dixiſſet, venæ inferiores ſcilicet in pedibus ſunt aperiendæ, non ita recederet a communi obſervatione, neque impugnaret circulationi inventæ, ex cujus doctrina patet, venas proximas eſſe aperiendas, quales ſunt venæ in pedibus ab iliacis provenientes.

LIB. VI. APH. XXXVII.

302. *AB angina detento tumorem fieri in collo, bonum: foras enim morbus vertitur.*

I.

Metaſtaſis obſervatio generalis.

GEneralem regulam tranſlationis (*Aph.* 290) hoc in loco ſpeciali obſervatione conatur firmare: ſed in Tranſlatione ſeu Metaſtaſi ſemper debemus obſervare, ut ſit perfecta, id eſt, ut omnis materia ex uno loco feratur ita in locum alterum, ut prior pars multum levetur vel integre liberetur. Atque ut bona ſit, materia illa morboſa ferenda eſt a loco, qui utilior eſt vitæ, & qui difficile ejicere poteſt materiem, ad alium locum minus utilem, quique commodius materiem morboſam evacuare poteſt. In obſervatione hac omnino cavendum, ne ſymptoma vel alius morbus ſuperveniens non fiat ex Conſenſu (*Aph.* 258, 1.) ſed ex vera Tranſlatione materiæ de loco in locum.

In angina tumorem fieri in collo, bonum.

II. Quod Angina indicet talem colli morbum, quo difficilior reddatur vel omnino impediatur Deglutitio vel Reſpiratio, vel utraque ſimul, ſuperius (*Aph.* 95, VII.) notavimus. In textu habetur κυνάγχη, ſeu ſpecies Anginæ, quæ tunc dicitur præſens, ſi cauſa illa hæreat in interioribus laryngis, ſine ſignis externis, difficilem & ſuffocatam reſpirationem inducens, ac ſi millo conſtringeretur collum, & interciperetur reſpiratio. Periculoſiſſimus eſt morbus, nam ſi augeatur tumor in membrana interna laryngis, ſuffocatur homo: ſi abeat in ſuppurationem, generatur pulmo purulentus. In hoc morbo obſervavit, ſi externe in Collo tumor oboritur, bonum eſſe. Hæc autem obſervatio non eſt conſtans: poteſt enim tumor membranæ internæ Laryngis latius diſpergi etiam ad exteriores partes, ſine diminutione partis interioris. Quando deſignatur morbi augmentum. Sed ſi interiores partes deponunt ad exteriora colli morbi materiem, valde bonum eſt, quum partes exteriores tumentes non inferant mortis periculum, ſatis enim magnum conceditur ſpatium tumori. Conſtat ergo, duo adeſſe debere requiſita, ut talis apparens in Collo tumor ſit bonus. Primo ut ſit talis morbi materia, quæ metaſtaſin facere poteſt, uti materia Catarrhoſa, & Eryſipelatoſa, nam Inflammatio & Oedema harum partium non tam facile locum mutant, ſed potius, ſi partes exteriores ſimul tumere incipiunt, deſignant morbi augmentum. Alterum eſt, ut ſit perfecta Metaſtaſis, quam conjicimus, ſi una cum intumeſcentia externa liberior fieri incipiat Reſpiratio: nam niſi Reſpiratio ſimul fiat liberior, ſignum eſt, imperfectam fieri Tranſlationem, quæ ſemper mala eſt. Neque bonum erit ſignum, ſi novus accedat tumor, manente priore.

LIB. VI. APH. XXXVIII.

303. *Quibus occulti cancri fiunt, eos non curare melius eſt. Curati enim cito pereunt. Non curati vero longius tempus perduraut.*

I.

Quid ſit Cancer occultus.

ANtequam pronunciare poſſumus, num Cancer occultus ſit curandus vel relinquendus, conſtare debet, quid proprie per Cancrum occultum ſit intelligendum. Generalem Cancri Definitionem exhibuimus in Chirurgia repurgata 1484. Quibus conſtat, ſpeciem eſſe tumoris, qui fere ſemper aliquam glandulam occupat, nunquam vero ille tumor abit in veram ſuppurationem ſeu purulentiam, ſed in humorem ichoroſum admodum corroſivum: neque totus humor Cancri ita commutatur, ſed relinquit ſemper partem aliquam tenacem acerrimam, quæ a reliquis partibus firmis ſeparari nequit, atque novum humorem affluentem brevi tempore in ſimilem corruptelam invertit, ut nunquam hujus materiæ finis habeatur, vel ita redditur liquidus, ut omnis exprimi poſſit. Mira eſt hujus materiæ corruptæ natura, nam neque eſt acida, neque alcalina, quum nullo cognito antidoto exſtingui poſſit: an vero unquam invenietur antidotum, vix ſperare poſſumus. Videtur tamen originem habere ex pinguedine noſtri corporis, quæ in celluloſis ſpatiis glandularum hærens, ſenſim in toxicum hoc acre convertitur. Statim autem in principio non ita ſævit, ſed compacta hæret materia in glandulæ ſubſtantia, quam inæqualiter diſtendit, ut ſit talis glandula aſpera, dura, inæqualis, aliquomodo dolens, qui dolor augetur ab omni attactu & preſſione. Sed ſi accedat humiditas, vel admittatur aër nudus, illa materia concreta liqueſcere incipit, ſimulque fit acerrima, unde doloris augmentum, & corro-

ſio partium circumjacentium: & quia omnis materia non liqueſcit, ſcaturigo perpetua hujuſmodi ichoris in hoc loco manet. Et quod peſſimum eſt in hoc ichore, ſi miſceatur ſanguini vel pinguedini bono adjacenti, brevi tempore iſtos humores in ſimilem corruptelam convertit, ſanguinemque nigro colore inficit: Venas igitur & Arterias partium circumjacentium illo inquinato ſanguine nigro impletas pro pedibus Cancri veteres habuere. Talis nunc tumor ita in corpore latens, ut ſigna nulla externe appareant, Occultus eſt Cancer: ſed ſi Cutis perroſa eſt, vel externe in cute illa vaſa nigra conſpiciuntur, Cancer eſt apertus vel manifeſtus.

An Cancer occultus non curandus?

II. Præcipit Auctor, Cancrum occultum non eſſe curandum, quia curatus citius interit, quam non curatus. Niſi hoc in loco certa ſpecies curationis intelligatur, omnino falſa eſſet monitio. Nam non ſolum licitum eſt per Diætam intercipere Cancri progreſſum, qualis Diæta curationis nomine venit apud medicos, ſed & valde neceſſaria eſt. Curatio autem Chirurgica per ablationem tanti eſt interdum momenti, ut ſi negligatur in Cancro occulto, poſtea in Cancro aperto prohibeatur. Nam quoties Cancer alicubi lateat in Mammis, labiis vel & aliis partibus corporis, ubi integre tolli poteſt ſectione, communi obſervatione chirurgica totus Cancer occultus eſt auferendus, & ita perfecte curantur homines, ut teſtantur hodiernæ obſervationes chirurgicæ: ſed tunc cavendum eſt, ne aliqua portio relinquatur. Eadem autem in Cancro aperto raro bene ſuccedit, quia tunc utplurimum totus Cancer auferri non poteſt: itidem ſi plures Cancri ſint in eodem corpore, quum uno ſublato, reliqui magis ſævire ſoleant. Atque vetatur ablatio, ſi Cancro adhæreat arteria, vena, nervus, vel alia pars nobilis, quæ ſectionem non permittit. Nam vel totus Cancer tunc tolli nequit, quod malum eſt, vel talis pars abſciſſa mortem infert. Tandem tertia ſpecies ſequitur curationis per medicamenta applicata. In hac ſpecie quædam medicamenta permittuntur in Cancro occulto, alia vero prohibentur: uti ſiccantia, indurantia, quæ

Cancri

Cancri progreſſum inhibent, faciunt, ut Cancer, qui ſibi relictus brevi tempore ſæviiſſet, per longum tempus geſtari poſſit ſine multo incommodo, quum ablatione humidi corruptio Cancri inhibeatur. Sed ſi applicentur Corrodentia, quæ ex Cancro clauſo faciunt apertum; vel Humectantia, quæ Cancri materiem liqueſcunt; vel Pinguia, quæ ſuppeditant corruptibilem materiem, hæc omnia facient, ut ille Cancer, qui ſibi relictus tolerari potuiſſet, brevi tempore ita furat, ut domari non poſſit. Hoc ſibi proprium habet materia Cancroſa, quod nullis medicamentis emendari poſſit, nunquam abeat in bonum pus, & nunquam integre evacuetur. Unde Cancer occultus, niſi totus auferri poſſit ſecando, eſt relinquendus, & exſiccandus, non tangendus acribus, neque emolliendus humectantibus. Si quis talia facit, is inficiet totam maſſam circulatoriam, faciet ex acri quieſcente, acre agens, & ita homo, poſt multas miſerias toleratas, peribit. Tali ergo in ſenſu curati cito pereunt, & non curati longius tempus perdurant.

LIB. VI. APH. XXXIX.

304. *Convulſio fit aut a repletione, aut evacuatione. Sic quidem etiam ſingultus.*

I.

Convulſionis & ſingultus convenientia.

DUo proponuntur in hoc Aphoriſmo morbi, qui utrique oriri poſſunt ex Repletione vel Evacuatione: quare iſti, quamvis facie externa multum differant, ratione cauſarum admodum ſimiles eſſe debent. Ex Convulſionis deſcriptione (*Aph.* 51, III. & *Aph.* 194, II.) ſatis patet, hoc phænomenon generari ex inordinato influxu ſpirituum per nervos in aliquem muſculum, qui propterea contrahitur. Hoc etiam fieri debet in ſingultu, ut

ut habeatur inter hos morbos quædam ſimilitudo. In Convulſionibus videmus quendam motum in membris, ſed in ſingultu audimus aliquem ſonitum aëris per laryngem intrantis, qui introitus in ipſo veluti principio intercipitur; dum ſimul ſentiunt ægri, Diaphragma ſubito & involuntarie contrahi, quaſi vi faceret inſpirationem, ſed tum ſimul clauditur larynx aëris ingreſſum intercipiens. Igitur Convulſio & ſingultus eſt involuntaria violens nonnullorum muſculorum contractio, unde Singultus eſt quædam ſpecies Convulſionis, & quæ fit duntaxat in quadam ſpeciali parte, dum Convulſio varias partes afficere poteſt, & multas ſimul.

An Convulſio & ſingultus a ſola repletione & evacuatione?

II. A Galeno & aliis paſſim hæc citata invenitur ſententia, ut adſtruatur, Convulſionem & Singultum ex ſola Repletione vel Evacuatione oriri: & ut hanc tueantur ſententiam, multa inania & præpoſtera afferunt. Solius Galeni ratiocinium delibabimus. Ille eximius vir adducit humiditatem & ſiccitatem, quibus utrisque experimentis in chordis conatur adſtruere hujus ſententiæ veritatem. Siccitatem loco Evacuationis adducit, quia chorda exſiccata accurtatur, ut patet, ſi igni admoveatur. Verum hoc experimentum non probat accurtationem per ſiccitatem, ſed per adurentem ignis calorem, quum partes animalium fibroſæ ſolo ardenti calore ſine humidi amiſſione corrugentur, ut patet, ſi caro in aqua coquatur, ſine humidi enim defectu contrahuntur fibræ. Neque in corpore vivente tanta inducitur fibris ſiccitas, ut inde fieri poſſet Convulſio vel Singultus, neque inducitur Convulſio defectu humidi ſenſim acquiſito, quum experimur maraſmo conſumtos raro convelli: ſed ſi ſubito evacuatione ſanguinis (*Aph.* 169.) vel & alia quavis evacuatione largiore deſtruitur æquilibrium, tunc frequentiſſime Convulſio vel Singultus generatur. Neque accurtatio per exſiccationem chordarum comparari poteſt Convulſioni, quum accurtatio illa procedat in rebus mortuis, ſed Convulſio eſt actio dependens a vita, quæ in rebus mortuis imitari nequit. Multo minus appropriatum eſt experimentum ex chordarum humectatione deſumtum

tum. Frangitur quidem chorda humectata tenſa facilius, quam modice ſicca, ſed non accurtatur. Chorda enim in organis muſicis ad certum tonum tenſa ſi humectetur, tonum formabit profundiorem, & in machinis phyſicis experimur, chordas humectatione prolongari, non vero accurtari. Quamvis contraria fierent in hoc experimento, nondum tamen hæc probarent, Exſiccationem vel Humectationem generare in nobis Convulſionem aut Singultum, quoniam ſunt morbi ab influxu ſpirituum vitalium pendentes, quæ actiones comprobari nequeunt experimentis rerum mortuarum. Interim tamen vera manet obſervatio, nimia evacuatione & repletione generari Convulſionem & Singultum: inde autem argumentari velle, omnem Convulſionem & Singultnm a duabus his duntaxat cauſis oriri, nimis abſurdum mihi videtur, quum in Compendio noſtro (Tr. 27. & 30.) multo plures & frequentiores cauſas aſſignaverim, quæ nullo modo ad repletionem vel inanitionem referri queunt. Propterea Inanitio & Repletio hoc loco ſunt accipienda inter cauſas Convulſionem & Singultum inferentes, ut paſſim in aliis Aphoriſmis, ſed nondum ut tales, quæ ſolæ hos morbos inferre potuiſſent.

LIB. VI. APH. XL.

305. *QUibus ad hypochondrium dolores fiunt abſque inflammatione, his febris ſuperveniens ſolvit dolorem.*

I.

Quæ partes dicantur Hypochondria.

MEdici magis quam Literatores in vero loco indicando per voces ſunt occupati, quum accurate ſcire debeant, qualis pars intelligatur, ut unam partem non habeant pro altera. Hypochondrium proprie denotat locum ſub cartilagine, & ſi in ſingulari ponitur, utplurimum

mum ſignificat in ventre inferiore partem ſuperiorem lateralem & magis anteriorem, quam poſteriorem ſub cartilaginibus coſtarum in dextro latere, ubi naturalis eſt hepatis ſitus: ſed Hypochondria notant tam dextrum quam ſiniſtrum latus. Interdum vero apud Hippocratem tam ſiniſtrum quam dextrum latus intelligitur, uti in hoc loco, ubi mihi videtur, non ſolum intelligi dextrum, verum etiam ſiniſtrum latus, eo autem ſenſu, ut aſſignetur Dolor in ſiniſtro vel dextro latere, non vero in utriſque ſimul, quod aliter fieri potuiſſet, ſi dixiſſet Hypochondria. Quibuſdam Hypochondria & Præcordia ſignificant eaſdem partes, ſed Præcordia proprie notant partem mediam anteriorem inter Hypochondria ſub cartilagine enſiformi, ubi præcipue ſentiuntur dolores ventriculi, quamobrem hæc loca accurate ſunt diſtinguenda. Quamvis ſitus externus Hypochondriorum proprie pertineat ad Pectus, quia habetur ſub cartilaginibus coſtarum, referuntur tamen hæc loca ad ventrem inferiorem, quum diaphragma ita ſit elevatum, ut contenta viſcera in Hypochondriis pertineant ad ventrem inferiorem. In Hypochondrio dextro hæret Hepar, quod etiam ad ſiniſtrum hypochondrium pertingit: in ſiniſtro autem Hypochondrio hæret Lien. Sed utrumque Hypochondrium occupat Inteſtinum Colon, adeo ut ex naturali ſitu harum partium facile judicare poſſimus, quodnam viſcus fuerit affectum: & inde quoque cognoſcimus, multos dolores pectoris ab affectis his viſceribus fieri poſſe, qui dolores perperam referuntur ad Pleuritidem. Detexi enim in quibuſdam cadaveribus, Diaphragma ita fuiſſe convexum, ut ventris inferioris cavitas altius interne protenderetur, quam eſt papillæ locus externe in mammis.

Qui dolores Hypochondriorum ſine inflammatione, ſolvuntur febre?

II. Illa Hypochondria ſæpe corripiuntur Doloribus, ſed ut ſciamus, num Febris in hujuſmodi doloribus malum ſit allatura, & num curanda ſit, an vero bonum, & permittenda, duas cautelas adjicit Auctor, nempe ut ſit ſine Inflammatione, & ut Febris ſuperveniat, id eſt ut Dolor & Febris non incipiant eodem tempore, ſed primo Dolor & deinceps Febris. Generalis eſt obſervatio Dolorum, omnes dolo-

dolores ab Inflammatione, Eryſipelate, & Bile acri natos cum febre incipere; in his, quo febris eſt vehementior, eo majus eſt periculum, quum febris illa ſit ſignum eorum morborum, qui eo ſunt majores, quo ſigna ſunt vehementiora, ergo ex perduratione hujus febris nihil boni exſpectare poſſumus. Sed ſi febris ſuperveniat, certi ſumus, Dolores Hypochondriorum non eſſe natos ex recenſitis morbis, ſed ex aliqua cauſa morborum chronicorum, quæ frequentiſſima eſt materia cruda in aliquam corruptionem converſa. Si ergo materia cruda in nobis nata per febrem poteſt ſubigi, clare conſtabit hujus Aphoriſmi veritas. Talem expoſuimus obſervationem in Convulſionibus. (*Aph.* 51, v. *Aph.* 167. 1.) In febre Cacochymica. (*Aph.* 197, 1.) Omnis enim materia Cruda, deficiente corporis actione nata, ſubigitur motu vitali majore, qualis fit in febre ſuperveniente. Unde monemur, nos non debere per refrigerantia vel ſanguinis miſſionem, vel per quædam antidota hanc febrem exſtinguere, ſed eam permittere, aut medicamentis calefacientibus excitare febrem artificialem. Hoc tamen in praxi contrarium a multis fieri obſervo, qui omni ope conantur hanc febrem refrigerantibus exſtinguere cum ſummo ægri detrimento, ſed præſenti infideli levamine.

LIB. VI. APH. XLI.

306. *QUibus ſuppuratum quid in corpore exiſtens nullum ſui ſignum prodit, his propter craſſitudinem puris, aut loci, ſignum non exhibet.*

I.

QUid ſit Pus (*Aph.* 215, II) ex qua materia formatur (*Aph.* 72, III.) & per quamnam actionem vitæ producitur, (*Aph.* 72, II.) ſuperius demonſtravimus. Loci vel puris craſſitudo ſuppurationem internam occultat.

mus. Si iſtud pus ſit factum & in quadam parte collectum, neceſſe eſt ut exeat: nam ſi ultra tempus contineatur, exuet ſuam blandam & mitem indolem in corrodentem acrimoniam. Si ergo lateat profunde, ut vis vitæ non valeat iſtud per naturalia emunctoria eliminare, vel per morboſam aliquam aperturam factam, neceſſe eſt, ut Medicus vel Chirurgus viam pandat. Hæc autem via artificialis fieri non debet, niſi ſciamus, num pus eo in loco contineatur. Quod ſi locus pauca carne & tenuibus integumentis ſit tectus, & Pus ſatis ſit fluxile, facile detegi poteſt attactu, nam alterna preſſio concitabit fluctuationem, & intumeſcentiâ ſine multa rubedine tali in loco detegetur, Pus in tali loco contineri. Sed ſi locus multa carne ſit tectus, aut ſi hæreat in quadam corporis cavitate, attactu non valemus fluctuationem concitare: neque fluctuat, ſi Pus ipſum nimis ſpiſſum eſt. Si utraque illa ſimul adſint, peritiſſimus Chirurgus tactu invenire non poterit, num Pus ſubtus hæreat. Interim ſi maneat eo in loco pus, omnes partes adjacentes ſenſim in putrilaginem convertet, atque denique liquatum Pus venis abſorptum, totam maſſam circulatoriam inficiet: quare admodum conducit ex probabili conjectura rimari, Pus intus latere, & dein ex adjunctis Phænomenis determinare partem, ut poſſimus ad Purulentiam totam internam curationem dirigere, & Pus latens per factam aperturam elicere. Ut in his obſcuriſſimis conjiciamus, Pus intus latitare, varii modi ſunt adhibendi. Pus enim colligitur in quadam parte ſpeciali poſt Inflammationem, quæ abiit in purulentiam, quæ ſimul non fecit exitum puris per ſputum vel urinam. Si ergo conſtat, anteceſſiſſe febrem ardentem inflammatoriam, (*Aph.* 161, 11) quæ reddit urinam tenuem & coloratam longo tempore, & dein commutatur in febrem remittentem (Conf. *Comp.* Tr. 47. XVII.) facile erit judicare, materiem phlogiſticam abiiſſe in purulentiam. Corpus autem noſtrum ita invenitur creatum, ut valeat Pus ſanguini circulanti miſtum ſegregare, iſtudque eliminare ſeparatum vel per urinam vel ſputum, aut alicubi deponere, ut formetur Abſceſſus ex collecto

lecto tali modo pure, qualis depoſitio puris a medicis ſæpe vocatur metaſtaſis, ſed potius Collectio vocanda. Si ergo tali in morbo purulento non invenimus Puris aliquam evacuationem, ſed quadam in parte generari dolorem, gravitatem, anxietatem vel tumorem, judicamus, ad partem eam Pus colligi. Simili etiam modo ratiocinamur in Abſceſſu locali, qui pro magnitudine ſua non fundit pus, & evaneſcere videtur ſine critica, id eſt purulenta evacuatione, dum ſimul in quavis alia parte dolores, moleſtias, anxietates & ſimilia ſymptomata infert, judicandam eſt, Pus ex priori loco receptum & ad aliam partem traſlatum eſſe, quæ mutatio metaſtaſis purulenta vocatur. Denique ſi alicubi eſt ulcus, fiſtula, ſinus antea fundens Pus copioſum, nunc vero omnem evacuationem ſupprimens, judicandum tunc quoque, ſi in alio loco ſentiantur dolores & reliqua ſigna puris latentis, Pus ad partem eam tranſlatum fuiſſe. Certius eſt indicium, ex retento pure fieri metaſtaſin, quam ex alia materia retenta, quum Pus iſtius ſit naturæ, ut nunquam ita aſſimuletur, ut ſub forma ſudoris, vel urinæ pellucidæ evacuari poſſit: quare ſi pus eſt intus, ſemper viſibili evacuatione vel puris vel ichoris exire debet: & quoties ſub tali forma non exit, judicamus, Pus retineri & ad aliquam partem deponi debere. Quæ tunc pars dolorem, tumorem, moleſtiam, & gravitatem accipit ſine rationali cauſa, tali in parte judicamus collectum eſſe pus.

LIB. V. APH. XLII.

307. *In ictericis hepar durum fieri, malum.*

I.

Ex quibus phænomenis cognoſcimus Icterum, ſuperius (*Aph.* 172, 1) exhibuimus, ubi dein (*Aph.* 174, 1) demonſtravimus, Icterum ex febre cum hypochondrio dextro duro, non bonum eſſe, quia durities illa ſignificabat, Hepar eſſe infarctum. Hoc nunc loco demonſtrandum eſt, ſi in Ictericis Hepar durum fiat, malum eſſe. Ex textu patet, eum Icterum non eſſe natum ex Hepate duro, quia Hepatis durities hic notetur tanquam ſymptoma ſuperveniens: neque ille Icterus naſcitur ex Hepatitide, quia tunc durities & Icterus eodem tempore generantur, & febris nulla mentio invenitur, quæ in omni hepatitide adeſt. Ergo videndum, ex quibus cauſis naſcitur Hepar durum, dum Icterus eſt præſens, ut ex aſſignata cauſa præſagium malum formare poſſimus. Icterus tunc ſemper naſcitur, ſi Bilis naturalis exitus intercipiatur in duodenum, & regurgitare cogatur in venam cavam, ut ita totam maſſam ſanguinis ſua flavedine tingat. Igitur veſicæ felleæ eſt morbus, quæ interdum clauditur a calculo vel ſpaſmodica conſtrictione, qui morbi non faciunt tumere vel indureſcere hepar. Sed ſi nunc in dextro hypochondrio tumor durus ſit, ſignum eſt, novum accedere morbum, qui per ſe ſatis malus eſt, & qui ſua intumeſcentia valet exitum Bilis ita ſiſtere, ut omnis exitus ſit intercluſus, qui reſerari nequit manente Hepatis tumore duro. Quia vero omnis durities hepatis curatu eſt difficilis, igitur nullam fere ſpem curationis promittere poſſumus.

LIB. VI. APH. XLIII.

308. *QUi lienoſi a dyſenteria corripiuntur, his longa ſuperveniente dyſenteria, hydrops ſupervenit, aut lienteria, & pereunt.*

I.

QUum Veteres ignorarunt Lienis uſum, multa præpoſtera Lieni in morbis adſcripſerunt, adeo ut vix conſtet, quinam morbus proprie Lienoſus ſit vocandus: communi autem conſenſu talis Lienoſus eſt, qui in ſiniſtro hypochondrio laborat tumore aliquo a Liene magis tumente & infarcto. Quum tali in infarctione Splenis ceſſet omnis ejus functio, & partes adjacentes a tumente Liene premantur, propterea multi fiunt morbi, qui partim pendent a deſtructo uſu Lienis, partim a compreſſis partibus adjacentibus: unde tam varia citantur in Lienoſis ſymptomata, quæ ſæpe magis a compreſſis partibus vicinis dependent, quam ex abolito Lienis uſu. Non melius poſſumus invenire Lienis uſum, quam ſi examinemus ingredientem & exeuntem ſanguinem. Invenimus ſanguinem allatum per arteriam ſplenicam, eandem naturam concreſcibilem habere, uti in reliquis arteriis; ſed qui exit ſanguis, ita invenitur ſolutus, ut ſtagnans non concreſcat, ille omnis ſanguis ita præparatus effunditur in venam portarum tranſiturus per hepar, ut dein in hepate conficiatur & ſeparetur bilis. Igitur Lienis uſus primarius eſt ita ſolvere ſanguinem, ut in lentiſſimo motu per venam portarum, quaſi ſtagnando non concreſcat, & præbere materiem, ex qua hepar præparare & ſeparare poteſt Bilem bonam. Si nunc Lien ſit infarctus, obſtructus & tumens, illa ſanguinis ſolutio fieri perfecte non poteſt, & propterea manet ſanguis venæ portarum magis coagulabilis, qui facile ipſum hepar etiam obſtruere poteſt: neque ſatis prævia eſt facta

Lienoſi qui dicantur.

mate-

materiæ bilis præparatio, unde generatur bilis morboſa, plerumque nigrioris coloris. Hinc functiones a bona bile pendentes depravantur, ut patet ex malo elaborato chylo, & tandem tota maſſa hac liveſcente materia inquinata, in cute aliquem livorem atque cachecticum colorem præbet. Unde Hypochondrii ſiniſtri tumor, mala alimentorum ingeſtorum confectio, & color ſublividus inter præcipua Lienoſi ſymptomata ſunt recenſenda.

Cur Dyſenteria longa in Lienoſis mala?

II. Ex Dyſenteriæ deſcriptione (*Aph.* 134, 1) ſatis conſtat, ſi veniat in Lienoſis, eam generari ab humore acri ad inteſtina delato, qui inteſtina ſtimulando cogit in perpetuam dejectionem cum ventris torminibus. Sed ut ſciamus, num omnis humor ille acris ſit ablatus, ceſſare quoque debet Dyſenteria, quæ ab affluxu hujus humoris pendebat. Verum perſiſtit Dyſenteria, ergo ſignum eſt, non ceſſare confluxum hujus humoris acris, quare in Liene eſt perpetua ſcaturigo eum humorem præbens, quod malum eſt. Hoc autem malum ſignum non habetur, ſi Lienoſis Dyſenteria ſuperveniat, ut infra conſtabit. Inde in Coacis prænotionibus, (H. a. 567.) *Dyſenteria non longa ſplenicis commoda eſt, longa vero mala: deſinente enim, ſi Hydrops aut Lienteria fiant, lethale.*

Lienoſi dyſenteria longa laborantes in hydropem vel lienteriam incidentes, pereunt.

III. Ut Lienis tumor curetur per Dyſenteriam, evacuatio ea humoris acrioris debuiſſet inferre diminutionem tumoris, ſi vero contra augeatur Lienis tumor, ſanationis nulla ſpes eſt, nam per talem evacuationem continuatam ſummopere debilitabitur corpus. omneſque humores boni ejicientur. Si tunc inſuper accedat Hydrops vel Lienteria, ſignum eſt, increviſſe Lienis tumorem, ut etiam reditus lymphæ in ſanguinem intercipiatur, & chyli via ſit intercepta, quod facile ex anatomicis demonſtratur. Omnis enim lympha ex ventre inferiore ducitur in ciſternam lumbarem, ut redeat per ductum thoracicum in ſanguinem circulantem. Si vero Lienis tumor ita increvit, ut ciſterna Lumbaris a Liene compreſſa non tranſmittat lympham redeuntem, neceſſe eſt, ut illa colligatur in ventre inferiore & pedibus, atque producat Hydropem, qui morbi aug-

men-

mentum declarat: hæc perſiſtens cauſa comprimens, & ſimul aucta tantam facit denique compreſſionem, ut totum lymphæ circuitum intercipiat, & ita tandem mortem inferat. Simile quoque ſignum eſt Lienteria (*Aph.* 101, IX & *Aph.* 266, I.) nam ſi tumens Lien premat ciſternam lumbarem, quæ tranſmittere debet chylum in ductum thoracicum, vaſa lactea jam chylo turgeſcentia nihil amplius imbibunt, ſed confectum chylum in cavo inteſtinorum relinquunt per alvum exonerandum: inde copioſa chyli dejectio ſine ullo levamine, ſed arguens chyli viam eſſe interceptam. Ex tali denique chyli interceptione neceſſario peribit homo. Quare illæ Veterum in morbis obſervationes comprobantur hodiernis anatomicorum inventis, ſine quibus ex ſuo fonte hæc præſagia non potuere intelligi: propterea omnes Commentatores antequam detecta fuit hæc circulatio, ita laborarunt, ut invenirent rationes horum ſignorum.

LIB. VI. APH. XLIV.

309. *Quibus ex Stranguria ileus ſupervenit, in ſeptem diebus pereunt, niſi febre ſuperveniente urina abunde fluxerit.*

I.

Quomodo ex Stranguria Volvulus?

OMnes Commentatores vehementer laborant in expoſitione hujus Aphoriſmi, ita quidem Galenus inſurgit, ut non credat, hunc morbum unquam viſum fuiſſe ab Hippocrate, ſed ab alio quovis hunc Aphoriſmum intruſum fuiſſe, quoniam talia fieri non poſſe dicit, quæ hic Aphoriſmus complectitur. Hanc litem noſtram non faciemus, videbimus duntaxat, quali modo eadem cauſa, quæ Stranguriam generat, etiam inferre poſſit Volvulum. Differentiam ponunt inter hunc Aphoriſmum & alterum, qui continetur in Coacis. (H. a. 568.) Ubi dicitur *In Stran-*

guria Sed puto eandem eſſe ſententiam, quia In & Ex ſtranguria eadem eſt ſignificatio, quum Ex ſtranguria in hoc loco non deſignetur, Stranguriam abiiſſe in Volvulum, quod ſatis patet, quoniam dum Volvulus naſcitur, remaneat ſtranguria, ſed ſi quis ſtranguria laborat & inſuper corripiatur Volvulo, tunc peribit ſeptem diebus. Utriuſque morbi ſuperius dedimus definitionem, & demonſtravimus, Stranguriam generari poſſe ab acrimonia ſucci ureterum & aliarum viarum urinæ (*Aph.* 110, ix.) Itidem Volvulus (*Aph.* 101, xiv,) generari poteſt ab acrimonia ſucci inteſtinorum. Aut ſi hæreat in ſucco nervoſo quædam acrimonia, illa ſi deponatur in urinæ vias, Stranguriam infert, & ſi feratur ad inteſtina, fiunt tormina & motus inteſtinorum inverſus, qui morbus vocatur Volvulus, ut motus inverſus ventriculi ſolius, dicitur vomitus. Inde non ita eſt abſurdum, ut, ſi acrimonia ſucci nervorum feratur per nervos in vias urinæ, idem ille humor in eodem plexu nervi formatus etiam feratur per alium nervi ramum ad meſenterium & inteſtina, in quibus etiam & ventriculo naturalem motum periſtalticum irritando invertat, quo omnia inteſtinorum contenta truduntur ſurſum verſus ventriculum, qui dein eadem vomitu ejicit.

Cur ſeptem diebus pereunt, quibus ex ſtranguria ſupervenit Volvulus?

II. Satis itaque comprobavimus, eandem cauſam, quæ generat Stranguriam, etiam generare poſſe Volvulum, ſed quoniam cauſa non eſt levis, quæ valet inteſtinis non ſolum inferre vehementes dolores, verum etiam motum inverſum; igitur ſi Volvulus ſupervenit, ſcimus, magnam copiam humoris acrioris eſſe in corpore, qui nunc etiam ruit ad inteſtina, ubi evacuari non poteſt, & in viis urinæ, per quas erat evacuandus, parit evacuationis difficultatem. Igitur retentus ille humor ſenſim fit acrior, concitans ingentem motum inverſum per totum tractum inteſtinorum & per ventriculum, quo motu valido perturbato, cum ejectione omnium quæ per os ingeruntur, & in inteſtina atque ventriculum confluunt, ſumma naſcitur debilitas exhauſtis ſpiritibus, & defectus humorum continua violenta illa evacuatione. Igitur mirum non eſt, ſi homo ſit impar

ferendi

ferendi hæc omnia per ſeptem integros dies, ut prius ſuccumbat vehementia morbi. Hinc non dicit Auctor ſeptimo die perire, ſed in ſeptem diebus, id eſt raro perſiſtere poſſunt ultra ſeptem dies.

III. Eum tamen morbum periculoſiſſimum, qui intra ſeptem dies mortem minabatur, obſervavit curatum fuiſſe a febre ſuperveniente & urina abunde fluente. Vix credere poſſunt, febrem adferre poſſe levamen, qui ſtatuunt ex ſola inflammatione inteſtinorum generari Volvulum; neque concipere poſſunt alvi feces obſtruentes inteſtina; vel nodum inteſtinorum curari poſſe a febre ſuperveniente, aut per urinam copioſe fluentem: ſed ſi ſtatuamus acrimoniam crudam in ſucco nervoſo, tunc talis eſt frequens in aliis etiam morbis obſervatio, quum motus vitalis major, qui hucuſque non adfuit, accedens, humorem illum acrem ſubigat & ad naturalia emunctoria ducat. Illa autem febris accedens ſi ſimul non faciat copioſam urinæ evacuationem, non curaret diriſſimum illum morbum, ſed tunc eſſet ſolum ſignum, Volvulum non fuiſſe natum ex inflammatione inteſtinorum, cui ab initio adfuiſſet febris, ſed ex materia alia acri, quæ irritando tandem febrem excitat, Volvulum & Stranguriam producta fuiſſe. Si igitur motus vitalis inſtigatus hunc ſuccum nervoſum acrem commoveat, eamque ducat ad renes, & ſub urinæ copioſæ forma eliminet, certe ſpes eſt, talem hominem liberari poſſe ab illa irritante acrimonia. Si medicus tali in caſu vocaretur, antequam urina fluere incipit, admodum difficile foret veram invenire indicationem curativam. Puto tamen nos imitari debere monſtratam a natura viam, nempe dare medicamenta diuretica calefacientia, quibus concitatur febris & promovetur urinæ fluxus. Id autem obſervamus, nos non ſemper idem medicamentis poſſe præſtare, quod natura faciat ad conſervationem ſuam; nam quamvis promoveamus urinæ fluxum, non tamen certo ſequitur, eum humorem acrem per urinæ vias eliminari, quod tamen fit, ſi ſponte talem evacuationem moliatur. Hoc autem verum eſt, nos non poſſe propius accedere ad veram cura-

Quomodo hi liberantur, ſi febris ſupervenerit & urina abunde fluxerit?

tionem, etiamſi ſemper non ex voto bonum effectum ſortiatur.

LIB. VI. APH. XLV.

310. *Ulcera quæcunque annua fiunt, aut longius tempus occupant, neceſſe eſt os abſcedere, & cicatrices cavas fieri.*

I.

Ulcera vetuſta.

QUid Medici & Chirurgi Ulcus vocant (*Chir.* 1293) & quot variæ inveniantur ſpecies, expoſuimus (*Chir.* 1295) ergo reſtat videre, quando dicantur Ulcera vetuſta; & ex quanam cauſa tam diu durare ſoleant. Omnia Ulcera, quæ ſimul aliquam conſumtionem partium fecere, ſatis longum tempus exigunt, antequam pars amiſſa nova carne ſit oppleta & cicatrice obducta: hoc autem in unius vel alterius menſis ſpatio abſolvitur: ſed ſi ulcera talia ultra annum vel & diutius aperta maneant, & interdum etiam majora ſi fiant quam in principio; vel quæ cicatrice obducta, ſine læſione externa denudentur iterum & excavantur, talia omnia vocantur Vetuſta, & arguunt adeſſe cauſam, quæ conſolidationem impedit. Tales multæ ſunt cauſæ: nam ſi ſtagnans in marginibus humor non convertitur in Pus, ſed in Ichorem vel Sorditatem, Ulcus carne impleri nequit, neque cicatrice obduci. Itidem humor morboſus acris ex toto corpore in ulcus confluens bonam conſolidationem intercipit. Denique putridus, ichoroſus humor in partibus vicinis natus per ulcus evacuandus non ſolum ulceris conſolidationem impedit, verum corrodendo iſtud magis latum & profundum facit. Quamvis ulcus ex tali cauſa natum obducatur cicatrice, humor ille interim intus retentus, ſtagnando acrior factus tale ulcus exaſperare facit.

II. Ne-

II. Neceſſe eſt, inquit Auctor, Os abſcedere. Credo equidem Auctorem hoc ſæpe obſervaſſe, uti etiam nos, ſed videmus etiam ulcera multorum annorum, in quibus os incorruptum manſit: quare non ita abſolute pronunciare poſſumus, os adjacens eſſe corruptum, ſi Ulcus habeatur vetuſtum. Periculum tamen eſt, Os corrumpi poſſe ab adjacente Ulcere vetuſto. Humor enim ille acris conſolidationem impediens facile poteſt ſimul corrodere perioſteum, quo Os privatum cariem contrahit; poteſt etiam ille humor corruptus Oſſi communicari, & ita inficere ejus medullam, ut os corrumpatur. Sed ſi Os ſubjacens corruptum ſit, tale ulcus tarde ad curationem deducitur, quum Os in ſuis cellulis rigidis humore corrupto impletum, non facile poſſit eum evacuare humorem, rigiditas enim illarum partium extruſionem & expulſionem materiæ corruptæ impedit, quæ facilius fieri poteſt in partibus molliori-bus.

Ulcera vetuſta an ſemper os abſcedere faciunt?

III. Magis autem conveniens eſt, ut Ulcera vetuſta relinquant cavas Cicatrices, & raro perfecta erit curatio in hujuſmodi Ulceribus, niſi habeatur excavata Cicatrix. Nam portio oſſis carie conſumta non renaſcitur: inde eo in loco non ſolum relinquitur in Oſſe fovea, cui cicatrix firmiter adhæret, verum etiam partes molles in eo loco per diuturnum ulcus conſumtæ magis excavatam cicatricem relinquunt. Si vero os ſimul non fuerit corroſum, multæ tamen fibræ carneæ conſumtæ a diuturnitate Ulceris, quæ poſtea non renatæ, excavatam partem relinquunt.

Cur ulcera vetuſta relinquant cicatrices cavas?

LIB. VI. APH. XLVI.

311. *Qui Gibbi ex aſthmate, aut tuſſi fiunt ante pubertatem, pereunt.*

I.

GIbboſitatem ex ſpinæ dorſi incurvatione provenire, cuivis notum eſt. Qui cum tali morbo naſcuntur, vel deinceps generatur per cauſam violentem externam, ſatis diu etiam vivunt, & decrepitam ſenectutem attingunt, quod communi obſervatione firmatur: hi autem utplurimum aliquo pulmonis aut reſpirationis vitio laborare ſolent, cum pectoris cavitas male figurata minus amplum pulmonibus ſpatium relinquat. Quibus autem ex Aſthmate vel Tuſſi ante pubertatem fit Gibbus, hi perire ſolent ante pubertatem vel non multo poſtea. Uterque ſenſus ex Textu elici poteſt, qui enim dicit, gibbum fieri ex Aſthmate vel Tuſſi, eumque ante pubertatem perire, intelligit mortem fieri, antequam talis gibboſus pubertatem attingit. Si vero dicatur, qui Gibbi ex aſthmate vel Tuſſi fiunt ante pubertatem pereunt, is intelligit, eum hominem perire non diu poſt adeptam pubertatem. In utriſque ante pubertatem naſcitur Gibbus, ſed in priore caſu ante pubertatem, in poſteriore autem paulo poſt initium pubertatis, quod in ſenſu non magnam differentiam præbet. Meretur igitur inquirere rationem, cur Gibbus ex his cauſis præmaturam magis mortem præſagiat, quam ſi Gibboſitas generetur ex nativitate vel per cauſam externam. Aſthma (*Aph.* 101, XIII) & Tuſſis (*Exerc: de Tuſſi.*) duo ſunt morbi pulmonum, in quorum primo inhibetur ſeu moleſtior redditur alterna dilatatio pulmonum, in altero autem pulmo irritatus vehemens ejiciendi conamen edit. Neque ex hoc neque illo morbo patet, ſpinam dorſi incurvari debere: ſi autem ante pubertatem ex Aſthmate vel Tuſſi incurvetur ſpina dorſi, admodum

dum veriſimile eſt, horum morborum in pulmonibus & ſpina dorſi communem eſſe cauſam, eamque tam validam eſſe, ut valeat ſenſim perturbare naturalem figuram oſſium in ſpina dorſi, ex qua figura mutata non parum læditur medulla in hac ſpina contenta. Quoties vero morbi, qui debilitatem arguunt, uti eſt mala conformatio oſſium, circa pubertatem (*Aph.* 70. *Aph.* 107, III.) quando ſummus vigor eſſe debebat, admodum increſcunt ab interna cauſa, tale incrementum admodum malum præſagium præbet. Dein mala pectoris conformatio, & pulmonis valida affectio in ætatis eo tempore, quando Phthiſi (*Aph.* 202, 1) admodum ſunt obnoxii, rarum eſſet, ſi eo morbo, ex quo poſtea moriuntur, non corriperentur.

LIB. VI. APH. XLVII.

312. *Quibus venæ ſectio, aut purgatio conducit, his vere convenit venam ſecare, aut purgationem facere.*

I.

TRes ſpecies curationis inveniuntur. Prima eſt, quæ adhibetur in corporibus ſanis, in quibus exſpectamus morbum ex inevitabili cauſa, vel in quo corpore morbus eſt certo tempore rediturus, quemadmodum in podagricis: quando tunc per certa auxilia prævenimus morbum vel paroxyſmum inſtantem, illa Curatio dicitur Præſervatoria vel Prophylactica. Altera eſt Curatoria, quæ morbum præſentem tollit. Denique in morbis non curabilibus quædam adhibetur Curatio, quæ mitigat urgentia ſymptomata, morbique progreſſum inhibet, non vero ipſum morbum tollit, hanc vocant Curam Palliativam. Ex his ſola prior in hoc Aphoriſmo traditur: ſupponit enim corpus ſanum, quod certo anni tempore exſpectat morbum, in

Curatio præſervatoria.

in quo vult imperare Alvi ductionem vel Sanguinis miſſionem, ut inſtantes morbi præveniantur. Experientia comprobatum eſt, quoſdam morbos venæ ſectione, alios autem purgantibus melius præveniri, vel quavis alia medicatione. Ex his ſolummodo eligit Auctor ſolos iſtos morbos inſtantes, qui ſolent præveniri Purgatione vel Sanguinis miſſione, & quoniam hæ curationes variis anni temporibus inſtitui poſſunt, indicare voluit anni tempus opportuniſſimum ad eam medicationem faciendam, non ut reliqua tempora excludat, ſi neceſſitas urgeat, ſed ut indicet, nos eo tempore certiori effectu poſſie promittere curationem Prophylacticam. Inde quibus, inquit, Venæ ſectio aut Purgatio conducit, his vere convenit Venam ſecare, aut Purgationem facere. Ergo morbi futuri prius ſunt determinandi, in quorum Prophylaxi medici ſolent cum ſucceſſu adhibere Venæ ſectionem vel Purgationem: dein ſi hoc conſtat, illa auxilia ſunt potius adhibenda vernali, quam alio tempore anni. Igitur videndum, quinam morbi præveniuntur Venæ ſectione aut Purgatione, & cur deinde illa auxilia vere ſunt adhibenda.

Quibus vere conducit venam ſecare?

II. Dum præcedens Hyems aëris frigiditate accumulavit multos in corpore humores, bonos, excrementitios & etiam morboſos, ſubſequens Ver ſtagnantes, collectos, & lenteſcentes, ſuo calore majore movet, diſpergit, & ſolvit, multi ex hac mutatione inducta naſcuntur morbi, (*Aph.* 99) qui præveniri potuiſſent debita & ſatis matura adhibita curatione præſervatoria, qua tollitur vel abundans, vel corrigitur id alienum, prægreſſa hyeme collectum, antequam in verum morbum erumpat. Hac ergo Curatione præſervatoria præveniuntur morbi vernales. Itidem, quia ſubſequitur Æſtas, quæ ſuo majore calore & naturali anni mutatione ſuos proprios producit morbos (*Aph.* 100) debita adhibita curatione circa finem veris, iſti quoque morbi præveniuntur. Omnes autem iſti recenſiti morbi, neque ſola Sanguinis miſſione, neque ſola Purgatione per alvum præveniri nequeunt, ſed pro natura ſua diverſa varium genus auxiliorum exigunt: itaque ex memoratis debemus eligere iſtos,

iſtos, qui venæ ſectione præveniri debent. Sanguinis miſſio nihil aliud facit, quam ſolam minuere copiam maſſæ communis ſanguinis circulatorii, qui enim educitur per venam ſanguis, non eſt pejoris conditionis, quam qui relinquitur. Si ergo ſanguis morboſam materiem admiſtam habet, non valet ſanguinis miſſio elicere ſolam materiem malam, & relinquere ſanguinem bonum, non enim fit ſeparatio boni a malo, dum ſanguis ex vena ſecta fluit. Igitur Venæ ſectio ſolos iſtos morbos prævenire poteſt, qui præcedente Vere vel Æſtate ex ſanguinis abundantia ſunt propullulaturi. Si ſummo Vere ſit facienda ſanguinis miſſio, ut curatio præſervatoria ex morbis Vernalibus, illi ſunt eligendi, qui ſanguinis prægreſſam abundantiam arguunt. Uti Sanguinis fluxiones (*Aph.* 99, V.) Angina (*Aph.* 99, VI) Puſtulæ ulceroſæ, (*Aph.* 99, XII.) Phymata. (*Aph.* 99, XIII.) An autem Articulorum dolores, quos Podagram vocant, uti præcipit etiam Galenus, venæ ſectione vernali tempore ſint præveniendi, vehementer dubito, quum his temporibus quidem experiamur, a venæ ſectione celebrata ſummo Vere paroxyſmum ſolito tempore non rediiſſe, ſed ſequens tunc paroxyſmus in corpore ita magis debilitato multo magis productus fuit, & majoris periculi. Neque invenio veram rationem, qua potuiſſet Venæ ſectio tollere materiem podagricam, quum non ſit morbus ex ſanguinis abundantia, quæ ſolâ venæ ſectione tollitur, ſed morbus ex acrimonia ſpeciali, quæ miſſione ſanguinis non tollitur, ut ſuperius monuimus. Hinc Venæ ſectio detrahens vires, inhibere poteſt maturitatem materiæ podagricæ, ut debito tempore non erumpat, ſed eadem diutius retenta, & nova ſimul accumulata, eo magis & gravius deinceps ſæviet. Progrediente autem Vere tandem exſpectamus ex ſanguinis abundantia morbos æſtivos, uti febres Continuas Ardentes (*Aph.* 100, II.) Ophthalmias ſiccas, (*Aph.* 100, VI) & Sudamina, (*Aph.* 100, X.) Quos omnes conduceret prævenire Venæ ſectione, ne ſanguis abundans in corruptelam converſus, amplius venæ ſectione patiatur emendari. Quibus ergo in corporibus adſunt ſigna plethoræ,

An conducat podagricis.

præceſſit victus lautus, opiparus, & vita otioſa, quique ſolent Vere vel initio Æſtatis hujuſmodi morbis corripi, admodum his conducet ſatis mature celebrare venæ ſectionem, ad præveniendos imminentes hos morbos.

Quibus Vere conducit alvum ducere?

III. Plura obſervanda ſunt in Alvi ductione, quam in memorata miſſione ſanguinis, his enim medicamentis non ſolum minuere poſſumus copiam totius maſſæ, verum etiam eliminantur inteſtinorum contenta, omneſque humores, uti ſuccus ventriculi, inteſtinorum, bilis, & forſan etiam ſanguis ex vena portarum, per quos humores evacuatos varii poſſunt præveniri morbi; atque fit ſimul derivatio a cute verſus inteſtina. Eligemus igitur ex morbis Vernalibus & Æſtivis quoſdam, in quibus videbimus, quantum conferant purgantia ad dictos morbos evitandos. Mania & Melancholia Vere redeuns (*Aph.* 99, III) evacuatione facta per alvum materiæ in vena portarum prius collectæ, ſæpe prævenitur. Epilepſia autem (*Aph.* 99, IV) raro his præveniri poteſt, quum utplurimum vitio nervorum inducatur, quorum morbi alvi ductione intendi ſolent. Sanguinis fluxiones (*Aph.* 99, V) ratione generalis diminutionis uti per ſanguinis miſſionem præveniuntur. Angina (*Aph.* 99, VI.) tam ex diminutione generali, quam ex derivatione ad inteſtina a purgante dato utplurimum prævenitur. Gravedines (*Aph.* 99, VII) potius largiore perſpiratione & dato ſudorifero præveniuntur, quam per purgans, ſi oriantur ex prohibita perſpiratione, ut fere ſemper fit. Raucedines & Tuſſes (*Aph.* 99, VIII) a dato purgante magis aggravantur, quum morbi pectoris alvi fluxu intendi ſoleant, & ſiſtatur ſputi excretio, quæ utiliſſima eſt in his, ſed diuretica magis convenirent. Lepram (*Aph.* 99, IX) Impetiginem (*Aph.* 99, X.) Vitiliginem. (*Aph.* 99, XI) Puſtulas ulceroſas (*Aph.* 99, XII.) & Phymata (*Aph.* 99, XIII.) purgantibus præprimis mercurialibus junctis præveniri, citatis locis indicavi. Iiſdem quoque purgantibus conati ſunt Arthritidem & Podagram Vere redeuntem prævenire multi. Hos autem morbos ita inter ſe convenientes inveniri, ut a quibuſdam confundantur, probant practicorum libri, iſtos autem

An conducant Arthriticis & podagricis.

autem in natura materiæ differre, demonſtravi ſupra (*Aph.* 294.) Experientia didici, Arthriticos dolores aliquomodo præveniri poſſe datis purgantibus vernali tempore, multo autem melius per Diaphoretica, quæ humores iſtos acres per cutim eliminant. Sæpe etiam idem tentatum fuit in Podagricis, & experti ſunt præſens levamen, ſed nos ſicut magnus ille Sydenham experti ſumus, materiem Podagricam per inteſtina eliminari non poſſe, paroxyſmum quidem eo tempore non fuiſſe obortum, ſed deinceps eo graviore paroxyſmo plectabatur non ſine diſcrimine vitæ, atque magis erat æger ille cachecticus & œdematoſus: igitur nemini Auctor eſſe volo, ut ſuadeat in Podagricis alvum eſſe ducendam ad præveniendam Podagram. Morbi autem multi æſtivi, qui proveniunt ex cacochylia, vel bile corrupta, vel ex materia melancholica retenta, calore movenda (*Aph.* 100.) uti tertianæ plurimæ, quartanæ æſtivæ, vomitus, alvi fluxus, utplurimum præveniuntur repetita alvi ductione, qua materia illa corrumpenda aut corruptela ſuſcepta e corpore eliminantur.

LIB. VI. APH. XLVIII.

313. *Lienoſis dyſenteria ſuperveniens, bonum.*

I.

HIc Aphoriſmus contrarius videtur priori (*Aph.* 308) ubi tradit, ſi ſuperveniat dein Hydrops aut Lienteria, ægrum perire: ſed illa tamen habetur differentia, quod in hoc loco agat de Dyſenteria ſuperveniente, quæ levamen adfert, & in priore de Dyſenteria continuata. Si enim quædam fiat evacuatio cum tumoris vel morbi diminutione, ſignum eſt, morbi materiem hac via evacuari: ſed ſi eadem evacuatio perſeveret ſine præcedentis mali le-

vamine, ſignum eſt, in priore loco eſſe ſcaturiginem perpetuam, quæ tandem omnes corporis bonos humores & vires exhauriet. Ita etiam Dyſenteria, id eſt alvi copioſior egeſtio cum dolore, notat fieri evacuationem humoris acris: qui ſi ex Liene veniat & non relinquat Lienem corruptum, evacuato omni illo humore ſponte ceſſabit ille alvi fluor & dolor, & poteſt ita reſtitui perfecta ſanitas. Secus vero ſi ille fluxus continuetur, ut ſupra expoſuimus, ſolummodo illa difficultas reſtare videtur, per quam viam humor ex Lienoſis per alvum poſſit exonerari, quum nulla inveniatur via ex Liene ad inteſtina, ſed naturalis ſit via verſus hepar. Concedendum utique eſt, in ſanis ſanguinem ſemper talem ſervare curſum, & nullam eſſe viam naturalem ex Liene ad Inteſtina tendentem; ſed in morbis non ſemper humores ſolitum ſervant curſum, non raro per idem vas motu retrogrado urgentur: ita ex ventriculo ad inteſtina, ex iis verſus anum naturalis eſt contentorum directio, ſed in vomitu & volvulo contrarium experimur. Ita etiam vena portarum valvulis carens accipit ſanguinem ex venis meſeraïcis & ducit eum per hepar: ſed ſi hæ venæ Melancholica materia turgent, non raro motu retrogrado receptum ſanguinem urgent ad venas hæmorrhoïdales & meſeraicas in inteſtinis, ubi contentum ſanguinem evomunt. Hac via igitur motu inverſo non eſt abſurdum humorem acrem in Liene confectum, ad venam portarum prius delatum exonerari poſſe, & quia acris eſt, dejectionem doloroſam infert. An vero ex hac naturæ directione monemur, nos debere in Lienoſis dare purgantia, non ſine ratione ſtatuitur, quia natura nobis demonſtrat viam. Id autem diſcriminis eſt, quod natura tunc moliatur, ſi ſibi apertam paravit viam, ſed dum datur purgans, hanc ſimul non poſſumus expeditam nobis viam comparare. Verum hoc egregium inde habemus, nos non debere diu continuare in uſu purgantium, cum dyſenteria talis continuata hydropem inferat & mortem.

LIB. VI. APH. XLIX.

314. *QUi podagrici morbi fiunt, hi ſedata inflammatione in quadraginta diebus decedunt.*

I.

Quo tempore finiuntur morbi podagrici?

UT ſemina plantarum ſingularia ſuum proprium ſervant tempus germinandi, creſcendi & florendi, qui terminus temporis non omnibus ſeminibus eſt communis, ita etiam ſemina morborum ſua ſpecialia tempora creſcendi & agendi ſervant; ut non valeamus ex periodo morborum inflammatoriorum cujuſvis morbi tempora limitare. Habet quidem Podagra multa communia inflammationi, ſed in ſua natura a morbo inflammatorio maxime diſtat: nunquam enim obſervare potui, Podagram etiam ſæviſſimam abiiſſe in purulentiam, quæ commutatio inflammatoriis eſt frequentiſſima: neque vidi, particularem inflammationem abiiſſe in calculoſam articulorum excreſcentiam, quæ concretio tamen nodoſæ Podagræ dedit nomen. Quare morbus Podagricus eſt morbus ſpecialis ab omnibus morbis diſtinctus, & non neceſſe eſt, ut dies ſuos criticos faciat eodem tempore cum morbis acutis, quorum ultimus terminus ſtatuitur quadraginta dies. Ex hac forſan doctrina Auctor, & qui eum ſecuti ſunt, deduxerunt hunc temporis terminum. Debemus autem ex ipſa obſervatione Podagricorum hoc tempus terminandi deſumere. Si propriam praxin conſulo & Sydenhamum, qui non ex hypotheſi accepta, ſed ex obſervatis in ægris nobis reliquit monumenta, invenio in leviſſima podagra, quæ prima vice occupat articulum pollicis pedis, in corpore ceteroquin ſano & robuſto, dolorem abiiſſe intra triduum, quibuſdam intra ſeptimanam, relicta quadam moleſtia in motu, quæ ſenſim quoque evaneſcit. Quos vero ſæpe aggreſſa fuit

Podagra, hi jam in hoc, jam in illo articulo vexantur dolore, ut totus ille paroxysmus, ex multis minoribus quasi congregatus, ultra mensem unum vel alterum extendatur. Denique in vetustissima Podagra, quæ corpora admodum debilitavit, minuitur quidem sævities doloris, sed longitudine compensatur, ut isti per integrum interdum annum vel leviori vel graviori tormento doloris, vel anxietatis vexentur, nisi quod quidusdam mensibus æstivis, utcunque valetudinarii & misere vivant, destructis fere omnibus articulis. Igitur terminus temporis ab Auctore propositus non admodum respondet hodiernis observatis, sed desumendus est ex propria morbi historia, quæ præcedentia a nobis allata dictitat.

LIB. VI. APH. 1.

315. *QUibus perscissum fuerit cerebrum, his necesse est febrem, & bilis vomitum supervenire.*

I.

Ex Cerebri vulnere febris & bilis vomitus.

SUperius notavimus cum Auctore, Cerebri seu Encephali vulnera lethalia esse (*Aph.* 283, III) & hujus rationem dedimus: hoc nunc loco duo symptomata notat, quæ fere semper nascuntur ex Cerebro læso, nempe Febrem & Bilis vomitum. Hæc autem symptomata seorsim perpensa non sunt talia criteria, ut quoties habeantur, indicent mortem esse exspectandam: observaverunt enim Chirurgi & etiam Ruyschius, homines fuisse servatos post capitis concussiones, quibus supervenerunt hæc symptomata; neque omnis Vomitus Bilis cum febre indicant semper, læsum esse Cerebrum. Meretur ergo inquirere causas hæc symptomata inducentes, ut inde aliquid certi deducere possimus; & præterea inquirere, num omnis Cerebri læsio hæc semper symptomata inferat. Nunquam a causa externa

terna ſecante lædi poteſt Cerebrum, quin ſimul perſcindantur Meninges, quarum læſio ſimili modo, ut læſiones aliarum membranarum in principio paulo majorem motum faciunt ex laceratione hac, dein ſenſim ille motus fit violentior, ut pars illa læſa circumquaque inflammetur: perſeverante illa cauſa ſenſim totum organum motus vitalis in conſenſum trahitur, ut ſe validius movere incipiat: quare ex omni læſione membranarum ſequitur motus circulatorius major, qui a cauſa tali concitatus vocatur Febris. Hoc quam maxime fit in læſis & irritatis meningibus, quia eſt membrana, cui omnes nervorum capſulæ ſunt continuatæ: & quoniam meningum agitatione non ſolum totum organum vitale in conſenſum trahitur, veluti reliquæ etiam membranæ inflammatæ, verum adjacens Cerebrum & Cerebellum ab inflammatione meningum magis, quam inflammatione aliarum membranarum, agitatur, ut inde major ſit ratio motus circulatorii auĉti, quam ex Inflammatione aliarum membranarum. Inde conſuetum eſt in vulneribus encephali, ut poſt unum alterumve diem accendatur febris. Interdum vero validiore meningum agitatione generatur Convulſio vel Delirium, dum nempe ita Cerebrum commoveatur, ut omnis æquabilis circulatio Cerebri turbetur: vel ſi ſimul a meningibus nimis conſtrictis vel compreſſis ſiſtatur ſpirituum effluxus, non raro generatur ſopor, apoplexia, vel paralyſis. Inde Febris unum eſt ex ſymptomatibus læſi Cerebri, ſed & poſſunt multa quoque alia accedere ſymptomata, quæ hoc loco noluit recitare Auĉtor. Bilis autem vomitus non ita neceſſario ſequi videtur, quoniam fit a motu inverſo ventriculi, organi alicujus remoti a Cerebro. Sed inter motum vermicularem ventriculi & Cerebrum tantus obſervatur conſenſus, ut ex læſione Cerebri tanquam pathognomicum ſignum habeatur bilis Vomitus. Ad Bilis vomitum duo requiruntur: primo ut veſica fellea ſe exoneret in duodenum, non ex preſſione ventriculi pleni, ſed per motum in propriis ſuis fibris; & alterum eſt, ut ventriculus & inteſtinum duodenum ſimul laborent motu inverſo; nam ita extruditur Bilis

ex

ex Veſica fellea in duodenum, ducitur in cavum ventriculi, & dein vomitu redditur. Igitur nihil aliud eſt hoc loco demonſtrandum, quam quod ex læſo Cerebro fieri poſſit motus inverſus harum partium. Hoc autem facillime ex nervorum curſu demonſtrari potuiſſet, ſed quoniam nulla eſt corporis pars, quin nervos habeat ex encephalo, non poſſumus hanc theoriam huic parti magis, quam cuivis aliæ applicare. Sed quoniam invenimus, nullam partem tam facile conſentire, quam ventriculus & veſica fellea læſo Cerebro, hanc obſervationem inter ſpecialia criteria Cerebri læſi locare poſſumus. Interim tamen ille Bilis vomitus non tam abſolute eſt capiendus, ac ſi non potuiſſet fieri ab ulla alia cauſa, quum omnes cauſæ reliquæ, quæ motum inverſum his partibus inducere poſſunt, quæ multæ ſunt, etiam Bilis vomitum inferre ſoleant. Summum dubium aliis videtur naſci, cur Bilis & non pituitæ vel aliorum humorum generetur Vomitus. Hoc autem mihi non multum momenti videtur; Bilis enim ſuo colore flavo ſe manifeſtat magis, quam reliqui humores pellucidi, qui ſimul ejiciuntur; Bilis ſatis magna copia collecta invenitur in veſica fellea, qualis locus nullus humoribus invenitur; nullus etiam humor tanta copia ſecernitur, quam Bilis, qui in ventriculum potuiſſet fundi & per vomitum reddi, totum enim Hepar magnum Bilis ſecretioni eſt deſtinatum. Hinc in principio vomendi redduntur ventriculi contenta, ſuccus ſtomachicus & pancreaticus, pergente tandem vomitu, qui humores parva quantitate reſpectu Bilis interim ſecernuntur, & qui ſecreti ſunt, Bilis flavedine tinguntur, quidquid redditur poſtea, mera Bilis videtur. Poſſumus ergo ex his omnibus colligere, Febrem & Bilis vomitum numeranda eſſe inter Cerebri læſi ſigna, ſed quæ etiam poſſunt ab aliis cauſis generari, atque multo plura quoque fieri poſſe ſymptomata a læſo Cerebro provenientia, ut non ſit uni alterive ſigno confidendum, ſed plura conjungenda ſunt, priuſquam certi ſumus, Cerebrum eſſe læſum.

LIB. VI. APH. LI.

316. *Quibus ſanis dolores derepente fiunt in capite, & ſtatim muti fiunt ac ſtertunt, in ſeptem diebus pereunt, niſi febris apprehenderit.*

I.

Ex qua cauſa vocis defectus & ſtertor poſt Capitis dolores derepente natos in ſanis?

CApitis dolorem ex variis cauſis oriri poſſe, ſupra (*Aph.* 275.) obſervavimus, præterea ex ebrietate prægreſſa aliquis relinquitur capitis dolor: ut ergo certam ſpeciem doloris definiat, duo criteria adjicit, antequam ex ſubſequentibus ſymptomatibus concluſionem formet. Primum eſt, ut corripiat hominem ſanum, ſcilicet talem, in quo non detegitur ante doloris invaſionem aliquis morbus, atque talem, qui non laborat crapula. Alterum eſt, ut fiat derepente, ſine ulla prophaſi vel cognita aliqua cauſa. Ergo talis debet eſſe cauſa interna Dolorem capitis inferens, quæ non ſolum recenſito modo adoriri poteſt, ſed quæ inſuper Aphoniam & Stertorem producere poteſt. Talem non poſſumus invenire cauſam, niſi prius conſtet, quomodo & ex qua cauſa formatur Aphonia & Stertor. Qui loqui non poſſunt, id habent ex muſculis vocem formantibus convulſis vel paralyſi correptis, quum rima glottidis ita debeat anguſtari per ſuos muſculos, ut tranſeuns aër ſonum formet, quæ requiſita anguſtia in convulſis & paralyticis muſculis impeditur. Itidem Stertor oritur a tranſeunte aëre inter reſpirandum, dum palatum mobile ad poſteriora foramina narium a tranſeunte aëre concuſſum, aliquem ſonum obſcurum faciat: obſervatur ille Stertor in apoplecticis, ſoporoſis, & dormientibus, nimis laxatis & paralyticis muſculis hoc Palatum moventibus; vel in iiſdem convulſis, uti in epilepticis & hyſtericis. Igitur cauſa harum apparitionum eſt Paralyſis vel Convulſio muſcu-

lorum in faucibus, qui muſculi nervos habent ex medulla oblongata cerebri. Quia vero cauſa Doloris & Convulſionis ſæpe eſt eadem, ſed raro ab eadem cauſa fit Paralyſis & Dolor; itaque veriſimile eſt, Aphoniam & Stertorem naſci ex Convulſione eorum muſculorum. Atque talia quoque ſubito fiunt, ſi aliquid acre applicetur principiis illorum nervorum, qui ad muſculos faucium tendunt. Ex quibus omnibus comparatis colligi poteſt, humorem acrem aliquem deponi ad medullam oblongatam cerebri inferentem Dolorem capitis, quæ cauſa aucta tandem infert Convulſionem muſculorum faucium, ut inde fiat Aphonia, & Stertor.

Cur hi moriuntur intra ſeptem dies, niſi febris apprehenderit?

II. Ex textu concludi poteſt, iſtum Capitis Dolorem cum ſubſequente Aphonia & Stertore non oriri ex cauſa febrili, quum dicat, ſi febris apprehenderit, id eſt poſtea veniat. Ergo id acre Dolorem capitis inferens & reliqua ſymptomata ex Convulſione nata, eſt materia Catarrhoſa cruda. Illa autem materia ſi Convulſionem inferat, ut monuimus (*Aph.* 167.) ſubigi poteſt a motu febrili ſubigente & expellente, quum Spaſmus aut Tetanus ex hac cauſa natus a febre ſuperveniente tollatur. (*Aph.* 51, v.) Sed ſi maneat, non concitata febre, ſenſim majori copia collectus, totam medullam oblongatam premens, mortem infert. Eandem quoque obſervationem habet in Convulſis ex ebrietate, qui ſimul muti fiunt. (*Aph.* 198.) Ut aliquem temporis terminum adderet, dicit intra ſeptem dies, quia ſi diu manent illa ſymptomata, major eſt facta accumulatio humoris prementis, quam ut viribus vitæ poſſint diſcuti humores; & ſignum vires vitæ ab accumulato humore ſupprimi, alias enim multo prius vis vitæ irritata concitaſſet febrem. An vero tali ex obſervatione poſſimus elicere certam regulam curationis, meretur attentionem. Febris ſi non veniat, moritur homo, ſi veniat, ſæpe ſervatur, interim tam certa non eſt prognoſis ex ſuperveniente febre, ut poſſimus curationem certam promittere; obſervavit quidem Auctor a febre ſuperveniente hominem fuiſſe ſervatum, ſed non dicit ſemper ſervari: ſenſus enim eſt, niſi febris ſuperveniat, peribit, ſed hoc non indicat, ſemper a febre

bre ſuperveniente ſervari. Interim hoc ad curationem elicere poſſumus, nos debere per medicamenta calefacientia concitare febrem artificialem, quia natura demonſtrat, ſe tali modo interdum ſervare.

LIB. VI. APH. LII.

317. *Conſiderare vero etiam oportet oculorum ſubtus apparentia in ſomnis. Si enim albi quid, palpebris commiſſis, ſubtus appareat, cui id non ex alvi profluvio eſt, aut ex potione purgante, pravum ſignum, & valde lethale.*

I.

Oculi in ſomno obſervandi.

NUlla eſt corporis pars, nulluſque evacuandus humor in corpore, quin præbere poſſit indicia cauſæ latentis, quare medici præpoſtere agunt, qui ſola ſigna petunt ex urina vel pulſu, aut alio ſpeciali ſignorum genere, cum omnia ſint perpendenda, quia morbi diverſi non ſemper in uno genere ſignorum ſua indicia præbent, ſed jam in hoc, jam vero in illo ſignorum genere; ita ſunt morbi periculoſiſſimi, qui interdum neque in urina, neque pulſu ullum indicium præbent, ut propterea coacti ſimus alia in corpore phænomena conſulere. Neque contenti eſſe debemus ſigno unico, quod a multis cauſis pendere poteſt, ſed ſemper debemus omnia conſulere phænomena, eaque inter ſe comparare, ut eo certiores ſimus in aſſignanda cauſa, ejuſque periculo. Sæpe tamen Auctor hoc vel iſtud ſignum ponit, & inde format præſagium, quum obſervaverit poſt tale ſignum ſemper aliquid mali vel boni fuiſſe ſecutum: qui autem cum vera fide ſignis uti vult, non unicum ſed omnia ſimul perpendere debet. Inter illa nunc ſigna numerat inſpectionem oculorum & quidem in ſomno, quoniam in dormientibus omnes actiones anima-

les ceſſant, & palpebræ tunc non moventur ad arbitrium, ſed naturaliter in dormientibus debent eſſe clauſæ; ſi ergo palpebræ non bene commiſſæ ſunt, hoc certe dependet ab aliqua morboſa cauſa. Excipiuntur ergo omnes, qui ſani palpebris non bene commiſſis obdormiunt, quod etiam monet, ſi quis in ventrem decumbat, non conſuetus, alicujus cauſæ ſignum eſt; ita qui non conſuetus oculis conniventibus dormiat, ſi tamen iſtud morbo preſſus faciat, aliquam cauſam internam latentem indicat.

Ex qua cauſa oculi conniventes in ſomno?

II. Ob duas præcipue rationes Deus voluit, ut in dormientibus oculi bulbus a palpebris eſſet tectus: ut nempe ita interciperetur agitatio radiorum lucis ſupra retinam, qua turbaretur ſomnus æqualis, & præcipue ut impediretur corneæ exſiccatio, quæ exſiccata amitteret pellucidatem, ſed vero a palpebris clauſis retinetur humida & munitur contra injurias externas. An vero claudantur palpebræ dormientium defectu actionis muſculorum, ut reliqua membra in dormientibus laxantur, an vero ſpeciali contractione muſculi claudentis palpebras, ex aliis morbis eſt deſumendum. Experimur in moribundis, leipothymia, & convulſis, palpebras raro clauſas eſſe, ſed fere ſemper quandam portionem albi oculorum inter palpebras conniventes videri poſſe. Ergo perfecte ceſſante actione muſculorum non clauduntur palpebræ, ſed ſæpe manent apertæ. Qui ergo morbo oppreſſus dormit & habet conniventes palpebras, huic manent palpebræ conniventes vel propter ſummam debilitatem vel propter convulſionem.

Cur oculi conniventes ſine alvi fluxu vel ductione prægreſſa, lethale?

III. Obſervavit Auctor in ægris, quando propter debilitatem videbantur dormire, ſi palpebræ non bene commiſſæ ſervantur, ut in ſomno naturali fieri ſolet, iſtum ſomnum non eſſe ſomnum naturalem, ſed abolitionem ſenſuum defectu ſpirituum, & inde ægros plerumque mori: adeo ut palpepræ ita conniventes arguant tantam debilitatem, quæ a morte non multum diſtat. Hæc autem debilitas inducta ſi fuit per copioſiorem evacuationem, non eſt tanti periculi, quam ſi fiat a degeneratione humorum, ſubito enim facta evacuatio, valet ita minuere ſanguinis fluxum ad cerebrum,

brum, ut homo ſenſibus privetur, ſed ſenſim contractis magis vaſis iterum ducitur ſanguis ad cerebrum, & homines ſervantur, quod fieri non poteſt, ſi ex degeneratis ſpiritibus illa debilitas inducta fuerit. Inde oculi ita in dormientibus conniventes poſt quamcunque largiorem evacuationem, non magnum periculum portendunt, ut inde mortis præſagium faciant. Quod autem Auctor dixerit poſt Alvi fluxum & Alvi ductionem, non vero poſt quamcunque evacuationem, inde eſt, quia, quod obſervavit, poſteritati reliquit, & quia forſan non ita detexit oculos conniventes in ægris poſt alias evacuationes, noluit hanc ſententiam generalem pronunciare. Ego autem in praxi detexi hoc etiam poſt hæmorrhagias largiores, & inde magis generalem regulam de oculis conniventibus formare poſſumus.

LIB. VI. APH. LIII.

318. *DEliria cum riſu accidentia, ſecuriora: cum ſtudio vero periculoſiora.*

I.

DElirii definitionem & generales cauſas exhibuimus, (*Aph.* 27.) ex quibus colligi poteſt, Deliria magis minuſque periculoſa eſſe, ſecundum cauſas Deliria inferentes: atque variæ quoque fiunt Delirii ſpecies cum riſu, ſtudio, audacia, timore, aliiſque animi pathematibus. Obſervavit Auctor & hodierna experientia confirmatur, majoris periculi eſſe Delirium cum ſtudio vel audacia, quam cum riſu; iſtud autem periculum eſt deſumendum vel ex cauſa hanc ſpeciem Delirii faciente, vel ex ipſo ita dicto animi pathemate. Invenimus humores corruptos varios non ſemper eandem Delirii ſpeciem inferre, quod etiam invenimus in philtris datis. Si ergo obſervatum fuit per praxin, eum humorem alienum, qui infert Dilirium cum riſu,

facilius ſubigi & expelli poſſe viribus vitæ, quam genera reliqua, ex hac obſervatione conſtante inferri poteſt deinceps talia Deliria ſecuriora eſſe, etiamſi nos lateat reliqua natura iſtius cauſæ. Vel majus minuſque periculum deſumi poteſt ex adjuncto animi pathemate, quum ridentes ex cauſa quadam riſum movente, non vero ex convulſione, uti in Riſu Sardonio, nihil mali meditantur, & dictis facile obtemperant, ut quævis auxilia adhiberi poſſint, & tali in lætitia minus conſumuntur ſpiritus: ſi vero cum ſtudio fiat, quaſi ſemper profunde meditantur, hi homines non tam ſecuri ſunt, minas enim ſecum meditantur; atque illa mentis agitatio in ſanis etiam ſpiritus magis conſumit, neque ita patiuntur duci in recta curatione, ſed proprium quaſi ingenium ſequuntur. Periculoſiſſima autem ſunt Deliria cum furore, quia nemini obtemperant, ſibi aliiſque damnum inferunt, neque noctu neque de die ſibi quietem vel ſomnum concedunt.

LIB. VI. APH. LIV.

319. *IN acutis affectionibus, quæ cum febre ſunt, luctuoſæ reſpirationes, malæ.*

I.

QUænam dicantur Acutæ affectiones, expoſuimus (*Aph.* 24, III) in quibus quædam ſunt ſine febre, aliæ autem cum febre, uti in hoc loco indicantur. Omnibus hisv italis motus eſt validior propellens ſanguinem; quare majore potentia urgetur ſanguis ex ventriculo etiam dextro cordis per arteriam pulmonalem in Pulmones. Si ſanguis non multum ex ſua natura degeneraverit, compactuſque fuerit, & vires ſatis valeant ad faciendam reſpirationem, tunc tanto frequentior & profundior fit Reſpiratio, quanto majori vi urgetur ſanguis ex corde per arteriam pulmonalem, quod

quod etiam experimur in ſanis corpus ſuum moventibus, motu majore muſculari. Ergo in Acutis affectionibus ex ratione eſt, ut intendatur Reſpiratio: ſed proptera non debet eſſe Luctuoſa κλαυθμώδεις, id eſt reſpiratio gementium, plorantium, quæ quaſi in media actione ſubſiſtit & renovatur. Hujuſmodi Reſpirationes fiunt ab animi pathemate in ſanis, quæ aliquam ſpaſmodicam conſtrictionem arguunt. Hippocrates igitur in antecedentibus (*Aph.* 178, 1) dixit, Spiritum offendentem indicare Convulſionem: & quoniam Convulſio febri ſuperveniens (*Aph.* 51, VI.) periculum portendit, hoc in Aphoriſmo per conſtantem obſervationem pronunciare potuit, malum eſſe.

LIB. V. APH. LV.

320. *Podagrici morbi vere & autumno moventur utplurimum.*

I.

MAteriem Podagricam diu in corpore poſſe latitare, ut ſemina mala, quæ matura facta propullulant, obſervavimus (*Aph.* 294.) Mirabilis eſt hujus materiæ proprietas, quod ita in nobis latitare poſſit, ut in nulla functione, vel ſecretione aliquis detegere poſſet aliquod vitium, hoc autem morboſum tandem ſævire incipit, & iterum poſt toleratos dolores evaneſcit, ſæpe ſine ulla viſibili evacuatione. Mirantur multi, febres tempore apyrexiæ corpus quoad ſigna externa relinquere perfecte ſanum, ſed hoc etiam obſervatur in Podagricis & Epilepticis, niſi adſit paroxyſmus, iſtud corpus obſervatur perfecte ſanum. Hoc autem proprium eſt materiæ Podagricæ, quod prima vice adoriri ſoleat Februario menſe (*Aph.* 314, 1) ex communi obſervatione; ſi autem adolevit, Vere & Autumno redire ſolet. An vero ille reditus ſeu exacerbatio dependeat ex propria natura materiæ, an vero ex anni mu-

mutatione, mihi videtur nimis ſubtilis quæſtio, & parum fructuoſa. Detegimus autem, vitam intemperatam provocare paroxyſmum, quare maxime cavere debent, ne temporibus his præprimis indulgeant compotationibus, vel committant errores in diæta, & ut his temporibus, antequam paroxyſmus ingruit, iſtis utantur medicamentis, quæ uſus docuit excellere in prævenienda Podagra.

LIB. VI. APH. LVI.

321. *Morbis melancholicis ad hæc periculoſi ſunt humorum decubitus, aut corporis ſideration em, aut convulſionem, aut inſaniam, aut cæcitatem ſignificant.*

I.

Morbis melancholicis periculoſi decubitus humorum.

SI ex ſignis conſtet, in corpore eſſe materiem melancholicam, (*Aph.* 132, 11) illa, ſi quacunque in parte decumbat ſeu colligatur, ſemper periculum infert: imo ſi ſurſum vel deorſum erumpat, morbis quibuſvis incipientibus, lethale pronunciatur. (*Aph.* 132.) Materia enim illa, neque ſponte, neque viribus vitæ ita immutari poteſt, ut ſanis aſſimiletur, ſemper ſervat ſuam propriam naturam, ſenſimque, ſi retineatur, redditur acrior. Quamdiu autem retinetur in vena portarum, non multum mali facit, niſi reddatur acerrima, vel nimia copia accumuletur; poteſt tunc per hæmorrhoïdes evacuari, vel depoſita per venas meſeraicas in inteſtina, modo non poſſideat nimis magnam acrimoniam, eliminata fuit. Sed ſi venæ cavæ fuerit tradita, & ita tandem in aliqua corporis parte decumbat, periculoſos infert morbos. Ubicunque enim hæret, non poteſt emendari, ſua tenacitate adhærente non facile illam partem relinquit, & acrimonia ſua, atque qualitate aliena, functio-

functiones illarum partium miris modis perturbat, unde recenſiti in textu morbi & multi alii fiunt.

Ex Melancholia Apoplexia corporis.

II. Nomine Apoplexiæ intelligi abolitionem ſenſus & motus animalis, remanente actione vitali, ſuperius (*Aph.* 67, 1) notavimus; hoc autem loco dicitur Apoplexia ſeu Sideratio corporis, igitur videtur hæc ſpecies differre a generali Apoplexia. Invenitur etiam apud Noſtrum Auctorem Apoplexia alicujus partis. Neceſſe ergo erit ex phænomenis colligere, qualis corporis affectio per Apoplexiam intelligatur. Generalis Apoplexia tunc vocatur, ſi homo privetur omni ſenſu interno, externo, & motu animali: inde Apoplexia corporis erit, ſi ſolus ſenſus externus & motus animalis exſtinguatur per totum corpus, remanente motu vitali, ſenſibus internis, ſive mens conſtans maneat, ſive ſimul deliret homo. Apoplexia ergo alicujus partis tunc vocatur, ſi ſenſus & motus animalis iſtius partis abolentur ſubito, ac ſi haberetur in quadam parte paralyſis cum inſenſibilitate. Conſtat per experimenta, ex Cerebro oriri nervos ad ſenſum externum & motum animalem deſtinatos, hos ſolos nervos affici poſſe ſine mentis perturbatione; nervos autem motus vitalis oriri ex Cerebello; ſi ergo materia Melancholica tenax ſine acrimonia opprimat in encephalo iſtos nervos, qui ad ſenſum externum & motum animalem ſunt deſtinati, habetur in toto corpore Inſenſibilitas & Paralyſis, qualis morbus vocatur in hoc loco Apoplexia corporis. Talis autem morbus ex materiæ Melancholicæ decubitu natus non caret periculo, quia naſcitur ex materia a vi vitæ non ſuperabili, quæ occupat principia nervorum, quæque propter tenacitatem non facile diſcuti poteſt, quæque ſæpe majore copia collecta etiam motum vitalem exſtinguere poteſt, ut ita pereat æger.

Ex Melancholia Convulſio.

III. Si autem eadem nervorum principia in encephalo tangantur a materia Melancholica acriore, quod ſæpe fit, corpus diris convulſionibus epilepticis agitatur. *Atrabiliarii etiam comitiali morbo corripi plerumque ſolent.* (H. a. 823.) Qualis etiam morbus ob allegatas rationes periculoſiſſimus eſt: nam non facile ſuperatur, & ſi augeatur copia vel a-

crimonia materiæ melancholicæ, etiam motus vitalis turbatur, aut exſtinguitur.

Mania. IV. Ex Cerebro oriri nervos ad motum animalem & ſenſus externos, conſtanti obſervatione ex experimentis deducta ita eſt confirmatum, ut nullus hodie dubitare poſſit: ſimili etiam modo ex Cerebri compreſſione & agitatione conſtat mentis actiones exſtingui vel perverti. Si ergo illa materia Melancholica acris ad eam cerebri partem feratur, quæ naturaliter agitatur a ſenſibus internis, talis homo delirat, ſeu inſania corripitur, quæ mentis abalienatio tam diu durat, ac illa materia hanc partem agitat: quia vero materia ea admodum ſimul eſt tenax, non facile depellenda, mania melancholicorum pertinaciſſima eſſe ſolet, & ſæpe recurrens.

Cæcitas. V. Inter ſenſus externos etiam numeratur viſus, qui autem per ſpecialem nervum ex cerebro natum exercetur: quoties ergo Nervus Opticus a materia Melancholica ita opprimitur, uti ſupra expoſuimus in nervis Tactus, talis tunc æger Viſu privatur. Veteres exiſtimarunt, nigredinem materiæ ſuffocare tranſitum radiorum luminis ad mentem, ſed quoniam hodie ſatis demonſtratum fuit, omnem cauſam ita comprimentem vel implentem nervos opticos, ut liber ſpirituum fluxus ex cerebro per nervum opticum ad oculum intercipiatur, viſum exſtinguere, non erit opus ex nigredine materiæ melancholicæ Viſus privationem deducere.

Curatio. VI. Egregium quidem eſt omnes hos morbos in melancholicis præſagire poſſe, & ex conſpectis his cognoſcere cauſam mirabilium effectuum: præſtantius autem foret hos morbos tollere poſſe. Quare in his omnibus, quamvis facie admodum diverſa conſpicuuntur hi morbi, talem facere oportet curationem, qualis a nobis in Medicina Dogmatica, Titulo Delirii, tradita eſt.

LIB. VI. APH. LVII.

322. *Apoplectici autem fiunt maxime, ætate ab anno quadrageſimo uſque ad ſexageſimum.*

I.

Apoplexia ex Melancholia quo ætatis tempore præcipue generatur?

IN præcedente Aphoriſmo quoſdam morbos citavit nomine diſtinctos, a Melancholia tamen unica natos, ex quibus per praxin detexit, illam Apoplexiam raro fieri niſi inter quadrageſimum & ſexageſimum ætatis annum; ſed propterea non excludit reliquos morbos ex Melancholia natos; ſolummodo enim indicare voluit, ſe expertum eſſe eo ætatis tempore talem Apoplexiam generari. Duo in hoc loco notanda ſunt; primum, hic agi de Apoplexia corporis ex Melancholia; alterum, hanc Apoplexiam frequentius eo ætatis tempore generari, quam reliqui morbi ex Melancholia nati. Omnes cauſæ, quæ ita poſſunt comprimere cerebrum, ut liber ſpirituum fluxus inhibeatur per nervos ad ſenſum & motum deſtinatos, omnèſque cauſæ, quæ ita invertunt ſpirituum indolem, ut inepti fiant ad iſtas functiones peragendas, illæ omnes Apoplexiam inducere valent; quia vero multæ ſunt cauſæ, quæ talem mutationem inducunt, & unaquæque ſuam propriam naturam ſervat, inde neceſſe erat ſimul indicare materiem, quæ apoplexiam inducebat, hoc fecit per particulam δὲ, ne cogeretur priorem ſententiam repetere, & dein ſolam Apoplexiam excipere. Quævis ætas ſuos quaſi proprios habet morbos, uti Rhachitis in Infantibus, Pueris Variolæ, Juvenibus Phthiſis, Senibus Catarrhus, ita materia Melancholica præcipue generatur inter quadrageſimum & ſexageſimum ætatis annum: & ſi aliis ætatibus generetur, non ita ſolet Apoplexiam inferre. Quare dictum Hippocratis pura eſt ſingularis obſervatio practica, quod etiam dici poteſt de præcedentibus morbis cuicumque ætati propriis.

LIB. VI. APH. LVIII.

323. *SI omentum exciderit, neceſſe eſt putrefieri.*

I.

In ventris vulneribus omentum prolapſum cur citius putreſcit?

CONſtat ex Anatomicis, Omentum anterius obtegere inteſtina, pendulum hærere a ventriculo & inteſtino colo in anteriore abdominis parte, inter inteſtina & ſuperficiem internam peritonæi locatum, magis minuſve protendi ad pubem, prout majore vel minore pinguedinis copia fuerit impletum, ita ut in macilentis vix attingat umbilicum, ſed in obeſis uſque in pelvim abdominis deſcendat, ut obſervaverunt in Epiplocele. Hoc Omentum paucis componitur vaſis & membranis, ſed ingenti pinguedinis copia impletum eſt: igitur in eo debiliſſimus eſſe poteſt motus vitalis, quia ille habetur in partibus firmis, non vero in pinguedine. Si ergo in Ventris vulneribus accidit, ut portio Omenti prolabatur cum vel ſine inteſtinis, Omentum multo citius mortificatum erit, quam inteſtinum prolapſum, in quo motus vitalis validior. Quia vero in parte vivente non fit putredo, ſed in parte mortua, inde in Omento, cujus actio vitalis citius & a leviori cauſa exſtinguitur, multo citior fit Putredo, quam in partibus reliquis. Prudentes ergo debent eſſe Chirurgi in repoſitione Omenti, nam ſi mortificatum fuit, & dein reponitur, vita parti repoſitæ non redibit, & perget Putredo in cavo abdominis, unde multa mala: neque in reponendo duriter tractare debent Omentum, quod valde lacerabile eſt, nam ſi inter reponendum videatur vividum, ſed interim laceratum fuit, poſt repoſitionem tamen corrumpetur. Ut ſciat Chirurgus, num Omentum prolapſum ſit mortificatum, ad ſequentia hæc attendere debet. (1) Si novit, Omentum

ali-

aliquamdiu fuiſſe prolapſum, aërique frigido & exſiccanti expoſitum, conjicere poteſt ex debili cognita actione vitali in Omento, & concreſcibili pinguedine, portionem eam prolapſam mortificatam eſſe. (2) Hoc magis firmatur, ſi inveniat partem amiſiſſe naturalem colorem, eumque commutatum eſſe in lividum vel nigrum, quem acquiſivit ex concreto in vaſculis ſanguine & incipiente putredine. Talia ſi detegit, non erit tutum reponere in ventrem eam portionem Omenti, nam pars ea mortificata, etiamſi fuerit repoſita, non recuperabit vitam, ſed in malignam corruptelam commutabitur. Conducit ergo tali in caſu abſcindere partem eam, ut nihil mortui remaneat, antequam reponitur: ſi vero magnum aliquod vas in ea parte detegitur, præſtantius erit in parte adhuc vivente ligare Omentum, & tunc quidquid mortuum eſt abſcindere, ante repoſitionem: poſtquam repoſitio fuit facta, fili ligantis portio extra vulnus pendere debet, ut hujus ope portio ligaturâ intercepta, & dein mortua educi poſſit per vulnus, quod interim turunda filo alligata ſervandum eſt apertum. Ut diſtinguamus filum turundæ a filo ligaturæ, adhibenda ſunt fila coloris diverſi. Ex dictis patet, non ſemper Omentum putrefieri ſi exciderit, ſed ſi aliquamdiu prolapſum fuerit, quali modo hic Aphoriſmus eſt intelligendus, ne aliquis in recenti prolapſu abſciſſionem ſuadeat. Inanis inceſſit timor quibuſdam, Omento ablato impediri ventriculi & inteſtinorum coctionem, quum exſtent exempla contrarium probantia. Hoc autem verum eſt, Omentum locatum inter inteſtina & peritonæum faciliorem permittere harum partium motum, quæ partes alias motu periſtaltico agitatæ, tangentes peritonæum nudum, majorem attritum faciunt, quo aliquomodo inhibetur harum partium actio. Conducit ergo, ſi fieri poteſt, relinquere Omentum integrum, ut inteſtina humectet, ſuppeditet pinguitudinem venæ portarum, pro bilis confectione, & ſe interponat inter partes terentes ad evitandum attritum.

LIB. VI. APH. LIX.

324. *Quibus a diuturno coxendicis morbo vexatis coxa excidit, & rursus incidit, his mucus innascitur.*

I.

Quinam dicatur Coxæ morbus.

NUllibi in toto corpore invenitur articulus major, quam in Coxa, profundissime enim recipitur non solum femoris caput in Coxæ acetabulo, verum etiam præter ligamentum cingens, aliis etiam articulis commune, per aliud teres & tenax in media hujus cavitate femoris os colligitur & retinetur in sua sede: invenerunt quoque Anatomici satis magnam glandulam in hoc articulo, quæ mucum naturalem deponit, ut non solum hic articulus lubricetur a transudante medulla, sed etiam a muco hoc naturali medullæ misto. Humores hi actione articuli vel diuturniore mora attenuati iterum absorbentur, concedentes locum novo affluenti humori, ut hoc in articulo perpetua maneat lubricitas. Hoc in articulo magis quam in reliquis generatur Dolor, qui proprio nomine vocatur ἰσχιὰς, & hoc loco vocant Coxæ morbum. Ille autem Dolor generatur a dolentibus dictis ligamentis, vel si Mucus ille naturalis aliquid acre contineat, vel si glandula in eo acetabulo locata tumeat & doleat. Omnes autem hi morbi non permittunt os femoris excidere & incidere: nam dolentia ligamenta tantam prolongationem non permitterent, ut os femoris excidere posset: & glandula tumens extrusionem faciens, reditum impediret. Sed acetabulum muco oppletum excidere & incidere permittet articulum, quod paucis videbimus.

Unde muci abundantia in Coxæ articulo, & quid faciat.

II. Coxæ morbus diuturnus non significat, omni tempore adesse dolorem, sed quando dolor aut molestia quævis diu vel continuo, vel per intervalla vexavit illum articulum.

Liga-

Ligamenta illa articulum nectentia per tam longum tempus vexata morbo tandem amittunt contractilitatem, quod etiam in aliis articulis verum eſt: ſed ſola laxitate ligamentorum non excideret os femoris ex hoc acetabulo, cingitur enim caput oſſis femoris ligamento, quod omnem ingreſſum liquoris externi intercipit. Conſtat experimentis phyſicis, ſi quis haberet cavitatem firmam acetabulo coxæ ſimilem, corpore rotundo impletam, ut implet caput oſſis femoris hoc acetabulum, exterius circumquaque obductam accurate impervia membrana, ut ligamenta hunc articulum cingunt, fieri debere validam vim tendentem, antequam quis potuiſſet dictum corpus rotundum ex cavitate ea extrahere; tanta enim deberet fieri tenſio, quæ valeret ſpatium vacuum formare in ea cavitate. Igitur non eſt conceptu facile, ſi maneat illa cavitas vacua, manentibus ligamentis integris, quod tam facile excidere & incidere poſſit ille articulus. Sed ſi haberet ſimilem machinam, aquâ vel alio liquore plenam, qui liquor contineretur in loco eo a laxa ambiente membrana, facile potuiſſet iſtud corpus excidere & incidere: nam ſi excideret corpus iſtud ſeu caput oſſis femoris, cavitas, ſeu acetabulum coxæ impleretur illo ambiente liquore, & ſi rediret, cederet iterum ille contentus humor in loca vicina, quod minima vi fieri poteſt. Recte igitur ratiocinatur Auctor, quando concipit acetabulum muco impletum eſſe, ſi oſſis femoris caput tam facile incidere & excidere poſſit: quum ſine liquoris hujus præſentia hoc phænomenon non facile demonſtrari poteſt, & quia ille humor, qui tunc eo in acetabulo continetur, eſt mucus naturalis vel in morboſam indolem converſus.

LIB. VI. APH. LX.

325 *QUibus a diuturno coxendicis morbo vexatis coxa excidit, his crus tabescit, & claudicant, nisi usti fuerint.*

I.

Quomodo claudicatio & tabes cruris in spontanea coxæ luxatione?

DUm diuturna illa causa implens acetabulum Coxæ & laxans ligamenta fecit spontaneam Coxæ luxationem, non est mirum, quod nervus adjacens etiam relaxetur & muco oppleatur, quo spirituum fluxus ad musculos moventes crus, & eorum, qui destinati sunt ad actionem nutritionis, aliquomodo retardetur, ut inde hæ actiones fiant languidiores, seu fiat claudicatio in motu animali, & defectus nutritionis in motu vitali. hoc etiam fieri potest prolongato nimis illo nervo & arteria, ut inde minor influxus spirituum & sanguiuis habeatur ad eum pedem, quum vasa prolongata simul fiant angustiora.

An hi ustione curentur?

II. Vehementer dubito, an ustione illa mala possint præveniri, vel præsentia tolli: nam si urendo aperiretur capsula ligamentosa articuli, ut collectus mucus potuisset effluere, continuum haberetur stillicidium, & ligamenta ita usta deinceps non facile consolidarentur: neque accurtatio ligamentorum ustione nata relinqueret eam partem vitalem. Quamobrem satius esse existimo per medicamenta resolventia & discutientia tentare curationem, quam subire truculentam operationem Ustionis.

MEDICINA HIPPOCRATICA,

EXPONENS

APHORISMORUM HIPPOCRATIS

LIBRUM SEPTIMUM.

APH. I.

326. *IN morbis acutis extremarum partium frigus, malum.*

I.

OBſervavimus (*Aph.* 24, III) Acutos morbos abſolute poſitos denotare morbum brevem, vehementem, periculoſum, cum adjuncta febre continua calida. Tali in morbo ſi Extremarum partium frigiditas obſervatur, malum eſt, inquit Auctor. Per partes Extremas intelligunt manus & pedes cum ſuis digitis, tota etiam membra, atque nares & aures, quæ nempe partes remotiſſimæ ſunt a corde, & ipſum truncum corporis non conſtituunt: hæ partes quoniam magis expoſitæ ſunt aëri externo, citius refrigerantur quam truncus ipſe, ſi cauſa naturalis calefaciens, id eſt motus vitalis ſit debilis. Ut intelligatur, ex qua ratione frigus extremarum partium ſit malum ſignum in Acutis, perpendendum eſt, omnes morbos Acutos febri-

les habere vehementem circulationem per totum corpus, quare omnes partes inveniuntur calidiſſimæ ſeu urentes. Tali ergo in motu vitali auĉto per totum corpus frigus extremarum fieri nequit, niſi iſtis in partibus diminuatur vitalis aĉtio ultra modum; nam ſi minuatur cauſa morbi Acuti, extrema quidem magis temperatum calorem acquirunt, ſed nunquam eo uſque minuitur, ut dici poſſit frigus; atque in hoc caſu calor totius corporis ſimul minuitur, quando non dicitur frigus Extremarum. Hæc igitur phraſis notat, Exrema fieri frigida non ceſſante calore in trunco, & frigus fieri ſine diminutione morbi. Hoc inquam eſt periculoſiſſimum: nam ſi maneat morbi cauſa, & minuatur circulatio in extremis, quod ex refrigeratione cognoſcitur, ſignum eſt vires vitæ a morbi materia validiſſime irritatas tam debiles eſſe, ut non valeant in partibus extremis proportionatam ſervare circulationem, quod fieri nequit ſine virium ſumma debilitate. Si nunc hæc duo inter ſe conferantur, morbus nempe validus & vires corporis debiles, rarum erit, ſi æger emergat; ergo hoc ſignum ſatis magnum periculum portendit.

LIB. VII. APH. II.

327. *EX oſſe ægrotante caro livida, malum.*

I.

UT intelligamus, ex qua ratione dicatur malum, ſi Caro livida fiat ex Oſſe ægrotante, conſtare debet, qualis oſſium ægritudo intelligatur, & dein quæ ſit hujus Livoris cauſa in carne, ut ex cauſa perſpecta & comperta ad propoſitum morbum formare poſſimus malum præſagium. Os ægrotat variis morbis, ut expoſuimus in Chirurgia repurgata, hoc autem in loco talis capiendus eſt

eſt morbus oſſis, qui aliquam corruptionem vel cariem in oſſe format, ut ex morbo eo Caro circumjacens ita afficiatur, ut ſuum colorem naturalem commutet in livorem. Carnis autem naturalis color in Livorem commutatur, ſi ſanguis ruber in vaſis contentus concreſcat: hoc experimur etiam in tubulis minimis vitreis ſanguine calenti impletis; nam ſi ſanguis ille diu hæſit in illo tubulo, donec globuli rubri ſanguinis ſoluti in maſſam concreverint, dimittentes liquorem pellucidum non concreſcibilem, color antea ruber in livorem commutabitur ſponte. Carnis quoque color ruber liveſcit, imo tandem nigreſcit, ſi ſuperveniente putredine corrumpatur. Ergo Livor in adjacente carne ſignum eſt, ſanguinem ſtagnantem eſſe concretum, & ita eſſe ineptum circulationi; talis autem fieri nequit, niſi tantus ſit defectus in circulatione, ut ſanguis fluidus ſervari nequeat: itaque Livor eſt ſignum defectus virium vitalium, & concretionis ſanguinis. Verum talis ſtatus diu durare nequit, quin pars ea moriatur, & in putrilaginem abeat, unde tunc formatur ulcus ſordidum cacoëthes. Neque minoris momenti eſt, ſi Livor oriatur ex ſanguine corrupto, quia nunquam corrumpitur, niſi partis vitalis actio ſit exſtincta aut nimis debilitata. Igitur ſi ex Oſſe ægrotante talis fiat caro, ſive quod Os corruptum ita inficiat Carnem, ſive quod Caro adjacens ita ſponte moriatur, in utroque caſu malum eſt, nempe generabitur ulcus ſordidum Cacoëthes ex carne corrupta, & oſſe mortificato, vel carioſo, qualia ulcera difficulter curari poſſunt. Ipſa Caro Livida facile præſagire poteſt etiam Oſſis corruptionem; nam quia ſignificat, ea in parte ſubſiſtere circulationem, perioſteum ex carne accipiens vaſa circulatoria, privabitur etiam motu vitali, quare os ſubjectum, quod ex perioſteo hoc vitales humores accipit, defectu ejus morietur, & ita lenta carie conſumetur.

LIB. VII. APH. III.

328. A *Vomitu ſingultus, & oculi rubri, malum.*

I.

DUo numerat ſymptomata conjuncta, quæ ſi vomitui ſuperveniant naturali, vel a vomitorio excitentur, malum præſagium præbent, quæ autem ſejuncte a Celſo proponuntur. Utraque ſententia eſt vera, ſed pejus eſt, ſi duo mala ſymptomata ſuperveniant, quam ſi unum accedat, imo ſi inſuper accedat Delirium, lethale eſt ſignum. Hippocratis tempore in conſuetudine erat ſæpius propinare Vomitorium, ut quoque monuimus ſupra de purgantibus, quam conſuetudinem ab Ægyptiis acceperunt; & inde magis neceſſe erat neceſſarias cautelas adjicere, quam hoc tempore, quando rarus Vomitoriorum eſt uſus. Olim enim magnum auxilium in Vomitu locarunt, ſed ſine ratione, quum vix quidquam boni præſtet Vomitorium, niſi exonerare ventriculi contenta, vel etiam interdum bilem corruptam; ſed ſi vitium hæreat in ventriculi lateribus, vel diſperſum, Vomitorium malignum illum humorem eliminare nequit, ſed potius irritat crabrones. Egregie ſummus vir in praxi medica Sydenham obſervavit in diverſa conſtitutione epidemica, Dyſenteriam præveniri poſſe dato vomitorio, ſi nempe oriatur a bile corrupta relicta, ſed alio tempore augeri periculum, ſi ſimilia ſigna adſint, ſed ex Eryſipelate vel Inflammatione ventriculi. Ex ſignis in hoc Aphoriſmo traditis de malo illo eventu Vomitus facile judicare poſſumus: nam ſi eſſet humor morboſus, qui concitavit Vomitum, eo evacuato, ceſſaret non ſolum vomendi conatus, ſed & corpus liberatum ab illo alieno, ſentiret ſe liberatum. Ita etiam a Vomitorio dato, ſi omne medica-

dicamentum fuerit exantlatum, nullamque ventriculo læsionem intulerit, neque Singultus, neque Oculi rubicundi remanebunt. Sed si in Vomitu a natura excitato non fuit materia morbi expulsa, aut si Vomitorium læsionem ventriculo intulerit, quædam symptomata relinquuntur, inter quæ numerat Singultum & Oculos rubicundos, quæ malum præsagium proferunt. Si enim superveniat Singultus, inducitur species Convulsionis (*Aph.* 304, 1.) hic ut signum & ut causa malum infert. Quippe singultus fatigationem inducit sine levamine mali; & signum est, vel nimiam fuisse factam evacuationem, ut monuimus etiam in Purgatione (*Aph.* 197) & sanguinis fluxu (*Aph* 196.) vel vomitorium intulisse læsionem, ut notavimus in Helleboro (*Aph.* 194.) vel ipsum ventriculum fuisse inflammatum vel erysipelate tentatum, quæ omnia si Singultum post vomitum inferant, augmentum mali declarant. Oculi rubicundi fere semper fiunt in valide vomentibus, sed debet rubedo illa brevi postea cessare: si autem rubicundi manent Oculi, indicantes sanguinem urgeri in tunicam adnatam oculi per motum auctum in encephalo, facile fieri potuit, ut ex cerebro læso ille Vomitus fuerit concitatus (*Aph.* 315, 1.) quod pessimum est signum, quum vomitus talis nunquam adferat levamen, sed magis urgeat sanguinem ad caput, & cerebrum magis opprimat.

LIB. VII. APH. IV.

329. A *Sudore horror, non bonum.*

I.

NUlla frequentiore evacuatione eliminatur morbi materia, quam sub forma Sudoris, est enim evacuatio totius corporis, quæ per totum corporis ambitum eliminat humorem. Sed ut sudor sit bonus, debet

quantitate conveniens eſſe, ut ita eliminet omnem morbi materiem, & tamen non tanta copia, ut pariat bonorum humorum defectum; fieri debet a prævalentibus viribus vitæ, nam ſi fiat vi morbi, non eliminabitur materia morbi, ſed potius humor ſanus; ſi fiat ex colliquatione, bonus & malus humor ſine prægreſſa ſeparatione evacuatur, & ita liberare non poteſt corpus a materia morbi. Quod ſi fiat Sudor criticus auferens morbi materiem, & non nimis magna quantitate, corpus tale ſe levatum ſentiet alieno humore liberatum. Si vero omnis materia non fuit evacuata, aut ſi Sudor ſit colliquativus, vel vi morbi expulſus, materia remanens Horrorem inducit, quum omne alienum nervis applicatum Horrorem inferat. Ergo ſi poſt ſudorem naſcatur Horror, unum ex his antecedentibus ſignificat in corpore. Verum periculum non eſt idem in omnibus his deſignatis cauſis; id autem commune eſt omnibus, nihil ex his bonum eſſe: nam ſi omnis materia non ſit eliminata, ſubſequente ſudore eliminari poteſt, ergo non valde magnum malum: ſed ſi ex Colliquatione Sudor fiat, Horror ſubſequens abſolute malus eſſet dicendus. Quare Auctor non potuit ſecundum experientiam dicere, Malum, ſed dicere debuit Non bonum, quum pro diverſitate cauſarum talis Horror poſt Sudorem majus & minus malum præſagiat.

LIB. VII. APH. V.

330. *AB Inſania dyſenteria, aut hydrops, aut mentis emotio, bonum.*

I.

Ex mania Dyſenteria bonum.

HIppocratem per maniam intelligere Delirium vehemens ſine febre (*Aph.* 99, III.) & per Dyſenteriam alvi copioſam egeſtionem & frequentem cum ventris torminibus (*Aph.* 135, I) ſupra obſervavimus.

Ex

Ex quibus colligere poſſumus, utrumque morbum generari poſſe ab humore acri, qui in encephalo inæqualem cerebri motum facit, & ita maniam inducit, ſed in inteſtinis dolorem & ejectionem copioſam. Si ergo præcedat Dyſenteria & dein mania, ſignificare poteſt, materiem illam acrem ferri ex inteſtinis ad caput, quod peſſimum ſignum; ſed ſi feratur a cerebro ad inteſtina, inter quas partes maximus eſt conſenſus, valde bonum eſt, quia fertur materia acris a parte magis principi & ex qua non potuit evacuari ad partem minus principem, & ubi ſatis commode evacuari poteſt. Ex hac obſervatione actionis naturæ monemur, nos debere in mania, ſi naſcatur ex humore acri, ſollicitare alvum medicamentis purgantibus, ut eo derivetur humor & evacuetur.

II. Obſervavit etiam Auctor, Hydropem ſupervenientem ſuſtuliſſe maniam. Non videtur ille morbus (*Aph.* 273, 1) ullam convenientiam habere cum mania, Hydrops enim eſt morbus ex abundantia lymphæ, cum motu partium firmarum languidiore, laxitate ſolidorum, dum vero in mania habetur humor acris ſtimulans, vires corporis ingentes, motus circulatorius major. Si tamen naſcatur Hydrops, ille morbus ſignificare nequit humoris acris tranſlationem, quam in Dyſenteria obſervavimus, & propterea bonum præſagium dedimus. Sciendum autem eſt in praxi, omnem mutationem morbi non fieri per materiæ tranſlationem; ſæpe etiam mutatur materia in ſua indole, & quando ſigna docent bonam fuiſſe factam mutationem, ea tunc quoque ſigna bona dicuntur; ita apparentia ſigna ſuppurationis in morbis inflammatoriis dicuntur bona, quia bonam mutationem materiæ morbi indicant. Tali etiam modo Hydrops ex mania bonus dicitur, quia notat acre ſtimulans Maniam faciens fuiſſe mutatum in vappam, quum Hydrops generari non poſſit, quamdiu manet id acre ſtimulans, quod non permitteret tam languidum motum vitalem, & lymphæ collectionem. Ergo quoties ea ſigna, quæ ab Hydrope ſeparari nequeunt, apparent, toties quoque ex iſtis colligere poſſumus, id acre ſubactum eſſe.

Ex mania hydrops bonum.

esse. Disputant autem practici, num sit ea mutatio bona dicenda, quum Hydrops sit morbus non minus periculosus & difficilis quam mania. Fatendum est, quasdam Hydropis speeies non minus periculosas inveniri, sed qui Hydrops generatur ex sola laxitate fibrarum & motu languidiore, ut sæpe experti sumus finitis morbis sine relicta obstructione vel induratione aliqua partis, ea Hydropis species sæpe sponte evanescit, vel facillime cedit diureticis & roborantibus. Quia vero talis species Hydropis sequitur Maniam, inde recte bonum est dicendum.

A mania Ecstasis, bonum.

III. Tres species in Ecstasi distinguunt Veteres; (1) qui nihil loquuntur, neque movent sua membra uti fanatici, quasi alta meditatione abrepti & attoniti hærentes: (2) qui etiam nihil loquuntur, sed tamen inquieti sunt, continuo locum mutantes, ut ne quidem per momentum in eodem loco quieti manere possint, quod melancholicis frequens est: (3) qui furiosi sunt, continuo loquentes & inquieti, uti in phrenitide. Qualem autem speciem ex his intelligat Auctor, facile conjicere possumus: nam signum debet esse, materiem acrem irritantem mitescere, minusque agitare cerebrum: igitur crederem, in hoc loco intelligi speciem primam, quia mania majorem cerebri agitationem significat, quam observatur in prima illa specie Ecstasis. Adeoque ea mutatio facta in mentis alienatione, quæ declarat minorem acrimoniam materiæ, bonum signum est, quum præbeat spem perfectæ curationis.

LIB. VII. APH. VI.

331. *IN morbo diuturno, appetitus prostratus, & meracæ dejectiones, malum.*

I.

In Chronicis Apostita, malum.

GEneralis morborum divisio ex duratione est, in morbos Acutos (*Aph.* 24, III) qui ita dicuntur usque ad quadraginta dies, & in Chronicos, qui ultra terminum

terminum iſtius temporis excurrunt. Πολυχρόνιος ergo eſt morbus, qui iſtud tempus multum ſuperat. Hujuſmodi morbi Chronici ſibi ſimiles ſunt a principio uſque ad tam longum tempus; vel ſubierunt aliquam mutationem, ut ſi materia cruda, vel pituitoſa tranſeat in corruptelam, ita ut ex una ſpecie morbi Chronici fiat altera: vel morbus Acutus interdum tranſit in morbum Chronicum. Omnibus his in morbis Chronicis habetur corruptio ſpontanea, nam ſi vires vitæ valent, intra quadraginta dies materia morbi vel eſt ſuperata vel expulſa: ſi autem vitæ vires ſunt debiliores, vel morbi materia tenacior, vel copioſior, quam ut viribus vitæ ſuperari poſſit, ultra iſtud tempus protrahitur morbus, & materia illa retenta ſenſim in ſpontaneam corruptelam magis vergit, quia vitæ vires non valuere bonos ſervare humores, neque emendare alienos. His nunc in morbis, qui habent humores ſpontanea mutatione corruptos, cum virium debilitate, pronunciat Apoſitiam, malum eſſe. Antequam hoc poſſumus intelligere, repetenda ſunt ea, quæ expoſuimus in Exercitatione noſtra de fame; famem nobis datam eſſe, ut indicaret, num defectus eſſet alimenti in noſtro corpore; eam fieri poſſe minorem, abolitam, & cum faſtidio, quales ſpecies vocant ἀνορεξίαν, ἀποσιτίαν & ἀσιτίαν, a multis cauſis; victum tenuem non convenire Chronicis (*Aph.* 4, VI.); omnem cauſam minuentem & abolentem malam eſſe. Igitur Apoſitia ut ſignum & cauſa malum portendit. Denotat enim, corruptos eſſe humores in corpore, qui in ventriculum confluentes appetitum naturalem exſtinguunt, & inde, licet ingerantur alimenta, ea corruptis miſta non commutantur in bonum chylum: & quia debita quantitas alimentorum requiritur, ut ſuſtententur vires in tam longo morbo, illa quantitas ſuppeditari nequit, propter inappetentiam vel faſtidium; aut ſi ægri ingerant, ingeſta non convertuntur in bonum ſuccum. Itaque in Convaleſcentibus & morbis Chronicis tuti non ſumus, quamdiu appetitus naturalis non redeat, quia eſt Cacochyliæ ſignum. (*Aph.* 127, II.)

Et meracæ dejectiones, malum.

II. Num duo hæc ſymptomata Apoſitia & ejectiones Meracæ ſint jungenda in Chronicis, ut malum prænuncient, non conſentiunt Commentatores. Ego vero puto ſeparatim & conjunctim præſagire malum, ſed ex generali regula majus malum eſt, ſi duo mala ſigna jungantur, quam ſi unicum habeatur. Hippocrates paſſim inculcat, Meracas dejectiones malas eſſe, ſive ſint pituitoſæ, bilioſæ, melancholicæ, vel ſanguineæ, quia recrementa alimentorum fecibus miſta faciunt, ut nunquam meracæ conſpiciantur niſi ex morboſa cauſa. Quod autem in Chronicis cum Apoſitia conſpiciantur Meracæ dejectiones, illæ notant, tantam eſſe morboſorum humorum copiam in inteſtinis, ut ne quidem recrementa alimentorum conſpici poſſint: vel quod ingeſta alimenta, antequam deponunt ſua recrementa, ita fuere corrupta, ut exhibeant maſſam pultaceam corruptam ubique ſibi ſimilem. Ergo malum eſt ſignum, ſive reſpiciamus ad multitudinem materiæ morboſæ, ſive ad corruptelam inductam.

LIB. VII. APH. VII.

332. A *Multo potu rigor, & delirium, malum.*

I.

VItia & mores ſui temporis non parum perſtringit multis locis, Græci enim excelluerunt potationibus, lucubrationibus, & ut mala ex his nata tollerent, frequens fuit vomitorii & purgantis uſus: his in omnibus annumerat mala, ſimulque tradit cautelas. Hoc in loco indicat mala, quæ obſervavit provenire ex multa potatione; cogitandum eſt hic intelligi potum vini vel ſpiritus inebriantis, ex cujus potionis abuſu his etiam temporibus obſervavimus Rigorem & Delirium fuiſſe nata, iſtaque

iſtaque mala perſeveraſſe uſque ad mortem, in aliis autem diu perſtitiſſe, qui poſtea convaluere. Ut ſtrenui illi bibitores intelligant, ſe non ſemper impune corpus implere, ſcire debent, ſpiritum fermentatum ita interdum obruere cerebrum, iſtudque perturbare, ut vel brevi tempore apoplectici pereant, vel convulſione exſtinguantur, (*Aph.* 198, II) vel per longum tempus ſtolidi, & paralytici maneant, quod etiam nimis frequenter obſervavi. Hoc autem loco duntaxat videndum, quomodo Rigor & Delirium ex nimio meri potu poſſit generari, & cur ſentiatur malum. Mirantur multi muſtum deſtillatum vappam exhibere, & potum non inducere ebrietatem, ſed poſt fermentationem præbere deſtillando ſpiritum ardentem, atque tunc potum inebriare: qui autem aſſequitur experimenta Chemica, ille facile hanc mutationem concipit, quia oleum vegetabile fermentando redditur volatile, exuit ſuam non miſcibilem naturam in liquorem aquoſis miſcibilem, & tunc demum aſſumtum inducit ebrietatem; adeo ut oleum vegetabile fermentatione mutatum, tandem hanc ſpecificam virtutem acquirat, atque non differt, ex quovis ſucco vegetabili formatur; imo decocta eodem modo fermentata ſimilem ſpiritum producunt, ut patet in Zytho & etiam in Hydromele. Igitur oleum vegetabile fermentatione attenuatum iſtud eſt, quod potum ebrietatem inducit. Regula ergo eſt generalis, Rigorem & Delirium nata a majore ingeſtione ſpiritus fermentati, eſſe malum. Dum iſtud ſpirituoſum mediocri copia fuit ingeſtum, ſuo ſtimulo calefacit; ſed ſi majore copia ingeritur, vis vitæ ab hoc alieno ita obruitur, ut Rigorem (*Aph.* 156, II) inferat: quod periculo non caret, fieri enim interdum obſervatur, vim vitæ ſuppreſſam eluctari non poſſe. Igitur malum eſt ſignum Rigor, quia notat, alienum eſſe applicatum nervis, & ſimul vires corporis opprimi. Huic ſi accedat Delirium, mali indicium augetur, nam tunc non ſolum agitatum & oppreſſum eſt organum vitale & motus animalis, verum etiam ita ſimul eſt deturbatum cerebrum, ut mens

non amplius conſtet. Hinc omnes encephali functiones ſunt turbatæ, quod non niſi valida fieri poteſt cauſa, quam ſuperare interdum actio vitalis non valet.

LIB. VII. APH. VIII.

333. A *Tumoris intus ruptione, exſolutio, vomitus, & animi deliquium.*

I.

Ex qua cauſa tumor intus rumpitur.

TUmor ſeu Tuberculum, græcis dicitur φῦμα, præprimis ſi pus contineatur in quodam ſacco vi morbi facto: eſt ergo Abſceſſus purulentus quadam in parte corporis, qui lapſu temporis rumpi poteſt interne vel externe, id eſt Pus in eo ſacco membranaceo contentum ruptis repagulis effunditur in loca vicina minus reſiſtentia. Dum enim pus continetur in quadam parte dilatata, ille ſaccus ab omni ambitu non æqualiter ſuſtentatur, unde contentum pus more omnium humorum ea latera, quæ minus firma ſunt & minus fulta, diſtendit, unde ſenſim dehiſcentibus fibris eam partem conſtituentibus, magis magiſque ſecedunt, admittuntque puris ingreſſum in earum interſtitia, quod liqueſcendo & corrumpendo, tandem quaſdam fibras ſolvit, & ita ſibi viam exitui pandit: quod ſi ad loca interiora minor ſit firmitas hujus ſacci, vel minor ſuſtentatio, pus ad interiora erumpit funditurque in cava quædam naturalia, uti in pectoris, ventris, ventriculi cavitates. Ita quidem homo liberatur a dolore eo, qui ex tenſione producebatur, & ita videtur levari, ſed quia pus non emittit, id ſtagnando magis corrumpitur, & accedente novo pure, ille locus magis impletus nova inducit mala; hoc ut ſciamus, quædam obſervavit Auctor phænomena, quæ monent, talem abſceſſum vel tumorem intus rumpi.

II. Quia

II. Quia Tumor intus diſrumpens ſæpe externe nulla dat ſigna ruptionis, neceſſe eſt, ut ex aliis inductis mutationibus cognoſcamus, num talis interna ruptio ſit facta; ex multis aliis primo numerat ἔκλυσιν, quod Exſolutio exponitur, refertur in hoc loco ad actiones animales & vitales, quando homo hucuſque vix quieſcere potuit, nunc quaſi viribus privatus languidus decumbit; cujus pulſus ex irritamento erat ſatis valens, invenitur languidior & debilior: tenſio enim illa in lateribus tumoris, rupto illo, prompte ceſſat, unde ceſſante illo irritamento omnia quieſcunt ſed infideli ſigno, quæ antea agitata ſe validiſſime movebant. Alterum ſignum eſt Vomitus, qui a multis cauſis concitari poteſt, ut paſſim obſervavimus, omnes autem hæ cauſæ non agebant immediate in ventriculum ipſum, ſed interdum etiam in remotioribus partibus, modo ex cauſis iſtis generaretur motus ventriculi inverſus tam validus, qui poteſt muſculos abdominales in conſenſum trahere, ut ita conſpirantibus his binis actionibus, contenta ventriculi reddantur per os; nam neque ſolus inverſus ventriculi motus, neque ſola muſculorum abdominis conſtrictio Vomitum facere poteſt, ſed his binis coöperantibus. Hoc quidem ſignum interdum provenit ex rupto abſceſſu ad interiora, ſed inconſtans eſt; ſæpe enim obſervavi ruptionem internam ſine Vomitu ſuperveniente: nam qui in empyema incidunt ex rupta Vomica pulmonis vel pleuræ, raro a vomitu vexantur: quare ſi accedat, ſignificare poteſt, tumorem fuiſſe ruptum circa vel in ventriculo. Denique ſequitur Animi deliquium, λειποψυχία ex intus rupto tumore, quando ita minuitur ſenſus & motus animalis, ut homo vix mente conſtet, & totus fere motus vitalis ceſſet. Hoc quidem fieri poteſt nimia facta evacuatione, qua vaſa cingentia tumorem ſuſtentaculo orbata, tantam in ſe recipiunt ſanguinis copiam, ut in reliquo corpore non remaneat ſufficiens ad circulationem continuandam. Raro autem iſtud fit a rupto interno abſceſſu purulento, ſed ſi intus fuerit Varix aut Aneuryſma, horum ruptione, quia ita effun-

A tumore intus rupto Exſolutio, Vomitus, & Animi deliquium.

ditur ſanguinis ingens copia, facile fieri poteſt Lipothymia & etiam Syncope.

LIB. VII. APH. IX.

334. A *Sanguinis fluxu delirium, aut etiam convulſio, malum.*

I.

NIſi experientia conſtaret, homines ex nimio ſanguinis fluxu incidere in Delirium & Convelli, plane videretur negari debere, quum in Delirio & Convulſione major videatur eſſe corporis actio, quam in ſanis, quæ actio ſemper debilitatur ſanguinis fluxu: atque conſtans eſt mos in Dilirantibus multum ſanguinis detrahere, ut minuatur ille impetus. Obſervatio tamen practica Hippocratis dicta confirmat & ſæpe etiam in praxi obſervavi, præcipue poſt lochiorum profluvium in puerperis, quæ interdum per longum tempus delirarunt, aut convellebantur. Quomodo ex nimio ſanguinis fluxu generatur Convulſio ſuperius (*Aph.* 196.) expoſui, quare hoc loco videndum, quali modo generatur Delirium. Ut mens in nobis conſtet, boni ſpiritus eſſe debent in cerebro, & qui moventur æquabili fluxu, nam ſi ſpiritus modo inficiantur per quædam aſſumta, vel morboſam materiem, uti in Melancholicis experimur, generatur Delirium; & ſolo motu cerebri turbato, quemadmodum in capitis læſionibus & meningum inflammatione detegimus, mens quoque delirat. Igitur ſolus motus turbatus ſi fieri poteſt per nimiam ſanguinis evacuationem, ille valet Delirium generare. Verum quoties ita deſtruitur æquilibrium in viventibus, toties turbatur etiam motus, & inde mirum eſt, quod non frequentius Delirium generetur poſt copioſam evacuationem. Hoc boni inde habemus,

mus, ut reddamur cautiores in imperanda venæ ſectione, ſed ut inde diſcamus, nos debere per analeptica & roborantia reſtaurare vires, ut ita compeſcamus Delirium.

LIB. VII. APH. X.

335. *AB ileo vomitus, aut ſingultus, aut convulſio, aut delirium, malum.*

I.

VEhementem Inteſtinorum tenuium dolorem, in quo flatus veluti circumvolvuntur & urgentur ſurſum, vocari Ileon ſeu Volvulum, ſupra obſervavimus (*Aph.* 101, XIV.) Hujus cauſæ multæ ſunt, ſed ſemper validiſſimæ, ut nunquam vel rariſſime aliquid deponatur per anum, ſed omnia urgeantur ſurſum, imo ſuppoſitoria & clyſmata injecta. Ergo non eſt neceſſe, ut contenta rejiciantur per os, quemadmodum multi ſtatuunt. Hoc ſatis ex Textu conſtat, nam dicit Auctor, ſi Volvulo Vomitus ſuperveniat, malum. Si enim Vomitus perpetuo adeſſet, non eſſet ſignum malum, neque ſupervenire poſſet. Nunc autem Vomitus ſuperveniens propterea malum ſignum præbet, quia indicat non ſolum Inteſtina in motum inverſum cieri, ſed & ipſum etiam ventriculum, quare ab ano ad Oeſophagum motus periſtalticus habetur inverſus cum diriſſimis doloribus, quod pejus eſt, quam ſi ſola Inteſtina fuiſſent affecta: atque Vomitus ille intercipit omnem applicationem medicamentorum, quæ ad Volvulum curandum ore dantur, nam ſtatim ac ingeſta fuere, Vomitu tunc rejiciuntur, ut iſtis nihil efficere valeamus. Inde Vomitus eſt malus & ut ſignum, & quia intercipit curationem neceſſariam. Ab Ileo Vomitus, malum.

II. Singultum fieri ab affectione Oeſophagi, quando diapragma ſpaſmodice inde trahatur deorſum, ſupra (*Aph.* 304, I.) Ab Ileo Singultus, malum.

304, I.) notavimus. Si ergo motus inverſus inteſtinorum non ſolum propagetur ad ventriculum, ſed etiam ad œſophagum, ſignum adhuc eſt pejus, quam ſi ſolus Vomitus adeſſet, quia latius diſperſus eſt morbus, plures partes in conſenſum trahit & inducere incipit Convulſionem, ut nobis ex Singultu patet, qui ſpecies Convulſionis eſt.

Ab Ileo Convulſio, malum.

III. Singultus quidem eſt ſpecies Convulſionis, ſed qui a leviori cauſa generatur, quam Convulſio totius corporis, & qui ex affectis tenuibus inteſtinis facilius per conſenſum poteſt generari, propter continuitatem membranarum, quam Convulſio totius corporis: propterea ſi ſuperveniat Convulſio, majus ſignificatur malum, quam prædici poteſt ex ſuperveniente Singultu.

LIB. VII. APH. XI.

336. A *Pleuritide peripneumonia, malum.*

I.

PLeuritidis (*Aph.* 109, IV) & Peripneumoniæ (*Aph.* 109, V.) definitionem dedimus, ex quibus colligitur, Auctorem, ſi abſolute hos morbos ponat, intelligere Pleuritidem & Peripneumoniam inflammatoriam vel eryſipelatoſam. Tribus modis a Pleuritide fieri poteſt Peripneumonia. (1) Si valida ſit Pleuritis, quæ ſenſim aucta etiam in conſenſum trahit Pulmones, ut diximus, ſingultum & convulſionem fieri ex Ileo. Tunc manent æque valida & interdum validiora ſymptomata Pleuritidis, & inſuper accedunt ſigna Peripneumoniæ: quod peſſimum eſt, quia tunc æger laborat duobus morbis ſimul, quorum accedens periculoſior eſt præcedente. (2) Si materia inflammatoria vel eryſipelatoſa imperfectam tranſlationem faciat ex Pleura in Pulmonem: levatur tunc quidem aliquomodo

Tranſlatio triplex.

a

a dolore lateris, ſed magis aggravatur in reſpiratione & anxietate. Hæc mutatio quidem minus eſt periculoſa, ſed tamen pejor, quam ſi non acceſſiſſet Peripneumonia, quum omnis imperfecta metaſtaſis ſit mala, & majus malum eſt, pulmones eſſe affectos quam pleuram. (3) Si vero perfecta fiat materiæ tranſlatio ex pleura in pulmones, ut æger integre liberetur a lateris dolore, ſed aggravetur in reſpiratione & anxietate, neque illa perfecta metaſtaſis laudabilis eſt, quia fertur materia a parte magis principi & minus utili ad partem magis principem & vitæ utiliſſimam. Galenus dicit quibuſdam in exemplaribus, malum adjectum inveniri, eo ſcopo ut ſolummodo indicaretur unius morbi in alterum commutatio; ſed ſive iſtud malum inveniatur adjectum ſive non, ex data deſcriptione ſemper tamen malum eſt ſignum, in quocunque caſu accipiatur. Multi autem diſputant, fieri non poſſe ex pleura in pulmones tranſlationem, quum ſint duæ partes diſtinctæ, at illi neſciverunt, arteriam bronchialem plerumque ex intercoſtalibus oriri, & quia arteriæ valvulis carent, facile eſſe, partes utraſque ex eodem trunco arterias habentes communi morbo laborare poſſe: neque attendunt, omnem ſanguinem totius corporis per pulmones ferri debere, quare pulmones facilius, quam quævis alia pars, eo morbo corripi poſſunt.

LIB. VII. APH. XII.

337. A *Peripneumonia phrenitis, malum.*

I.

QUod ſtatim obſervavimus de tranſlatione materiæ ex Pleura in Pulmones, hoc etiam eſt obſervandum de tranſlatione ex Pulmonibus ad Encephalum, ut

ibi faciat Phrenitidem. (*Aph.* 109, VII.) Videtur tamen obſtare, Pulmones æque eſſe organum vitæ neceſſarium, quam partes in Encephalo: verum ſi quædam fuerit morbi materia collecta in Pulmonibus, illa tamen poteſt reddi per ſputum: dum vero ex Encephalo vix datur locus pro exitu. Eſt etiam inter Metaſtaſis regulas receptum, omnem tranſlationem ex loco, ubi evacuari potuit, ad locum ubi non poteſt evacuari materies, eſſe malam; neque laudanda tranſlatio ab inferioribus ad ſuperiora. Neque per Phrenitidem ſupervenientem conſtat, totam Peripneumoniam fuiſſe ſublatam, quum raro inter has partes pefecta habeatur metaſtaſis. Denique ſi ſoli pulmones ſint affecti, æger mente conſtans, & morigerus permittit, ut omnia auxilia adhiberi poſſint; ſed ſi in Phrenitide mente ſit captus, non ſolum periculoſior morbus ex recenſita metaſtaſi, verum etiam æger reſpuet omnia auxilia adhibenda, neque concedit quietem corpori, ut morbi materia ad maturitatem deduci poſſit, atque continua corporis agitatione admodum conſumit ſpiritus. Recte igitur dixiſſet Auctor, peſſimum eſt ſignum. Hanc autem tranſlationem adſcribere cum Galeno & ejus Aſſeclis, vaporibus ex pulmonibus elevatis, cerebrum opplentibus, obſervationibus anatomicis non reſpondet. Hoc autem iſtis eſt condonandum, quibus circulatio ſanguinis per arterias, & communis nervorum & membranarum conſenſus non ſatis fuit cognitus. Sed materia Inflammatoria vel Eryſipelatoſa, quæ aggreditur pulmones, ea etiam poteſt per alias arterias ferri ad Encephalum, ut partium contentarum motum perturbet; vel ita agitare nervum, ut alter cohærens, ſed ad aliam partem tendens, in conſenſum trahatur, quod paſſim in his operibus obſervavimus.

LIB. VII. APH. XIII.

338. *AB ardoribus vehementibus convulsio, aut tetanus, malum.*

I.

LItem noſtram non facimus, num Ardor καῦμα vel Vulnus τραῦμα, ſit legendum, quum utraque ſententia ſit vera. Duntaxat obſervaturi, quomodo ex Ardore vehementi dicta mala generari poſſint. Tribus modis vehemens Calor corpori conciliatur, actu calidis, vel potentia calidis applicatis, vel ab interna cauſa morboſa. Hanc ultimam ſpeciem Auctorem hoc loco intelligere autumo, quum verſetur in tradendis regulis, quæ indicant mala, ſi unus morbus alteri ſuperveniat. Videndum ergo erit, quomodo cauſa interna poſſit inducere Ardorem vehementem. Conſtanti obſervatione comperimur, cauſam circulationem facientem pari paſſu cum aucta circulatione augere calorem: omnis enim cauſa, quæ auget circulationem, ea quoque auget Calorem noſtri corporis naturalem, & viciſſim ex languidiore circulatione generatur corporis frigiditas. Hoc autem loco non eſt concipienda ſola velocitas, quum motus circulatorius validus eſſe poſſit cum parva velocitate, quando ad extrema arteriarum ſimul habeatur fluxus impedimentum. Quare hic accipiendus eſt impetus, quo urgetur ſanguis, ut tranſeat per vaſa, non vero ipſa velocitas, qua pergit. Et quod memorabile eſt, eadem cauſa pellens cum poſito impedimento ad extremitates, majorem calorem faciet, quam ſi libere perfluere poſſit. Arteriæ enim tunc magis ſanguine turgentes faciunt, ut earum fibræ motu vitali agitatæ, cum majori applicatione ad ſe invicem compreſſæ, validiorem attritum faciant. Igitur ex ſolo motu vitali validiore, vel ex ſola reſiſtentia ad extre-

mas arteriarum majore intenditur corporis Calor, ſed fit vehemens, ſi utræque hæ cauſæ ſimul operantur. Si autem ſolum obſtaculum ſit cauſa, tandem nimis magna copia ſanguinis collecti in arteriis opprimuntur vires: quando calor major convertitur in frigiditatem. Sed ſi motus vitalis intenditur ſine impedimento ad extremitates arteriarum, is motus ſenſim majorem Calorem concitabit, qui tamdiu continuabitur, donec conſumti ſint ſpiritus, vel ſanguis ita compactus, ut tranſitui ſit ineptus; quod in febribus Ardentibus ſæpe experimur. Conſtat ergo ex his, Ardorem vehementem ſemper exigere vim vitæ inſtigatam per ſtimulum quodcunque. Si nunc tandem ex Vehementibus Ardoribus generetur Convulſio aut Tetanus, qui morbi generantur ex motu animali involuntarie validius agente, ſignum eſt, ſtimulum iſtud non ſolum agitare motum vitalem, qui facile a ſtimulo quovis movetur, verum etiam motum animalem, qui non niſi ex valida cauſa contra voluntatem noſtram patitur moveri. Ergo ex Convulſione & Tetano ſuperveniente, quoniam illa actio non tollit ſtimulantem cauſam, & quia deſignat illam cauſam admodum eſſe magnam, atque motum animalem in conſenſum trahi, hæc ſymptomata ſupervenientia malum præſagium præbere debent.

LIB. VII. APH. XIV.

339. A *Plaga in caput, ſtupor, aut delirium, malum.*

I.

EX Anatomicis conſtat, in cranio contineri Cerebrum & Cerebellum molle, pulpoſum, multis vaſis tenerrimis intertextum, ex quibus partibus incipiunt omnes canaliculi nervoſi ad ſenſum & motum deſtinati: invenerunt accuratiſſimi hodierni Anatomici, canaliculos nervoſos

ſos ad motum deſtinatos, duriores & tenaciores eſſe, quam qui ſenſibus inſerviunt; quare hi canaliculi nervoſi, qui ad ſenſum ſunt deſtinati, facilius deſtrui & turbari poſſunt a cauſa externa concutiente, quam qui ad motum pertinent. Si ergo concutiatur Caput, ſive ſit ſimplex concuſſio, ſive Contuſio, ſive Vulnus, fieri facile poteſt, ut Encephali contenta perturbentur, aut vaſculum aliquod diſrumpatur, ut contentum ſanguinem evomat. Unde ex Capitis plaga multa fiunt mala, ut etiam leviſſima plaga capitis ſit periculoſior, quam magna contuſio vel vulnus aliarum partium: inter hæc mala ſymptomata multa, quæ indicare poſſunt, contentum Cerebrum eſſe læſum, citat Stuporem & Delirium: non quod plura accedere nequeant ſigna mala, ſed quia obſervavit ex his ſupervenientibus, ægrum poſt plagam periiſſe. Stupor ἔκπληξις tunc dicitur præſens, ſi organa ſentientia affecta non faciant, ut mens noſtra illam affectionem percipiat. Talis Stupor eſt univerſalis per totum corpus in omnibus ſenſibus ſimul, vel eſt particularis in quodam organo, vel quadam corporis parte, quando diverſa accipit nomina, uti ſurditas, cœcitas, adipſia, dolorem non ſentire &c: Hoc autem loco intelligi debet privatio omnium ſenſuum, ut ægri apertis oculis jaceant non videntes, nec audiant ſtrepitum, neque vellicati ſentiant, ſed tamen moveant vel movere poſſint muſculos motus animalis. Signum ergo eſt, eam partem cerebri vel eſſe compreſſam vel turbatam, ex qua oriuntur nervi ad ſenſus deſtinati. Homo autem Delirat, quando per nervos ſenſuum externorum adferantur motiones, quæ non fuere concitatæ in organo ſentiente, ſed alibi, & mens tunc ſimul ratiocinatur ex his alienis perceptis, quod tunc quoque fit, ſi illa pars cerebri afficiatur, cui mens noſtra conſentit. Ideoque tam in ſtupore generali quam in Delirio tali, videtur eadem cerebri pars affecta, nempe ea, cui Deus voluit ut mens noſtra conſentiret: ſed in Stupore omnis communicatio per canaliculos medulloſos vel nervoſos videtur intercepta; in Delirio autem eædem partes inordinate ab interna cauſa videntur agitatæ. Sive ergo

go hic vel ille modus ſumatur, ſemper ſignum eſt, aliquam Cerebri partem eſſe affectam: & quia certe ſcire non poſſumus, num cauſa illa comprimens vel turbans ſuperari poſſit, ea ſigna ſupervenientia poſt plagam capitis periculoſiſſima ſunt.

LIB. VII. APH. XV.

340. A *Sanguinis ſputo puris ſputum, malum.*

I.

SAnguis ruber ita coarcetur in ſuis vaſis cruentis, ut in ſtatu ſano ne guttula exeat, ſi ergo exſpuitur ſanguis, ſignum eſt, vel fines arteriarum aut venarum ita eſſe dilatatos, ut ſanguinem tranſmittant, vel aliquod vas arterioſum aut venoſum fuiſſe ruptum. Experimur omnibus in partibus, ſi modo excipiamus pulmones, ſanguinem emiſſum per vaſcula dilatata, non relinquere ulcus, nam vaſculis conſtrictis iterum recuperatur perfecta ſanitas illa in parte. Si autem ex vaſculis ruptis exſtillet ſanguis, iſtud vulnuſculum plerumque purulentiam aliquam producit, cujus auxilio partes illæ ſeparatæ conſolidantur. Quoties ergo poſt ſanguinis emiſſionem generatur Pus, ſignum eſt eam evacuationem fuiſſe factam per vaſorum læſionem, quæ vaſa tempus conſolidandi exigunt, quod ſemper pejus eſt, quam ex vaſis ſolis dilatatis. In pulmonibus autem ut diximus hoc non ſemper procedit, quia ſanguis in pulmonibus effuſus ſponte effluere nequit, uti ex partibus reliquis; ſed quia attollendus eſt contra naturalem gravitatem, ſubſiſtens in bronchiis & veſiculis pulmonum corrumpitur, qui dein ſanguis acris factus, corrodens adjacentes partes, ulcus format, quod pus exhibet; hoc autem non ita verendum in aliis partibus, nam ſi proveniat

ex

ex naribus, vel faucibus ſine vaſorum læſione, ut & in ventriculo & inteſtinis, iſtis in locis non tamdiu ſtagnabit, ut ſuſcepta corruptela ulcus formare poſſit. Si autem in his partibus ſanguis manat ex vaſculis ruptis, tunc tandem pus formatur & ejici poteſt, quod interdum quoque obſervavi in ſanguinis ſputo ex faucibus per læſionem vaſorum. Ergo generaliter verum eſt, a ſanguinis ſputo puris ſputum eſſe malum, quia deſignat relictum fuiſſe ulcus purulentum in partibus internis, vel ſanguinem ex pulmonibus fuiſſe evacuatum, ubi peſſima fit ſanguinis effuſio ex ratione ſuperius data. Quia vero omnium maxime poſt ſanguinis ſputum ex pulmonibus exſpuitur pus, inde ex hoc phænomeno apparente malum præſagire poſſumus, nam nullibi ulcera difficilius curantur, quam in pulmonibus, quia non conceditur quies ad conſolidationem, & pus confectum difficulter ſurſum expurgari poteſt.

LIB. VII. APH. XVI.

341. A *Puris ſputo, tabes, & fluxus. Poſtquam vero ſputum retinetur, moriuntur.*

I.

A Puris ſputo, tabes, & fluxus.

PUs per os ejici nequit, niſi intus lateat aliquod ulcus, quod in ſe Pus format, & dein mittit verſus os, ut ita ejiciatur. Iſtud autem ulcus hærere poteſt in pulmonibus, ventriculo, faucibus & aliis locis & ſinubus internis, qui confectam morboſam materiem in fauces deponere poſſunt. Semper ergo puris exſpuitio ſignificat internum latens ulcus. Si autem hujuſmodi puris exſpuitio continuetur, ut hic indicatur, notat ulcus iſtud internum perſeverare, quando tandem continuata puris confectione corpus debilitatur, ſed præcipue in omnibus ulceribus internis id fit, quod pus ita confectum bonis miſceatur humori-

moribus, & iſtos inquinet. Hoc ſpeciale in Pure eſt obſervandum, quod, etiamſi ſit humor ex morboſis optimus, & ſemper laudetur in abſceſſibus, ulceribus, & vulneribus, nunquam tamen, ſi retineatur in corpore, per actiones vitæ ita poſſit aſſimulari, ut bonum præbeat nutrititium humorem, vel ita attenuari, ut inviſibiliter exeat, ſed retentum tandem convertatur in humorem ichoroſum acrem rodentem, raro autem in materiem ſpiſſam concretam Si ergo quadam in corporis parte ſit ulcus vel abſceſſus Pus generans, plerumque ejus puris quædam portio retenta in Ichorem converſa, abſorpta, maſſam circulatoriam inquinat, unde tunc generatur febris hectica, qua ſenſim exſtinguitur naturalis cohærendi potentia in humoribus, pinguedo liqueſcit, ſic ſenſim emaciatur corpus (*Aph.* 89, 111) quando vocatur Phthiſis. Denique vero ita liqueſcunt & degenerant humores, ut qua data porta effluant. Sæpe autem pereunt alvi fluxu & capillorum defluvio (*Aph.* 205, 1.) ut & ſudoribus colliquativis. His enim evacuationibus in corpore emaciato tanta demitur humoris copia, ut id quod remanet, non ſufficiat ad vitam ſuſtentandam; atque ſignum eſt, ita eſſe ſolutos humores per corruptelam, ut inepti ſint ad ſolita munera præſtanda. Igitur per Tabem in hoc loco intelligitur emaciatio ingens & morboſa, & per Fluxum omnis illa copioſior evacuatio colliquatorum humorum, quæ utraque generantur a pure corrupto ſanguini circulanti miſto.

Sputum retentum in his mortem inſtare ſignificat.

II. Recenſita illa mala Phthiſis & Fluxus generabantur a pure corrupto ſanguini miſto: quamdiu autem ſatis libere pergebat Puris rejectio, parva tantum portio puris miſcebatur ſanguini, quæ concitabat febrem hecticam, reliqua vero pars puris nati emittebatur: ſi vero tandem hæc etiam emiſſio ſubſiſtit & minuitur, non ex minori puris generatione, quod bonum eſſet, ſed ex impedita evacuatione, illa materia viribus vitæ non ſuperanda retenta ſenſim in maligniorem indolem convertitur, qua & copia majore tandem pars integre corrumpitur & deſtruitur, atque multitudine opprimitur. Igitur ſedulo attendendum

in

in Puris minuta evacuatione & ſuppreſſione, num fiat ex minori Puris generatione, an vero ex confecti Puris retentione. Optimum equidem eſt in Ulceribus & Abſceſſibus, ſi ſenſim puris copia minuatur ex bona cauſa, nam ſubito illa generatio nunquam ex bona cauſa ſubſiſtit; ſed ſi minuatur vel ſiſtatur non ex minori generatione, ſed ex facta retentione, plerumque mortem inſtare expertus ſum in ulceribus internis.

LIB. VII. APH. XVII.

342. *AB hepatis inflammatione ſingultus, malum.*

I.

SUperius (*Aph.* 251, IV.) cum Auctore obſervavimus, Hepati inflammato Singultum ſupervenire, ubi ſuppoſuimus, illam Inflammationem eſſe cognitam: hoc autem loco, quia præſagium malum eſt formandum, ex ſingultu ſuperveniente (*Aph.* 304.) per phænomena primo conſtare debet, num æger ille laboret Hepatis inflammatione, quia ægri hoc non indicant, ſed a medicis inflammatio latens eſt eruenda; dein videndum, ex qua ratione malum elicitur præſagium ex Singultu ſuperveniente. Theoretica contemplatio facile ſuggerere videtur ſigna Hepatis inflammati, modo enim generalia ſigna Inflammationis applicentur ad Hepar, in promptu videtur, juniorem medicum eam inflammationem cognoſcere poſſe. Si vero hi ad praxin veniant, non parum ipſis hæret aqua, præcipua enim characteriſtica ſigna Inflammationis non apparent, quum lateat hoc viſcus ſub integumentis & muſculis abdominis, quo abſconduntur omnia ſigna, quæ oculis detegunturin externarum partium inflammatione: atque pulſus frequentior & durior, omnium internarum inflammatio-

num perpetuus comes, in Hepatis inflammatione reddi ſolet mollis & debilis: neque tantus dolor in Hepate quam aliis partibus inflammatis detegitur : denique partes adjacentes & ipſum Hepar affectum multa anomala ſigna inferunt. Quare non facile eſt determinare, num Hepar ſit inflammatum. Præcipua ſunt, febris continua, anxietas hypochondriorum, color ictericus per corpus, tumor in dextro præcipue hypochondrio, cum pulſatione hac in parte. Et quoniam Hepar magnum eſt viſcus, ſi ejus pars ſima inflammata ſit, ventriculus maxime conſentit, ut cibus deſcendens ventrem torquere videatur, ægri ſint nauſeoſi & vomiturientes cum anxietate ſumma. Sed ſi pars gibba ſuperior magis affecta ſit, diaphragma & reſpiratio magis afficitur ſimul, dolorque uſque ad jugulum extenditur. Si ergo ex his ſignis nobis conſtat Hepar eſſe inflammatum, Singultus certe malum præſagium afferre debet. Demonſtravimus enim, Singultum eſſe ſpeciem convulſionis: (*Aph.* 304.) ergo ſignum eſt, diaphragma & œſophagum conſentire, ſeu latius extendi morbum, & ſcimus motu illo intendi inflammationem, atque per illum motum materiem morbi evacuari non poſſe. Sed ſi veniat Singultus, non raro ſimul inducit ſuffocationem.

LIB. VII. APH. XVIII.

343. A *Vigilia convulſio, aut delirium, malum.*

I.

VIgilia ἀγρυπνία non ſimpliciter ſignificat vigilantem hominem, ſed uti in hoc loco ſi æger morbo correptus per longum tempus dormire non poteſt. Quia in ſanitate ſomnus & vigilia ſe alterne excipiunt, quando ergo homo debito tempore dormire non poteſt, ſignum

ſignum eſt, aliquam adeſſe morboſam cauſam, quæ ſomnum intercipit. In morbis Chronicis rarum eſt, quod homines poſt diuturnas vigilias vel convelluntur vel delirant: adeoque hoc ſymptoma eſt accipiendum in Acutis. In morbis autem Acutis intercipitur ſomnus, ſi ſanguis feratur majore impetu ad caput, vel materia bilioſa acris ad encephalon delata perturbet motum æquabilem, qui ad ſomnum capeſcendum requiritur. Eædem etiam cauſæ ſed validiores & majores generant Convulſionem (*Aph* 214, 11) & Delirium: quando nempe partes in Encephalo motu validiore ita agitantur, ut ſpiritus inordinate & cum impetu commoti, Convulſionem aut Delirium generent. Quia ergo illa ſymptomata indicant majorem perturbatum motum, neceſſario malum præbent ſignum.

LIB. VII. APH. XIX.

344. AB *oſſis denudatione eryſipelas, malum.*

I.

NOn ſemper Oſſi denudato ſupervenire Eryſipelas (*Aph.* 290, 1) quotidie experimur in chirurgicis, ſi autem ſuperveniat, malum erit ſignum, tam quoad cauſam, quam effectum. Tunc enim præprimis accedit Eryſipelas, ſi humor ichoroſus ex oſſe nudo effluens ad partes molliores applicatus, iſtas irritat, tumere & rubere facit, qualis rubedo a multis imperitis pro Inflammatione accipitur: ſed quoniam talis tumor ruber magis eſt pruriens, & non convertitur in pus ſed in Ichorem, atque exigit medicamenta, quæ Eryſipelati adhiberi ſolent, & reſpuit laxantia, & humida, quæ egregie opitulantur inflammatis, neceſſe erit, ut hanc rubedinem ſupervenientem vocemus Eryſipelas. Hoc autem generatur, ſi medulla oſ-

ſis corrumpi incipit, ergo ſignum eſt malum, quum ſit corruptionis indicium. Et mala quoque eſt cauſa, nam ſi putreſcat medulla, Os nudatum non ſolum in loco denudato peribit, ſed etiam pars reliqua a medulla corrupta inficietur: atque medulla corrupta intercipiet omnem conſolidationem, quia materiem purulentam, quæ alias conſolidationem promovet, commutabit in Ichorem rodentem, ſolventem omnes affluentes humores in putrilaginem.

LIB. VII. APH. XX.

345. AB *Eryſipelate putredo, aut ſuppuratio, malum.*

I.

ERyſipelatis materiem eſſe tenuem, acrem, & calefacientem, nemo dubitare poteſt, qui ſuperius dicta (*Aph.* 290.) perpendit. Optimum eſt, ſi materia ea per inſenſibilem perſpirationem exeat, relinquens partem prius obſeſſam ſanam; iſtius enim detegitur naturæ, ut nunquam ſanis aſſimulari poſſit, vel in pus commutari, ſed retenta ſenſim reddatur acrior: propterea tanto cum ſucceſſu adhibent Chirurgi ſicca & ſiccantia atque abſorbentia ad Eryſipelatis curationem, quibus id tenue auferunt. Si vero illa materia relinquatur in loco calido, & humiditate diluta, prompta eſt ejus mutatio in Putrilaginem, qua non ſolum boni affluentes humores liqueſcunt, verum ipſæ etiam partes firmæ, & præcipue pinguedo: tunc non amplius ſufficit inſenſibilis exhalatio, verum, quod ita per Putredinem fuit mutatum, ſimul debet auferri. Quare morbi ſtatus pejor eſt poſt conceptam illam putredinem, quum declaret cauſæ augmentum, & promittat difficiliorem & tardiorem curationem. Igitur cavendum eſt, ne pars Eryſipelate affecta diſponatur ad Putre-

Putredinem. Atque malum eſt, ſi Eryſipelas abeat in Suppurationem. (*Aph.* 285.) Videtur ex hac obſervatione noſtra ſententia deſtrui, qua ſtatuimus materiem Eryſipelatoſam nunquam abire in purulentiam; ſed re penitius inſpecta clare conſtabit, materiem Eryſipelatoſam ſemper abire in Ichorem ſi non evacuetur, nunquam vero in Purulentiam. Eodem modo de hac materia eſt ratiocinandum, ut ſuperius (*Aph.* 285, 11) fecimus de ſanguine effuſo. Dum enim acris materia Eryſipelatoſa irritat partes adjacentes, in his generat localem Inflammationem, quæ pus producit, adeo ut in eo loco habeatur materia Eryſipelatoſa irritans, & materia purulenta, qualis morbus a veteribus dicebatur Eryſipelas Phlegmonodes. Mirum videri alicui poteſt, quod praxis conſtanter doceat, mutationem Inflammationis in ſuppurationem eſſe bonam, dum tamen Inflammatio ex Eryſipelate nata ſi tranſeat in purulentiam in hoc loco dicatur malum. Sed ſi pura ſimplex adfuit Inflammatio, quæ commutatur in ſuppurationem, pus confectum erit blandum & conſolidans: ſed ſi ex Eryſipelate adjuncta materia illa bilioſa acris admiſceatur Puri, iſtud tunc Pus non manet blandum & conſolidans, atque hoc ichoroſum Eryſipelatoſum, non deſinet irritare, novamque Inflammationem in ambitu concitare, ideoque malum eſt, & ſemper evitandum a chirurgis, ne Eryſipelas maturantibus convertant in purulentiam.

LIB. VII. APH. XXI.

346. A *Forti pulſu in ulceribus, ſanguinis eruptio, malum.*

I.

OBſervavit Auctor & quidem nos in quotidiana praxi Chirurgica, ſanguinis fluxum ex ulceribus non ſemper magnum malum portendere, cum vaſcula in ulceri-

bus ſemicorroſa & minus ſuſtentata facile eructent ſanguinem: ſed ſi prægrediatur fortis pulſus, id eſt Pulſatio in ulcere, ubi in ſanis non ſentitur arteriarum agitatio, tunc ſanguinis eruptio facta non caret periculo. Hoc ut ex ſuis fundamentis intelligatur, præſciendum erit ex quanam cauſa generetur illa Pulſatio in ulceribus; dein videndum quodnam malum indicat. Omnes arteriæ non ſolum moventur a ſanguine implente propulſo actione cordis, verum etiam in ſuis fibris muſcularibus donatæ ſunt motu vitali, quod demonſtravimus in particulari exercitatione De Motu Vitali. Ille autem motus vitalis per omnes arterias in ſanis corporibus tam moderatus eſt, ut nullibi, niſi in quibuſdam partibus, ubi arteria ſatis magna nudius hæret, ſentiatur. Sed ſi quidam Arteriæ ramus, cujus motus antea percipi non potuit, validius moveri incipit, tunc tali in loco non conſueto, ſentitur motus aliquis pulſui reſpondens, qui hoc loco Pulſus Fortis vocatur, ſed a nobis Pulſatio, ut diſtinguatur a pulſu forti, qui in locis conſuetis manu medici exploratur. Hanc Pulſationem fere omnes deducunt ex obſtructione, quum arteria ligata ſupra vinculum validius vibret: ego autem talem cauſam in his ulceribus invenire nequeo, quia omnia minus in ulceribus ſunt ſuſtentata, & experimur omne irritamentum & læſionem inferre poſſe pulſationem, in quibus ne veſtigium obſtructionis poteſt concipi. Quare mihi indicium eſt, hoc in ramo arteriæ per irritamentum factum fuiſſe motum majorem, quem innuimus (*Aph.* 249.) qui ita exagitat arteriam, ut nunc in loco non conſueto ſenſibilem pulſationem faciat. Hoc fundamentum poſitum evidentiſſime demonſtrabit, Pulſum Fortem in Ulceribus producere poſſe ſanguinis malam eruptionem. Ipſa enim pulſatio fortis indicat, vel quod acre irritans habeatur in ulcere, vel partem inchoaſſe novam inflammationem, quæ utræque cauſæ exaſperabunt ulcus: & quia pulſus fortis indicat magnum arteriæ ramum ita agitari, non erit mirum, ſi ex illo impetu, quem accipit ſanguis in eo ramo arteriæ contentus, diffringantur rami arterioſi in ulcere minus ſuſtentati,

atque

atque ita evomant ſanguinem. Sed ſi ex tam magno ramo arteriæ, quod nobis conſtat ex Pulſu Forti, ejicitur ſanguis, non ita erit in poteſtate Medici vel Chirurgi hanc compeſcere hæmorrhagiam, eſt enim tunc in ulcere ac ſi aliquod aneuryſma fuiſſet ruptum. Recte ergo monet Auctor malum eſſe, ſi poſt fortem pulſum in ulceribus ſanguis erumpat, quia non potuit ſemper compeſcere illam hæmorrhagiam, atque illa evacuatio ſanguinis non conducebat conſolidationi ulceris: antea enim potuit per balſamica applicata promovere ulceris conſolidationem, & modice ſuſtentare partem, nunc vero applicanda ſunt ſtyptica ad compeſcendam hæmorrhagiam, & firmior adhibenda eſt cinctura, atque ita retardatur ulceris curatio, & relinquitur timor recrudeſcentiæ hæmorrhagiæ.

LIB. VII. APH. XXII.

347. A *Dolore diuturno partium circa ventrem, ſuppuratio malum.*

I.

DOlores diuturniores tandem deſinere in ſuppurationem, ſæpe etiam in praxi obſervavi, ſed & multi paſſi fuere diuturnos dolores ſine ſubſequente ſuppuratione: quare non eſt conſtans obſervatio, omnem Dolorem diuturnum abire in ſuppurationem. Neque hoc indicare voluit Hippocrates: ita paſſim profert ſingularia obſervata, quæ ab ejus Commentatoribus reducuntur ad regulas generales, unde praxin exercentes ſæpe falluntur in præſagiendo. Inveniuntur enim humores acres & tenues per annos dolorem inferentes, uti dolores catatrhoſi & rheumatici, qui nunquam in ſuppurationem convertuntur. Sed ſi doloris cauſa irritando inferat inflammationem, hæc tunc tandem in ſuppurationem abeuns purulentiam

tiam exhibet: hoc etiam fit, ſi ex corroſione materiæ acris fiat vaſorum deſtructio, & ita ulcus internum, hoc tunc pus generat. Quare non eſt judicandum eandem materiem, quæ tam longum dolorem fecit, abiiſſe in purulentiam, ſed pus natum eſſe ex ſuperveniente Inflammatione vel ulcere. Hanc nunc ſuppurationem pronunciat malum eſſe, quoniam ſignum eſt, materiem dolorem inferentem tam acrem eſſe, quæ potuit deſtruere partem. Neque ſuppuratio facta tollit præcedentem morbum, & raro exhibebit bonum pus, nam corrodens iſtud puri miſtum, invertet puris blandam indolem in ichorem rodentem. Ut enim ex prægreſſa inflammatione producatur bonum Pus, intra viginti & ad ſummum quadraginta dies Suppuratio pus effundere debet: ſed ſi ex alia cauſa natus fuit Dolor diuturnior, ut monuimus, & dein Abſceſſus vel Ulcus pus præbens, complicatus eſt morbus: ſi vero Dolor diuturnior natus fuit ex Inflammatione, ex qua non niſi poſt diuturnum tempus prodit pus, certi ſumus quidem multo prius pus fuiſſe natum, ſed quia non fuit evacuatum, diuturniori illa mora Pus erit corruptum, & in ichorem rodentem converſum, qui circumjacentes partes corroſit, atque ita poſt eruptionem relinquet Abſceſſum vel Ulcus ſordidum. Hæc omnia mala eſſe, non eſt opus adſtruem. Hæc ergo obſervatio eſt generalis ubique in corpore, ſed Auctor quia hoc obſervavit factum in partibus circa Ventrem, locum ſimul adjecit.

LIB. VII. APH. XXIII.

348. A *Meraca dejectione Dyſenteria malum.*

I.

QUando dicantur Meracæ Dejectiones (*Aph.* 331, II. & *Comp.* T. 90, LXI.) & qualis morbus ſit Dyſenteria (*Aph.* 134, 1) ex locis citatis colligi poteſt: hoc loco videndum, cur ſæpe poſt meracam Dejectionem generetur Dyſenteria, & cur hoc ſit malum. Meracæ fieri nequeunt dejectiones, niſi unicus humor tanta copia confluat ad inteſtina, & dein evacuetur, ut in Excrementis reliqua ciborum recrementa non appareant. Hinc Dyſenteria ab atra bile incipiens, lethale. (*Aph.* 134, II) Ita alvi egeſtio viſcoſa meraca aut alba, mala eſt. Spumoſæ Meracæ; Bilioſæ Meracæ; Sanguineæ Meracæ; paſſim obſervatæ ſunt ab Hippocrate & omnibus Practicis. In his omnibus copioſiſſima fuit alicujus humoris depoſitio, vel vaſis ruptis vel dilatatis, vel natura ſtimulata ad faciendam copioſiorem ſecretionem. Verum raro accidit, ut in continuato tali fluxu non adſit quædam acrimonia, vel non ſuperveniat; hinc ſæpiſſime poſt continuatam eam Dejectionem ab humoris acrimonia ſenſim incipiunt inteſtina corrodi & inſtigari ad frequentiorem dejectionem, qualis morbus vocatur Dyſenteria. Hæc vero ſi veniat, malum eſt ſignum, nam quamdiu aberat dolor in copioſiore dejectione, ſignum erat, eum humorem non poſſidere acrimoniam, ſed ex Dolore ſuperveniente cognoſcimus, iſtos humores inſuper acrimoniam accepiſſe, quod malum eſt: atque eadem acrimonia vellicantur magis inteſtina, ut copioſiorem dejectionem faciant, quam antea. Ergo ut ſignum & ut cauſa malum eſt, ſi Dyſenteria ſuperveniat.

LIB. VII. APH. XXIV.

349. *AB osse perscisso delirium, si in vacuum penetraverit.*

I.

HUcusque Aphorismis addiderunt Malum, quod brevitatis gratia Hippocrates non adjecerat: quamobrem etiam huic non addatur, nullam invenio rationem, nam etiam in sequentibus Auctor pergit citare symptomata supervenientia mala & lethalia: atque sensus hujus Aphorismi hoc exigit; nam si ossa cranii ita fuere perscissa, ut scissura ad interiora encephali, id est in vacuum penetret, Delirium tunc superveniens, malum est signum, quod hodierna observatione chirurgica confirmatur. Auctorem intelligere hoc loco ossa Cranii, nullus dubitare potest, nam reliqua ossa fracta vel perscissa usque in cavum, quod medullam continet, rariſſime Delirium inferunt, sed si vulneratur Cranium, ut simul lædantur contenta Encephali, sæpe Delirium generatur. Qui pro vacuo accipiunt sinus frontales, vel & Diplöen, maxime errant, quia hæ partes non magis inferunt Delirium, quam reliquæ ossis cavitates medullares læsæ. Omne autem vulnus in cavum cranii penetrans Delirium non infert, nam nisi simul afficiantur meninges, quæ suo tunc motu inordinato Delirare faciunt hominem, sæpe fit, ut homo mente maneat constans, quod constat multiplici experientia chirurgorum in Cranii fracturis. Sed si Delirium superveniat, periculosissimum est symptoma, indicans partes encephali esse læsas, & motu perturbato agitari.

LIB. VII. APH. XXV.

350. A *Purgantis potione convulsio, lethale.*

I.

MEdicamenta Purgantia, vel majore evacuatione (*Aph.* 196, 1) vel sua virulentia (*Aph.* 126, III. (*Aph.* 194, 1.) periculosas Convulsiones inducere, exposuimus, quare non opus repetere.

LIB. VII. APH. XXVI.

351. A *Dolore vehementi partium, circa ventrem, extremarum frigus, malum.*

I.

QUæ dicuntur Partes Extremæ (*Aph.* 326, 1) & Partes circa ventrem (*Aph.* 347, 1) exposuimus: ubi simul notavimus, hanc particularem observationem generaliter accipi posse, quod etiam hoc loco est faciendum; nam sive vehemens Dolor corripiat partes circa ventrem sive quamvis aliam partem, modo superveniat frigus extremarum partium, malum erit signum. Quod autem Auctor hic posuit casum particularem, non vero generalem, inde est, quia inventores a particularibus tandem ad generalia pervenire possunt: sed si continuata observatione etiam in aliis partibus idem experimur, tandem ex multis specialibus unicam regulam generalem deducimus. Hoc autem hodie facere possumus, quoniam edocti sumus, cujuscunque

cunque partis dolori vehementi ſi ſuperveniat frigus extremarum, malum eſſe. Multi putant hoc loco intelligi Dolorem Inflammatorium, qui, ſi abeat in frigiditatem, indicaret commutationem Inflammationis in ſphacelum. Sed tunc non tantum eſſet ſignum malum, verum lethale, quia non novi aliquem ſupervixiſſe, cujus interna viſcera inflammata abierunt in ſphacelum: atque tunc Dolor ventris & frigus extremarum non habentur ſimul, ſed tunc evaneſcit dolor ſine ratione. Itaque hoc loco intelligendus eſt Dolor Vehemens, qui ſua vehementia inducit Extremarum frigiditatem, non vero ex commutatione in ſphacelum. Hujuſmodi Dolores ſæpe obſervavimus, & nobis quoque ſemper fuere ſuſpecti. Invenimus enim in nobis viventibus illam legem generalem, omnia irritantia, dolorem facientia in conſenſum trahere motum vitalem circulatorium, ut inde fiat circulatio & calor major per totum corpus, cum pulſu frefrentiore & duriore. Unam autem ſpeciem Doloris detexi in Praxi, qui quo magis intenditur, eo magis minuit motum vitalem & naturalem corporis calorem, quem ſentio oriri ex Acrimonia nitroſa frigida (Vid *Perſp. Cap.* VII, §. XXII.) Utraque ſpecies, nempe Dolor Calorem inferens, & Frigiditatem producens, ſi ſit vehemens cum extremarum frigiditate, malum eſt ſignum. Nam ſi Dolores, qui calorem inferre ſolent, faciant Extremarum frigiditatem, ſignum eſt, vim vitæ ſuperari magnitudine morbi, & anceps eſt ſtatus, num vires dein inſtigatæ magis hanc magnam cauſam ſuperabunt, quod ſæpe tamen experimur in paroxyſmis febrilibus, qui cum frigore incipiunt: atque perſeverans frigus non ſuperabit Doloris cauſam, quum illa ſuperanda ſit actione vitali, quæ exercetur in majore, non vero in minore circulatione. Igitur frigus in hujuſmodi doloribus vel periculum vel longitudinem portendit. In altera autem ſpecie doloris, qui ſemper adjunctum frigus habet, quo major eſt dolor, & majus extremarum frigus, eo majorem copiam acrimoniæ quoque declarat, quod etiam malum eſt.

LIB. VII. APH. XXVII.

352. *Mulieri in utero gerenti, teneſmus ſuperveniens, abortire facit.*

I.

DUm concepit mulier, naturale eſt, ut tamdiu ejus os uteri maneat clauſum & fœtum retineat viventem, donec omnia ejus membra ſint perfecta, ut poſſit alimentis ore ſumtis proprium ſuum nutrimentum conficere, & in lucem prodiens reſpirare: raro ante ſeptimum menſem ad eam perfectionem venit fœtus humanus: ſi ergo prius in lucem prodeat, quam ut illa organa habeat perfecta, ſive fœtus ita prodeuns ſit vivens vel mortuus, illa excluſio vocatur Abortus, qui eſt partus maturior quam quo poteſt vitalis manere infans. Si vero poſt iſtud tempus, uſque ad legitimum partus tempus excludatur fœtus ſive vivens ſive mortuus, potius illa excluſio vocatur Partus præmaturus, quo tempore excluſus fœtus omnia membra eouſque habet perfecta, ut potuiſſet a matre ſeparatus vivere. De tali ergo excluſione hoc loco agit Auctor, quæ fit ante tempus, quo potuiſſet fœtus excluſus a matre ſeparatus, manere vitalis. Multæ ſunt cauſæ talem Abortum facientes, quæ nimis copioſæ ſunt, quam ut hoc loco recenſeantur, ſed ſolus Teneſmus hic aſſignatur, qui Abortum minatur. Quare in Gravidis ſi adveniat, Abortum prædicere poſſumus. Meretur hoc loco examinare, quali modo Teneſmus Abortum facere poſſit. Si inteſtinum rectum a quavis cauſa irritatur, in ejus fibris muſcularibus aliquis concitatur motus, qui contenta non ſolum etiam hujus ſed inteſtini coli determinat verſus anum, & ita ejicit: & ut hæc ejectio validiore potentia peragatur, naturali lege muſculi abdominis in conſenſum

trahuntur, qui non ſolum tunc quaſi contra voluntatem noſtram conſtringuntur, ſed etiam faciunt motum determinantem deorſum: præterea cogimur facta ſumma inſpiratione retinere animam, ut diaphragma magis complanatum poſſet receſſum viſceris ſurſum impedire, quo majore potentia urgentur contenta inteſtinorum verſus anum. Si tunc adſunt feces inteſtinorum, illæ ejiciuntur, quando vocatur Alvi egeſtio. Sed ſi in inteſtinis nullæ reſtent feces, & hoc tamen inteſtinum ab aliqua cauſa irritatur, eadem fiunt conamina ſine dejectione fecum, niſi quod violenta illa compreſſione extrudatur aliquid mucoſi ex lacunis inteſtini recti. Hic conatus ſæpe redeuns ſine dejectione fecum vocatur Teneſmus, ſeu crebra cupiditas egerendi alvum. Inteſtinum rectum ad talem ejectionem inſtigatur vel a cauſa irritante ipſum inteſtinum, vel ita movetur per conſenſum, uti experimur in calculoſis, ſi calculus hæreat ad urethræ orificium, & in ſtranguria virorum. In feminis autem, quia uterus inteſtino recto adjacet, ab eo affecto etiam inteſtinum rectum conſentire poteſt, quando tunc non amplius in recto inteſtino ſunt feces, illa fœmina laborabit Teneſmo. Igitur femina gravida Teneſmo laborat, ex cauſa irritante inteſtinum rectum, vel per conſenſum cum utero ſeu vagina. In utroque caſu Abortus inſtat, ſi fiat ante legitimum pariendi tempus. Si enim cauſa illa inſtigans in utero vel vagina hæreat, nemini mirum eſſe poteſt, quod tunc per validiſſimum conatum, uti in parturientibus, fœtus immaturus excludatur. Si fiat autem per irritationem ipſius Inteſtini, non ſolum conatus in Teneſmo valide urget contenta uteri, ut ejus internum orificium aperiatur & ita excludantur; verum ipſe uterus tandem etiam in conſenſum trahitur, ut ſe accingat quemadmodum in parturientibus profundere contentum immaturum fœtum. Ex his ſatis conſtat, quam cauti eſſe debeant medici in propinandis purgantibus, indandis ſuppoſitoriis vel glandibus, & injiciendis clyſmatibus, feminis gravidis; atque ſumma cura prompte curare debent feminis gravidis Teneſmum

&

& Dyſenteriam, ne ſubſequatur iterato conamine egerendi Abortus.

LIB. VII. APH. XXVIII.

353. *Quodcumque os, aut cartilago, aut nervus in corpore diſſectus fuerit, neque augetur, neque coaleſcit.*

I.

TOtum hunc Aphoriſmum ſuperius (*Aph.* 284.) explicatum invenire poteris.

LIB. VII. APH. XXIX.

354. *Si a Leucoplegmatia detento vehemens diarrhœa ſuperveniat, morbum ſolvit.*

I.

ANtequam definire valeamus, quomodo vehemens Diarrhœa ſuperveniens ſolvere poſſit Leucophlegmatiam, conſtare debet, qualis ſit Hydropis ſpecies (*Aph.* 101, VI.) & ex qua cauſa naſci ſoleat. Qui homines per totam cutim laborant tumore albo molli, æquali, frigido, qui foveam impreſſi digiti diu retinet, hi dicuntur Leucophlegmatici: habent ergo hi in cutis ſubſtantia & tunica celluloſa ſubjecta, magnam humoris viſcoſi, & albi coloris copiam, quo implentur vaſcula minima & cellulæ: talis autem tumor in quadam ſpeciali parte apparens rectius vocatur Oedema: ſi color pallidus commutetur in quemcumque alium, tunc ad Cachexiam refertur: ſi abſit viſcoſitas, potius generale nomen Hydropis retinet.

retinet. Idea igitur hujus morbi formatur, ſi concipitur cutis ſubſtantia laxior, & minori motu vitali donata, in qua tunc colligitur humor ſanus aquoſus, ſeu potius gelatinoſus concreſcibilis, qui ſtagnans vel minus propulſus, ſic dictam pituitam vel phlegma præbet. Ex loco ſæpe vocatur Anaſarca & Hypoſarca, atque aqua inter cutem. Quando itaque collecto humori accedat paulo major motus vitalis, tunc vaſcula hunc humorem continentia, magis moventia viſcoſum eum humorem in fluorem redigent, quum duntaxat cohæreant, quia minus moventur: eodemque motu protrudentur alias ſtagnantes, in venas & circumducuntur cum aliis. Ita ſi veniant ad inteſtina, generabitur vehemens id eſt copioſiſſima evacuatio per alvum, quæ auferet abundantem illam nunc lympham, & reſtituet corpori ſanitatem, quod etiam ſupra notavimus (*Aph.* 279.) Etiamſi experimur in hac ſpecie Hydropis, ſolutionem fieri vehementi Diarrhœa, hoc autem non procedit in reliquis Hydropis ſpeciebus: nam ſi Pituitoſum Hydropicorum abeuns in putrilaginem vehementem Diarrhœam faciat, poſt liquoris evacuationem peribunt ægri: itidem Diarrhœa nata ex obſtructis glandulis meſenterii vel ciſterna lumbari tranſitum lymphæ per ductum thoracicum intercipiente, quo fit copioſior, eo citius moriantur ægri. Neque ſemper procedit in particulari hydrope, qui oriri poteſt ex hac vel illa vena compreſſa, quod fieri nequit in generali Leucophlegmatia, talis enim obſtructio vel compreſſio non ſemper tollitur alvi fluxu ſuperveniente. Neque præbet conſtantem regulam, omnem Hydropem vel Leucophlegmatiam curandam eſſe purgantibus; variæ enim ſunt Hydropis cauſæ, quarum quædam reſpuunt purgantia; & quando in Leucoplegmatia non prius fuit ſolutus humor per alvum educendus, per purgans elicietur humor bonus & fluxilis, relicto viſcoſo in tunica celluloſa & cute, qui ad inteſtina venire nequit.

LIB. VII. APH. XXX.

355. *Quibus ſpumoſæ egeſtiones in alvi profluviis, his de capite pituita defluit.*

I.

Spumoſæ egeſtiones quæ dicantur, & unde oriantur.

EX experimentorum defectu multa præpoſtera protulerunt Veteres de Egeſtionibus ſpumoſis, quæ eorum ſequaces non ſolum amplexi ſunt, ſed & multis alienis ſententiis ornarunt. Si vero rimamur ſolummodo, quæ nobis experimenta ſuggerunt, multa egregia & ſcitu neceſſaria petere poſſumus ex his ſpumoſis Egeſtionibus. Conſtat experimentis, aërem in inteſtinis & ventriculo collectum motu vermiculari æquabili ita uniri humoribus, ut plane evaneſcere videatur; ſed motu inordinato earum partium, etiamſi nihil aëris ingeratur, tantam aëris copiam generari, ſeu potius ſeparari ab adhærentibus humoribus, ut non ſolum inteſtina & ventriculus turgeant, verum etiam totum abdomen inſtar tympani tendatur; &, quamvis multi ructus & crepitus emittantur, venter tamen non ſubſideat, quaſi generationis aëris nunquam eſſet finis. Generatur etiam in inteſtinis aër, uti extra corpus noſtrum ex fermentatione vel putreſcentia contentorum, ſi ventriculi & inteſtinorum actio debilior non valeat ſpontaneam hanc mutationem arcere. Tali modo natus aër ſi viſcoſis, vel pinguibus humoribus miſceatur, exhibet liquorem ſpumoſum; ſed aquoſis meris miſtus ſtatim ſe extricans non producit ſpumantem liquorem. Ut igitur ſpumoſæ Egeſtiones fiant in alvi profluviis, requiritur præſentia humoris ſubpinguis, ſaponacei, vel glutinoſi, qui aëris bullulas retinere poteſt, atque inteſtinorum motus inordinatus, qui aërem producit, ut monuimus, & qui ſimul copioſiorem dejectionem facit; nam in tali motu aucto con-

cipi nequit fieri poſſe, vel fermentationem, vel putredinem ſpontaneam ex deficiente motu inteſtinorum. Spumoſæ ergo Egeſtiones ſemper ſignificant motum inteſtinorum perturbatum, ſed prout color, odor, & conſiſtentia variat, ita eſt humor morboſus diverſus, qui ex aëre admiſto ſpumantem Egeſtionem præbet. Nunquam in praxi obſervare potui, ſpumoſam Egeſtionem dediſſe bonum præſagium, quia ſemper indicat motum perturbatum, & corruptionem humorum.

An ſpumoſæ Egeſtiones ex pituita a capite defluente?

II. Quum Auctor accuſet Pituitam, inde concludere poſſumus, eum hoc loco intelligere feces albicantes, ſeu pallidas & ſpumoſas, quas etiam ſæpe obſervavimus emiſſas eſſe cum capitis dolore. Hoc etiam cum obſervaverit Hippocrates, exiſtimavit eam pituitam ſpumoſam, quam conſpexit egeſtam per alvum, natam eſſe in capite, & inde cum impetu delatam ad inteſtina & ita ejectam. Multi, neſcio quibus rationibus ſed abſurdis adſtruere hanc ſententiam conati ſunt; alii vero eandem ob magnam abſurditatem repudiarunt, inferentes talem pituitam ſpumantem cum impetu ferri non poſſe ex capite ad inteſtina, obſtare pulmones, diaphragma, & inteſtina, quæ exterius in ſe nihil recipiunt: adeoque judicarunt hanc obſervationem eſſe falſam. Nos autem aliquoties experti ſumus in capitis doloribus hujuſmodi factas fuiſſe Egeſtiones ſpumoſas, quas puto provenire a ſucco nervoſo acriori præprimis in Encephalo nato, & capſulis nervorum, ſenſim ſecundum nervorum curſum ad inteſtina delato, ibi præbere humorem dictum pituitoſum, qualis obſervatur in gravedine. Si hic humor in cavum inteſtinorum depoſitus fuerit, ſimulque inteſtina vellicat, motu tunc inordinato inteſtinorum, non ſolum generatur aër copioſior, verum etiam eodem motu ita miſcetur huic Pituitæ, ut præbeat recenſitas alvi Egeſtiones ſpumoſas, cum multis ventris torminibus.

LIB. VII. APH. XXXI.

356. *QUibus febricitantibus, in urina ſubſidentiæ ſunt craſſiori farinæ ſimiles, longam infirmitatem ſignificant.*

I.

Urinæ ſedimentum farinoſum longam infirmitatem ſignificat in febribus.

SI in fundo uroſcopii, quod continet urinam in quiete refrigeratam, detegitur materia albicans inſtar farinæ non exacte molitæ, tale ſubſidens vocatur Sedimentum farinoſum, quod non multum diſtat a ſedimento albo & bono in febribus, quoad externum conſpectum, niſi quod illæ partes ſint majores, minuſque æqualiter diſtributæ, quam in ſedimento albo. Quoniam hæ partes farinoſæ non apparent in calente urina, neque tam magnæ ire poſſunt per tubulos renales, certe conſtat, iſtas formari in refrigerata urina. Illa ergo materia hoc Sedimentum formans poſſidet majorem concreſcendi potentiam, quam quæ obſervatur in Sedimento albo æquali, qua concreſcit in grumulos. Quum vero omnis materia Sedimentum formans ſit materia morbi, quia illa in ſanorum urina non apparet, concludere poſſumus, tali in febre morbi materiem in corpore adhuc oberrantem pronam eſſe ad concretionem, & inde viribus vitæ non facile ſeparari poſſe. Per febres intelligere ſolet Febres continuas, vel quæ non intermittunt, alias enim dici ſolet in Intermittentibus: quare hoc in loco præſagium ſumendum ex Urinæ inſpectione, ut promittamus longam Infirmitatem. Hoc Auctor noſter non deſumſit ex ſpeculatione theoretica, ſed quia obſervavit in ægris febricitantibus, ſi talis prodiret urina, longam manſiſſe infirmitatem, quod etiam nos ſæpiſſime obſervavimus. Quamobrem non omnino inutilis eſt urinæ inſpectio, ut multi ignorantes urinæ arcana rimari con-

Urinæ inſpectio neceſſaria.

contendunt, neque ſoli urinæ inſpectioni, uti agyrtæ & impoſtores, eſt ſidendum, nam idem Urinæ ſignum in omni morbo non præbet idem præſagium. Propterea addit Auctor hoc loco in febribus: nam materia febris continuæ ſalubriter evacuari ſolet ſub forma ſedimenti albi & æqualis, quod ſedimentum tantum valet in febribus, ut dicatur criticum. Si vero referat farinam craſſiorem in febribus ſignificat, materiem phlogiſticam, ex majori motu febrili natam, non abiiſſe in materiem ſubpurulentam albam & æqualem, quæ a natura facile eliminatur, ſed in materiem talem tenaciorem, quæ non facile ope renum a tota maſſa ſegregari poteſt; & inde in corpore manens morbum protrahit: aut ſi poſtea deficientibus viribus per ſpontaneam ſupervenientem corruptelam immutetur, frequentiſſime novum morbum Chronicum producit. Quamobrem ex tali conſpecta urina non ſolum cum reſpondente effectu prædixi morbi Longitudinem, verum etiam ejus commutationem in alium morbum Chronicum.

LIB. VII. APH. XXXII.

357. *QUibus autem biliosæ ſubſidentiæ, ſuperne tenues, acutum morbum ſignificant.*

I.

Urina ſuperne tenuis cum bilioſo ſedimento, in febribus, acutum morbum ſignificat.

LIquorem colorem flavum exhibentem, etiamſi non ſit vera Bilis, a Veteribus vocari Bilioſum, tam frequens occurrit, ut nullus dubitare poſſit: ita enim omnia excrementa & humores morboſi flaveſcentes dicuntur Bilioſi, quia non ex omnibus Bilis proprietatibus hoc nomen invenitur impoſitum, ſed ex ſolo apparente colore. Itaque ſi id, quod ad fundum uroſcopii in urina refrigerata fertur, habet colorem flavum, hoc loco Hypoſtaſis bilioſa vocatur. De tali Urina ſuperne

Tenui

Tenui maxime disputant Commentatores, etiam ante Galeni tempora, quidam ἄνωθεν superne, retulerunt ad Tempus, alii ad Locum, quod ultimum ego amplector, quoniam in exercitatione practica talem sæpe conspexi urinam, quæ postea exhibuit morbum Acutum, id est validum & vehementem. Si modo Commentatores propriam praxin seu observationes in morbis consuluissent, facile potuissent sensum & veritatem Antecessoris nostri intelligere & confirmare: nam quod posuit Hippocrates, id non ex suo cerebro finxit, sed ex experientia medica desumsit, quod etiam deinceps a nobis praxin exercentibus observari potest, ut est illa urina in parte superiore tenuis in fundo sedimentum flavum bilioſum habens, post quam conspectam febris vehemens Acuta sequi solet. Si rimamur materiem hanc urinam præbentem, facile erit conceptu, morbum Acutum sequi debere. Materia est Biliosa, id est materia ichorosa flavescens, nata ex materia purulenta vel inflammatoria corrupta, est enim gravior reliquâ urinæ massâ, quia fundum petit, qualis major specifica gravitas non invenitur in Bile, quæ supernataret. Ergo signum est in febribus materiem febrilem non mutatam esse in materiem albicantem criticam, sed in ichorosum acrem & stimulantem humorem, qui in corpore remanens, (nam omnis non ita per urinam emittitur), stimulo suo febrem intendet. Quia vero separatur a reliqua massa urinæ, signum est, hanc materiem Biliosam non ita miscibilem esse communi vehiculo humorum aquoso, unde difficilius eliminari in posterum poterit. Urinæ superne tenues non significant urinam aquosam, sed pellucidam & etiam coloratam, nam æque inveniuntur urinæ tenues coloratæ quam decolores: &, quam ego vidi in hujusmodi morbis urinam, illa erat colorata flavescens, & superne pellucida, indicans, in communi illa massa nihil de materia morbosa contineri.

LIB. VII. APH. XXXIII.

358. *QUibus autem urinæ distantes fiunt, iis vehemens est in corpore turbatio.*

I.

Urina inæqualis in febribus vehementem turbationem significat.

QUæ mutationes in corpore nostro latentes fiunt, non nisi per phænomena externa detegi possunt; illa autem ita sunt tradenda, ut nulla de sensu phænomeni restet ambiguitas. Brevitas autem sententiarum, & varia significatio verborum non parvam sæpe parit obscuritatem, quæ totam prædictionem incertam facit. Assumo, hoc in loco agi de urinæ inspectione, quæ reddita fuit ab ægro febricitante, quod ex nexu hujus cum præcedentibus Aphorismis desumo, de quo nullus dubitare potest. Sed quæ dicantur urinæ distantes διεσηκότα τὰ ὕδατα, non consentiunt Auctores. Significationem hujus vocis Literatoribus relinquo, ego autem quod in praxi observavi, & per hanc vocem exprimi potest, proferam. Si Urina in febricitantibus emissa, refrigerata conspicitur, & invenitur quædam materia ruditer & inæqualiter concreta, dispersa per totam urinæ massam, talem ego vocarem Urinam Distantem, Divulsam, Separatam & Inæqualem in hoc loco. Alia autem habetur etiam species urinæ inæqualis ratione temporis, sed tunc potius dicitur urina varia aut inconstans. Talis definita Urina Distans notat, morbi materiem cum reliqua massa urinæ emissam inæqualiter per totam massam esse distributam: & quia urina declarare solet naturam miscelæ materiæ morbi cum humoribus circulatoriis, quod raro in urinæ inspectione fallit, ut passim sumus demonstraturi, tuto concludere possumus ex Urinæ inspectione, qualis sit materiæ morbi status in corpore; nempe morbi materia turbata est & mista humoribus circulantibus, quæ nunc viribus instigatis, vi quasi

quasi ante debitam coctionem extruditur, nunquam enim cruda nisi valida vi extruduntur. Quoties ergo talis divulsa emittitur urina, inter certissima signa magnæ turbationis accipi potest. Hoc ulterius manifestabitur ex pulsu, anxietate, & inquietudine ægri. Et scimus talem urinam non præbere bonum præsagium, quum cruda emissa non levent.

LIB. VII. APH. XXXIV.

359. *Quibus vero, in urinis bullæ superstant, renum affectiones significant, & longam fore invaletudinem.*

I.

URina per urethram emissa, vasculo recepta, si sit perfecte sana, aerem, quem descendens urina secum duxit, promte dimittit, ut fere instar aquæ puræ effusæ vix bullas vel spumam per minimum tempus retineat: aër enim cum urina descendens sub recipientis urinæ superficiem se in guttulas urina leviores colligens, sursum adscendit, formatque in urinæ superficie bullulas vel spumam non diu persistentem: eodem modo etiam aër conquassando urinæ si misceatur. Si vero illæ enatæ Bullæ vel Spuma per longum tempus persistant, copiosius generentur, vel omnino non evanescant, talis dicitur Urina spumosa, vel cui Bullæ superstant. Experimenta docent, aquam etiam spumosam tali modo fieri admisto glutinoso, vel saponaceo, atque Urina stagnando corrupta, conquassata, etiam magis spumosa redditur. Igitur Urina spumosa evacuatur, si in itinere corrumpatur, si ei admisceatur viscosum, aut si proveniat ex putrefactis nostri corporis humoribus: inde tam frequens in febribus colliquativis, putridis, hecticis, phthisi, & omni nimia emaciatione corporis, calculosis, omni-

Ex qua causa urina spumosa?

omnibusque morbis, qui faciunt exire liquefactam pinguedinem e corpore noſtro. Adeoque multo plures ſunt morbi in quibus invenitur Urina ſpumoſa, quam qui ab Auctore citantur, quod juniores Medicos decipit, exiſtimantes, Hippocratem in Aphoriſmis omnes morbos citaſſe, quibus redditur Urina ſpumoſa: ſed ita ſolitus eſt Auctor loqui, ſi unum alterumve caſum expertus ſit, iſtos abſolute ponere, non quod non haberentur plures, ſed quia iſtos in praxi detexit. Ego autem ex cunctis locis Auctoris collectis, & ex propria experientia multo plures cauſas inveni, quam quæ hic ab Auctore citantur, quas omnes pertractare nimis extra ſcopum excurreret. Talis igitur urina viſcoſa, ſaponacea, vel pinguetudine imprægnata, permittit quidem bullulas aëris urina leviores adſcendere, ſed hæ ſi ad ſuperficiem venerint, totam non relinquunt maſſam, ſed obteguntur tenui expanſa pellicula ex tali urina facta, quæ ſemper indicat aliquam in urina eſſe tenacitatem: atque quo ſpuma eſt copioſior, diutiuſque perſiſtens, eo majorem tenacitatem in urina arguit. Quare non ſolum ex urina ſpumante præcedentia dignoſcere poſſumus, verum etiam magnitudinem & parvitatem mali.

Urina ſpumoſa cur renum affectiones ſignificat?

II. Talis urina cum & ſine febre evacuari poteſt, ut obſervavi in Acutis & Chronicis morbis, ſed quoniam obſervavit Auctor ſæpe reddi in affectis renibus, inde ex conſpecta tali urina quoque intulit, ſignificari Renum affectiones. Si enim aliquis renum calculo laborat, duplici ex cauſa urinam ſpumantem reddit. Calculus enim ſemper affluente urina perfuſus ſpeciem corruptionis inducit, quare calculoſi etiam reddunt urinam fœtentem, hoc putrefactum urinam ſpumoſam facit, uti patet ex urina ſana dein putrefacta. Calculus etiam continuo terendo abradit naturalem viarum mucilaginem, quæ urinæ miſta & ſimul exeuns, urinam magis glutinoſam facit & inde magis ſpumantem: inde etiam Calculoſi reddere ſolent urinam craſſiorem & contentis ſaturam. Si vero pinguedo in corpore liquefacta & acrior reddita per urinæ vias emittitur, in ſuo tranſitu quoque dolorem renibus inferre poteſt, omnibuſque

nibuſque viis urinæ, quibus abradit ſeu abſtergit mucilaginem has vias naturaliter tegentem: ita illa urina ex ſua natura acrior, nudas tangens partes, dolores nephriticos infert, quod ſæpe in febribus putridis obſervatur.

III. Si quis febre laborans reddere incipit Urinam ſpumoſam, ſemper ego quoque in praxi obſervavi, iſtos ægros tarde recuperaſſe priſtinam ſanitatem: quod etiam rationibus eſt conveniens, nam omnis febris commutatio in putredinem morbum prolongat, quum vis vitæ neſciat putrefactum emendare, & caremus organo putrefactum ſeparante a bono; hinc diu durat, priuſquam omne putrefactum fuit evacuatum: quod alio modo fit in materia purulenta & critica, quam natura novit eliminare. Hinc per nullum emunctorium invenimus humorem corruptum evacuatum fuiſſe criticum: imo ulcera quamdiu putrefacta emittunt, non conſolidantur. Quia vero ſpumoſa urina ſignificat mutationem materiæ febrilis in putrilaginem, ex generali lege putrefacti longa eſt exſpectanda invaletudo.

Cur longam fore invaletudinem ſignificat?

LIB. VII. APH. XXXV.

360. *QUibus autem pingue eſt & confertum quod ſupernatat, his affectiones nephriticas, & acutas ſignificat.*

I.

ALterum phænomenon, quod in febricitantium urinæ ſuperficie conſpicitur, eſt Pingue & Confertum, ἀθρόν, in unum collectum, coacervatum; ſi nempe brevi tempore in urinæ emiſſæ ſuperficie formatur collectio pinguedinis, neque guttatim, neque inſtar telæ aranearum, neque in modum ſpumæ, ſed confertim, ſatis denſe ſtipatum & collectum. Hoc fit, ſi ipſa pura noſtri corporis

Unde pingue & confertum ſupernatans?

pinguedo cum urina exeat ſine prægreſſa putredine: nam pinguia urinæ miſta quia leviora ſupernatabunt inſtar cremoris lactis, & obtegent brevi tempore totam urinæ ſuperficiem; ſed ſi putrefacta ſint, & ita aquoſis miſcibilia, ſpumantem faciunt urinam, & non ſeparantur a reliqua urinæ maſſa. Talis ergo Urina ſignum eſt, veram pinguedinem in corpore liquatam cum urina reddi.

Cur talis urina ſignificat affectiones nephriticas & acutas?

II. Pinguedinem corporis in tunica celluloſa collectam, a vehementi calore liquatam, & circulatione aucta propulſam, ſanguini primo venoſo miſtam, & ita ad cor delatam, non ſolum in ſubito ſuperveniente febre acuta ardente, verum etiam in motu muſculari validiore, præprimis in obeſis, obſervarunt multi Medici: ex Calore aucto enim fit pinguedo fluxilis, naturalis ei eſt via ex cellulis in venas, ut docet Anatome, & aucta circulatione hæc promovetur protruſio. Igitur non eſt mirum in ardentibus Acutis morbis, ut pinguedo ſanguini miſceatur magna copia. Sed ex aucta illa circulatione ſequitur, Pinguedinem receptam evacuari cum urina: niſi enim motus particularis renum major ſimul accedat, recepta pinguedo in ſanguine cum urina evacuari nequit, ut ſæpe obſervamus in Ardentibus. Ut illa ergo pinguedo exeat, neque ſola circulatio major cum ardore ſufficit, quia his non generatur pinguedinis tranſitus per Renes; neque ſola actio renum valet talem producere Urinam, quia ſi cum ſanguine arterioſo copia pinguedinis non adferatur, renes eam excernere nequeunt. Recte igitur obſervavit Auctor has duas conjunctas affectiones, nempe Nephriticas & Acutas. Quod opponunt in Maraſmo & Phthiſi non eſt alicujus momenti, quod hi non reddant talem Urinam, etiamſi pinguedo totius corporis conſumatur: his enim pinguedo non conſumitur forma pinguedinis, ſed quando Pinguedo in his corrupta fuit & degenerata evacuatur. Quamobrem his frequentior eſt urina ſpumoſa, quam quæ habet Pingue confertum ſupernatans.

LIB. VII. APH. XXXVI.

361. *QUibus vero nephriticis exiſtentibus, prædicta ſigna accidunt, & dolores circa muſculos ſpinales fiunt, ſi quidem ad exteriora loca fiunt, abſceſſum exſpecta futurum extrorſum. Si vero dolores fiant magis ad interna loca, etiam abſceſſum magis introrſum fore exſpecta.*

I.

Nephriticis, urina, cui pingue confertum ſupernatat, & dolores circa muſculos ſpinales, ſupervenientia, abſceſſum præſagit.

NOn omnes Nephriticas affectiones (*Aph.* 110, VI.) oriri a renum calculo, imo ipſos renes interdum immunes eſſe, ſupra obſervavimus. (*Aph.* 276, II.) Iſtud etiam in hoc loco eſt tenendum, nam qui renum calculo laborant, nunquam reddunt urinam, cui pingue confertum ſupernatat, ſed urinam fœtentem, ſabuloſam, purulentam, vel & merum ſanguinem mingunt. Quare Nephritis hoc loco eſt generaliter accipienda pro lumborum dolore, eo circiter loco ubi Renes hærent. Nulla eſt in toto corpore pars dolens, quæ ingenia etiam peritiſſimorum magis fatigat, ad deſignandam partem affectam, quam Dolor lumborum, ipſa enim medulla ſpinalis ejusque membranæ cingentes, & nervi inde nati, meſenterium annexum, renes accumbentes, muſculi ſpinam moventes, ſi doleant, eodem in loco doloris ſenſum faciunt, ſed in effectibus toto cœlo differunt: inde tam difficile eſt a priori definire, num Lumborum dolor fiat a renum calculo, vel quavis alia cauſa. Noſter quidem Auctor tanquam Divino ingenio præditus retinuit quidem Nephritidis nomen, ſed bene intellexit hunc dolorem non generari ex Calculo, ſed voluit ex perſeverante Lumborum dolore præſagire Abſceſſum, vel internum, vel externum, qualem quoque caſum in quodam etiam viro obſervavimus, ut de

veritate hujus obſervationis minime ſit dubitandum, ſed potius mirandum, Noſtrum ſenem in rimandis phænomenis, ut ex iis formaret præſagium, neminem habuiſſe parem. Equidem fateor, etiamſi ſimilem tractavi caſum, me non potuiſſe, niſi ab Auctore monitum, talem formare prædictionem. Ponit Auctor aliquem, qui diu Lumborum dolore laboravit, ſed nullam mentionem calculi vel difficultatis urinæ mentionem facit, qualia quoque in caſu noſtro non fuere obſervata; potuit ergo illa doloris cauſa hærere in partibus lumborum circa renes. Quando illa materia acris ibidem ſatis diu hæſit, tandem aucta acredine circumjacentes partes magis vellicare incipit, ut inde circa locum hunc concitetur inflammatio: hucuſque incerti ſumus, quænam ſit pars dolens, & quid ſit exſpectandum; multæ tunc a medicis fiunt conjecturæ, ſed obſtupeſcunt ab eo dolore non reddi calculum, neque urinæ difficultatem fieri, vel reddi cum urina quædam aliena. Hoc nunc in ambiguo ſtatu ſi concitatur febris acuta, & redditur urina, cui pingue & confertum ſupernatat ex monitu Auctoris, certum præſagium formare poſſumus, circa hunc locum futurum eſſe abſceſſum, vel externum vel internum. Nam ſi doloris exacerbatio tactu externo non exaſperatur, verendus eſt Abſceſſus internus, quia tunc inflammatio altius latet: ſed ſi attactu levi intendatur dolor, ſpes eſt, externe fieri poſſe Abſceſſum, quia locus inflammatus cuti propior eſt. Iſtud nunc acre circa lumbos hærens inflammationem localem faciens, per conſenſum generat febrem Inflammatoriam ardentem per totum corpus, uti aliæ magnæ inflammationes locales, qua febre ardente, ut ſuperius monuimus, liqueſcit pinguedo & traditur circulanti ſanguini. Et quoniam Renes proxime adjacent, ab eodem ſtimulo etiam agitantur, ut non ſolum urinam copioſius extrudant, ſed & etiam pinguedinem tranſmittant. Quando igitur poſt Dolores lumborum diuturniores accedat Dolor circa Muſculos ſpinales, febris ardens per totum corpus, & cum tali deſcripta urina, ſignum eſt, acre id tamdiu latitans, in partibus adjacentibus concitaſſe validam

dam inflammationem localem, quæ in abſceſſum deſinere debet: nam ſi cauſa inflammationem producens manet, ut fit in hoc humore acri, concitata Inflammatio ſemper abire debet in purulentiam, & nunquam critice reſolvi poteſt. Pus dein factum in hoc Abſceſſu nato per renes reddi nequit, quia extra renis ſubſtantiam fuit formatum; ſi vero ipſi Renes inflammentur, ſæpe redditur cum urina pus, quod in hoc caſu fieri nequit. Inde ſequitur neceſſario puris collectio vel in parte celluloſa externa peritonæi, quando dicitur Abſceſſus internus; vel in tunica celluloſa ſub cute, quod melius, quando formatur abſceſſus externus. Fieri etiam poteſt, ut pus colligatur in tunica celulloſa inter muſculos lumborum, quod rarius. Hujuſmodi abſceſſus interni periculoſiſſimi ſunt, ſive maneant in ſacco dilatato peritonæi, & ſe exonerent per longam fiſtulam externe, quod etiam obſervavi, ſive interne rumpantur, fundentes pus in ventris cavitatem, ubi dein Tympanitidem producunt. Nam fiſtula talis inter muſculos decurrens difficile aperta ſervari poteſt, & clauſa relinquit pus intus; & quamvis aperta maneat, ſaccus internus formatus vix depurari poterit, ſuppeditans continuam Puris] vel Ichoris ſcaturiginem.

LIB. VII. APH. XXXVII.

362. *Qui ſanguinem vomunt, ſi quidem ſine febre, ſalutare; ſi vero cum febre, malum. Curandum autem refrigerantibus & adſtringentibus.*

I.

TAntam fidem & candorem in Auctore noſtro paſſim detegimus, ut nullibi obſervationem practicam ponat, quin eam in ægris detexerit, in theoreticis autem hinc inde a veritate decedit, non vero malo animo, ſed quia

An ſanguinis vomitus ſine febre, ſalutare?

quia præcepta theoretica defectu experimentorum non ſatis fuere eruta. Quamvis igitur paradoxum videatur, Vomitum cruentum eſſe ſalutarem, ſi fiat ſine febre, quum ſuperius (*Aph.* 135, 11) dixerit, malum eſſe omnem ſanguinem ſurſum emiſſum, non tamen credo, hanc ſententiam poſuiſſe ſine ſalubri detecto effectu: quod nempe homo abundantia ſanguinis laborans per vomitum cruentum ſupervenientem fuerit liberatus ab iſtis urgentibus ſymptomatibus. Verum hujuſmodi caſus tam rari ſunt, ut vomitus cruentus ſine febre contingens, non mereatur ſalutaris dici. Sed ſi comparetur ad hæmoptyſin, cenſendus eſt minus periculoſus, quia ſanguis in Ventriculo reſtans commodius per inferiora etiam poteſt emitti, quam ſurſum ex Pulmonibus; atque ſatis longa quies ad conſolidandum concedi poteſt Ventriculo, quæ Pulmonibus non eſt conceſſa. Neque tam abſolute hic Vomitus ſalutaris poteſt dici ex mente Auctoris, quum in fine addit curationem cohibentem ulteriorem Vomitum cruentum.

Sanguinis vomitus cum febre, malum.

II. Sanguinis fluxum curare febrem (*Aph.* 170, 11) & prævenire abſceſſum (*Aph.* 184, 11.) demonſtravimus, quod autem idem ſanguis per Vomitum redditus in febribus malum ſignificet, ex aliqua accedente ratione venire debet. Qui enim ſanguinem in febre vomunt, his ſignum eſt, impetum ferri ad interiora viſcera, quod malum eſt, dein conatu vomendi, ex quo nullum fit levamen, & agitatione febrili ſimul fatigatur; denique portio ſanguinis in Ventriculo reſtitans, calore febrili promte in corruptelam convertitur, quæ nova ingeſta etiam corrumpere valet. Igitur etiamſi ſalutaris ſit hæmorrhagia narium in febribus, Vomitus tamen cruentus ratione organi & accidentium rerum, malus eſſe ſolet.

Sanguinis vomitus an adſtringentibus & refrigerantibus curandus?

III. Generalem curationem in ſanguinis Vomitu hoc loco proponit, quia non determinat, an ſit adhibenda in vomitu illo cum vel ſine febre. Abſolute ergo monet, adhibenda eſſe adſtringentia & refrigerantia, qualis curatio adhiberi ſolet in omni ſanguinis profluvio; atque invenio, omnes quoque practicos hanc Methodum ſequi. Poſtquam vero

bene

bene omnia ponderaverâm, quæ in tali Vomitu cruento fiunt, & experiebar hanc methodum non bene procedere, ob graves aliquas rationes eam methodum in meis ægris repudiavi, & aliam inſtitui, quam reticere in publicum commodum nolui. Si ab acribus aſſumtis generetur ſanguinis Vomitus, ne aliquid de eo acri reſtaret in ventriculo, danda eſt potio diluens, quæ Vomitu rejecta id acre ſimul aufert, ſed ſi fiat a cauſa interna, vomendi conatus compeſcendus parva quantitate vini rhenani diluti cum citri ſucco & laudano liquido, cavendum ab omni adſtringente & coagulante: hæc enim ſanguini in ventriculo effuſo miſta, eum in thrombum contrahent, qui vomitu difficile poteſt reddi & ſua duritie, & tandem acrimonia laceſſet ventriculum, & ad novum vomitum inſtigabit, dum interim coagulans datum contentis ventriculi, ut & ſanguini miſtum, ad contrahendum vaſculum apertum ſanguinem fundens nihil præſtare poſſit. Quare adſtingentia magis obſunt quam proſunt in ſanguinis Vomitu: ſed retentus Ventriculus vacuus ita contrahet vaſculum antea apertum, ut ſponte ſiſtatur ſine damno effluens ſanguis, & ita adducta vaſculi latera inter ſe conſolidantur. Quare præcipua curationis pars eſt facere & ſervare ventriculum quantum fieri poteſt vacuum, per aliquot dies, ingerenda alimenta liquida tam parva copia & partitis vicibus, ut vita ſervari poſſit, evitando omnia duriora acria & copioſiora. Quibus continuatis ſponte ceſſabit ſanguinis Vomitus, quod Adſtringentibus facile fieri non potuit.

LIB. VII. APH. XXXVIII.

363. *Deſtillationes in ventrem ſupernum, in viginti diebus ſuppurantur.*

I.

Deſtillationes in pectus quo tempore ſuppurantur?

CAtarrhorum theoriam omnium maxime invenio intricatam & multis obſcuritatibus obrutam, tam ratione originis, quam exitus & curſus. Maxima pars medicorum Catarrhos e capite provenire & in eo generari contendit, uti in organo deſtillatorio condenſatur aquæ vapor frigiditate capitelli, quum cerebrum frigidius aſſurgentes vapores condenſet & dein deſtillare faciat: hæc autem ſententia per demonſtrationes anatomicas diu refutata fuit, quia aſſurgentes ex ventriculo per œſophagum, & ex pulmonibus per tracheam, vapores ad cerebrum pertingere nequeant. Neque conveniunt de exitu Catarrhorum, arteriæ enim oppoſitum curſum ſervant, & venæ materiem omnem ducerent ad cor, ſed non cogitarunt, nervos quoque ex Cerebro oriri & varias adire partes. Si igitur in eo ſucco, qui humectat & nutrit partes encephali, aliqua generatur acrimonia, illa capſulis nervorum a dura & pia matre mutuatis ad varias partes duci poteſt. Quare de origine & curſu Catharrorum nulla obſtat via, quin duci poſſit ad varias corporis partes, & ita etiam ad Ventrem ſuperiorem ſeu Pectus, qualis pars hoc loco intelligitur. Sed tunc illa reſtat ſumma difficultas, quomodo materia Catarrhoſa acris lymphatica poſſit in Suppurationem commutari, quoniam experimur, catarrhos in nares vel fauces, vel pulmones deſcendentes raro purulentiam proferre, ſed mucum aut tenuem humorem corrodentem, vel magis ſpiſſum, uti experimur in Coryza, Brancho, & Tuſſi ex Catarrho natis: niſi velimus per ſuppurationem hoc loco intelligere materiæ hujus

jus tenuioris degenerationem in materiem craſſiorem & albicantem, qualem mutationem frequentiſſime in Catarrhis obſervamus, non vero commutationem in verum Pus. Materia enim acris & tenuis nullibi in verum pus commutatur, ſed in materiem albam tenaciorem, quæ quoad adſpectum non multum a pure differt. Quod autem partes Catarrho vexatæ tandem verum pus proferant, iſtud non fit ex mutata materia catarrhoſa in Purulentiam, ſed ſi iſta materia corroſerit partem & ulcus formaverit, quod pus fundit, ſicuti etiam ſuperius in materia Eryſipelatoſa (*Aph.* 345.) obſervavimus. Igitur deducerem ex hac obſervatione, quod etiam praxi reſpondet, materiem Catarrhoſam in Ventrem ſuperiorem deſtillantem, intra viginti dies commutari in materiem albam magis cohærentem, ſeu concoqui.

LIB. VII. APH. XXXIX.

364. *SI quis ſanguinem & grumos mingat, & ſtranguriam habeat, & dolor incidat ad perinæum, & imum ventrem, & pectinem, partes circa veſicam laborare ſignificat.*

I.

TOtus hic ſuperius (*Aph* 190.) invenitur, quare non opus repetere.

LIB. VII. APH. XL.

365. *SI lingua ex improviſo impotens fiat, aut aliqua corporis pars ſiderata, melancholicum hoc ipſum fit.*

I.

MAteria morboſa in corpore hærens, uti eſt Melancholica (*Aph.* 119, 11), quædam conſtantia infert ſymptomata ſeu phænomena, ex quibus detectis cognoſ- Ex melancholia linguæ impotentia, & partis apoplexia.

cognoſcimus, illam materiem intus latere: alia autem interdum ſuperveniunt, interdum vero non conſpiciuntur; hæc adduci poſſunt ad majorem firmitatem, uti hoc loco Linguæ impotentia, & pars corporis apoplectica: cognoſcimus hæc ſymptomata ex melancholia venire, ſi homo melancholia laborans, & nullo alio morbo, ex improviſo corripiatur Linguæ impotentia & Apoplexia partis. Illa autem obſervatio videtur inutilis, quia jam conſtabat ægrum laborare melancholia, & propterea non opus eſſe ex reliquis advenientibus ſymptomatibus, hanc detectionem cauſæ adſtruere. Alio autem modo fit in exercitatione practica, ſi enim inſcius ſim, Linguæ impotentiam & Apoplexiam partis oriri poſſe a materia melancholica, & conſular de his duabus ſimul ſubito obortis ſymptomatibus, quæ curanda ſunt ablatione cauſæ, incertus hæreo, quid ſit præſagiendum & faciendum, niſi ſciam monitus, hæc oriri poſſe ex materia Melancholica. Sed ſi monitus fuero per hanc obſervationem, ulterius inquirere valeo, num characteriſtica melancholiæ ſigna (*Aph.* 288, 1) adſint, quæ ſi invenero, hæc ſymptomata ut morbum melancholicum curare (*Aph.* 119, III) debeo. De his ergo ſymptomatibus ſtatim pronunciare valeo, periculum eſſe, quia omnis materiæ melancholicæ decubitus periculoſus eſt. (*Aph.* 321. 1) Nam Linguæ impotentia ἀκρατὴς notat debiliorem & minus validum motum, quam qui ad loquelam formandam requiritur. Illa autem linguæ impotentia, qua delirantes abſurda effutiunt, ſpecies delirii eſt, in quo ſenſu hic non videtur accipi, quia addit Apoplexiam alicujus partis (*Aph.* 321, II) quod notat defectum ſenſus & motus animalis in quadam parte. Quia vero ſuperius demonſtravimus (*Aph.* 321) materiem melancholicam in encephalo ad principia nervorum applicatam, interdum earum partium, ad quas tendunt hi nervi, exſtinguere vel turbare motum & ſenſum animalem, eodem etiam modo hæc duo ſymptomata ex melancholia nata ſunt intelligenda.

LIB. VII. APH. XLI.

366. *SI ſenioribus nimium purgatis ſingultus ſuperveniat, non bonum.*

I.

EX Hypercatharſi (*Aph.* 197,) & ex Helleboro (*Aph.* 194.) Singultum eſſe malum demonſtravimus. Hoc autem loco determinat ætatem, quod in præcedentibus non fecit, forſan quia detexerat in Senioribus malum fuiſſe, ſi Singultus ſuperveniat, & poſtea detexit hoc omni ætati competere. Obſtare videtur, quod hic Aphoriſmus ſerius veniat & inde fundamentum prioris eſſe non potuerit. Verum Aphoriſmi non ſunt eo ordine temporis ſcripti, uti obſervationes ſerie temporis fuere factæ: collectionem horum aphoriſmorum fecit Auctor in ſumma ſenectute ex iis, quæ multo antea fuere obſervata, quare forſan poſterior Aphoriſmus multo prius fuit inventus, quam Aphoriſmus prior. Hoc ſolummodo addere poſſumus, omnes ſpecies Convulſionis, ut eſt ſingultus, periculoſiores eſſe in Senioribus, quam Junioribus, & omnium minime periculoſas in Infantibus & Pueris.

LIB. VII. APH. XLII.

367. *SI febris, quæ non eſt a bile, detineat, aquâ multâ, & calidâ in caput affuſâ, febris ſolutio fit.*

I.

INter omnes morbos Febrim, propter apparitionum & cauſarum multitudinem, omnium difficillime definiri poſſe, ſuperius (*Aph.* 153. I.) demonſtravimus. Inter

Qualis Febris non ex bile naſcitur?

iſtas omnes debet eſſe una ſpecies, quæ ex Bile generatur, & itidem altera, quæ non generatur ex Bile. Ut igitur cognoſcamus, num multa aqua calida in caput ſit affundenda ad curationem, ſcire oportet, qualis Febris naſcatur ex Bile, ut in ea hanc medendi methodum evitemus. Multo certior & evidentior fuiſſet curatio, ſi non per denegationem, ſed per poſitionem cauſæ propoſuiſſet ſpeciem febris: nam fieri potuiſſet, quod eſſet etiam alia febris ſpecies non ex Bile nata, quæ quoque hoc auxilium non admitteret, quod demonſtrare conabor in ſequentibus. Omnes febres, quæ ex humore acri tenui & calefaciente in corpore nato, generantur, dicuntur apud Veteres a Bile oriri, inter quas febris tertiana intermittens primas partes tenet: an vero febris ardens, putrida, hectica, & ſymptomatica ex Bile naſcatur, non conſentiunt. Igitur incertus ſum, num in memoratis febribus, atque in quotidiana & quartana, quæ dicuntur oriri ex pituita & melancholia, caput perfundendum ſit multa aqua calida, ad curationem. Proinde incerta hoc loco proponitur curatio. Credo igitur, Auctorem obſervaſſe quandam ſpeciem febris egregie ſolvi hac aqua calida perfuſa, ſed & expertum eſſe, in Febribus Bilioſis nocuiſſe.

Qualis febris ſolvitur multa aqua calida in caput affuſa?

II. Quæcumque pars noſtri corporis multa aqua calida fovetur & abluitur, ab actuali illo calore paulo magis eo tempore incaleſcit, atque liberatur a ſorditatibus cuti adhærentibus, ſimulque laxatur & humectatur: ſed ſi deſinat ille calor actualis, relinquitur pars frigidior & laxior, quam erat ante foturam vel affuſionem eam. Si vero illa pars ultra modum incaleſcat & ſicca ſit ante hanc affuſionem, ut experimur in partibus inflammatis, ab affuſione hac lenietur urens calor, humectabitur pars, & tenſio laxabitur. Facile ergo erit ex his conjicere, quanam in ſpecie febris hæc methodus valeat: nempe ſi ex inſolatione caput incaleſcit & ſiccatum fuit, ſiccitas enim, & humor tenuis acer ex inſolatione natus, humectabitur, atque concedetur liber exitus humori illo, & qui reſtitabat in poris, ſimul auferetur. Aut ſi quis ex laboribus durioribus propter expulſionem humoris

ris tenuioris & compactum ſanguinis febricitet, hac capitis ablutione calida, ejus humores compacti reſolventur, ſuppeditabitur mitis & tenuis humor aquoſus, & ſolida conſtricta ſicca humectabuntur & laxabuntur. Denique quibus ob aëris frigiditatem vel ventum prohibita fuit perſpiratio, & materia illa retenta febriculam concitat, his per aquam affuſam calidam liberior conceditur perſpiratio, qua id, quod febrem excitat, eliminatur e corpore. His ergo in febribus conducit aqua multa calida in caput affuſa: ſed ſi materia ſit bilioſa, uti experimur in morbis eryſipelatoſis, per affuſionem calidam his augebitur bilis corruptio.

LIB. VII. APH. XLIII.

368. MUlier *ambidextra non fit.*

I.

MIror ſane rem nullius momenti in arte medica, & quæ quotidiana obſervatione comprobari & refutari poteſt, tot verbis & auctoritatibus agitatam fuiſſe ab Auctoribus, quod fieri poſſit vel non, & an ſit vera vel falſa. In re omnibus obvia non eſt opus uti auctoritate, ſive enim Veteres hoc dixerint ſive negaverint, perinde habetur; quotidiana obſervatio comprobat, multas mulieres uti etiam viros utriſque manibus ſua opera abſolvere poſſe, & tot invenimus mulieres ſiniſtra manu promtiores, quam viros; ideoque dubitare poſſum, an ab Auctore noſtro, qui res magni momenti poſteritati relinquere voluit, hic aphoriſmus ſit relictus.

LIB. VII. APH. XLIV.

369. *Qui ſuppurati uruntur, aut ſecantur, ſi quidem purum effluat pus, & album, evadunt. Si vero ſubcruentum, & cænoſum, ac graveolens, pereunt.*

I.

Puris boni & mali ſigna.

Quid ſit Pus, ex iis quæ antea expoſuimus (*Aph.* 215, 11, & 285, 1) ſatis colligi poteſt. Conſtat ex iis, eſſe certum ſpecialem humorem morboſum, ſed ex omnibus mitiſſimum, qui ſuo fotu & blanda indole promovet conſolidationem, quique ſanguini miſtus facillime vel cum urina emittitur vel per ſputum redditur: inde omnia vulnera, ulcera & aliæ læſiones non conſolidantur, niſi bonum pus ſit præſens. Hoc loco duntaxat duæ notiones boni Puris proferuntur, nempe Purum, & Album, reliquas dedimus. (*Aph.* 285 1.) *Purum* id eſt ſincerum, merum, nullis aliis humoribus miſtum, tunc enim notat, tali in abſceſſu vel cavitate corporis omne alienum in Pus fuiſſe converſum, non affluere ulterius humores in Pus commutandos; neque Pus ibidem tam diu fuiſſe collectum, ut abiiſſet in ichorem: nam ſive ſit immaturum, ſive aliis humoribus miſtum, ſive in putrilaginem fuerit converſum, exeuns Pus non erit purum. Alterum eſt ut ſit *Album*, quibus addi poteſt ut ſit Inodorum, quod alibi notavit Hippocrates, & nos quoque per praxin experti ſumus. Uti cuivis humori ſuus naturalis eſt color, ita quoque Puri, quod niſi ſit Album, nunquam eſt bonum; ita ſanguis debet eſſe ruber, bilis flava, qui colores ſunt inter notiones bonitatis. Unde autem ille color dependeat, non litigo, in poſterum forſan opportunior dabitur diſputandi locus. Hoc autem aſſerere audeo contra multos, albedinem eam non pendere ab acido oleoſis miſto. *Inodorum* neceſſario debet eſſe, quia fœtoris præſentia declarat corruptionem.

nem. Contraria vero numerantur tria ſigna, licet plura ſint quæ Puris malignitatem declarant. *Subcruentum* ὑφαιμον, non eſt valde malum ſignum in Pure, ſi appareat in ſputo tuſſiendo emiſſo, aut in effluente pure ex aliquo abſceſſu, ſignum enim eſt, vaſculum aliquod exiguum adhuc eſſe apertum ſanguinem fundens: ſed ſi pus collectum fuit in cavo pectoris, malum eſt ſignum, quia deſignat pus tunc corrodendo læſionem vaſorum intuliſſe, quia hic hæret in naturali, non vero in cavitate vi morbi facta, ubi naturale eſt, ut quædam vaſcula ſint aperta. *Cæno ſum* βορβορώδες, tunc dicitur, ſi loco puris albi, æqualis, & puri, reddatur materia purulenta ſordida, lutoſa, limoſa, quæ partim eſt craſſa, partim tenuis, coloris alieni; talis naſcitur quando ſanguis reliquique humores Puri admiſti non per vim vitæ convertuntur in materiem purulentam, ſed per corruptelam convertuntur in talem materiem partim ſpiſſam, & partim tenuem: ſignum ergo eſt, ſpontaneam corruptelam prævalere, quæ nunquam aliquid boni portendere poteſt. *Graveolens* δυσώδες Pus, licet omnes reliquas boni Puris notiones habeat, ſemper cenſetur malum, quoniam indicium eſt, vel ipſum Pus eſſe putrefactum, vel ei putrefactos humores eſſe miſtos; quo vero fœtor eſt gravior, minuſque tolerabilis, eo pejus eſt indicium, quia ſignificat eo majorem puris corruptionem.

II. Sive Suppurati ἔμπυοι ſint homines pus continentes in cavo pectoris, qualis eſt communis ſignificatio, ſive in quavis alia naturali corporis cavitate, vel in cavitate vi morbi facta, quando Abſceſſus appellari ſolet, ſi Pus ſponte, ſolutis integumentis, vel facta ſectione aut uſtione, evacuetur, ex ejus qualitate judicare poſſumus, num ſanitas vel mors ſit exſpectanda. Ex deſcriptione Auctoris patet, iſtis temporibus ſecando & urendo fieri aperturam, hodie autem, ſi ſponte non aperiatur abſceſſus, vel erumpat ex cavitate naturali Pus, nunquam ferro ignito aperturam faciunt, ſed ſecando vel applicatione corrodentis viam parant exitui Puris. His autem omnibus modis & ſponte ſi exeuns Pus ſit malum, ipſa evacuatio tandem mor-

Suppuratis ſectis vel uſtis ex pure peti poteſt præſagium.

mortem infert. Supra (*Aph.* 292.) notaverat in ſimilibus caſibus mortem inſtare a pure acervatim effluente, hoc nunc loco prognoſin petit ex Puris qualitate, & detexit, ſi Pus bonum exeat, ſanitatem exſpectari, ſed ſi Pus malum conſpicitur, inſtare mortem. Pus enim exeuns nobis non ſolum præbet indicium Puris remanentis, verum etiam partium circumjacentium, quæ pus ſuſtentant. Quod ſi Pus bonum exeat, ſignum eſt ex puris qualitate aliena nihil verendum eſſe, partes ambientes ab attactu hujus puris facile conſolidari poſſe, ergo in tali caſu nihil eſt verendum ex pure, niſi quod poſſit nimis magna quantitate evacuari, quod evitari debet & poteſt, vel quod ejus evacuatio intercipiatur, quando ſtagnando corrumpetur, quare ſedulo cavendum, ne boni Puris exitus intercipiatur, ejus enim eſt naturæ (*Aph.* 341, 1.) ut nunquam aſſimiletur bonis humoribus, vel inviſibiliter evaneſcat. Sed ſi exeuns Pus ſit Malum, reſiduum intercipiet conſolidationem, inficiet bonos circulantes humores, & corrumpet partes firmas cingentes: poſtquam ſatis diu fatigavit hominem febre hectica, & conſumtione humorum, homo corruptis tandem omnibus humoribus, & privatus viribus peribit.

LIB. VII. APH. XLV.

370. *QUi ad hepar ſuppuratum uruntur, aut ſecantur, ſi quidem purum effluat pus & album, ſuperſtites evadunt: ipſis enim pus eſt in tunica. Si vero effluat velut amurca, pereunt.*

I.

Ex Hepatis abſceſſu pus bonum ſalutem portendit.

HEpar duplicem exercet functionem, habet enim arteriam hepaticam motu vitali donatam, ut omnes corporis partes; atque exercet motum particularem ad

ad Bilis confectionem & ſecretionem. Obſervamus regulariter ab actione vitali generari inflammationem & produci purulentiam ubique in corpore, ſed an quævis organorum ſpecialis actio etiam conficiat pus, non ſatis per praxim confirmatum eſt: invenimus quidem organa ſpeciali motu donata ſuppurari, ſed invenimus etiam frequentius abire in putrilaginem ſi afficiantur, quam partes reliquæ, in quibus peculiaris non detegitur motus. Si ergo in parte externa hepatis, ubi præprimis ludunt rami arteriæ hepaticæ, abſceſſus generatur, is ſaccum formare poteſt inter communem a peritonæo tunicam & propriam hepatis, quod etiam obſervavit Auctor; ipſis enim, inquit pus eſt in tunica. Si pus ex ſacco eo per exteriora corporis integumenta fundatur, quod etiam ſponte, ut ego etiam obſervavi, vel inciſione, aut uſtione, fieri poteſt, exeuns pus eſt obſervandum, nam ſi ſit bonum (*Aph.* 369, 1) æger æque quam ex abſceſſibus aliorum locorum ſervari poteſt.

II. Sed ſi Abſceſſus altius penetrat in Hepatis ſubſtantia, ut portio ipſius organi deſtruatur, formatur materia partim ex Pure, partim ex partibus firmis organi cholepoïetici & ſanguine venæ portarum atque bile. Inde materia illa ita miſta, quia refert recrementum olivæ, vocatur Amurca. Quoties ergo Pus veiut Amurca exit, ſignum eſt, ipſam Hepatis ſubſtantiam conſumi; &, quoniam Hepar parvo motu vitali donatum eſt, ſe non facile poteſt liberare, atque humor alienus Puri miſtus conſolidationem impedit: quare lenta tabe cum flavo vel ſubluteo colore ægri comſumti tandem pereunt. Talem autem abſceſſum in dextro hypochondrio perruptum vidi ſanatum in quadam Matrona; ſed hæc exempla tam rara ſunt, ut, ſi obſervamus talem Abſceſſum, pronunciare poſſimus, ſi non ſit lethale, tamen eſſe periculoſiſſimum.

Pus velut Amurca mortem præſagit.

LIB. VII. APH. XLVI.

371. *IN doloribus oculorum, poſtquam merum bibendum dederis, & multâ calîda laveris, venam ſecato.*

I.

VErba hujus & Aphoriſmi præcedentis (*Aph.* 296) vix inter ſe differunt, ſed tamen ſenſus eſt diverſus, quia in præcedente varia genera auxiliorum tentanda propoſuit, in hoc autem auxiliorum ordinem proponit. Quibuſnam in cauſis ad Oculorum Dolores varia illa auxilia ſunt adhibenda, dicto locó expoſuimus, ſed ſi deberem certam aliquam cauſam dolorem oculorum inferentem proferre, eandem darem cum Galeno reſponſionem. Si quis nos docere poſſit affectionem, cui tria hæc remedia ſint opus, ei profecto gratiam habituri ſumus. Quamdiu autem Aphoriſmum ut germanum, & legitimum recipient, & explicabunt, nec quænam ea ſit affectio docebunt, non facile eorum expoſitionibus fidem adhibebimus.

LIB. VII. APH. XLVII.

372. *HYdropicum ſi tuſſis habeat, deſparatus eſt.*

I.

TOtum hunc Aphoriſmum & ejus explicationem invenies, (*Aph.* 300.) ut non ſit opus repetere.

LIB. VII. APH. XLVIII.

373. *URinæ ſtillicidium, & urinæ difficultatem vini potus, & venæ ſectio ſolvit. Secandæ vero internæ venæ.*

I.

Stranguria & Dyſuria ſolvitur vini potu.

STranguriam venæ ſectione ſolvi, & ſecandas eſſe internas venas, ſupra (*Aph.* 301.) expoſuimus. Reſtat ergo hoc loco videre, quomodo vini potione, θώρηξι, curari poteſt Stranguria & Dyſuria. Stranguriæ (*Aph.* 110, IV.) definitionem dedimus, & ab ea non multum diſtat Dyſuria, quando cum difficultate vel dolore urina reddi debet. Ex his colligi poteſt, utrumque morbum generari poſſe ex variis cauſis, & propterea curari non poſſe eodem genere auxilii. Hoc etiam expertus eſt Auctor, quia duo diverſa auxilia tradit, quæ obſervavit levamen attuliſſe, nempe Venæ ſectionem, quæ minuit motum, & Vini potionem, quæ auget corporis calorem. Si ergo junior medicus utroque genere auxiliorum uti vellet, tantum noceret, quantum prodeſſet: ne igitur in poſterum faciamus periculum, videndum eſt, num ex motu languidiore generetur Stranguria, & Dyſuria, tunc largior Vini potatio eſt concedenda: ſed ſi experimur adeſſe ardorem, ſigna febris vel inflammationis, a Vini potu abſtinendum, ſed Vena ſecanda eſt.

LIB. VII. APH. XLIX.

374. *AB angina detento tumor & rubor in pectore ſuperveniens, bonum: foras enim vertitur morbus.*

I.

SEnſus hujus ſententiæ expoſitus eſt. (*Aph.* 302.)

LIB. VII. APH. L.

375. *Quibus cerebrum ſphacelo fuerit affectum, in tribus diebus pereunt: ſi vero hos effugerint, ſani fiunt.*

I.

Sphacelus quid ſit.

PRiuſquam prognoſin formare poſſumus, conſtare debet, quid per Sphacelum ſit intelligendum, perſpiciens autem auctores & ipſum Galenum optimum Hippocratis interpretem, tot invenio tricas & ambiguas ſignificationes, ut vix conſtet, qualis morbus per Sphacelum ſit intelligendus; Foeſius multa loca collexit, ex quibus patet Sphacelum indicare Oſſis ſiderationem; omnium partium corruptionem ſeu ſiderationem; vitiatam carnem in ulcere; partis internecionem inchoatam ſed non firmatam; Inflammationem tendentem in corruptionem; immoderatum & vehementem dolorem; convulſionem ex nervorum inflammatione; fortem tenſionem; putredinem & multa alia mala. Dolendum utique eſt, tot res diverſas eodem vocabulo indicari, quia tunc ſemper dubii hæremus, qualis morbus ſit intelligendus. Nos autem ad omnem ambiguitatem evitandam, in *Chirurgia Repurgata* (623) per Sphacelum intelleximus univerſalem mortificationem alicujus partis, & diſtinctionem fecimus inter Sphacelum, Gangrænam & Eſcharam, quam ſignificationem ubique teneo, ut ſemper conſtet, qualem morbum intelligo per Sphacelum. Noſtra autem ſignificatio hoc loco admitti nequit, quum dicat Auctor ſi triduum effugerint ſani fiunt, dum pars Sphacelata nunquam in vitam redeat, &, ſi Cerebrum tali Sphacelo eſſet correptum, nullus ſervaretur. Igitur plane alium morbum Hippocrates hoc loco intellexit, quem potuit æger ſuperare, ut redeat in ſanitatem.

II. Ob-

II. Obſervavit Hippocrates. (H. a. 344.) *Si aſtas ſicca exiſtat, & borealis, ſequens vero autumnus pluvioſus & auſtralis, capitis dolores ad hyemem exſpectare convenit, & cerebri corruptiones, ampliuſque raucedines, gravedines & tuſſes, aliquibus etiam tabes.* Ex tali tempeſtatum viciſſitudine generari humorem crudum & acrem, demonſtravimus (*Aph.* 92.) qui hoc loco encephali ſphacelum inducit. In Coacis H. a. 538. *Cerebro corrupto alii in tribus diebus, alii in ſeptem moriuntur. Has vero ſi effugerint, ſervantur.* Has Auctor deduxit generales regulas ex Libro de Morbis: nam (H. b. 39.) *Si cerebrum*, inquit, *corruptum fuerit, dolor ex capite ſpinam occupat, & ad cor animi deliquium procedit, & ſudor eſt, & ſomni expers eſt, & ex naribus ſanguis fluit. Sæpe etiam ſanguinem vomit.* Infra addit. *Hic tertia aut quinta die plerumque perit.* Atque H. b. 51. *Si Cerebrum corruptum fuerit, dolor ex cervicis nervo ad ſpinam tendit, & ad cor frigus deſcendit, & derepente novus ſudor adeſt, & per nares ſanguis fluit. Vomunt quoque multi. Hic triduo moritur. Si vero ſeptem dies transgrediatur.* &c. *Pauci hujuſmodi morbum effugiunt.* Dein H. b. 98. *Si cerebrum corruptum fuerit, dolor caput tenet, & per collum procedit ad ſpinam, & ager non audit, & frigus ad caput devenit, & totus intumeſcit, & derepente privatur voce, & ex naribus ſanguis fluit, & lividus fit. Quod ſi morbus leviter corripiat, ubi ſanguis diſceſſit, melius habet. Si vero vehementer correptus fuerit, cito perit. Huic ſternutationes per odorata inducito, & alvum purgato &c.* Præter hos morbos internos Oſſis corruptionem indicat σφάκελος ἐγκεφάλε; nam *ſi corruptio*, inquit (H, b, 53.) *Cerebrum invaſerit, dolor tenet maxime anteriorem capitis partem, paulatim etiam intumeſcit, & livida fit: & febris & rigor apprehendit. Quum ita habuerit, ſecare oportet qua parte intumuit, & perpurgato oſſe, ipſum radere, donec ad ſecundam laminam perveniat:* deinde velut fracturam curare. Ex iſtis locis allegatis poſſumus deducere Cauſam, Phænomena, Moriendi & Sanitatis tempus atque Curationem. Nam per Autumnum pluvioſum & auſtralem, materia, præcedente æſtate ſiccâ compacta, retenta ſenſim hyeme fuit facta acrior, atque ita induxit

Ex qua Cerebri Sphacelo poſt triduum ſani fieri poſſunt?

morbos catarrhoſos acres, quæ materia ad pulmones magis depoſita inducebat Tuſſim; ad membranam pituitariam delata Gravedines; ſed ad interiora encephali depoſita Cerebri corruptionem: nempe ab hac materia partes in Encephalo compreſſæ & corroſæ mortem intulerunt; ſed etiam ſuperari & expelli potuit non tamen ſine periculo. materia ea, quia nonnulli ita affecti ſuperſtites manſerunt, uti ex hoc Aphoriſmo & locis allegatis conſtat. Unde legitime concludere poſſumus perfectam non ſemper intelligi ab Auctore mortificationem alicujus partis, uti hodie per ſphacelum intelligimus, ſed aliquam diſpoſitionem, quæ in mortificationem abire poteſt. Phænomena hujus materiæ delatæ ad Encephalon ſunt Capitis dolor, ad ſpinam deſcendens, Vigiliæ, Cordis frigus & Animi deliquium, Sudor derepente obortus, Auditus & Vocis privatio, Capitis frigus & intumeſcentia, ſanguis fluit ex naribus & ſanguinem vomunt, ex quo videntur levari, qui vehementia hæc habent ſymptomata, cito pereunt, ſed leviter affecti diutius vivunt & ſervantur. In una ſpecie Auctor laudat irritantia, in altera autem refrigerantia. Ex quibus collectis judicare poſſumus, materiem illam acrem crudam retentam ad interiora capitis delatam magis minuſque eſſe calefacientem, & acrem corrodentem. Conſtat ergo Cerebri Corruptionem his locis vocari ab Hippocrate, ſi materia acris, quæ occupare poteſt internam laryngis membranam, vel pituitariam narium, occupet Duram matrem & ejus prolongationem per medullam ſpinalem, non vero hujus partis mortificationem. Hoc probant etiam omnia phænomena: nam ſi materia illa feratur ad nares, ſternutamentum facit cum refrigeratione totius corporis & quadam febricula, atque effluit in principio humor copioſus tenuis, irritans nares & labia; interdum etiam hæmorrhagiam patiuntur. Si vero ad interiora laryngis feratur, fit etiam ex irritatione Tuſſis, qua multum muci ejicitur, atque tumente ea membrana fit difficilior reſpiratio; per totum reliquum corpus refrigeratio, horripulatio, febricula. Eadem nunc materia ad Duram matrem delata, ſi Dura

mater

mater eandem exerceret actionem uti partes recenſitæ, eadem quoque fierent phænomena, ſed ex ejus loco & uſu diverſo alia omnino ſymptomata conſpiciuntur. Nam tumente & irritata illa membrana homines vigilant, vel compreſſo aliquomodo nervo acuſtico æger non audit, & quia illa materia partibus membranoſis applicata ſenſum frigoris inducit, hinc frigus ad caput devenit, atque dolet: continuata illa membrana per medullam ſpinalem, huic parti etiam infert dolorem & refrigerationem. Si etiam ad poſteriora Encephali veniat, ubi locatum eſt cerebellum, id aliquomodo a tumente membrana compreſſum, facit, ut cor ſe minus moveat, id eſt languidiore motu refrigeretur, & denique per tempus ſubſiſtat, qualis morbus vocatur Animi deliquium. Quomodo autem ſanguinis fluxus fiat per Nares facile intelligitur, quia in Coryza hoc quoque obſervatur, ſed ſanguinem vomere majoris videtur difficultatis: verum quia ſæpe fit, ſi in faucibus ſanguis fluat, quod talis homo deglutitum ſanguinem rejiciat, credibile mihi videtur, hoc etiam fieri in nominato morbo. Quemadmodum in reliquis catarrhorum ſpeciebus levamen fit, non vero curatio per hæmorrhagiam, hoc etiam fieri obſervavit Auctor in Cerebri Sphacelo: propterea non monet venam eſſe ſecandam, ſed potius eſſe cohibendum ſanguinis fluxum. *Si vero*, inquit. *plus juſto ſanguinem vomere tibi videatur, aut ex naribus ipſi fluat, a vomitu quidem bibat farinam trimeſtris tritici in aquam inſperſam: ſi vero ex naribus fluat, venas & in brachiis & in temporibus ſpleniis ſuppoſitis deligato. At ſi neutrum horum ipſi adfuerit, dolet autem cervicis nervum & collum, & ſpinam, & frigus ad cor proceſſerit, cum ervo pectora, & dorſum, & cervicis nervum, & collum calefacito. Nam his factis maximam utilitatem capere poterit.* (H. b. 51.) Quibus patet cohibere velle ſanguinem fluentem, & calefacientibus abſorbentibus conari ablationem humoris iſtius crudi & acris. Ergo certe conſtat hæc ſymptomata in Cerebri corruptione non oriri ab inflammatione tendente in ſphacelum verum, ſed provenire ab acri crudo irritante meninges, cujus acrimonia ſi ſit valida & copia

copia magna cerebrum ita opprimitur, ut æger moriatur vel poſt tres, quinque vel ſeptem dies. Sed ſi ille humor reddi incipit per nares vel ſputum vel urinam, ægri liberari ſolent.

LIB. VII. APH. LI.

376. *Sternutatio fit ex capite, percalefacto cerebro, aut perhumectato, quod eſt in capite, vacuo. Aer enim, qui intus eſt ſupra modum (i. e. vi) foras effunditur. Strepit autem, quia per anguſtum ipſi eſt tranſitus.*

I.

Sternutationis cauſa.

IN nobis viventibus ex irriratione facta in cavis narium fit quidam motus involuntarius validus convulſivus, quo aër pulmonibus receptus vi truditur in ſuperiora faucium, palatum mobile & cava narium, exeuns partim per os, partim per nares cum ſibulo. Ut illa actio majore robore fiat, atque majorem aëris copiam trajiciat, antequam inchoatur, pectus, quantum fieri poteſt, dilatatur & ore aperto magnam aëris copiam recipit; dein facta violenta conſtrictione omnium muſculorum, tam abdominalium, quam aliorum, qui anguſtare poſſunt pectoris cavitatem, receptus ille aër magna vi extruditur per laryngem ampliatam: ita ruit in fauces, tonſillas, palatum mobile, baſin cranii, poſteriora narium foramina, exitum ſinuum, qui obteguntur membrana pituitaria, & cava narium, ut ita cum ſibulo exeat. Hac aëris concuſſione & valido tranſitu omnes hæ partes quatiuntur, & mucus, qui in earum lacunis hæret, excutitur, aut ſi externe aliquid adhæreat abripitur, & una cum aëre exeunte ſæpe extruditur, ut id irritans, vel in lacunis hærens auferatur, quemadmodum tuſſiendo excluditur alienum in trachea hærens.

Hæc

Hæc actio involuntaria tuſſiendi mechanice concitari poteſt quavis irritatione facta ad membranam interna narium veſtientem per plumelam, pilum, evulſionem vibriſſarum, attractionem pulverum vel vaporum ſtimulantium cum aëre: ſine manifeſta cauſa tamen ſimili modo generatur ab humore acri hic ſtagnante vel huc confluente ex ſinubus ſe hoc loco exonerantibus. Ergo Cauſa ſternutationis eſt irritans hanc membranam, ſive ſit externa ſive interna.

II. Facile intelligitur, Hippocratem hoc loco tradere velle cauſas Sternutamenti ex cauſa interna, ſine ulla cognita cauſa externa, ut poſſent medici ex Sternutamento in morbis veniente præſagire, quid ſit ſentiendum ex oborto hoc phænomeno, & quid eſſet agendum. Primam cauſam dicit eſſe Cerebrum percalefactum, id eſt, ſi motus vitalis in encephali partibus validior nimium calorem concitavit, arteriæ in membrana pituitaria magis agitatæ, ſua actione ſtimulantes faciunt tale irritamentum in hac membrana, uti fit a calefacientibus pulveribus vel vaporibus naribus attractis, qua commota membrana naturali lege concitatur Sternutamentum. Inde in impetu majore ſanguinis ad caput toties generatur Sternutamentum, quod iterata concuſſione tandem ſanguinem extrudit, aut illa vaſcula diſrumpit, atque facit hæmorrhagiam narium, quâ illa vaſa deplentur, & minuitur impetus, in quo caſu Sternutamentum eſt præſagium bonæ hæmorrhagiæ. Sed ſi ab inflammatis meningibus per conſenſum pituitaria membrana agitatur, vel ſi ipſa membrana inflammetur, moleſta, fatigans, & iterata fit Sternutatio, ſine hæmorrhagia ſubſequente, qua agitatione pars inflammata magis exaſperatur. Inde intelligitur, cur in quibuſdam morbis acutis atque epidemicis interdum ſalutaris, aut interdum lethalis obſervatur ſternutatio. Altera cauſa erat perhumectatum, quod eſt in capite, vacuum. Veteres, in Anatomicis non ſatis periti, exiſtimarunt humores in capitis vacuo ſpatio, id eſt, in Cerebri ventriculis, collectos expurgari per nares, quæ ſententia diu fuit firmata; ſed poſtquam Anatomici demonſtrarant, nullam ex ventriculis cerebri ad nares

Sternutatio fit ex capite, percalefacto cerebro, aut perhumectato, quod eſt in capite, vacuo.

eſſe viam, hæc ſententia omnino fuit repudiata. Obſervatio autem practica eam viam adſtruere videtur, quum Cerebrum humiditate, uti videtur, oppreſſum, liberetur copioſiore evacuatione muci per nares, & gravitas Cerebri levetur Sternutamento, quo multum muci elicitur: verum ſi membrana pituitaria multo muco ſit oppleta, aggravatur etiam caput, & ille poteſt facile per nares expurgari. Quamvis autem demonſtrari poſſit per aliam viam fieri poſſe talem evacuationem, hoc tamen non demonſtrat, fieri non poſſe evacuationem ex encephalo. Qui contendunt duram matrem accurate obtegere Os Ethmoidem, ut nihil humidi perfluere poſſit ex encephalo ad nares, illi non concipiunt, nervos Olfactorios ire per hoc os ad cava narium, in quo tranſitu negari nequit, aliquid etiam humidi permeare poſſe. Sive ergo concipiatur, in ſinubus frontalibus vel ephippii hærere mucum, qui in cavum narium deſtillat, ſive concipiatur humiditatem encephali ſecundum Olfactoriorum curſum in nares deſcendere, in utroque caſu homo ſentiet Cerebrum ſeu caput aggravatum, quæ gravitas minuetur humidi evacuatione per nares. Si hic mucus vel humor tenuior ſit mitis, non concitabit Sternutamentum, ſed ſi quædam acrimonia adeſt, illa vellicans internam narium membranam Sternutamentum concitat, quo elicitur ex hac membrana, quæ & interne veſtit ſinus recenſitos, muci abundantia, cujus evacuatione tollitur ille humor aggravans.

Aer intus vi foras effunditur.

III. Rationem reddere ſatagens Autor, quomodo Cerebro calefacto, ex ſpatio vacuo, tanta vi extrudatur in ſternutantibus aër, putat humidum in ventriculis cerebri contentum a Cerebri caliditate commutari in vaporem, uti aqua in lebete vel vaſe clauſo ab igne ſubſtrato, ſi tunc alicubi formatur apertura, exibit aër cum impetu. Experimentum utique eſt verum, ſed falſa eſt facta analogia, nunquam enim cerebrum ita incaleſcit, ut eſt ignis gradus, qui aquam ebullire facit & in vaporem convertere, neque via tam patula, per quam potuiſſet ille vapor per nares emitti. Atque ille aër qui in Sternutantibus

tibus exit, non venit ex encephalo ſed ex pulmonibus.

IV. Vera eſt obſervatio, Aërem vi per anguſtum actum edere ſtrepitum, nam aër ex pulmonibus pulſus magno conamine in nares anguſtiores ſtrepitum edit: ſed concipere illum ſtrepitum fieri ab aëre in ventriculis cerebri hærente & expanſo, omnino anatomicis obſervationibus repugnat. Hoc autem exiſtimarunt Veteres, quoniam videbant tantam ſimul humiditatem ejici, ſed non conceperunt, illam humiditatem ibi prius collectam fuiſſe, & nunc cum aëre ex pulmonibus veniente protrudi.

Aer ſtrepit quia per anguſtum ipſi eſt tranſitus.

LIB. VII. APH. LII.

377. *Quibus hepar circumcirca dolet, his febris ſuperveniens dolorem ſolvit.*

I.

HIc Aphoriſmus verbis multum videtur diſtare a præcedente (*Aph.* 305.) ſed ſenſu tam parum differunt, ut præcedens illa explicatio etiam ad hunc applicari poſſit, modo Hepar circumcirca dolens, & Hypochondriorum dolor, idem denotet, uti revera hæc ſunt accipienda; nam ſi Hepar circumcirca doleat, ille dolor in hypochondriis, ubi Hepar hæret, ſentitur, & æque per hypochondrii dextri dolorem internum intelligimus Hepatis dolorem, ac ſi verbis ipſis exprimeretur. In præcedente Aphoriſmo hi dolores dicuntur fieri ſine inflammatione, antequam febris ſupervenit: ſed & hoc loco idem intelligitur, aliter non addidiſſet Auctor, ſi febris ſuperveniat. Quare totus ſenſus ex allegato Aphoriſmo deſumi poteſt.

Vehemens hepatis dolor ſolvitur ſuperveniente febre.

LIB. VII. APH. LIII.

378. *QUibus ſanguinem de venis auferre conducit, his vere venam ſecare oportet.*

I.

TOtam hanc ſententiam ſupra (*Aph.* 312. II.) expoſuimus.

LIB. VII. APH. LIV.

379. *QUibus inter ſeptum tranſverſum, & ventrem pituita concluditur, & dolorem exhibet, in neutrum ventrem habens tranſitum, his per venas in veſicam pituitâ verſâ, morbi ſolutio fit.*

I.

Hydrops omenti ſolvitur urina multa.

INter Auctores non conſtat, qualis locus hic ab Hippocrate intelligatur; ſed nullam partem huic loco magis convenientem invenire potui, quam Omentum, quod etiam pituita ſæpe oppletur, uti obſervavi ſæpiſſime in praxi. Iſtud enim Omentum ſub Diaphragmate locatum eſt & non ſemper attingit ſumen, quod pituita oppletum in parte ſuperiore ventris inferioris ſub pectore tumorem pituitoſum & mollem format. Diutiſſime hic hærere poſſe pituitam ſine ullo dolore, & ſine mutatione coloris in facie, aliquoties obſervavi, tandem vero ſenſim acriore facta pituita dolor generabatur. Quod ſi cellulis ruptis effundatur pituita, Aſcites formatur: ſi vero ſenſim magis increſcat, ita premit adjacentia viſcera, ut ad munera ſua peragenda incapacia fiant, & ita lentam mortem inferant. Talem

lem nunc collectionem Pituitæ obſervavit Auctor curatam fuiſſe per urinam multam. Quod verum eſſe nos quoque experti ſumus, etiamſi multi negant viam. Sed quando per venam epiploïcam in venam portarum, & ita in venam cavam conceditur lymphæ tranſitus, nulla reſtat obſcuritas viarum, per quas illa lympha antea collecta potuiſſet venire ad renes & ita nomine urinæ evacuari. Experimur quoque, omnem nimiam humiditatem ſanguini circulanti miſtam, commodiſſime eliminari per renes, quare nullam invenio difficultatem, cur etiam hæc lympha, ita ſanguini tradita, non eliminaretur. Quia vero hanc novimus naturalem ſolutionem, arte hoc etiam tentandum eſt, ut primo reſolventibus & frictionibus tentemus pituitæ ſtagnantis ſolutionem & propulſionem, atque dein per diuretica promoveamus eductionem.

LIB. VII. APH. LV.

380. *QUibus hepar aqua repletum ad omentum eruperit, his venter aquâ impletur, & moriuntur.*

I.

Ex hepatis hydrope ventris hydrops lethale.

FOrſan detexit Hippocrates in cadaveribus eorum, qui ex Aſcite perierunt, magnam fuiſſe lymphæ collectionem in ventris cavitate, atque ſimul Hepatis ſuperficiem hydatidibus, quibuſdam integris & quibuſdam ruptis, ſcatere, ex quibus inventis hunc aphoriſmum compoſuit. Hoc autem in viventibus cognoſcere & præſagire non tam facile eſt. Nam ſi Hepar aqua repletum fuerit, ſimul etiam totus inferior venter tumere incipiet, quia via non ſatis libera per Hepar conceſſa, lympha non potens ire per Hepar, colligitur in vena portarum & in tota ventris cavitate: ſed tunc ſimul aliquis cachecticus vel icteri-

cius color aderit ex vitiata bilis confectione, vel ejus impedita excretione, tument tunc hypochondria in naturali Hepatis loco. Si tanta ſit Hepatis obſtructio, ut inde impleatur venter inferior, vix ulla ſpes ſupererit: nam etiamſi ex umbilico tumente & rupto, aut etiam ex ſcroto collecta lympha exoneraretur, vel per paracenteſin auferetur, quia relinquitur in hepate novæ collectionis cauſa, talis lymphæ ablatio utplurimum mortem accelerat. Hydatides in vaſis lymphaticis naſcuntur, quia truncus iſtius vaſis ſe exonerare nequit, ſi ergo ex hydatidibus ruptis effunditur lympha, nunquam erit ſtillicidii finis, atque ita tandem corpus continuo privatum lympha, moritur.

LIB. VII. APH. LVI.

381. *ANxietatem, oſcitationem, horrorem, vinum par pari aqua potum, ſolvit morbum.*

I.

Vino aquâ diluto ſolvitur anxietas.

PAſſim monui, Auctorem noſtrum ut & Practicos detexiſſe ſummum levamen in hoc vel illo medicamento dato in morbis, qui nomen ex phænomeno habent, quod auxilium poſtea datum, nihil valet: unde admodum incerta habetur curatio. Hoc etiam experimur in hoc Aphoriſmo, quidam enim Anxii a potu vini aqua diluti ſtatim levantur, atque inveni me Vino rhenano aqua temperato, cum adjecto ſucco Citri, egregie Anxietatem levare potuiſſe. Alii autem multo melius curabantur ſpirituoſis aromaticis. Nonnulli liberabantur vomitu & alii iterum alvi fluxu, aut hæmorrhagia. Hæc autem auxilia non ſine diſcrimine levamen attulerunt, ſed prout erat cauſa varia anxietatem inferens. Igitur ex ſola Anxietate non eſt petendum remedium, ſed ex cauſa Anxietatem inferente. Experimur, cauſas Anxietatis &

Doloris

Doloris non multum differre, ſed ſi cauſa dolorem inferens, quæ agebat in nervos ſentientes, applicetur ad nervos motus particularis, uti ad pulmones, ventriculum, inteſtina, loco doloris Anxietatem infert. Omnes cauſas Anxietatem inducentes non eſt hujus loci agitare, ea ſola eſt perſcrutanda, quæ vino diluto curatur. Quod ſi in ventriculo aliquid putrefactum hærens anxietatem infert, iſtud tali miſto vino aceſcente dilutum, non amplius anxietatem & faſtidium inducit: ſi autem bilis corrupta in ventriculum delata anxietatem induceret, magis conferret eam materiem vomitorio, vel purgante dato eliminare.

Solvitur oſcitatio.

II. Quod ſtatim notavimus in Anxietate, hoc etiam obſervandum eſt in Oſcitatione, quæ fit, dum homo inſtigatur ut valide & lente aperiat os, hauriatque aërem copioſiorem pulmonibus, ut actione ea lentius moti humores conſtrictione muſculorum os aperientium, atque majore pulmonis dilatatione per muſculos motus animalis, propellantur, quod in lethargicis, ſomnolentis, principio febrium, & ventriculi impletione eſt frequens; qui etiam evigilant hac actione Oſcitandi propellunt lente a ſomno progredientes humores. Si ſtagnantes in ventriculo humores in ſpontaneam corruptelam abire incipiant, & frequentem Oſcitationem faciant, hujuſmodi Oſcitationes egregie minuuntur tali poto vino diluto, quod ſimul ventriculi motus blande inſtigatur; ſed inde non ſequitur, omnem Oſcitationem hac potione curari.

Solvitur horror.

III. Levis contremiſcentia cum frigoris ſenſu vocatur Horror, qui frequens fit a materia cruda partibus nervoſis applicata, vel a materia perſpirabili retenta: hoc in caſu ſi bibendum detur vinum aqua dilutum & calefactum, id crudum & perſpirabile retentum, egregie diluitur & per inſenſibilem perſpirationem eliminatur, qua materia expulſa, ceſſat etiam illa cauſa irritans.

LIB. VII. APH. LVII.

382. *QUibus in urinaria fiſtula tuberculum ſit, his ſuppurato eo & perrupto, ſolutio ſit.*

I.

IDem Aphoriſmus ſuperius (*Aph.* 192.) invenitur.

LIB. VII. APH. LVIII.

383. *QUibus cerebrum concuſſum fuerit ab aliqua cauſa, neceſſe eſt, eos ſtatim mutos fieri.*

I.

Ex cerebri concuſſione aphonia.

DUm aër pulmonibus receptus, conſtrictione pectoris urgetur per anguſtatam glottidis rimulam, formatur ſonus, ut tranſeuns aër per fiſtulam pneumaticam, ille dein aër in cavitatem oris veniens, varia figura palati, & dentium, atque modulatione linguæ & labiorum varias voces format. Tota hæc actio eſt voluntaria ſeu peragitur muſculis, qui voluntate noſtra moventur. Quoties ergo influxus ſpirituum ex ea parte cerebri in nervos, ad iſtos muſculos tendentes, intercipitur, tota hæc actio voluntaria ceſſat. Hoc fieri poteſt, ſi cerebrum molle ita concutiatur, ut deſtruatur ejus medulloſa ſubſtantia, quæ eſt horum nervorum principium. Naturale autem eſt in omni valida Cerebri concuſſione, ut æger ejulet, vociferet, vel alium ſonum edat præ nimio dolore ex concuſſione nato; ſi vero mutus maneat, ſignum certiſſimum eſt, Cerebrum eſſe deſtructum eo in loco, ubi oriun-

oriuntur nervi ad vocis organa tendentes. Eadem autem concuſſio in alia Cerebri parte ſurditatem, vel cœcitatem facere poteſt: quare omnis Cerebri concuſſio, quæ tollit vel ſenſum vel motum animalem, illa eſt periculoſiſſima, quia ſemper denotat Cerebri deſtructionem vel compreſſionem.

LIB. VII. APH. LIX.

384. *COrporibus humidas carnes habentibus, famem inducere oportet: fames enim ſiccat corpora.*

I.

NOſtrum corpus tali modo a ſummo Creatore eſt creatum, ut ſua actione, quamdiu vivit, ſemper aliquid expellat per naturalia emunctoria, & ne fieret humidi defectus, nobis conceſſit deſiderium hauriendi humidum, ſub forma cibi vel potionis. Deſiderium exigens cibum proprie vocatur Fames, quod autem petit liquidum, proprie dicitur Sitis. Quamvis λιμὸς proprie deſignat alimentorum deſiderium, credo tamen hoc loco potius concipiendum eſſe deſiderium potionis, quum abſtinentia a potu magis ſiccat, quam cibi penuria. Naturalis famis ſenſus non ſiccat, ſed abſtinentia a cibo humido, igitur hoc loco non eſt ille ſenſus intelligendus, ſed abſtinentia a cibo liquido vel potione. Hoc enim defectu non ſuppeditatur tantum liquidi, quantum naturali exhalatione & excretione eliminatur. Quare per abſtinentiam diu continuatam generatur humidi defectus in corpore, ſeu corpus per talem Famem exſiccatur, quum partes firmæ non tam cito pereant, quam aufertur humiditas. Fames corpora ſiccat.

II. Quæ medicamenta Famem deletam excitant, hoc loco intelligi nequeunt, quia non tollunt nimiam carnis humiditatem, ſed talia, quæ naturaliter Famem & Sitim faciunt, uti abſtinentia major a cibo & potu, atque corporis Famem inducere oportet corporibus humidas carnes habentibus.

ris frequens exercitatio, quibus ſuppeditatur minor copia humidi & promovetur ejus exhalatio. Hæc ſunt facienda, ſi quædam morboſa humida conſtitutio habetur in toto corpore, uti in leucophlegmaticis, hydropicis. Caro enim tunc dicitur humida, ſi ſit laxior, ſucculenta, & multa humiditate perfuſa: tales partes frequentiore muſculorum actione fiunt duriores, ut omnes partes firmæ exercitatæ occalleſcunt, atque eodem motu exprimitur id tenue, quod inter fibras in tunica celluloſa per quietem colligitur; ſic caro humido tenui privata fit durior & ſiccior. Hoc etiam verum eſt in detractione cibi & potionis, nam pergens inſenſibilis perſpiratio & urinæ emiſſio, ſine additione humidi novi, fit ablatio humidi ex partibus firmis. Hanc ablationem humidi tenuioris faciendam eſſe, monet non cuivis, ſed cui Carnes ſunt humidæ, quum ablatione tenuioris in corporibus ſanis generaretur morbus ex Siccitate.

LIB. VII. APH. LX.

385. *UBi in toto corpore mutationes, & corpus perfrigeretur & rurſus caleſiat, aut color alius ex alio permutetur, longitudinem morbi ſignificat.*

I.

EAndem ſententiam ſuperius (*Aph.* 150.) invenies.

LIB. VII. APH. LXI.

386. *Sudor multus, calidus aut frigidus, ſemper fluens, humidi redundantiam habere ſignificat. Educere igitur oportet, robuſto quidem ſuperne, debili vero inferne.*

I.

Sudor multus, calidus aut frigidus, ſemper fluens, humidi redundantiam ſignificat.

AUctor ſupra (*Aph.* 152.) ex Sudore multo, frigido aut calido formavit prædictionem majoris & minoris morbi: hoc autem loco dicit indicare Humidi abundantiam; uti etiam (*Aph.* 166, IV.) in febribus Sudor ſuperveniens, febre non deficiente, multam ſignificabat humiditatem. Hoc quoque loco tradit Sudorem ſemper fluentem, & non facit mentionem febris, igitur hic intelligit Sudorem ſemper fluentem ſine febre prægreſſa vel conjuncta. Hujuſmodi Sudores copioſiores ſæpe obſervavimus in valetudinariis, & iis, qui nimis magnam alimentorum copiam ingerunt cum corporis nimia quiete. Valetudinarii enim defectu virium ingeſta non potentes compingere in bonos humores, neque extrudere per inſenſibilem perſpirationem, illam tamen abundantiam evacuant vel per urinam copioſiorem vel per Sudorem ſemper fluentem. Corpora enim ſana, viribus valentibus, aſſumta alimenta compingunt in ſanguinem craſſiorem, & quod compingi nequit, per urinam ſed præcipue per inſenſibilem perſpirationem eliminant: at deficiente hac actione, minus compingitur & perſpiratur, quare horum loco generatur Sudor copioſior, quo corpora ea tamen ſervantur in eodem pondere. Recte itaque ex Humidi abundantia Sudor ille copioſior & ſemper fluens generatur. Corpora autem ſana & ſatis valentia ſi habeant Sudorem copioſiorem & ſemper fluentem, hæc plus aſſumunt, quam ut

poſſint ſolita actione vitæ ſubigere & expellere per diaphoreſin: igitur in his notat Abundantiam humidi ex aſſumtis natam. Denique invenitur in Valetudinariis quidam morbus colliquativus ſine febre, in quo ſine notabili vitio boni & concreſcibiles humores liqueſcunt in humorem tenuem, qui exit ſub forma ſudoris copioſioris, cum corporis emaciatione. In duobus præcedentibus caſibus idem fere manebat corporis pondus, quamvis ſemper copioſe ſudabant; ſed in ultimo caſu generatur emaciatio, quæ vocatur a multis Phthiſis nervoſa (*Aph.* 32, III.)

An hæc abundantia educenda?

II. Quoniam Sudor hic copioſior & ſemper fluens generetur deficiente actione vitæ cum mediocri ingeſtione; ex ingeſtione copioſiore; & ex deliquatione humorum, curatio in omnibus eadem eſſe nequit. Qui enim utcunque ſani ſunt & ex mediocri alimentorum ingeſtione copioſe ſudant ſine corporis emaciatione, ſignum erit, aſſumta alimenta non ſatis præparari: his conducit cacochyliam in primis viis relictam per amarum purgans eliminare, ſed dein ſtomachicis roborantibus promovere ventriculi actionem, atque corporis moderata exercitatione in reliquo corpore præparare humores atque eliminare per diaphoreſin: quod indicare videtur Auctor his verbis, *Debili vero inferne.* Quibus vero robuſtis ex aſſumtorum abundantia generatur Sudor, quum hi ſolent ſaburram colligere in ventriculo, his conduceret dare Vomitorium, & deinceps ſe abſtinere ab ingluvie. Sed ſi corpus ſimul extenuetur colliquatis humoribus, hoc corpus neque ferret purgans neque vomitorium, ſed per ſtomachica amara & antiſeptica tota curatio eſſet abſolvenda, qui enim in colliquatis humoribus dat evacuans, bonum & malum ſimul educet, & non emendabit tali medicamento humoris corruptionem, verum majorem debilitatem inducet, quæ colliquationem promovebit.

LIB. VII. APH. LXII.

387. *Febres non intermittentes ſi per tertium diem vehementiores fiant, periculoſæ. Quocunque autem modo intermittant, ſignificat periculi eſſe expertes.*

I.

EUndem Aphoriſmum expoſuimus. (*Aph.* 153.)

LIB. VII. APH. LXIII.

388. *Quibus febres longæ ſunt, his aut tubercula, aut ad articulos dolores fiunt.*

I.

HUnc etiam explicavimus. (*Aph.* 154.)

LIB. VII. APH. LXIV.

389. *Quibus tubercula diutina, aut ad articulos dolores ex febribus fiunt, hi cibis utuntur copioſioribus.*

I.

ATque hunc Aphoriſmum invenies. (*Aph.* 155.)

LIB. VII. APH. LXV.

390. *SI quis febricitanti cibum det, convaleſcenti quidem robur, ægrotanti vero morbus fit.*

I.

SCopus Auctoris eſt hoc loco indicare, quando corpora febre vexata ſunt nutrienda; atque triplex hic poni poteſt caſus. (1) In febre ipſa, dum adhuc non dat ſigna finis. (2) Dum deſinere incipit, ſed corpus tamen adhuc ægrotat. (3) Si vero febris deſiit, ſed corpus tamen convaleſcens non ſatis ſit firmatum. In prioribus duobus dicit Cibum augere morbum, ſed in poſterioribus augere robur. Per Cibum dare non intelligit exhibitionem cibi facilioris digeſtionis & in parva quantitate, quod debemus facere in omnibus febricitantibus, ſicuti ſatis copioſe expoſuimus in ſecundo libro Aphoriſmorum, ſed intelligit Cibum ſolitum & in tanta quantitate, qualis exhibetur ſanis hominibus. (Conf. *Aph.* 35, III.) Qualis autem Refectio debeat fieri poſt Acutos (*Aph.* 32, IV) & poſt Chronicos (*Aph.* 32, V.) expoſuimus. Corpora febre adhuc vexata a ſolito cibo dato aggravari, demonſtravimus (*Aph.* 42, III.) Convaleſcentium duplex eſt ſtatus: ſi enim febris deſinit, ſed relinquit multas impuritates, quæ ſolitam nutritionem reſpuunt (*Aph.* 35, IV.) quia corpora impura non ſunt nutrienda, pauciora alimenta & levis digeſtionis ſunt ingerenda. Sed Convaleſcentia corpora pura (*Aph.* 42, IV.) quæ valent cibum aſſumtum in bonum chylum convertere, paulo largiorem cibum poſtulant, tali modo ut citato loco indicavi: ſi enim his corporibus dares tam parvam quantitatem & levis nutritionis alimenta, uti in febricitantibus, vel corporibus impuris, convaleſcentes non potuiſſent defectu alimenti recuperare vires.

LIB. VII. APH. LXVI.

391. *PEr veſicam prodeuntia inſpicere oportet, an ſint qualia ſanis prodeunt. Quæ igitur minime his ſimilia, ea morboſiora. Sanis vero ſimilia, minime morboſa.*

I.

Urinæ inſpectio neceſſaria.

CUncta, quæ ex Veſica per urethram emittuntur, Urinæ nomine recipi nequeunt, qualia hic ab Hippocrate traduntur, ita calculus, vermes, ſanguis & quæcumque aliena quamvis ex Veſica veniunt, nunquam Urina vocantur. Qui tamen de Urina tradunt regulas, hæc etiam aliena complectuntur. Igitur, quæ per Veſicam prodeunt, in duo genera diſtingui poſſunt, nempe aliena ex urethra prodeuntia, & quæ urinæ nomine veniunt. Aliena ſemper eſſe obſervanda nullus dubitat, ſed de iis, quæ urinam conſtituunt, maxime diſputant. Invenio enim impoſtores miracula prædicentes ex conſpecta urina, atque medicos omnem urinæ inſpectionem irridentes, non verentes publice profiteri, nihil certi ex inſpecta urina cognoſci & prædici poſſe, ſolummodo inſpici ad fallendum: ſed ego miror illorum ſtupiditatem, & contendo artem non habere oſorem niſi ignorantem, quod ſæpiſſime hujuſmodi cavillatoribus demonſtravi. Hoc autem ſcio, impoſtores ſine ullo fundamento, ſigna & præſagia formare ex urinæ inſpectione, ſed id quoque ſcio, me nullam in tota ſcientia medica inveniſſe luculentiorem ſignorum claſſem quam in uromantia: & contra iſtos, qui cum omni induſtria explorant pulſum, regero, urinæ majorem quam pulſui habendam eſſe fidem, & multa plura & certiora præbere ſigna. Hoc autem exemplis adſtruere nimis longum foret, quare cum Auctore noſtro duntaxat contendo, urinam

urinam in omni morbo eſſe inſpiciendam. Quali autem modo inſpectio debet fieri non conſentiunt, quidam ex impoſtoribus ne quidem dubitant deguſtare Urinam ad majorem fidem conciliandam, quaſi plura guſtu quam viſu ex Urina peti potuiſſent: alii urinam coquunt; alii ex magna altitudine eam in aliud vaſculum fundunt: denique quidam urinæ admiſcent quædam ſic dicta arcana. Medici autem ſolent inſpicere urinam in quiete refrigeratam, uroſcopio receptam, ut ita videant, quamnam mutationem urina ſubiit. Ego ſoleo colligere urinam calentem in vaſe vitreo conico, eamque calentem primo & dein refrigeratam in quiete examinare: ſi morbus per paroxyſmos lævit, urinam diverſis temporibus emiſſam variis vaſculis receptam ſimul examino, vel quando morbus aliquam ſubit mutationem, ut ita ex illa urina diverſa poſſim judicium formare, quod mihi ad cognitionem & prædictionem multi momenti fuit. Igitur omnes moneo, ne vilipendeant Urinæ inſpectionem, vel repudient, quia ab agyrtis hæc pars ſignorum quoque cum fallacia exercetur, ſed ut cuncta, quæ in urinis detegunt, ſedulo notent, iſtaque conferant cum iis, quæ ab Hippocrate traduntur: hoc ſi faciant, nullus dubito, quin ſummis encomiis Urinæ inſpectionem laudabunt, tanquam ſignorum claſſem utiliſſimam.

Videndum an urina ſit ſanis ſimilis vel diſſimilis.

II. Vix valemus exacte ſanam deſcribere urinam in quavis ætate & vitæ genere, nam intenditur ejus color in robuſtis exercitatis, parum bibentibus; minuitur autem in debilibus, pueris, feminis, otioſis, multum bibentibus; augetur ejus quantitas in parum perſpirantibus & multum bibentibus; ſed minuitur in parciori potu, largiore perſpiratione & quavis alia evacuatione copioſiore; & tamen illa omnis urina eſt ſana. Sed ſi in oppoſitis cauſis, ætate, & viribus corporis, talis redditur urina, eadem quæ antea dicenda erat ſana, nunc habetur morboſa; modice enim colorata in pueris eſt morboſa; pallida & aquoſa uti in pueris, a robuſtis viris reddita, iterum eſt morboſa, quia non reſpondet viribus naturalibus iſtius corporis. Hinc ſciendum, quibus diverſis in corporibus ſanis urina ſit emiſſa,

miſſa, ut ſit ſanis ſimilis: ſæpe enim accidit, ut corpora ſana ſibi non convenientem reddant urinam, ſed tunc fruuntur inſtabili ſanitate, quod ex inſpecta urina videri poteſt, quæ tunc dicitur ſanæ urinæ diſſimilis, quamvis nulla morboſa notio adſit, niſi quod ſubjecto non reſpondeat. In morbis etiam redditur urina ſana & morboſa, quum omnes morbi particulares materiem morbi in affecta parte retinentes, atque morbi, quorum materia eſt inviſibilis, nullam morbi notionem in urina proferant. Talis ergo urina in morbis conſpecta hoc vel illud indicat. Sed in morbis cum materia, ut loquuntur Veteres, ſi redditur urina ſana, valde malum eſt ſignum, quia declarat morbi materiem retineri, ſine cujus evacuatione recuperari non potuit ſanitas.

III. Obſtare autem videtur dictum Hippocratis, qui ſtatuit Urinam ſanis ſimilem minime morboſam eſſe; atque ſanis diſſimilem eſſe morboſiorem: verum ſi vero ſenſu accipiatur hæc ſententia, puram veritatem ponit & nobis non repugnat. In ſanis enim, ut ſupra notavimus, urina reſpondere debebat ætati, viribus, & victui; itidem in morbis urina reſpondere debet morbo prævalenti, ut eadem urina optime cocta, cum ſimilibus ſignis in alio morbo dicatur cruda. Inde urina in colore, conſiſtentia, & quantitate reſpondens corpori propoſito ſano, & quæ convenit dein etiam morbo, illa minime morboſa eſt: quæ autem eſt diſſimilis tam in ſanis quam morbo laborantibus, illa ſemper mala ſeu morboſa eſt cenſenda: quum in ſanis infirmam ſanitatem declaret, & in morbis tali urinâ non evacuetur morbi cauſa.

Urina ſanis diſſimilis, morboſa: ſanis vero ſimilis minime morboſa.

LIB. VII. APH. LXVII.

392. *Et quibus, egestiones, si stare permiseris, & non moveris, subsident veluti ramenta: & si pauca fuerint, parvus sit morbus: si vero multa, magnus. His confert alvum inferne purgari. Si autem non purgatâ alvo sorbitiones dederis, quanto plures dederis, eo magis lædes.*

I.

Copia ramentorum in alvi excrementis magnitudinem morbi declarat.

Multi Commentatores, inter quos excellit Galenus, dubitant, num germanus sit hic Hippocratis Aphorismus, multasque adducunt rationes: sed fere similem textum invenio in Libro de Judicationibus, his verbis. *Alvi egestiones si in idem concedere ac consistere permiseris, velut ramenta subsident: si pauca, modicus est morbus: si multa, multus: his infusum per clysterem adhibere conducit.* (H, a, 443.) Constat ergo, dictionem esse Hippocraticam, nisi negare velimus, eum etiam Librum non esse Germanum. Neque ita opus est auctoritate litigare, ipsa observatio practica veritatem docet, qua constat, Ramenta seu Strigmenta interdum inveniri in alvi excrementis, quæ in alvi egestionibus liquidis & ita quiescentibus fundum petunt & concrescunt, aut in excrementis durioribus externe reliqua excrementa obducunt. Quia vero Auctor monet, stare debere in quiete Excrementa, facile concipitur, eum intelligere Excrementa liquida, qualia in Cholera, Diarrhœa & Dysenteria emittuntur, quando intestinorum mucus utcunque liquidus cum Excrementis exeuns, dein refrigeratus concrescit; & quoniam muci specifica gravitas est major, dum Excrementa sunt liquida, ad fundum vasis descendit, & ibi stagnando refrigeratus concrescit in Ramenta seu Strigmenta, quæ effusis excrementis in fundo vasis conspi-

conſpiciuntur. Hujuſmodi Strigmenta in Dyſentericis ſæpe obſervavi, ut & alii practici. Igitur de veritate hujus nullus amplius ambigere poteſt. Ex hoc nunc invento ſigno majorem & minorem morbi magnitudinem deducit, quod experientiæ reſpondet. Naturale enim eſt in Alvi egeſtionibus, ut ille mucus non exeat, ergo quo major hujus eſt muci evacuatio, eo major eſt morbus, quod verum eſt in omni evacuatione humorum præternaturalium: atque tanta abraſio & emiſſio muci facit, ut inteſtinum rectum omni muco privatum, tangatur ab excrementis, quæ tunc magnum dolorem concitant, & dejectiones augent.

His confert alvum inferne purgari.

II. Duobus modis Alvum inferne ducere ſolemus, vel per medicamenta ore data, quæ proprie dicuntur purgantia, vel per ea, quæ per anum injiciuntur, aut indantur. Experti ſumus quoties in muco inteſtinorum hæret acrimonia, inſtigans inteſtina ad frequentem dejectionem, nos non poſſe curare irritamentum, niſi ille mucus acris auferatur. Quamobrem ita in Dyſenteria laudantur purgantia, non ſolum ore data, verum etiam per clyſterem injecta, quibus ille mucus acrior abluitur & expellitur: & ut nuda inteſtina minus vellicarentur, atque in motu concitata ad quietem ducerentur, poſt exhibitum purgans propinamus anodynum mucilaginoſum molle; vel poſt ejectionem clyſteris, injicimus novum liquorem mollem, mucilaginoſum, anodynum. Quod ſi vero non evacuato illo muco ſorbitiones dederis, augebitur morbus, quia illa ingeſta, muco corrupto miſta, augebunt corruptelam.

LIB. VII. APH. LXVIII.

393. *QUæ cruda deorſum ſecedunt, ab atra bile ſunt: ſi plura, major: ſi pauciora, minor eſt morbus.*

I.

Cruda excrementa ab atra bile.

QUamobrem hic Aphoriſmus ut præcedens non ſentiatur germanus, videre nequeo, quum etiam Hipp: Lib. de Judicationibus hæc verba habet. *Quibus vero in egeſtione inferne bilis atra ſubſidet, ſi copioſior, major eſt morbus; ſi paucior, minor* (H. a. 443.). Facile eſt ex comparatione locorum colligere, qualem cruditatem Hippocrates intelligat, nempe materiem nigram melancholicam. Hæc materia reliquis excrementis gravior, ſi exacte non miſceatur, & excrementa ſint liquida, fundum vaſis petit. Quomodo autem hæc Nigra dici poſſunt Cruda, paucis enarrabimus. Cruditatis nomen multas diverſas res deſignat; nam alimenta in ventriculo & inteſtinis bene præparata ſi vel per vomitum vel ſeceſſum deponuntur, cruda vocantur. Ita boni confluentes ad dicta loca humores, deſtinati ad alimentorum præparationem, ſi egeruntur, cruda faciunt Excrementa. Denique humores corrupti & alieni egeſti etiam crudi dicuntur. Inter hos omnes humores graviſſimus eſt, qui vocatur Atra bilis, quamobrem etiam fundum vaſis petit. Ex copia nunc materiæ Crudæ vel Atræ bilis format magnitudinem morbi. Quia Atra bilis eſt humor morboſus, de ejus copia majore & minore egeſta ratiocinari poſſumus, ut jam fecimus de muco inteſtinorum; quo enim major copia egeritur, eo majorem quoque collectionem arguit. Quid autem ſit ſentiendum de egeſtione Atræ bilis, ſuperius (*Aph.* 131, 132, 133, 134,) ſatis expoſuimus.

LIB. VII. APH. LXIX.

394. *EXſcreationes, in febribus non intermittentibus, lividæ, & cruentæ, & biliosæ, & graveolentes, omnes malæ ſunt. At rite ſecedentes, bonæ. Sic etiam per alvum, & veſicam, & ubicunque quid ſecedens reſtiterit non purgatum, malum.*

I.

TOtus hic Aphoriſmus ſuperius etiam (*Aph.* 157.) invenitur.

LIB. VII. APH. LXX.

395. *CORpora oportet, ubi quis purgare vult, facile fluentia reddere. Et ſi quidem velit efficere facile fluentia ſurſum, alvum ſiſtere: ſi vero deorſum, humectare.*

I.

DUplex eſt in hoc Aphoriſmo ſcopus. Primus docere, quali modo corpus ſit præparandum, antequam exhibetur medicamentum purgans, hoc abſolvimus, (*Aph.* 34.) Alter tradere præparationem corporis, ſi Vomitus ſit concitandus, hoc expoſuimus. (*Aph.* 123. IV.) ubi traditur præparatio ante exhibitionem Ellebori, hoc autem loco mentionem facit de omnibus Vomitoriis, & præcipit Alvum ſiſtendam eſſe, quod in præcedentibus non fuit factum. Tenendæ ſunt ſuperius traditæ regulæ, ſi Vomitorium ſit exhibendum, ſed ut vomitus majore efficacia

Vomitus præparatio.

cia fiat, & reddatur copia contentorum major per Vomitum, recte monet Alvum esse sistendam. Duplex enim habetur motus directio in intestinis & ventriculo; nempe deorsum, quæ promovet Egestionem, & minuit vel sistit Vomitum; & sursum, quæ sistit alvum & auget Vomitum. Recte ergo præcipit Auctor, alvum esse sistendam, ne motu peristaltico aucto deorsum inhibeatur Vomitus, & convertatur in alvi fluxum.

LIB. VII. APH. LXXI.

396. SOmnus, *vigilia, utraque modum excedentia, morbus.*

I.

Naturalis actio aucta vel minuta etiam morbus est.

INter hunc & superius traditum Aphorismum (*Aph.* 28.) nulla invenitur differentia, nisi quod ibidem in fine dicatur malum, hoc autem loco Morbus. Tota ergo explicatio ex allegato loco peti potest. Quod autem dicatur morbus, innuit excessum alicujus rei bonæ ab Auctoribus etiam morbum vocari, ut non sit opus, habeatur semper novum phænomenon, quod in sanitate non conspicitur, ad designandum morbum. Equidem non parvus est morbus semper vigilare vel dormire, quamvis vigilia & somnus moderatus in sanitate requiruntur. Quali autem modo hi morbi sunt curandi, non est hujus loci exponere.

LIB. VII. APH. LXXII.

397. IN *non intermittentibus febribus, si externa quidem sint frigida, interna vero urantur, & sitim habeant, lethale.*

I.

EUndem Aphorismum invenies. (*Aph.* 158.)

LIB.

LIB. VII. APH. LXXIII.

398. *IN febre non intermittente, ſi labium, aut naſus, aut oculus, aut ſupercilium diſtorqueatur, ſi non videat, ſi non audiat jam debilis exiſtens: quicquid horum fiat, lethale.*

I.

ATque hunc Aphoriſmum invenies. (*Aph.* 159.)

LIB. VII. APH. LXXIV.

399. *LEucophlegmatiæ hydrops ſupervenit.*

I.

LEucophlegmatiæ (*Aph.* 354.) & Hydropis (*Aph.* 273, 1) definitionem dedimus, ex quibus morbis comparatis conſtare poteſt, Leucophlegmatiam eſſe ſpeciem Hydropis, quando humor viſcoſus ſeu pituitoſus lentus & frigidus hæreat in cutis ſubſtantia & tunica cellulosa: ſed quando abſolute ponitur Hydrops, Hippocrates intelligere ſolet Aſcitem ſeu ventris inferioris hydropem. Quomodo autem ex Leucophlegmatia generatur Aſcites, paucis videndum. Ex Leucophlegmatiæ deſcriptione (*Aph.* 354.) conſtat, motum vitalem languidiorem & ſolidorum laxitatem retinere humores aquoſos in vaſculis cutaneis, qui ibidem ſtagnantes & minus moti inviſcantur. Quando talis morbus diu durat, tandem etiam motus vitalis peritonæi & contentorum viſcerum in eo languet, quemadmodum

modum etiam reliquæ corporis partes, quo impedietur effuſi humoris ex cavo peritonæi abſorptio; ſic ſenſim ex depoſitis humoribus, non iterum abſorptis, generatur in ventre inferiore Aſcites. Sine motu vitali in nobis nullam fieri abſorptionem, & cum eo languidiore motu, minui abſorptionem, infinitis experimentis adſtrui poteſt, quod hoc loco ſuppono, alio in loco a nobis ſatis demonſtratum; ex anatomicis & phyſiologicis conſtat, continuo in omnes cavitates corporis aliquem deponi liquorem, qui continuo etiam abſorbetur in ſanis: quoties ergo illa minuitur vel ſiſtitur abſorptio, uti in Leucophlegmaticis, ſæpe fit, ut in quadam corporis parte colligatur lympha, quæ in ventre collecta producit Aſcitem. Si talis morbus ſuperveniat, malum eſt ſignum, & tunc plerumque moriuntur Leucophlegmatici, quippe non generatur, niſi laxitas ſolidorum, & inertia ita increvit, ut viſcera ventris quoque in ſua actione deficiant. Si vero ſuperveniſſet Diarrhœa, qua eliminatur aqua illa, ſolveretur morbus (*Aph.* 354.) Igitur non ita ſibi permittenda eſt Leucophlegmatia, ac ſi eſſet morbus nullius periculi, ſed ſtatim ejus curatio eſt tentanda per evacuantia & roborantia, priuſquam in Aſcitem degeneraverit.

LIB. VII. APH. LXXV.

400. A *Diarrhœa Dyſenteria.*

I.

QUomodo ex meraca dejectione generatur Dyſenteria, expoſuimus (*Aph.* 348.) Hoc loco tradit Auctor, ex quavis Diarrhœa generari poſſe Dyſenteriam. Ad certiorem prognoſin & majorem uſum addere poſſumus, hic intelligi Diarrhœam diuturnam, atque ſi tunc veniat

niat Dyſenteria, malum eſſe ſignum. Obſervamus enim in praxi, raro venire Dyſenteriam poſt Diarrhœam, niſi diu duraverit. Omnis enim Diarrhœa diu durans denotat conſtantem eſſe cauſam, quæ facit, ut humor perpetuo ſtillet in cavum inteſtinorum, & inteſtina inſtiget ad propellenda contenta. Tale perpetuum ſtillicidium, uti ubique in corpore, loca, quæ tangit, excoriat & exulcerare facit, ex quibus dein etiam corroſis locis ſenſim quoque ſtillare incipit ichor acrior, qui tangens partes nudas vellicat, atque ita dolorem infert cum augmento ejectionis materiæ variæ, qualis morbus tunc vocatur Dyſenteria. Hæc veniens malum eſt ſignum, nam inde non minuetur præcedens morbus, & demonſtrat malorum augmentum, ut patet ex accedente Dolore, Egeſtione copioſiore, & exitu malignorum humorum, vel & etiam ſanguinis, corroſis vaſis.

LIB. VII. APH. LXXVI.

401. A *Dyſenteria Lienteria.*

I.

QUid ſit Dyſenteria (*Aph.* 134, 1) & Lienteria (*Aph.* 266, 1.) expoſuimus. Galenus contendit hunc Aphoriſmum eſſe partem præcedentis (*Aph.* 308.) ſed rationem non invenio. Ibidem enim agitur de Lienoſis, qui corripiuntur longa ſuperveniente Dyſenteria aut Lienteria & ita pereunt: hoc autem loco agitur de iis, qui Dyſenteria laborantes corripiuntur Lienteria. Verum non addit, num ſit bonum vel malum ſignum. Ex comparatione autem cum prioribus conjicere poſſumus, hic innui malum eſſe ſignum, quod paucis videbimus. Homo Dyſenteria laborans multum humoris, tam utilis, quam inu-

tilis, ejicit, ut igitur vires corporis permaneant, neceſſe erit, ut corpori etiam ſuppeditetur nutrimentum in ventriculo & inteſtinis tenuibus præparatum, & vaſis lacteis traditum; ita enim valet ſatis diu hanc ferre ejectionem. Si autem accedat Lienteria, quæ denotat eam materiem chyloſam una cum reliquis ejici, certi eſſe poſſumus, corpus iſtud ſuo nutrimento privari & inde impar fieri ferendis his copioſioribus evacuationibus. Videtur tamen æger a ſuperveniente Lienteria doloribus levari, quia materia chyloſa blandior, reliquos humores acriores diluens, minus vellicat inteſtina: ſed infideles ſunt induciæ, quum utplurimum talis æger viribus exhauſtis, pereat. Multi putant propter inductas cicatrices per præcedentem Dyſenteriam chylum non amplius abſorberi poſſe: verum nullam video veritatis ſimilitudinem, quia humor acrior in Dyſenteria tranſeuns, ſenſim latiorem excoriationem facit, & nullam conſolidationem in cicatricem permittit. Verum inteſtina tam diu agitata ſtimulo Dyſenteriæ ita fatigantur, ut tandem deficientibus viribus non amplius valeant receptum chylum trudere in vaſa lactea, ſed permittant, ut ad inferiora devolvatur & una cum corruptis humoribus exeat. Ex hoc obſervato phænomeno multi fuere decepti medici, exiſtimantes propter levamen doloris, & dejectionem humoris minus corrupti, ægrum eſſe in vado, dum tamen experiuntur ægrum brevi poſtea perire.

LIB. VII. APH. LXXVII.

402. A *Sphacelo abſceſſus oſſis.*

I.

VAriam Sphaceli ſignificationem dedimus (*Aph.* 375, 1.) & quid ſit Oſſis abſceſſus, ex ſupra traditis (*Aph.* 310, 11.) colligi poteſt. Quomodo autem ex partis

tis mollioris mortificatione profunda, uti fit in Sphacelo, Os etiam pereat, & Os mortificatum ſeparari debeat, facile concipitur. Os enim ſe ipſum non nutrit & manet vitale ſine partibus ambientibus, ſed ex iſtis in ſuo perioſteo accipit vaſa vitalia, quæ adducunt & reducunt ſanguinem, ex quo perioſteum & Os ſua vaſa vitalia accipit. Quoties igitur in partibus mollibus ambientibus ſphacelatis ſit exſtincta circulatio, ipſum Os circulatione hac privata mori debet. Os quidem tali in ſtatu ſatis diu manebit firmum & ſtabile, etiamſi vita ſit privata, quia ejus durities diu perſiſtere poteſt, antequam ſpontanea corruptione liqueſcit, quod brevi tempore fit in partibus mollioribus: attamen nunquam manere poteſt ſuperſtes, lapſu temporis tandem ſecedere debet. Quamobrem in ſphacelo profundo monent ſemper Chirurgi totam partem eſſe amputandam, etiamſi Os ſatis videatur ſtabile, quia didicerunt poſt longum tempus iſtud Os ſemper fuiſſe mortificatum. Ne ergo æger inani ſpe lactaretur, Os ſervari poſſe poſt profundum Sphacelum, hunc Aphoriſmum nobis reliquit Auctor.

LIB. VII. APH. LXXVIII.

403. A *Sanguinis vomitu tabes, & puris purgatio ſurſum.*

A Tabe, fluxus ex capite.

A fluxu alvi profluvium.

Ab alvi profluvio inhibitio purgationis ſurſum.

Ab inhibitione mors.

A ſanguinis ſputo, puris ſputum, & fluxio. Poſtquam autem ſputum inhibetur, moriuntur.

I.

VIdetur hic Aphoriſmus ex multis aliis prægreſſis conflatus, ut habeatur continuatus ſucceſſus morborum, qui morbi antea ſigillatim ſunt propoſiti. Id ergo

ſolummodo a nobis eſt faciendum, ut indicemus loca, ex quibus hic Aphoriſmus deſumtus eſt.

A ſanguinis ſputo puris ſputum (*Aph.* 340.)
A puris ſputo tabes, & fluxus a capite. (*Aph.* 341, 1)
A tabe detento alvi profluvium ſuperveniens, lethale. (*Aph.* 207.)
Poſtquam ſputum retinetur, moriuntur. (*Aph.* 341, 11)

Sola ratio cur ſputum in Tabidis ſupprimitur, videtur reſtare, verum eam ſupra dedimus. (*Aph.* 207.) Quod autem prætérea adjectum invenitur, eſt ſolummodo repetitio prioris, ut indicaretur hoc loco non intelligi Vomitum cruentum, ſed hæmoptyſin.

LIB. VII. APH. LXXIX.

404. *QUalia etiam in his quæ per veſicam, & in his quæ per alvum fiunt egeſtiones, & in his quæ per carnes, & ſicubi aliâ naturæ via corpus exeat: ſi parum, parvus morbus ſit: ſi multum, magnus: ſi admodum multum, hoc ipſum lethale.*

I.

Evacuationis quantitas æſtimanda ad prædictionem.

NOn ſolum qualitas, tempus & locus Evacuationis ſunt in ſanis & ægris obſervanda, verum etiam cujuſvis Evacuationis quantitas. Quatuor præcipuas Evacuationes numerat. (1) Urinam, (2) Alvi egeſtionem, (3) ſudorem, (4) humores per præternaturales vias, uti per ulcera emiſſos. In his omnibus monet quantitatem eſſe conſiderandam. Particulares obſervationes horum

rum omnium paſſim exhibuimus. Si per hoc vel iſtud Emunctorium materia morboſa exit, quantitas continuo exeuns notabit quantitatem etiam relictam in corpore, ſeu magnitudinem morbi. Sæpe quidem accidit, ut nihil vel parum exeat, dum tamen magna ſit copia humorum morboſorum in corpore, quia via eſt intercluſa, vel vires deficiunt ad expellendum: verum ſupponuntur viæ apertæ & vitæ vires ſatis valentes, tunc poſſumus judicare ex quantitate exeuntis magnitudinem morbi. Ut ſi quis reddat urinam cum magna copia ſedimenti, talis urina ſæpe tollit morbum, ſed tamen magnitudinem morbi declarat; ſi idem morbus adeſſet in alio ægro ſed lenior ſeu minor, urina quoque minorem copiam ſedimenti haberet, & illa notaret quoque morbum minorem. In morbis Chronicis multi laudant ſedimenti copiam in urina, ſed expertus ſum eam copiam majorem declarare quoque morbi magnitudinem. Hoc etiam verum eſt in Alvi Egeſtionibus, ſi multa excrementa aliena emittuntur, pejus eſt, quam ſi parum exeat, atque copia major periculum portendit, quod ex parva quantitate non ita eſt exſpectandum. Sudor roridus, calidus, & ſatis copioſus ſæpe tollit febrem, ſed continuo fluens magna copia, malignitatem arguit: qui enim continuo & perpetuo ſudant, magnam copiam humorum morboſorum in corpore habent. Denique Puris vel Ichoris ex Ulceribus copioſus effluxus magnitudinem morbi declarat. Igitur generalis eſt regula in evacuationibus humorum morboſorum, quo evacuatio eſt copioſior, eo major eſt morbus. Parva ergo evacuatio, quia arguit non multum intus eſſe, parvum morbum & parvum periculum portendit, modo non cohibeatur effluxus, ut monui. Multum fluere majorem copiam arguit, & inde majorem morbum. Si vero valde multum effluat, ſignificat, omnes fere humores corruptos eſſe, & propterea magnum quoque imminet periculum.

APHORISMI INTERJECTI.

405. *QUi ſupra quadraginta annos phrenitici fiunt, non admodum ſanantur. Minus enim periclitantur, quorum naturæ, & ætati, morbus ſimilis fuerit.*

I.

MUlti omnes ſequentes Aphoriſmos, omittunt; alii quoſdam citant; neque idem ſervatur ordo; Theodorus Janſſonius ab Almeloveen, cujus ordinem & interpretationem ſecuti ſumus, Librum octavum ex iſtis fecit; Foëſius paucos ex iſtis elegit, iſtos ſpurios ſeu nothos vocat. Incertum itaque eſt, num ab Hippocrate ſint conſcripti, vel ab aliis interjecti. Quia vero Veteres numero ſeptenario maxime fuere addicti, ſatius erit credere, hunc Librum Octavum ab Hippocrate non fuiſſe conſcriptum. Quia vero noſter ſcopus fuit ſine auctoritate alicujus res obſcuriores in arte medica noſtris commentariis explicare, noſtra non refert, ſive Hippocrates, ſive quis alius ſequentes Aphoriſmos poſteritati reliquit: hoc ſolummodo obſervaturi ſumus, ut ex iſtis eligamus, qui in antecedentibus aphoriſmis non ſunt expoſiti.

Qui ſupra quadraginta annos phrenitici fiunt, non admodum ſanantur.

II. Phrenitis (*Aph.* 109, VII) vario ætatis tempore fieri poteſt, ſed non omni eo tempore æquale periculum infert, quod etiam verum eſt aliis morbis: experimur enim hodie adultos ex variolis & convulſionibus magis periclitari quam pueros. Hoc deducendum eſt ex morbi natura comparata ad naturalem ætatis mutationem, qua eadem morbi cauſa majus periculum infert. Phrenitis eſt morbus inflammatorius febrilis continuus, qui valide agitans cerebrum, perpetuum & conſtans Delirium cum febre facit. In morbis inflammatoriis ſecundum ætates hoc generale obſervamus, iſtos ante quadrageſimum annum

ſæpe

ſæpe finiri hæmorrhagia, & in juvenibus ex leviſſima cauſa generari; in ſenioribus autem plerumque abire in abſceſſum, & non niſi ex magna cauſa generari. (*Aph.* 14, VI) Ergo Phrenitis in tali ætate magnam cauſam arguit, quod periculum eſt, & ſi abeat illa meningum inflammatio in ſuppurationem, hoc quoque periculo non caret, quum pus in encephalo collectum difficulter evacuari poſſit.

Minus periclitantur, quorum ætati, & naturæ, morbus ſimilis fuerit.

III. Auctor rationem majoris periculi ex Ætate & natura ægri deducit, quod ſupra (*Aph.* 59.) pro generali regula poſuit, ubi etiam habitus & tempus ſimul annumerantur. Quomodo autem ex hac regula generali periculum in Phrenitide deducatur, paucis videndum. In recenſita ætate, ut monuimus, non niſi ex magna cauſa generatur phrenitis, & ſi nata fuit, plerumque abit in periculoſam ſuppurationem: ergo etiamſi in ea ætate ſæpe fiat Phrenitis, (*Aph.* 109, VII.) quia plerumque mortem infert, periculoſa habetur, uti ſanguinis ſpuitiones, & phthiſes in juvenibus (*Aph.* 108.) Idem quoque ſentiendum eſt de Natura ægri (*Aph.* 59, II.) nam ſi corpora frigida, hydropica, debilia, tententur Phrenitide, majus erit periculum, quia ea fieri in his nequit niſi a magna admodum cauſa.

406. *QUibus in febribus quartanis exiſtentibus ſanguis ex naribus fluxerit, malum.*

I.

In febribus quartanis hæmorrhagia narium, malum.

OMnis illa evacuatio eſt mala, quæ neque tollit, neque minuit morbi cauſam, & quæ diſponit corpus ad graviorem morbum, nam ſi inferat interdum mortem, lethale ſolet dici. Si demonſtrari poſſit, Hæmorrhagiam narium neque minuere neque tollere cauſam febris quartanæ, verum corpus diſponere ad alios ſuſcipiendos

dos morbos, recte pronunciari poteſt, malum eſſe, ſi hæmorrhagia ſuperveniat. Si in memoriam revoco, quæ obſervavi in conſtitutionibus epidemicis, nunquam memini me obſervaſſe, febrem quartanam vel hæmorrhagiis vel venæ ſectione fuiſſe ſublatam, ſed qui multum ſanguinis effuderunt, facti fuere Leucophlegmatici vel hydropici, habuerunt quidem illi paroxyſmos mitiores, verum ſimul diutius durantes, & magis periculoſos, ut febris illa vehemens videretur commutata in mitiorem, ſed malignam. Si ſecundum noſtram ſententiam febris quartanæ materia ponatur in ſucco illo arteriarum, qui latera arteriarum intus obtegit, quæque materia, uti ſemina malæ herbæ, ad maturitatem veniens febris paroxyſmum concitat, facile concipi poteſt, neque hæmorrhagiam, neque venæ ſectionem tollere poſſe hanc febrem, ſed corpus diſponere ad ſuſcipiendos morbos ex debilitate vitrium & defectu ſanguinis naſcendos. Si enim ſanguis fluit vel ſponte vel arte, ille ſecum non educit ſuccum arteriarum, qui febris materiem continet, ſed ſanguinem purum & bonum, per arterias & venas fluentem. Qui morbi impetu majore ſua mala producunt, ut morbi inflammatorii, hi evacuatione ſanguinis egregie compeſcuntur, ſed febris quartana vel ſimplex vel duplicata, non infert mala majore circulatione, verum ſummo inducto potius frigore, & non minuitur cum diminuta quantitate ſanguinis, uti morbi inflammatorii. Igitur nunquam ex ſanguinis fluxu in Quartanis curatio eſt ſperanda. Atque poſt talem ſpontaneam vel artificialem ſanguinis evacuationem deſtruitur æquilibrium, humores liqueſcunt, ſolida laxantur, atque ita ſæpe fiunt Leucophlegmatici vel Hydropici, quod ſæpe in praxi obſervavimus, ſub quibus dein morbis febris quartana latitat. Monemur ergo, non ſine gravi ratione in febre Quartana venam eſſe ſecandam.

407. *Sudores in diebus criticis oborientes, vehementes & veloces, periculoſi: & qui expelluntur ex fronte, velut guttæ, & aquæ ſalientes, & frigidi valde, ac multi. Neceſſe enim eſt talem ſudorem prodire cum violentia, & laboris exceſſu, & expreſſione diuturna.*

I.

Sudor diebus criticis unde veniat.

GEneralis eſt regula, Sudores criticis diebus (*Aph.* 146.) venientes eſſe bonos, morboſque judicare, ſed oppoſuit citato loco ſudores in quantitate & qualitate bonos, hoc autem loco docere vult, laudabiles iſtos Sudores, ex tempore ſolo judicatos, tamen malos eſſe poſſe. Propterea primo videndum, quamobrem Sudores criticis diebus venientes boni cenſeantur. Conſtanti obſervatione in morbis acutis comperimur, morbi materiem viribus vitæ ſubactam debito id eſt Critico tempore omnium optime e corpore ſub ſudoris forma eliminari: nam quoties eadem materia tempore alio eliminatur, nunquam tam bonum & ſecurum præbet ſignum, quod ex allegato loco colligi poteſt.

Sudores in diebus criticis oborientes, vehementes, & veloces, periculoſi.

II. Hi autem Sudores, ex tempore boni cenſendi, interdum mali eſſe poſſunt ex aliquo alio vitio accedente. Hoc vero loco non numerantur omnes malæ qualitates, ſed ſolummodo ſi ſint Vehementes & Veloces, id eſt ſi Sudores aliquo die critico ſubito oboriuntur & magna quantitate fluunt, tunc dicuntur periculoſi, quod Auctor per experientiam practicam obſervavit, quia invenit poſt tales Sudores ægros non fuiſſe levatos, ſed in pejus ruiſſe. Hæc obſervatio rationi etiam eſt conveniens; quippe unico momento tanta non eſt præparata morbi materia, quæ poſſet tam copioſum & ſubito protruſum ſudorem exhibere, ſenſim enim præparatur materia & expellitur, ſed non acervatim. Hoc etiam invenimus in urina, quæ ſi

ſubito magnam copiam ſedimenti præbeat, non habetur laudabile ſignum, quia tanta copia materiæ morbi tam cito adeſſe nequit. Ergo Sudores vehementes & veloces deſignant, malos & bonos humores ſimul nimia copia evacuari, qualis evacuatio ſemper debilitat. Hujuſmodi Sudores prodire cum violentia, laboris exceſſu & expreſſione diuturna recte putat Auctor, quoniam illa evacuatio boni & mali fieri nequit, niſi viribus vitæ nimium inſtigatis, quæ quemcunque humorem ad organa excretoria venientem expellunt. Hinc ob duas rationes periculum imminet, primo quia evacuatur id, quod retinendum erat, dein a viribus ita inſtigatis maximum fit ſpirituum diſpendium, quo vires deinceps languentes non valent materiem morbi reliquam præparare & expellere.

Sudores in diebus criticis ex fronte velut guttæ, & aquæ ſalientes, & frigidi valde, ac multi, periculoſi.

III. Alteram ſpeciem Sudoris periculoſi diebus criticis his verbis exprimit, qui ex fronte velut guttæ, & aquæ ſalientes, & frigidi valde, ac multi veniunt, ut inculcet non ſolum ſudores copioſos calidos diebus criticis eſſe periculoſos, verum etiam frigidos ex fronte guttatim, & copioſe venientes. Cuncta hæc ſudoris phænomena ſi ſeorſim examinantur, & dein inter ſe conferantur, certiſſimum periculum portendent. Qui *ſudores ex fronte* copioſi profluunt, indicant, præcipuam morbi materiem hærere in capite: nam in qua corporis parte eſt ſudor, ibi morbum eſſe ſignificat (*Aph.* 148.) Verum nulla pars corporis majus periculum portendit, quam caput morbi materiem recipiens. *Guttatim* inſtar aquæ ſalientis *frigidi* multi ſudores notant, adeſſe materiem colliquatam copioſam, cum relaxatis poris cutaneis, atque defectum virium vitalium; profluunt enim tales ſudores, quia non ſatis conſtrictis poris cutaneis retineri nequeunt, ut experimur in moribundis & ſyncopticis, atque frigidi fiunt, quia motus vitalis corpus noſtrum calefaciens, deficit: in quo motu deficiente non extruditur materia ſola morboſa, ſed effluit quidquid ad poros cutaneos allabitur.

408. EX *morbo diuturno alvi defluxus, malum.*

I.

OMnes morbos ultra quadraginta dies durantes Chronicos vocari, obſervavimus. (*Aph.* 331, 1.) In iſtis, dicit Auctor, Alvi defluxum eſſe malum, quod primo intuitu praxi hodiernæ non videtur reſpondere; in his enim morbis alvi egeſtio copioſior cacochyliam in inteſtinis collectam tollit, ſummumque levamen adfert, & purgantia cum magno effectu propinantur. Verum Alvi defluxus hoc loco non ſignificat ſolam evacuationem contentorum ex inteſtinis, qua tollitur cacochylia, ſed copioſiorem & continuatam dejectionem, quæ arguit non ſolum evacuari ea contenta, verum etiam omnes humores bonos in inteſtina confluentes. Omnis ergo Diarrhœa, Dyſenteria, Cholera & Lienteria, quæ Alvi defluxus denominari poſſunt, in morbis Chronicis damnantur ob ſequentes rationes. Si continuo ingens copia corruptorum humorum ejicitur, ſignum eſt, magnam etiam intus eſſe malorum humorum collectionem, quod malum præbet ſignum. Si vero hujuſmodi corrupti humores ejiciuntur, quia boni humores in inteſtina confluentes cito convertuntur in corruptelam, hoc etiam malum eſt, nam ita eſt timor, ne omnes reliqui boni humores in corruptelam convertantur. Si vero boni humores continuo emittuntur, uti in Lienteria & interdum in Diarrhœa, bonorum nimia evacuatione corpus debilitabitur, in Cachexiam vel Leucophlegmatiam incidet, vel exhauſtis humoribus emaciabitur & tabe atque febre hectica conſumetur. Conducit ergo in Chronicis, ut alvus liqueſcens reddat Cacochyliam, ſed fluxus non debet continuari: conducit etiam ſemel aut bis alvum ducere, ut corrupta ex cavo inteſtinorum & ventriculi elimi-

Ex morbo chronico alvi defluxus, malum.

nentur, ſed damnanda eſt ea methodus, qua contendunt continuo datis purgantibus totum corpus depurare.

409. *Quæ medicamenta non ſanant, ea ferrum ſanat. Quæ ferrum non ſanat, ea ignis ſanat. Quæ vero ignis non ſanat, inſanabilia exiſtimare oportet.*

I.

Curationis ordo.

OMnis morbus in corpore vivente hærens ſui ablationem exigit, quæ res eſt a ſanitate perfectâ diſtincta; illa ablatio variis auxiliis abſolvitur: Vitæ enim actiones ita ſunt creatæ, ut, quidquid alienum vel morboſum eſt, ſubigere & expellere conentur. Verum interdum morboſa cauſa vel tam pertinax vel copioſa eſt, ut viribus vitæ ſuperari & expelli non poſſit; aut per aliquas cauſas impediuntur vires vitæ, ut morbi cauſam expugnare non poſſint; in quo caſu quædam auxilia ſunt adhibenda, quæ mediantibus viribus vitæ vel abſolute morbi cauſam aut ſubigunt aut expellunt. Prima ergo medicatio fit ſolis viribus vitæ, ſi vero ſint impedimenta, quæ vitæ actionem impedire potuiſſent, illa ſecundum experientiam medicam ſunt tollenda. Altera eſt, ut per auxilia inſtigantia vel minuentia actionem vitæ talem concitemus motum, qualis experientia didicit omnium optimum eſſe: hæc vocatur methodica curatio, quæ tamen ſola vitæ actione abſolvitur & tutiſſima eſt in morbis, qui motu eo ſuperari poſſunt. Tertia eſt, quæ per Antidota morbi cauſam exſtinguit, quæ dicitur Empirica; ſed quia contra omnes cauſas non habemus certa antidota, pauci ſunt morbi, qui hac methodo curari poſſunt: non multum ab his diſtant Evacuantia; ſed quia non ſatis detecta ſunt Evacuantia omnem & ſolam materiem morbi educentia, atque non omnes morbi ab humoribus dependent, hæc etiam ſæpe fruſtra adhibetur. Denique accedimus ad auxilia

xilia validiora, quæ dicuntur Chirurgica, nempe tollenda eſt morbi cauſa, vel & tota pars affecta ſecando vel urendo, quæ operationes non exigunt vitæ actiones, ſed fieri poſſunt etiam reluctante natura.

Quæ medicamenta non ſanant, ea ferrum ſanat.

II. Per Ferrum hoc loco intelligere debemus Sectionem, qua pars quædam clauſa reſeratur, vel quædam pars præſcinditur. Recte monet Auctor ab hac truculenta operatione non eſſe incipiendum, ſed tum demum, ſi per medicamenta adjuvantibus viribus vitæ non poſſumus curationem obtinere. Non tamen ſemper præmittenda ſunt medicamenta in morbis, de quibus ſcimus per medicamenta nihil præſtari poſſe, ſed ſtatim tunc ad ſectionem eſt accedendum, priuſquam morbus incaſſum adhibitis medicamentis, pejor factus, etiam ſectione non potuiſſet tolli. In exemplis res clarior erit. Si aliquis laborat Abſceſſu vel Empyemate pus continente, primo adhibenda ſunt medicamenta, quæ maturationem & ruptionem Abſceſſus promovent: his ſi obtinetur Abſceſſus ruptio, illa erit in convenientiſſimo utplurimum loco; ſi autem non rumpatur, tunc ſecando pertundenda ſunt repagula, ut puri concilietur exitus. Itidem in ſphacelo incipiente medicamenta primo ſunt adhibenda, quibus ſæpe obtinetur curatio, ſi pars non perfecte fuit mortificata: ſi autem medicamentis ſervari nequit, tunc tandem pars mortua ferro amputanda eſt. In Cancro autem ſine prægreſſis medicamentis applicatis ad Sectionem pervenimus, quia nullum eſt medicamentum cognitum, quod Cancri malignitatem exſtinguere valet, & ea malignitas medicando ſenſim fit deterior. Si autem locus vel magnitudo Cancri ablationem totam vetat, curatione palliativa medicamentis eſt cohibendus Cancer, ne nimis gliſcat.

Quæ ferrum non ſanat, ea ignis ſanat.

III. Quæ morbi cauſa neque medicamentis, neque ſectione poteſt tolli, ad eam adhibebant Veteres Urentia, quibus deſtruitur naturalis partium firmarum cohæſio, & ita immutantur humores, ut priorem omnino naturam exuant. Hæc Urentia diſtinguuntur in Actualia & Potentialia. Actualia illa habentur, quæ in ſe magnam ignis copiam

collectam habent, ut ferrum vel alia metalla ignita, atque omnia liquida & ſolida ferventia. Hæc tam in cadaveribus quam viventibus ſuam operationem exercent. Potentialia vero non poſſident ita ignem collectum, neque ad thermometrum majorem caloris gradum exhibent, neque in cadaveribus partem, cui applicantur, comburunt; ſed in viventibus cum ſenſu ardoris eſcharam formant. Actualia hoc loco ab Auctore intelligi confido, quia potentialia ſæpe adhibentur, priuſquam ſectio inſtituitur, aut ſi æger ſectionem timeat. Sed Actualia Urentia non niſi in rebus deſperatis adhibentur, vel quando aliis auxiliis curatio obtineri nequit. Ut ſi aliquis a venenato animali fuerit morſus, partem læſam urunt, ut ita exſtinguatur omnis communicatio cum corpore reliquo, & invertatur venenatum communicatum. Comburendo etiam, venenum peſtilentiale in aëre exſtinguitur.

Quæ ignis non ſanat, ea inſanabilia exiſtimare oportet.

IV. Quum etiam vehementiſſima & omnia invertentia auxilia fuere adhibita ad tollendum morbum, qui tamen his non auſcultat, certe nulla ſpes ſupereſſe poteſt, eum morbum unquam ſuperari poſſe. Multi quidem ſunt morbi, qui per ignem non poſſunt curari, qui tamen ſunt ſanabiles, uti omnes ſpecies febrium; ſed quoniam auctor ſenſim adſcendit ad validiora auxilia, concipit etiam præcedentia auxilia etiam fruſtra fuiſſe adhibita: atque hoc loco magis attendit ad morbos externos, qui a Chirurgis tractantur, quam ad internos, qui Medicis committuntur.

410. *Lingua nigra atque cruenta, ſi quid horum ſignorum abeſt, non valde malum: morbum enim minorem declarat.*

I.

Linguæ in omnibus inſpiciendæ.

APud omnes fere practicos hanc generalem regulam invenio inculcatam, omnibus in morbis linguam eſſe inſpiciendam, quia egregie ſtatum humorum declarat:

declarat : ſed apud paucos ex propoſito inveni Linguæ ſigna ita deſcripta, ut junior medicus ex conſpectis in lingua phænominis poſſit judicare, quid ſit ſentiendum ex conſpecta mutatione. Certum quidem eſt quodcumque phænomenon in Lingua detectum ex ſua conſtanti cauſa oriri, ex qua inventâ formanda eſt prognoſis & dirigenda curatio. Omnes etiam indocti, & qui nunquam medicinam exercuere, facile videre poſſunt in Lingua mutationes, ſed ex iſtis eruere latentem cauſam, hoc opus, hic labor; & adhuc majoris eſt doctrinæ, ex detecta cauſa formare præſagium & methodum medendi : talis enim verſatiſſimus non ſolum eſſe debet in eruenda cauſa ex phænomenis, verum etiam ita ipſi cognita debet eſſe cauſa detecta cum omnibus ſuis mutationibus, ut nihil deficiat, quam cognitionem pauci poſſident medici, ex longa experientia in ægris ipſis eruendam, antequam aliquid certi pronunciare poſſint, vel ex arte aliquid agere. Si locus hic eſſet, ex Collectaneis noſtris, quæcumque ex Linguæ inſpectione poſſunt peti, hic congerere potuiſſem, ſed quoniam Auctor duntaxat proponat Linguam nigram & cruentam, extra ſcopum eſſet reliqua omnia, quæ de inſpectione Linguæ ſunt proferenda, hic enarrare, forſan in poſterum opportunior de his agendi accaſio.

II. Non ſolum practici præſagia formare ſolent ex præſentibus phænomenis, verum etiam ſæpiſſime, ſi hoc vel iſtud phænomenon non conſpicitur, ita ex urina ſana, corpore bene colorato, ſiti temperata, reſpiratione libera, & multis aliis, quæ declarant hanc vel illam cauſam non adeſſe, egregia ſigna deſumunt. Ita etiam in hoc Aphoriſmo adducit Auctor Linguam nigram & cruentam tanquam frequens & malum ſignum, ex cujus abſentia concludit morbum eſſe mitiorem. Meretur ergo videre, ex qua cauſa fiat talis Lingua in morbis. Dum inſpicimus Linguæ ſuperficiem & invenimus ejus colorem mutatum in nigredinem, vel rubedinem, ille color provenit ab ipſa linguæ ſubſtantia, vel quia quadam colorata mucagine eſt tecta. Subſtantia autem Linguæ nigra eſſe nequit, quin ſit ſphacelo correpta

Lingua nigra & cruenta quid notet.

repta & ſic ſenſu omni privata, quod etiam verum eſt in aliis corporis partibus. Fieri autem poteſt, ut a liquore colore atro tingente inficiatur linguæ ſuperficies nigredine, ſed hoc nec bonum nec malum ſignum præbet. Sed ſi mucus naturalis linguæ & palati atque faucium nigrum colorem induerit & tam tenax ſit, ut a Lingua colluendo auferri nequeat, ſignum eſt, morbi materiem abiiſſe in ſphacelum vel malignam corruptionem; unde etiam urina & alvi excrementa nigra ex hac cauſa damnantur. In leviori autem malo mucus ſupra linguam hærens ſtagnando corruptus interdum aliquam nigredinem inducit. Cuncta ergo hæc malam latentem cauſam indicant, & quando illa nigredo abeſt, certi ſumus, iſtas malas cauſas non adeſſe, atque ita in morbis abſentia nigredinis eſt mitioris morbi ſignum. Lingua Cruenta provenit ex ejus affecta ſubſtantia, quia non ſcimus confluere in os humorem, qui ſtagnando rubedinem acquirit; ipſe enim ſanguis ruber ſi tegeret Linguam, colorem nigrum acquireret ſtagnando. Ergo hoc ſignum denotat, Linguam eſſe inflammatam vel eryſipelate affectam, quod in Angina & Dyſenteria peſſimum eſt ſignum. Hujus ergo abſentia in dictis morbis minus periculum arguit.

411. *Teſtis dexter frigidus & convulſus, lethale.*

I.

Obſervavit Hippocrates, Teſtes & pudenda revulſa, malum ſignificare H. a. 571. atque ita revulſa dolores fortes ſignificare, & periculum lethale. H. a, 454 Hoc autem loco huic ſententiæ addit Dextrum teſtem frigidum. Tota hæc ſententia in obſervationibus practicis fundata eſt, & a Veteribus propter ignorantiam anatomiæ explicari non ſatis potuit. Duo phænomena citat Auctor, nempe Frigiditatem & Convulſionem, quæ ab eodem organo non dependent: nam Calor corporis naturalis

ralis ab actione vitali dependet, qua languidiore vel exſtincta, generatur tali in parte frigiditas, quod in Exercitatione noſtra de Motu Vitali ſatis fuſe expoſuimus. Igitur Frigus Teſtis dextri in acutis morbis idem deſignat, quod notavit frigus cujuſcumque partis (*Aph.* 149, II. *Aph.* 158, III. *Aph.* 351, I.) nempe defectum motus vitalis in ea parte. Convulſio autem, qua Teſtis revellitur ad inguines, in organo vitali eſſe nequit, vaſa enim ſpermatica ad teſtem tendentia motu vitali donata tam longa ſunt, uti demonſtrant hodierni Anatomici, ut ſi eorum fibræ nectentes ſolvantur, longitudinem aliquot ulnarum ſuperent: hæc ergo vaſa in funiculo ſpermatico & corpore pyramidali teſtis ita intorte locata, ſi convellerentur, non tamen potuiſſent ad inguines elevare Teſtem. Sed muſculus Cremaſter ab annulo muſculorum abdominalium ſupra pubem enatus, cingens funiculum ſpermaticum & pyramidale corpus, ad exteriorem teſtis ſuperficiem deſinens, ſi convellitur, poteſt ei annexum Teſtem attollere & ita ad ſuum punctum fixum ſeu dictum annulum elevare. Quamvis Cremaſter inter muſculos numeratur, non tamen eſt ex iis, qui voluntati obtemperant, nullus enim homo pro arbitrio Teſtem movere poteſt, niſi forſan unus aut alter, quod obſervaſſe dicunt Auctores: verum tam rara ſunt exempla, ut nullus Anatomicorum huic muſculo motum animalem tribuat. Conſtat tamen hic muſculus, ut reliqui, ex fibris, in quibus neque motus animalis, neque vitalis exercetur. Si ſolummodo deſtinatus fuiſſet ad ſuſtentandum Teſtem, natura potius uſa fuiſſet Ligamento, non vero fabrica muſculari. Quare hic muſculus deſtinatus videtur ad peragendum motum particularem in funiculo ſpermatico, corpore pyramidali, teſte & epididymide, ut ſpecialis in his partibus habeatur motus ad conficiendum ſemen & propellendum ad veſiculas ſeminales. Revulſio ergo Teſtis ad inguines ſignificat, Convulſionem fieri in muſculo motus alicujus particularis, quod in morbis acutis magnum periculum arguit (Conf. *Aph.* 51, VI, *Aph* 338, I.) Duo propterea mala ſigna ſi jungantur, Lethalia dici poſ-

ſunt. Quod autem Dextrum Teſtem nominat, multi quæſiverunt arcanum, quaſi fieri non potuiſſet in ſiniſtro. An vero hæc differentia ſemper obſervetur, per obſervationes practicas detegere non potui. Hoc ſolum inveni, ſiniſtrum Teſtem magis pendulum hærere quam Dextrum; ſiniſtrum etiam frequentius tumore corripi, ſed in dextro inguine frequentiores inveniri hernias.

412. *UNgues nigri, & digiti manuum & pedum frigidi, contracti vel remiſſi, mortem in propinquo eſſe oſtendunt.*

I.

Ungues nigri quando lethale ſignum?

UNgues corpora eſſe tenacia elaſtica & pellucida ſummitatibus digitorum adnata, omni fere colore carentia, norunt omnes: hi varios videntur accipere colores a liquoribus coloratis, qui ſub unguibus hærent, & per pellucidos ungues videri poſſunt. Nigri igitur Ungues inde fiunt in morbis, ſi ſub unguibus colligitur humor niger. Experimenta docent, ſanguinem in finibus arteriarum & principiis venarum collectum ſtagnantem, corpore pellucido tectum præbere colorem Lividum vel Nigrum, qualis color hic traditur. Quoties ergo Ungues livent vel nigri fiunt ſubito in morbis acutis, quorum ſigna in his Aphoriſmis traduntur, deſignat ille color, ſanguinem ſub unguibus ſubſiſtere & concreſcere Hoc ſi fiat in principio paroxyſmi febris quartanæ, non valde periculoſum eſt ſignum, nam ſubſequens calor ſtagnantem ſanguinem in actum ducet: ſed ſi fiat in febre acuta continua, tunc notat tantum defectum virium, ut ſanguis non amplius per vaſa circulatoria duci poſſit, & quia tunc non poſſumus exſpectare incrementum caloris, qui ſtagnantem ſanguinem movebit, vis vitæ ſenſim debilior facta permittit, ut tandem tota circulatio ſubſiſtat & homo moriatur.

II. Quod

II. Quod alibi (*Aph.* 326. & 351.) Auctor generali nomine pronunciavit de frigiditate Extremarum, id hic ad ſolos digitos manuum & pedum applicat, qui ſunt partes omnium maxime extremæ: quoniam vero iſtis locis rationem dedimus, cur frigus tam periculoſum habetur, non erit opus hoc loco eandem rem repetere. Si præterea Digiti ſunt contracti vel remiſſi, quæ phænomena indicant, vitam & circulationem omnino in digitis ceſſare, antecedentem prognoſim confirmant, & denuntiant mortem inſtare, quod etiam in multis, qui perierunt, obſervavi. Digiti frigidi contracti vel remiſſi, lethale.

413. *Labia livida, aut etiam reſoluta & inverſa, & frigida lethalia.*

I.

Præſens hic Aphoriſmus vix a præcedente differt, nam quæ hic phænomena tribuuntur Labiis, idem ſignificant, quod ſupra in unguibus & digitis, quum epithelium tegens prolabia, tenerrimum ſit, vaſculaque admodum pellucida, quæ transfluentem ſanguinem coarcent, optime declarare poſſunt humorum transfluentium colores. Si in his vaſis ſubſiſtat ſanguis ruber, lividus ſemper apparebit color, & in majori concretione fit color niger. Interdum etiam ita liveſcunt labia, ſi reditus ſanguinis per venam jugularem intercipitur, quod interdum in angina & tumore colli obſervatur; ſed tunc cum livore tument Labia: quando autem ex deficiente actione ſubſiſtit ſanguis, Labia ſimul reſolvuntur, id eſt, amittunt omnem movendi actionem, & ita etiam invertuntur. Ex his igitur colligere poſſumus, vitalem & animalem actionem eſſe exſtinctam, & ita homo morti proximus eſt.

414. *AUres frigidæ, pellucidæ, contractæ, lethales sunt.*

§ I.

AUrium nomine illa duntaxat auris pars intelligitur, quæ extra caput eminet, & visui patet, quæ plerumque Auricula appellatur, quoniam Anatomici Auris nomine plerumque intelligunt totum Auditus organum. Illa Auricula a causa interna frigida notat, uti reliquæ partes externæ, cessare in iis motum vitalem; sed si tales fiant auriculæ refrigeratæ ab ambiente aëre frigido, nihil boni vel mali indicant. Constant auriculæ cartilagine albicante, quæ cute tenera tegitur, in qua pauciſſima sunt vascula cruenta: quando tam parva fit circulatio, ut hæc minima vascula cruenta fiant inania, Auriculæ non solum defectu sanguinis pallent, sed & pellucidæ & contractæ fiunt. Hoc etiam verum est in omnibus membranis, si sanguis earum ruber eluatur, fiunt pellucidæ, & quia vascula depleta contrahuntur, tota quoque membrana redditur contracta. Ergo tales Auriculæ significant sanguinem per arterias non amplius adduci, qui impieret vasa cruenta & rubedinem ipsis præberet. Hoc si fiat in morbis acutis, in quibus ex sua natura validissima esse debebat circulatio, mortem instare denotat: in febribus autem hecticis & marasmo est etiam lethale signum, sed non ita prope mors instat, uti in Acutis.

415. *ET tenebricosa vertigine laborans, & lucem aversans, & somno ac ardore multo detentus, desperatus.*

I.

POst signa in partibus externis tandem pergit Auctor ad signa interna, quæ relatione ægri duntaxat cognoscuntur: inter illa numerat Vertiginem tenebricosam, de qua æger conqueritur morbo acuto decumbens. Hoc signum Medicus suis sensibus detegere non potuisset, sed æger dicit, sibi omnia ante oculos in gyrum verti, simulque ejus visum obtenebrari, qualis morbus σκοτόδινος vocatur, ut exposuimus in nostra *Medicina Dogmatica Cap.* 2. Duæ ad hunc morbum producendum concurrunt causæ internæ, nempe motus inordinatus spirituum, quo omnia circumverti videntur, & minor spirituum influxus in nervos opticos, quo omnia obtenebrantur, quum sine spirituum in hos nervos influxu nullus fiat visus, quod citato loco demonstravi. Si ergo ex hoc signo nempe Vertigine tenebricosa nobis constet, spirituum esse defectum & motum inordinatum in morbis acutis, facile erit ex hac posita causa formare prædictionem. In morbi acuti principio & vigore quando vehemens est circulatio, si observetur Vertigo tenebricosa, signum est, sanguinem tanto impetu ferri ad encephalon, ut nervi optici majore copia pressi non permittant satis copiose fluere spiritus per dictos nervos ad oculos, & qui fluunt, non pergant æquabili requisito fluxu, sed motu inordinato: ergo omnia mala ex hoc signo præsagienda, quæ ex sanguinis majore impetu ad caput deduci solent, quæ omnia hic recenseri nequeunt. Si autem circa finem Acutorum veniat Vertigo tenebricosa cum pulsu debiliore & diminutis viribus, tunc arguit summum spirituum defectum. Quando mortem instare declarat.

Vertigo tenebricosa in Acutis.

Lucem averſans in acutis.

II. Alterum phænomenon in oculis dicitur Lucis averſatio, dum ægri ferre nequeunt ullam lucis agitationem ſupra oculi retinam, quin inde ſummopere lædantur. Experimur ſemper oculorum inflammatione laborantes vel qui admodum ſunt debilitati, ferre non poſſe, ut oculi tunica retina a luce agitetur; quum in oculis inflammatis a retinæ agitatione intendatur dolor, atque in debilitatis, quia ſpiritus ad viſum exercendum nimis conſumuntur. Ex hoc igitur veluti ex præcedente phænomeno in Acutis ratiocinari poſſumus, nam ex impetu majore ad caput in vigore morbi acuti oculi bulbus in ſuis arteriis nimis impletus, non ſine moleſtia hanc agitationem ferre poteſt, atque in fine Acutorum ſummum ſpirituum defectum arguit. Ergo in Acutis Lucis averſatio valde malum eſt ſignum.

Somno & Ardore multo detentus in Acutis, deſperatus.

III. Somnus exigit æquabilem ſpirituum motum per cerebrum, & Ardor multus validam circulationem arguit, duo autem hæc ſimul ſtare nequeunt: neceſſe igitur eſt, ut Somnus ille non ſit naturalis ab æquabili & tardo ſpirituum fluxu dependens, quod ex Noſtra Exercitatione *De Somno & Vigilia* colligi poteſt, ſed productus ab illa circulatione valida in encephalo, quæ habetur in Acutis cum ſummo ardore. Si ſanguis feratur magno impetu ad capitis interiora, quia cranium durum cedere nequit, ſæpe fit, ut eo in loco, ex majore collecta copia ita opprimatur cerebrum, quo ſpirituum fluxus intercipitur ad organa ſenſus & motus animalis, atque tali modo homo ſopitus jacet, qui Sopor quoad ſigna externa vix differt a ſomno naturali, ſed quoad cauſam maxime differt. Nam ſi ex cerebro ita compreſſo homo cum febre acuta & ardore ſummo ſopitus jacet, in magno verſatur periculo, illa enim ſi parum augeatur cauſa comprimens, ſupprimetur omnis ſpirituum fluxus, & ita perit æger. Omnia itaque recenſita ſymptomata quoniam magnum periculum portendunt, ſi ſimul conſpiciuntur, non erit incongruum, talem ægrum in deſperato ſtatu verſari.

416. *ET qui in rabiem actus furit intrepide, & non agnoſcit, & neque audit, neque intelligit, jam moribundus eſt.*

I.

DElirium vehemens in Acutis hoc loco tradit, quod ſemper in mortem deſinit: non habetur enim vehementius Delirium, quam furere intrepide, deſignans cerebrum a morboſa cauſa validiſſime agitari, & quidem ita, ut non concedatur ullum mentis imperium, aut perceptio, nam neque audiunt, neque vident, neque intelligunt, quum cerebrum a morbo ita agitatur, ut nulla fieri poſſit ſenſuum perceptio. Hujuſmodi autem Furores in maniacis & melancholicis ſæpe obſervantur, qui tamen ſuperſtites manent diu, atque interdum ad ſe redeunt. Sed ſi morbus Acutus febrilis talem Rabiem inducit, mors inſtat. Similis agitatio in quavis parte alia deſineret in Sphacelum ſeu totius deſtructionem, quæ ſi fiat in Cerebro, ubi habetur origo omnis motus, homo ſuperſtes manere nequit, ſed ex cerebro deſtructo perit. Aliis autem in cauſis, quæ non ita ſphacelum vel cerebri corruptionem inferunt, fieri poteſt, ut ablata illa cauſa homo ad ſe redeat, quod maniacis, melancholicis, & in furore ex ebrietate ſæpe experimur.

417. *MOrituris ſigna hæc magis fiunt manifeſta, & ventres attolluntur, atque inflantur.*

I.

QUo recenſita ſigna in Acutis magis fiunt manifeſta, eo cauſa eſt validior & major, & quoniam homines hi moriuntur ex magnitudine cauſæ, inde quo illa ſigna ſunt magis manifeſta, eo certius mors eſt exſpectan-

In morituris ventris inflatio.

ſpectanda: tandem etiam Ventres inflantur & attolluntur, quoniam ſi quis ex morbo Acuto pereat, morbus ille prius in ſphacelum degenerare ſolet, qui ſi fiat in viſceribus internis, ille tranſit quoque in putredinem, quæ producit multum aëris artificialis, ex cujus collectione & accumulatione in multis generatur Ventris elevatio & tumor. Non autem cenſendum, omnem ventris inflationem inſtantem mortem indicare, quia ſæpe ventres inflantur in morbis chronicis, qui poſtea ſubſident, & homines ſervantur; atque tympanitici diu tumente ventre laborant, antequam pereunt. Sed quando ex morbo Acuto ſphacelus fuit natus, qui ſuperveniente putredine ventres attollit, nullus ſervari poteſt, & talis intumeſcentia breve ante mortem fieri ſolet.

418. *TErminus vero mortis eſt, ſi animæ calor ſupra umbilicum ad locum ſepto tranſverſo ſuperiorem aſcenderit, & omne humidum fuerit combuſtum. Poſtquam pulmo & cor humorem amiſerint, calore in mortiferis locis coacervato, caloris ſpiritus confertim exhalat, unde totum cum toto conſtitit. Rurſus partim quidem per carnes, partim vero per ſpiracula in capite, unde vivere dicimus, relinquens anima corporis tabernaculum, & frigidum, & mortale ſimulacrum, unà cum bile, & ſanguine & pituitâ, & carne, deditione tradit.*

I.

Quomodo mors ex acutis.

PRincipia a Deo creata, quæ ex motu ſeu actione obtinuere nomen, omnium difficillime definiri poſſunt, & de his variæ proferuntur ſententiæ, hoc patet in deſcriptione Attractionis, Electricitatis, Gravitatis, & Motus corporum, ex quibuſdam viſibilibus proprietatibus, non vero ex intima cognita natura harum rerum fieri poteſt deſcriptio & definitio: hoc etiam de Vita & Morte dicendum eſt, etiamſi Vita nobis ſit omnibus, atque aliis animalibus

&

& plantis, atque cuivis ſatis notum ſit, differentiam eſſe inter res viventes & mortuas: ſi tamen rogamus, quid ſit proprie Vita & quid Mors, & qualis inter duplicem hunc ſtatum in corpore eodem ſit differentia, vix duo Auctores conſentiunt. Ne omnes & varias proferamus ſententias, ſolummodo Auctoris & noſtram ſententiam expoſituri ſumus. Auctor, uti ex textu patet, exiſtimat, vitam eſſe animæ calorem, qui ſuſtentari & nutriri debet quodam humido; quando igitur ille animæ calor conſumſerit iſtud humidum vel iſtud combuſſerit, ut ſit ineptum factum ad nutriendum & ſuſtentandum eum calorem, ſenſim ille Calor ſe magis recipit ad Cor & Pulmones, & ſi his in locis quoque iſtud humidum ſit conſumtum, tunc ille Calor ſe recipit in iſtis deſtructis partibus, quæ ad Calorem conſervandum ſunt ineptæ, & eum Calorem conſervare nequeunt: hinc Animæ calor exit partim per ſpiracula, quæ ſunt in capite, & partim per poros cutaneos, atque ita corpus Animæ calore privatum, eſt cadaver. Ex quibus conſtat, Vitam haberi tanquam rem corpoream, quia exhalare debet, atque conſiſtere in Calore. Quantum a vero hæc recedit ſententia, non proferam, unicuique liberam philoſophandi potentiam relinquens, ſed ad firmiorem firmandam doctrinam proferemus noſtram ſententiam, quali modo judicamus morbos acutos Vitam exſtinguere. Inter corpora viventia & mortua illam invenio differentiam, quod in viventibus inveniatur aliquod principium movens a Deo creatum, quod etiam aliquamdiu ſine motu aliquo manere poteſt ſuperſtes, ut patet hyeme in Inſectis & Plantis, ex cujus præſentia arcentur illæ mutationes ſpontaneæ, quæ in rebus mortuis ſponte fiunt, uti ſunt omnes ſpecies corruptionis; & cujus actione multa fiunt in iſtis corporibus, quæ nulla arte imitari poſſunt. Hoc principium vitale in quibuſdam ſimul concitat Calorem, uti in nobis viventibus & reliquis animalibus perfectis, in aliis autem, uti in piſcibus & plantis, nullum indicium caloris præbet. Calor ergo non eſt Vita ipſa, neque talis eſt vitæ proprietas, ſine qua Vita exiſtere non potuiſſet. In nobis autem ceteriſque animalibus

perfectis invenimus, quod quo vitæ principium magis eſt agens, eo quoque major generatur in nobis calor. Hoc Vitæ principium ut agat, exigit organa & humores aptos, quibus deſtructis, nimis mutatis, vel minutis, ipſa vita ſimul exſtinguitur, ſeu iſtud principium vitale a Deo creatum, a nemine mortalium revocari poteſt. Quoniam infinitis modis organa & humores mutari poſſunt, ut fiant inepta ad vitæ munera perficienda, infinitæ etiam ſunt cauſæ, quæ vitam exſtinguere poſſunt. Inter has nunc eſt Morbus Acutus, quem videbimus quomodo Vitam exſtinguit. Omnes morbi acuti febriles ſemper habent circulationem validam cum corporis ardore vehementi, principium vitæ a cauſa irritante morboſa inſtigatum validam tunc exercet actionem, quam actionem exercet in ſpiritus fluentes per nervos ad motum vitalem deſtinatos. Ut igitur motus vitalis circulatorius fiat major, ſpiritus hi copioſius fluere debent per nervos ad dicta organa, quæ tam valide moventur. Si aliquamdiu ille motus continuetur, ita privatur corpus ſpiritibus his, qui agendo conſumuntur, ut ex defectu horum corpus ſpiritibus exhauſtis ineptum reddatur ad vitæ munera præſtanda, atque ita moritur. Vel valida hac actione ita degenerant humores, ut fiant circulationi inepti, & non amplius ſuppeditare poſſint ſpiritibus materiem, atque ita etiam moritur corpus. Vel eadem hac actione, aut deſtruuntur organa, aut humores ita in organorum vaſculis infarciuntur, ut organa ad vitæ munera ſubeunda inepta fiant: qualis morbus in parte vocatur ſphacelus, & in organo principali vel toto corpore mors. Unum vel alterum vel omne ſimul fieri poteſt ex morbo acuto febrili, atque ita perit homo. Si quis nunc quærit, ubi Vita manet, vel per quæ ſpiracula exit, inanem & abſurdam quæſtionem proponit, quia ſola eſt actio, quæ ceſſat, de qua dici non poteſt ubi manet, quoniam non eſt res corporea. Hæc erant, quæ dicenda erant de Magni Hippocratis Aphoriſmis, quæ ſi vergant in Artis Medicæ incrementum, & ſolamen ægrorum, ſcopo meo ſatisfactum erit.

F I N I S.

INDEX.

Prior numerus Aphorismum, alter ejusdem Paragraphum indicat.

A.

ABortus frequentior quali vere? 91, IV.
. . . . . an fit ex uteri cotyledonibus, muco plenis? 238, I.
. . . . . periculum in gravidis cur ab alvi fluxu inducitur? 227, I.
. . . . . cur præsagitur ex mammis ex improviso gracilescentibus? 230, II.
Abscessus quomodo convalescentibus? 142, I.
. . . . . recipit locus dolens. 142, II.
. . . . . qualem febrem finit? 161, II.
. . . . . in febribus longitudinem præsagiens. 161, III.
. . . . . prædicitur ex lassitudine per febres. 141, II.
. . . . . hepatis si pus bonum profert, salutem portendit. 370, I.
. . . . . præsagitur nephriticis ex urina, cui pingue confertum supernatat, & doloribus circa musculos spinales supervenientibus. 361, I.
. . . . . ossis a sphacelo. 402.
Abundantia an evacuatione immodica minuenda? 3, IX.
. . . . . muci in coxæ articulo unde? & quid faciat. 324, II.
. . . . . quibus morbum facit? 3, VI.
. . . . . evacuationem exigit. 3, VII.
Acidum ructantes non admodum pleuritici fiunt. 298.
Acidus ructus in lienteria diuturna bonum signum. 266, II.
Actio naturalis aucta vel minuta morbus est. 396, I.
Acutæ febres juvenibus. 108, IV.
. . . . . cur in aëris siccitatibus? 86, II.
. . . . . post autumnum siccum & aquilonarem. 93. VI.
Acuti morbi extenuationem inducentes. 133, III.
. . . . . quando eodem die purgandi? 120, I.
. . . . . quatuordecim diebus judicantur. 48, II.
Acutis affectionibus, quæ cum febre fiunt, si adsint luctuosæ respirationes, malæ. 319.
. . . . febribus convulsiones & circa viscera dolores vehementes, malum. 176, I.
. . . . morbis si extremarum partium

tium frigus adſit, malum. 326
. . . . qualis diæta? 4, VII. 7, I.
Acutiſſimi morbi cur in autumno? 88, IV.
. . . . . qui dicantur. 88, II.
Acutorum duplex eſt genus. II, I.
. . . . . refectio 32, IV.
. . . . . prædictiones non omnino certæ. 44, III.
Acutus morbus cur difficilem prognoſin faciat? 44, V.
. . . . . vid *morbus acutus.*
Adoleſcentiæ tempus. 106, I.
. . . . . qui morbi hoc tempore fiunt. 106. II.
Adſtantium officium. I, IX.
Adulti quinam dicantur. 109, I.
Adultorum naturalis mutatio & morbi. 109, II.
Æger quomodo ſe gerere debeat. I, X.
Ægri facilius potu quam cibo reficiuntur. 36, IV.
Aer intus in capite vi foras effunditur. 376, III.
. . . ſtrepit, quia per anguſtum ipſi eſt tranſitus. 376, IV.
. . . reſpirando a nobis conſumitur 80, II.
. . . pluvioſus quales morbos producit? 95, I.
. . . ſiccus quid faciat. 95, VIII.
Aeris humiditas quid faciat in corporibus ſanis. 94, III.
. . . ſiccitates pluvioſis ſunt ſalubriores & minus lethales. 94, V.
Aeris ſiccitas quid faciat. 86, I.
. . . ſiccitas quid faciat in corporibus ſanis. 94, II.
. . . viciſſitudo crebra cur producit morbos autumnales? 83, II.
Æſtas quibus morbis facilis vel difficilis? 82, III.
. . . . pauciora fert alimenta. 18, II.
. . . . quali naturæ inimica? 81, IV.
. . . . veri ſimilis quid faciat. 85, I.
. . . . cur tunc multus ſudor? 85, II.
. . . . quando faciat febres acutas? &c. 90, IV.
. . . . ſicca & aquilonia quid faciat. 92, II.
. . . . quid dein autumnus pluvioſus & auſtralis faciat. 91, III.
Æſtate an vomendum? 114, II.
. . . . fiunt multi morbi. 100, II.
. . . . cur nonnulli fiant morbi vernales? 100, I.
. . . . alvum ducens evitandum. 117, IV.
Æſtatis & ſenum convenientia. 97, III.
Ætas quid faciat ad cognitionem evacuationis 2, X.
. . . determinat aſſumtionem alimentorum. 17, VII.
Ætatis diviſio. 103, II.
. . . . mediæ & hyemis convenientia. 97, IV.
Ætate quanam fit phthiſis? 202, I.

Ætatibus tempora magis minusve conveni entia. 82, IV.
. . . . . victus magis minusve conveniens. 82, V.
. . . . . regio magis minusque conveniens. 82, V.
Affectionibus acutis, quæ cum febre fiunt, si adsint luctuosæ respirationes, malæ. 319.
Agyrtarum periculosa Medicina. 126, II.
ἄλγημα quid notet. 121, II.
Alimenta nimia. 5, III.
Alimento multo quæ corpora egent? 14, IV.
Alimenta ad interiora determinant. 8, IV.
. . . . . quantâ copiâ assumenda? 17, III.
. . . . . quoties capienda? 17, II.
. . . . . jucunda an melioribus præstantiora? 63, IV.
. . . . . ingrata an deterioribus magis noxia? 63, V.
. . . . . celeriter nutrientia, celeres egestiones faciunt. 43, III.
. . . . . qualem usum præbent? 43, IV.
. . . . . meliora & deteriora quæ dicantur. 63, II.
. . . . . jucunda & ingrata quæ dicantur. 63, III.
. . . . . quanta copia danda in morbis? 9, II.
. . . . . ex symptomatum vehementia. 9, V.
. . . . . copiosiora humectant. 123, V.
Alimentorum defectus in ætate. 13, I.
. . . . . assumtio terminatur ex consuetudine. 17, IV.
. . . . . ex tempestate. 17, V.
. . . . . ex regione. 17, VI.
. . . . . ex ætate. 17, VII.
. . . . . ex ætate. 18, II.
. . . . . ex autumno. 18, III.
. . . . . ex hyeme. 18, IV.
. . . . . ex vere. 18, V.
Alimentis multis an egeat somnus? 15, III.
Alvi siccioris naturalis causa. 45, II.
. . . humidioris naturalis causa. 45, III.
. . . mutatio in siccam 45, IV. & VI.
. . . siccioris in humidam mutatio. 45, V.
. . . defluxus ex morbo chronico, malum. 408, I.
. . . dejectiones nigræ unde? 131, II.
. . . . . pessimæ. 131, III.
. . . . . minus malæ a purgantibus. 131, IV.
. . . . . coloris varii pejores. 131, V.
. . . dejectio nigra in principio morbi mala. 131, I.
. . . ductio an hyeme facienda? 114, III.

Alvi ductio ſub cane & ante canem difficilis. 115, III.
. . . egeſtio quamdiu permittenda? 2, XIV.
. . . excrementorum mutatio in alvi profluvio critico. 39, II.
. . . . . in alvi profluvio morboſo. 39, III.
. . . excrementa longitudinem & brevitatem morbi præſagientia. 12, XI.
. . . excrementa bilioſa in tuberculis. 40, IV.
. . . bilioſa excrementa in faucium morbis. 40, II.
. . . fluxus curſiat æſtate? 100, V.
. . . . . quinam ſiſtendus? 112, III.
. . . . . bilioſus qualem tollit ſurditatem? 138, III.
. . . . . in tabidis lethale. 205, I. & 207, I.
. . . . . in gravidis cur periculum abortus infert? 227, I.
. . . fluxiones in pluvioſis. 95, III.
. . . profluvia diuturna adultis. 109, IX.
. . . . . dentientibus. 104, V.
. . . profluvium longum maxime corripit balbos. 297.
. . . profluvium ſi corripit ophthalmia laborantem, bonum. 282.
. . . profluvium diuturnum ſolvitur vomitu aut alvi profluvio ſponte ſupervenientibus. 280.
Alvi profluvium aut vomitus ſponte ſupervenientia a diuturno alvi profluvio detento, ſolvit morbum. 280.
. . . ductio an conveniat ſanis? 62, III.
. . . humectationem præſagit lumborum dolor. 183, II.
. . . humiditas ſenibus. 110, XI.
Alvum ducens evitandum æſtate. 117, IV.
. . . . . ægre vomentibus conceditur. 117, II.
. . . . ducere in mediocriter carnoſis. 117, III.
. . . . . quibus conducit vere? 312, III.
. . . . . an conducit arthriticis & podagricis? 312, III.
. . . . ducentia, qualia evacuare debent? 112, II.
. . . . ducere quando eodem die in acutis? 120, I.
. . . . ſiccant aquiloniæ conſtitutiones? 96, VII.
Alvus exturbata quando ſolvit febrem? 170, III.
. . . . humectatur ſanguinis eruptione. 137, II.
. . . . ſicca vel humida quæ ſit præferenda. 78, II.
Amaritudo oris cacochyliæ ſignum. 127, V.
Ambidextra non fit mulier. 368.
Anginæ autumno. 101, XII.
. . . . . in pluvioſis. 95, VII.
Angina Cynanche ex metaſtaſi febris.

febris. 144, II.
. . . . Synanche ex metaſtaſi lethalis. 145, I.
. . . . difficilem deglutitionem faciens. 145, II.
. . . . colli inverſionem inferens. 145, III.
. . . . ſynanche cur lethalis? 145, IV.
. . . . quomodo generat peripneumoniam? 203, II.
. . . . quænam poſt ſeptimum diem generat ſuppurationem? 203, III.
Anginæ fiunt vere. 99, VI.
Anginoſis ſi tumor fiat in collo, bonum. 302, II.
Animi deliquia a calidorum frequentiore uſu. 209, VIII.
. . . . deliquium quid ſit. 66, I.
. . . . . exſolutio & vomitus a tumore intus rupto. 333, II.
Antidota an in principio danda? 54, IV.
Anxietas ſolvitur vino aqua diluto. 381, I.
Aphonia ex cerebri concuſſione. 383, I.
Aphthæ puerorum morbus. 103, IV.
Apoplexiæ definitio. 67, I.
. . . . . cur periculoſior ſyncope? 67, II.
Apoplexia partis & linguæ impotentia ex melancholia. 365, I.
. . . . . in pluvioſis. 95, VI.
Apoplexia ex melancholia quo ætatis tempore præcipue generatur? 322, I.
. . . . . corporis ex melancholia. 321, II.
. . . . . fit hyeme. 101, VII.
. . . . . ſenibus 110, VIII.
Apoplexiæ cui impoſſibilis vel difficilis curatio? 67, IV.
ἀποσιτία qualis morbus? 127, II.
Apoſitiæ in longis dyſenteriis, malum. 268, I.
. . . . . & cum febre pejus. 268, II.
Apoſitia in chronicis, malum. 331, I.
Appetentia vel inappetentia quæ præſtantior in morbis? 57, II.
. . . . . convaleſcentibus. 57, III.
Appetentes circa finem morbi cur melius liberantur? 57, VI.
. . . . . cur ad finem morbi utplurimum non appetunt? 57, V.
Apſychia quid ſit. 66, I.
Aqua quænam leviſſima? 219, I.
. . . ſi ſecundum venas in alvum fluxerit, hydropis ſolutio fit. 279.
. . . acervatim evacuata in hydropicis cur mortem infert? 292, II.
Aquilo quos morbos parit? 84, IV.
Aquiloniæ conſtitutiones corpora compingunt, & multa alia præſtant. 96, II.

Ardens febris quid ſit. 168, I.
. . . . . quando ſolvitur a rigore ſuperveniente? 168, II.
Ardentes febres adultis. 109, VIII.
. . . . . cur fiant æſtate? 100, II.
Ardentis febris conſtans ſymptoma, ſitis. 164, I.
Ardentibus febribus tuſſes ſiccæ paululum irritantes unde fiant? 164, II.
. . . . . febribus tuſſes ſiccæ minuunt ſitim. 164, III.
Articulorum abſceſſum qualis urina liberat? 184. I.
Ardores vehementes ſi producant convulſionem aut tetanum, malum. 338.
Ardor internarum partium in remittentibus febribus. 158, II.
. . . . ventris in febribus unde oriatur. 175, I.
Ardore multo & ſomno detentus in acutis, deſperatus. 415, III.
Aridura quid ſit. 32, III.
Aromatum ſuffitus muliebria ducit. 221, I.
Ars longa. I, III.
Arthritides in ſiccitatibus. 95, X.
Arthriticis & podagricis an conducit vere alvum ducere? 312, III.
Articulorum dolores ſenibus. 110, V.
. . . . . fiunt vere. 99, XIV.
Aſcarides pueris frequentes. 105, VI.
Aſphyxia quid ſit. 66, I.
Aſthmata autumno. 101, XIII.
. . . . . frequentia pueris. 105, IV.
. . . . . adultis. 109, III.
Athletæ cur egent plurimo alimento? 15, V.
Athletis cur facienda evacuatio? 3, XI.
ἀθρόως quid ſignificat? 43, II.
Atrophia quid ſit. 32, III.
Auditus gravis ab Auſtro 84, III.
. . . . . gravitas in ſenibus. 110, XIV.
Aures frigidæ pellucidæ, contractæ lethales ſunt. 414.
Aurium dolores cur fiant æſtate? 100, VII.
. . . . . humiditates in pueris. 103, X.
Auſter ventus quos morbos parit? 84, III.
Auſtrinæ conſtitutiones quid faciant. 96, X.
Autumnales morbi qui dicantur. 83, I.
. . . . . cur ex crebra aeris viciſſitudine? 83, II.
Autumnalium morborum natura. 83, III.
Autumnus tabidis malus. 89, VI.
. . . . . difficilius fert alimenta. 18, III.
. . . . . ſiccus & aquilonaris quid faciat poſt ſimilem æſtatem? 93, II.

Autumnus cur humidis & mulieribus commodus? 93, III.
. . . . . quid biliosis & siccis faciat? 93, IV.
. . . . . pluviosus australis post æstatem siccam aquiloniam quid faciat. 92, III.
Autumno & vere utplurimum moventur dolores podagrici. 320.
. . . . . cur acutissimi morbi? 88, IV.
. . . . . pernitiosissimi morbi? 88, V.
. . . . . quinam morbi fiant. 101, II.

B.

BAlbi longo alvi profluvio maxime corripiuntur. 297.
Balneum qualem oculorum dolorem curat? 296, III.
Bilis vomitus & febris ex cerebri læsione. 315, I.
Biliosis cur fiunt Ophthalmiæ siccæ? 91, VII.
Biliosas dejectiones habentibus num lac malum? 257, VI.
Biliosum sedimentum in urina superne tenui, in febribus acutum morbum significat. 257, I.
Bubonis significatio. 165, I.

C.

CAchexia senibus. 110, IX.
Cacochylia quid sit & ejus phænomena. 130.
. . . . . eget purgante. 130, I.
. . . . . exigit vomitorium. 127, I.
. . . . . ejus signa traduntur. 121, I.
. . . . . producit ventris tormen. 130. II.
Cacochymica febris describitur. 179, I.
Calculorum generatio pueris frequens. 105, V.
Calculus urinæ an cognoscatur ex urinæ subsidentia arenosa? 189, II.
Calefacere oportet refrigerata. 212, I.
. . . . . derepente malum. 76 IV.
Calefacientibus cur egent senes? 14, V.
Calida carnis effeminationem inducunt. 209, IV.
. . . . nervorum impotentiam inferunt. 209, V.
. . . . mentis torporem. 209, VI.
. . . . sanguinis eruptionem. 209, VII.
. . . . animi deliquia. 209, VIII.
Calidum quid notat? 209, I.
. . . . . quibus partibus utile? 211, III.
. . . . . applicatum quid faciat. 215, I.
. . . . . suppuratorium non in om-

ni ulcere. 215, II.
. . . . . cutim emollit, attenuat. 215, III.
. . . . . dolores ſedat. 215, IV.
. . . . . rigores, convulſiones, tetanos, mitigat. 215, V.
. . . . . capitis gravitatem ſolvit. 215, VI.
. . . . . multum confert oſſibus fractis. 215, VII.
. . . . . maxime convenit denudatis oſſibus. 215, VIII.
. . . . . capitis ulceribus convenit. 215. IX.
. . . . . iis, quæ ex frigore moriuntur aut exulcerantur, convenit. 215, X.
. . . . . convenit herpetibus exedentibus, ſedi, pudendo, utero, veſicæ. 215, XI.
. . . . . quibus partibus amicum & decretorium? 215, XII.
. . . . . innatum quid ſit. 14, II.
. . . . . an incrementi cauſa? 14, III.
. . . . . an copioſius hyeme & vere in ventre? 15, IV.
Calidorum uſus frequentior qualia damna infert? 209, III.
Calor partis morbi ſignum. 149, I.
. . . . laxat & putredinem promovet. 81, IV.
Caloris & frigoris mutatio morbi longitudinem præſagit. 150, I.
. . . . mutatio morbi longitudinem præſagit. 150, II.
Calvi an fiunt capillati a ſuperveni-
nientibus varicibus? 299, II.
Calvis an non fiunt varices magni? 299, I.
Cancer occultus quid ſit. 303, I.
. . . . . an non curandus? 303, II.
Capillorum defluvium quid notat? 204, III.
. . . . . cur tabidis lethale? 204, IV.
Capitis dolor an curetur vena frontis ſecta? 261, I.
. . . . doloris frequentiſſima cauſa quæ dicatur. 275, I.
. . . . dolor quinam ſolvatur evacuatione ſanguinis, puris vel aquæ, per os, nares, & aures? 275, II.
. . . . . poſt autumnum pluvioſum & auſtralem. 92, IV.
. . . . . fit hyeme. 101, VI.
. . . . gravitas ab auſtro. 84, III.
. . . . . ſolvitur calidis. 215, VI.
. . . . ulceribus convenit calidum. 215, IX.
. . . . plaga ſi producat ſtuporem aut delirium, malum. 339.
καρδιωγμὸς qualis morbus? & eſt ſignum cacochyliæ. 127, III.
Cardiogmus in febribus 175, III.
Caro livida ex oſſe ægrotante, malum. 327.
Cartilago diſſecta an neque augetur neque coaleſcit? 284, III.
Catarrhi cur ſenioribus? 91, VIII.
. . . . . tuſſiculoſi ſenibus. 110, III.
. . . . . a frigido pectori applicato.

to. 217, II.
Cerebrum quibus perſciſſum fuerit, his neceſſe eſt febrem, & bilis vomitum ſupervenire. 315.
Cerebri vulnera. 283, III.
Cerebro frigidum noxium. 211, II.
Cholera adultis. 109, X.
Chronici morbi extenuationem inducentes. 133, IV.
. . . . . ſi excitant alvi defluxum, malum. 408, I.
Chronicorum refectio. 32, V.
Chronicis diæta qualis? 4, VI.
. . . . . ſi adſit apoſitia, malum. 331, I.
. . . . . ſi adſint meracæ dejectiones, malum. 331, II.
Cibus quoties in die capiendus? 17, II.
. . . copioſior in ſanis. 42, II.
. . . . . in morbis. 42, III.
. . . . . in convaleſcentibus. 42, IV.
. . . . . morbum parit. 42, V.
. . . . . oſtendit ſanationem. 42, VI.
. . . . . producit tubercula aut dolores ad articulos. 155, I.
. . . . pravus exſolvit. 61, IV.
Cicatrices cur relinquuntur cavæ ex ulceribus vetuſtis? 310, III.
Circulatio non fit ſola actione cordis & elatere arteriarum. 21, III.
Claudicatio & tabes cruris quomodo in coxæ luxatione? 325, I.
Cocta quænam dicantur. 22, II.
. . . . ex aſſumtis. 22, II.
. . . . in morbis quænam dicantur. 22, III.
. . . . purganda. 22, V.
. . . . . movenda. 22, VI.
Cœcitas ex melancholia. 321, V.
Collectio ſanguinis ad mammas an maniam prædicit? 233, I.
Colli inverſio in angina. 145, III.
Comedens multum poſt morbum ſi non roboretur, malum. 33, II.
Concocta vid. *cocta*.
Confertum & pingue ſupernatans, unde? 360, I.
. . . . . cur ſignificat affectiones hepaticas & acutas? 360, II.
Conſenſus inter uterum & mammas. 230, I.
Conſueta deteriora inſuetis minus turbare ſolent. 75, II.
Conſueti facilius tolerant labores. 74, II.
Conſuetis victus humidus. 16, IV.
Conſuetudo non ſubito mutanda. 76, I.
. . . . . longa mutat etiam figuram corporis. 75, I.
. . . . . determinans alimentorum quantitatem & ingerendi tempus. 17, IV.
Conſuetudinis mala exempla. 126, II.
. . . . . differentia. 75, I.
Continuæ febres cur fiunt æſtate?

te? 100, II.
Contraindicationes agendi difficultatem pariunt. III, I.
Contraria contrariis medentur. 47, VI.
Convaleſcentem comedentem non roborari, malum. 33, II.
. . . . . non comedentem non roborari. 33, III.
. . . . . cum inappetentia indicat evacuationem. 33, IV.
Convaleſcentes belle comedentes quid ſignificat? 56, II.
. . . . . edere & non proficere, malum. 56, III,
Convaleſcentium diæta. 33, I.
Convaleſcentibus an fames vel inappetentia præſtantior? 57, III.
. . . . . quomodo abſceſſus. 142, I.
Convulſio a frigido. 210, II.
. . . . . cur ex Helleboro 126, III.
. . . . . quomodo ab Helleboro? 194, III.
. . . . . ex Helleboro cur lethale? 194, IV.
. . . . . vulneri ſuperveniens, lethale. 195, I.
. . . . . ab ileo, malum. 335, III.
. . . . . ex melancholia. 321, III.
. . . . . a purgantis potione, lethale. 350.
. . . . . an non admodum afficit quartanâ correptos? 263, I.
Convulſio an tollitur ſuperveniente quartana? 263, II.
. . . . . febrem ſupervenire pejus. 51, V.
. . . . . aut delirium a ſanguinis fluxu, malum. 334.
. . . . . a vigilia, malum. 343.
. . . . . lipothymia in menſium fluxu, malum. 249, I.
. . . . . ſingultus purgationi immodicæ ſuperveniens, malum. 197, I.
. . . . . ſanguini multo effuſo ſuperveniens, malum. 196, I.
. . . . . & ſingultus an a ſola repletione & evacuatione? 304, II.
. . . . . aut tetanus ab ardoribus vehementibus, malum. 338.
. . . . . & tetanus ex ulcerum detumeſcentia. 258, IV.
Convulſionis & ſingultus convenientia. 304, I.
. . . . . definitio. 51, III. 194. II.
Convulſionem indicat reſpiratio interrupta in febribus. 178, III.
Convulſiones dentientibus. 104, IV.
. . . . . mitigantur calidis. 215, V.
. . . . . ex ſomno in febribus malum. 177, III.
. . . . . & circa viſcera dolores

lores fortes in acutis, malum. 176, I.
. . . . . & vulnera magna & prava ſi nullos tumores habeant, ingens malum. 259, I.
Copia ramentorum in alvi excrementis magnitudinem morbi declarat. 392, I.
. . . . his confert, alvum inferne purgari. 392, II.
Cordis vulnera. 283, IV.
Corpus procerum an melius vel deterius? 79, I.
Corporis apoplexia ex melancholia. 321, II.
Corpora quænam egent multo alimento? 14, IV.
Corporibus humidas carnes habentibus famem inducere oportet. 384, II.
Cotyledones uteri muco plenæ an abortum faciant? 238, I.
Coxæ morbus quinam dicatur. 324, I.
. . . . dolores autumno. 101, XI.
Craſſi naturâ quinam dicantur. 69, I.
. . . . cur ſubito magis moriuntur quam graciles? 69, III.
Craſſitudo loci vel puris ſuppurationem internam occultat. 306, I.
Criſis quid ſit. 20, II.
. . . an hodie non amplius obſervatur? 20, III.
. . . quot modis accipitur? 20, IV.
Criſis diviſio in perfectam, & imperfectam. 20, VII.
. . . . perfecta deſcribitur. 20, VIII.
. . . . . vetat moventia. 20, IX.
. . . . . purgantia. 20, X.
Criticum tempus an definit tempus exhibendi ſudoriferum? 146, IV.
Criticus ſudor quo tempore? 146, II.
Cruda quæ dicuntur? 22, IV.
. . . . non evacuanda. 22, VII.
. . . . non movenda. 22, VIII.
. . . . excrementa ab atra bile. 393, I.
Cruris tabes & claudicatio in coxæ luxatione, quomodo? 325, I.
. . . . . an uſtione curantur? 325, II.
Cucurbitæ mammis applicatæ quomodo cohibent menſtrua? 243, I.
Curatio ſecundum rationem quænam ſit. 77, I.
. . . . variat pro diverſitate partis. 211, I.
. . . . empirica, conjecturalis & rationalis. 77, I.
. . . . extrema. 6, II.
. . . . præſervatoria. 312, I.
. . . . rationalis non facile mutanda. 77, II.
. . . . conjecturalis. 77, I.
Curationis ordo. 409, I.
Cutis an rarior viris, quam mulieribus? 262, II.
. . . quibus obtenditur arida ac dura,

dura, ſine ſudore moriuntur. quibus vero laxa ac rara, cum ſudore moriuntur. 264.
. . . ſignificat, an æger cum vel ſine ſudore ſit moriturus. 264, I.
. . . emollitur & attenuatur calidis. 215, III.

D.

DEcolores menſes quinam dicantur. 229, I.
Decubitus humorum periculoſi morbis melancholicis. 321, I.
Debilitas in remittentibus quid notat? 159, II.
Debilitatis prædictio ex extenuatione. 53, VI.
. . . . . rigor. 156, III.
Defectus humorum morbi quinam? 47, IV.
. . . . . morbi difficilius quam repletionis curantur. 47, V.
. . . . qualem refectionem exigit? 3, X.
. . . . vocis & ſtertor poſt capitis dolores derepente natos in ſanis, ex qua cauſa? 316, I.
Defluxus alvi ex morbo chronico, malum. 408, I.
Deglutitio difficilis in angina. 145, II.
Dejectiones bilioſas habentibus num lac malum? 257, VI.
. . . . . meracæ in chronicis, malum. 331, II.
Dejectio meraca ſi producit dyſenteriam, malum. 348.
Deliquium animi, exſolutio & vomitus a tumore intus rupto. 333, II.
Deliria cum riſu accidentia, ſecuriora: cum ſtudio vero periculoſiora. 318.
Delirii definitio. 27, II.
. . . . cauſæ. 27, III.
. . . . . externæ. 27, IV.
. . . . . internæ. 27, V.
Delirium ab oſſe perſciſſo, ſi in vacuum penetraverit. 349.
. . . . . aut convulſio a ſanguinis fluxu, malum. 334.
. . . . . a vigilia, malum. 343.
. . . . . ſtupor a plaga in caput, malum. 339.
. . . . . & difficultas ſpirandi in remittentibus lethale. 160, I.
. . . . . & rigor a multo potu, malum. 332.
. . . . . quomodo ſolvit tremores in ardentibus? 291, II.
Dentibus frigidum noxium. 211, II.
Dentientibus quinam morbi fiant. 104, I.
Dentium viſciditas cur febris vehementioris ſignum? 163, II.
. . . . - viſciditatis cauſa. 163, I.
Denudatio oſſis ſi producit Eryſipelas, malum. 344.
Deſtillationes in pectus quo tempore ſuppurantur? 363, I.
Deteriora quid notet. 75, I.
Detumeſcentia ulcerum parit convul-

vulſionem & tetanum. 258, IV.
. . . . . parit inſaniam aut lateris dolores acutos. 258, V.
. . . . . parit ſuppurationem. 258, VI.
. . . . . parit dyſenteriam, ſi rubicundi fuerint tumores. 258, VII.
Diæta humida quibus conducit? 16, I.
. . . . . febricitantibus. 16, II.
. . . . . pueris. 16, III.
. . . . . conſuetis. 16, IV.
. . . . . in morbi incrementi principio. 10, I.
. . . . in duobus generibus acutorum. 10, IV.
. . . . in morbo acuto. 7, I.
. . . . inter paroxyſmos. 10, I.
. . . . plena. 5, IV.
. . . . tenuis. 5, V.
. . . . . magis lædit. 5, VI.
. . . . quæ dicatur. 4, I.
. . . . remittentium. 11, III.
. . . . in intermittentibus. 11, IV.
. . . . . chronicis. 11, V.
. . . . rigidiſſima an conducit ſanis? 62, VI.
. . . . tenuis. 4, IV.
. . . . . in ſanis. 4, V.
. . . . . in chronicis. 4, VI.
. . . . . in acutis. 4, VII.
. . . . tenuiſſima in morbi paroxyſmo. 8, VI.
. . . . in morbi incremento. 9, I.
Diæta tenuiſſima in morbi vigore. 8, I.
. . . . . in quo acuto? 7, VI.
. . . . qualis in acutis. 7, VII.
Diaphoreticum an conducit ſanis? 62, V.
Diaphragma quid ſit. 128, II.
Diarrhœa producit dyſenteriam. 400.
. . . . . ſuperveniens a pleuritide aut a peripneumonia detento, malum. 281.
. . . . . vehemens ſi a leucophlegmatia detento ſuperveniat, morbum ſolvit. 354.
Diebus XIV. fit judicatio. 48, II.
Dierum criticorum annumeratio. 49, I.
. . . . . cauſa. 49, VI.
. . . . . obſervatio firmatur febre quartana. 50, I.
Dies critici num obſervandi? 49, II.
. . . . . horum impedimenta. 49, III.
. . . . . ab acutis. 49, III.
. . . . . a varia diæta, medicatione, climate, ætate. 49, IV.
. . . . . in Inflammatoriis obſervandi. 49, V.
. . . indices. 49, VII.
. . . . . quantum diſtant a criticis. 49, VIII.
. . . ſextus cur difficulter judicat? 139, I.

Difficile ferunt evacuationem. 25, VI.
. . . . . crudi. 25, VII.
. . . . . bonorum. 25, VIII.
. . . . . malorum. 25, IX.
Digiti frigidi contracti vel remissi, lethale. 412, II.
Directio naturæ observanda. 21, III.
Diureticum an conducit sanis? 62, IV.
Dolens locus abscessum recipit. 142, II.
. . . . . ante morbum præ ceteris affligitur. 143, I.
Dolentibus in capite an lac malum? 257, II.
Dolor quid sit. 31, III. 71, II.
. . . . quomodo dicitur non sentiri. 31, I.
. . . . diuturnus partium circa ventrem si producit suppurationem, malum. 247.
. . . . capitis an curetur vena frontis secta? 261, I.
. . . . hepatis vehemens solvitur superveniente febre. 377, I.
. . . . oculorum qualis curatur meri potu? 296, II.
. . . . . qualis curatur per balneum? 296, III.
. . . . . qualis curatur per fomentum? 296, IV.
. . . . . qualis curatur per venæ sectionem? 296, V.
. . . . . qualis curatur per purgationem? 296, VI.
. . . . vehemens partium circa ventrem si producit extremarum frigus, malum. 351.
. . . . vehementior cur obscurat alterum? 71, III.
Dolorem fere non sentire. 31, IV.
Dolores acuti lateris aut insania ex ulceris detumescentia. 258, V.
. . . . . capitis quinam solvantur evacuatione sanguinis, puris vel aquæ, per os, nares, & aures? 275, II.
. . . . . elevati qui dicantur. 272, I.
. . . . . ventris elevati quare mitiores, non elevati, vehementiores? 272, II.
. . . . . hypochondriorum sine inflammatione quinam solvantur febre. 305, II.
. . . . . & tumores articulorum levantur frigida multâ affusâ. 218, I.
. . . . . circa musculos spinales, & urina cui pingue confertum supernatat, Nephriticis supervenientia, abscessum præsagit. 361, I.
. . . . . sedantur calidis. 215, IV.
Doloris differentiæ quæ sint observandæ. 270, II.
. . . . . capitis causa frequentissima quæ dicatur. 275, I.
. . . . . oculorum causa. 296, I.
Ducere quæ oportet? 21, II

Dyſenteria adultis. 109, XI.
. . . . . autumno. 101, X.
. . . . . carunculas deponens, lethale. 136, I.
. . . . . multa ſignificat. 134, I.
. . . . . ab atra bile incipiens, lethale. 134, II.
. . . . . ex mania, bonum. 330, I.
. . . . . a diarrhœa. 400.
. . . . . producit lienteriam. 401.
. . . . . a meraca dejectione, malum. 348.
. . . . . ex ulcerum detumeſcentia, ſi rubicundi fuerint tumores. 258, VII.
. . . . . longa cur in lienoſis mala? 308, II.
. . . . . laborantes lienoſi, in hydropem vel lienteriam incidentes, pereunt. 308, III.
. . . . . lienoſis ſuperveniens, bonum. 313.
Dyſenteriæ in ſiccitatibus. 95, XII.
. . . . . quando fiunt pituitoſis? 91, VI.
Dyſpnæa naturalis ſenibus. 110, II.
Dyſuria & ſtranguria ſolvitur vini potu. 373, I.

E.

EBrius ex qua cauſa derepente mutus? 198, I.
Efflorescentiæ latæ non admodum pruriginoſæ. 274.
Egeſtionem ſanguinis copioſam paſſis, an noceat lac? 257, VII.
Egeſtiones ſpumoſæ quæ dicantur, & unde oriantur. 355, I.
. . . . . an ex pituita a capite defluente? 355, II.
Eciſtaſis a mania, bonum. 330, III.
Elevati dolores qui dicantur. 272, I.
. . . . . ventris quare mitiores, non elevati, vehementiores? 272, II.
Elleborus vid. *Helleborus.*
Empirica curatio qualis. 77, I.
Empyema quid ſignificet. 201, II.
. . . . . ex pleuritide. 201, III.
. . . . . intra quod tempus expurgari debet? 208, II.
. . . . . quomodo curari poſſit per ſputum. 208, III.
. . . . . ſi non expurgatur intra quadraginta dies, tabem infert. 208, IV.
Ephemera quæ dicatur. 165, II.
. . . . . ſola cur non mala in bubonibus? 165, III.
Epilepſia juvenibus. 108, V.
Epilepſiæ definitio. 70, II.
. . . . . cur facilius pueris? 70, III.
. . . . . in pluvioſis. 95, V.
. . . . . autumno. 101, XIV.

Epilepſiæ fiunt vere. 99, IV.
. . . . . ſpecies quænam liberatur mutatione ætatis, regionum? &c. 70, IV.
Epileptici pueri quando liberantur? 70, I.
Epiphænomena longitudinem morbi præſagientia. 12, VIII.
Erroneæ febres autumno. 101, IV.
Eruptio menſium quid notet? 225, I.
. . . . . ſanguinis a forti pulſu in ulceribus, malum. 346.
Eryſipelatis definitio. 290, I.
. . . . . tranſlatio ad interna, non bonum. 290, II.
. . . . . ad externa, bonum. 290, III.
Eryſipelas uteri an diſtingui poſſit ab inflammatione? 236, I.
. . . . . cur prægnanti lethale? 236, II.
. . . . . ſi producit putredinem aut ſuppurationem, malum. 345.
. . . . . ab oſſis denudatione, malum. 344.
Evacuare quæ turgent. 22, IX.
. . . . . multum & ſubito eſt periculoſum. 76, II.
. . . . . ad animi deliquium quando? 23, VI.
Evacuatio in ſanis. 3, I.
. . . . . cur facienda athletis? 3, XI.
. . . . . an ex copia æſtimanda? 23, I.
. . . . . qualis eſſe debeat. 23, IV.
. . . . . judicatur ex facili tolerantia. 23, V.
. . . . . qualis confert? 25, III.
. . . . . non confert? 25, IV.
. . . . . facile fertur? 25, V.
. . . . . per locum conveniens. 21, IV.
. . . . . copioſior ſalubris. 2, III.
. . . . . ex abundantia. 2, III.
. . . . . mala, 2, IV.
. . . . . ſine abundantia. 2, V.
. . . . . unde cognoſcitur bona vel mala? 2, VI.
. . . . . ſpontanea. 2, II.
. . . . . regulam curationis ſuppeditat. 2, VII.
. . . . . ſurſum quotuplex? 128, IV.
. . . . . facienda in abundantia. 3, VII.
. . . . . an ſola ſanguinis miſſione minuenda? 3, VIII.
. . . . . an omnes morbos repletionis curat? 47, III.
. . . . . indicatur ex inappetentia in convaleſcentibus. 33, IV.
. . . . . neque vetatur neque indicatur ſemper in omni morbo. 2, XI.

Evacuatio per conveniens organum. 2, XII.
. . . . . nigra in extenuatis, lethale. 133. VI.
. . . . . & repletio an cauſa ſola convulſionis? 304, II.
Evacuatione boni ſæpe præveniuntur morbi. 3, V.
. . . . . immodica an auferenda abundantia? 3, IX.
Evacuationis neceſſitas. 3, III. 112, I.
. . . . . quantitas æſtimanda ad prædictionem. 404.
. . . . . regulæ obſervandæ. 2, XV.
. . . . . morbi quinam? 47, IV.
Eunuchi non laborant podagra, neque calvi fiunt. 293.
Exanthemata lata quæ dicantur. 274, I.
. . . . . minus prurigino ſa. 274, II.
Excrementa cruda ab atra bile. 393, I.
Excretorius humor vel eſt generalis vel particularis. 193, I.
Experimentum periculoſum. 1, V.
Exſolutio, vomitus & animi deliquium a tumore intus rupto. 333, II.
Extenuatis præter rationem lac convenit. 257, X.
Extenuatio a multis cauſis. 53, I.
. . . . . per morbos acutos. 133, III.
Extenuatio per morbos Chronicos. 133, IV.
. . . . . ex vulneribus. 133, V.
his ſi evacuatio nigra, poſtridie moriuntur. 133, VI.
Extenuationis & maciei differentia. 133, II.
Extremarum frigus a dolore vehementi partium circa ventrem, malum. 351.
. . . . . partium frigus in morbis acutis malum. 326.

F.

FAciei motus mutatus in remittentibus mortem præſagit. 159, III.
Facile ferunt evacuationem. 25, V.
Facilis tolerantia judicium facit evacuationis. 23, V.
Fames quid ſit. 29, III.
. . . . quotuplex. 47, III.
. . . . corpora ſiccat. 384, I.
. . . . naturalis an ſolvitur vini potu? 46, II.
. . . . nimia in morbis non bona. 29, VII.
. . . . . acutis. 29, VIII.
. . . . . chronicis. 29, IX.
Famem inducere oportet corporibus humidas carnes habentibus. 384, II.
Farinoſum urinæ ſedimentum longam infirmitatem ſignificat in-

febribus. 356, I.
Faſtidium cacochyliæ ſignum eſt. 121, II.
Faucium morbis bilioſa urina. 40, III.
. . . . . bilioſa excrementa. 40, II.
Febricitanti, niſi diebus impariibus febris dimiſerit, reverti ſolet. 171, I.
. . . . . ſi quis cibum det, convaleſcenti quidem robur, ægrotanti vero morbus fit. 390.
. . . . . unde ſudor? 166, I.
. . . . . ſudor ſuperveniens febre non deficiente, malum. 166, II.
Febricitantibus an non lac dandum? 257, III.
. . . . . humidus victus. 16, II.
Febres non intermittentes, ſi per tertium diem vehementiores fiant, periculoſæ. 387.
. . . . quibus longæ ſunt, his aut tubercula aut ad articulos dolores fiunt. 388.
. . . . acutæ an non fiunt ſenibus? 14, VI.
. . . . longæ in pluvioſis. 95, II.
. . . . dentientibus. 104, III.
. . . . longæ adoleſcentibus. 106, III.
. . . . omnes malæ in bubonibus præter ephemeram. 165, III.
Febribus quotidie rigores ſi fiant, quotidie febres ſolvuntur. 173, I.
Febribus longis & languidis lac convenit. 257, IX.
. . . . . quartanis exiſtentibus, ſi ſanguis ex naribus fluxerit, malum. 406.
Febris definitio 153, I. & 51, IV.
. . . . deviſio. 153, II.
. . . . intermittens tertio die vehementior, periculoſa. 153, III.
. . . . & bilis vomitus ex cerebri læſione. 315, I.
. . . . cacochymica deſcribitur. 179, I.
. . . . niſi apprehendit, ſi vocis defectus & ſtertor poſt capitis dolores derepente in ſanis natos, obſervantur, cur intra ſeptem dies moriuntur? 316, II.
. . . . quoſnam hypochondriorum dolores ſine inflammatione, ſolvit? 305, II.
. . . . vehemens ex dentium viſciditate cognoſcitur. 163, II.
. . . . quænam abſceſſu finitur. 161, II.
. . . . laſſitudinem inducens. 141, I.
. . . . quando ſolvitur alvo exturbata? 170, II.
. . . . quando ſolvitur hæmorrhagia? 170, II.
. . . . metaſtaſis anginam producens. 144, II. & 145, I.
. . . . convulſionem ſupervenire, pejus eſt. 51, VI.
. . . . extenuat. 53, II.
. . . . valida quando non extenuat? 53, III.

Febris quando nimiam extenuationem facit? 53, IV.
. . . . ſuperveniens ſolvit dolorem hepatis vehementem. 377, I.
. . . . ſi ſupervenerit & urina abunde fluxerit, quomodo liberat volvulum ex ſtranguria? 309, III.
. . . . qualis non ex bile naſcitur? 367, I.
. . . . . ſolvitur multa aqua calida in caput affuſa? 367, II.
Ferrum ſanat ea, quæ medicamenta non ſanant. 409, II.
Finis cur debiliora habet omnia? 55, IV.
Fluxui muliebri ſi convulſio & animi deliquium ſuperveniat, malum. 249.
Fluxus & tabes a puris ſputo. 341, I.
. . . . ſanguinis in quibus menſibus deficientibus bonus? 226, II.
. . . . alvi in gravidis cur periculum abortus infert? 227, I.
. . . . ſanguinis ſi producit delirium aut etiam convulſionem, malum. 334.
Fœmina vel mas an ex colore gravidæ prædici poteſt? 235, I.
Fœtus an manere nequeat ſanus perſeverante menſtruatione? 253, I.
. . . . mares quidem in dextris, fœminæ vero in ſiniſtris magis. 241.
Fomentum qualem oculorum dolorem curat? 296, IV.
Frigefacere derepente malum. 76. V.
Frigefacta calefacere oportet. 212, I.
. . . . . non calefacienda, quæ ſanguinem fundunt. 212, II.
Frigida velut nix, glacies, pectori inimica. 217, I.
Frigiditas uteri ſterilitatis cauſa. 255, II.
Frigidum quomodo adhibendum in ſanguinis eruptione? 216, II.
. . . . . quali inflammationi vel epiphlogiſmati applicandum. 216, III.
. . . . . quando eryſipelati adhibendum? 216, IV.
. . . . . infert nigrores. 210, III.
. . . . . rigores febriles. 210, IV.
. . . . . quid ſit & quæ mala infert? 210, I.
. . . . . ſpaſmum & tetanum infert. 210, II.
. . . . . ulceribus mordax. 213, II.
. . . . . quibus partibus inimicum & occidens? 215, XIII.
. . . . . noxium oſſibus, dentibus, nervis, cerebro, ſpinali medullæ. 211, II.
. . . . . cutim obdurat. 213, III.
. . . . . dolorem inſuppurabilem facit. 213, IV.

Frigoris & caloris mutatio morbi longitudinem præſagit. 150, I.
Frigus internarum partium unde in remittentibus? 158, III.
. . . . extremarum partium in morbis acutis malum. 326.
. . . . . auget contractilitatem & minuit motum vitalem. 81, III.
. . . . . partis morbi ſignum. 149, II.
Frontis vena ſecta an curet capitis dolorem? 261, I.

G.

GEmellorum alteruter an nequeat abortum facere? 231, I.
Genæ pars tenuis diſſecta an neque augetur neque coaleſcit? 284, V.
Genitura humidior quid notet. 167, II.
. . . . . humidior & nares humidiores cur minus perfectam ſanitatem indicant? 267, III.
. . . . . & nares ſicciora perfectiorem ſanitatem indicant. 267, IV.
Genuum gravitas ex cacochylia. 130, III.
Gibbi qui ex aſthmate aut tuſſi fiunt ante pubertatem, pereunt. 311.
Gingivarum pruritus dentientibus. 104, II.
Glaucedines in ſenibus. 110, XIII.
Graciles qui dicantur. 69, II.
Gravedo quid ſit. 65, III.
Gravedo poſt autumnum pluvioſum. 92, V.
Gravedines fiunt hyeme, 101, IV.
. . . . . vere. 99, VII.
. . . . . diuturnæ poſt autumnum ſiccum & aquilonarem. 93, VII.
Gravida fœmina quæ dicatur. III. II.
. . . . . quando purganda? III, III.
. . . . . cur de abortu periclitatur, ſi alvus multum fluxerit? 227, I.
. . . . . abortit a venæ ſectione? 224, I.
. . . . . magis abortit, ſi grandior erit fœtus? 224, II.
. . . . . ſi corripiatur febribus & vehementer attenuetur, cur huic partus difficilis & periculoſus inſtat? 248, I.
. . . . . hæc cur abortiens periclitatur? 248, II.
. . . . . ſectâ venâ abortit, præcipue ſi major fuerit fœtus. 224.
Gravidæ teneſmus ſuperveniens abortire facit. 352.
. . . . . juniores & fœtus ſeniores in purgatione caute tractare oportet. 222.
. . . . . quadrimeſtres & uſque ad ſeptimum menſem, purgandæ, ſi turgeat materia. 222.
Gravidam acuto morbo corripi, cur lethale? 223, I.
Gravidarum color an prædicere poteſt, marem vel fœminam geſtari.

ſtari? 235, I.
Gravidis quando ſanguis mittendus? III. IV.
Graviditas an cognoſci poſſit ex melicrato mulieri exhibito? 234, I.
Graviditatis ſignum eſt, ſi menſtrua ſponte ſubſiſtant cum faſtidio, ſine horrore & febre. 254, I.

H.

HAbitus bonus an perſiſtere nequit? 3, XI.
Hæmoptyſis mala. 135, II.
. . . . . juvenibus. 108, II.
Hæmorrhagia vid. *ſanguinis fluxus.*
. . . . . narium in febribus quartanis, malum. 406, I.
Hæmorrhagiæ in quibus menſibus deficientibus bonæ? 226, II.
Hæmorrhoides aut varices quamnam ſpeciem inſaniæ ſolvunt? 286, I.
. . . . . diuturnæ an non omnes curandæ? 277, I.
. . . . . melancholicis ſupervenientes, bonum. 276, I.
. . . . . nephriticis ſupervenientes, bonum. 276, II.
Hæmorrhoidibus diuturnis ſanatis, cur periculum eſt, ne fiat hydrops vel phthiſis? 277, II.
Hæmorrhoïdum fluxus quando bonus? 135, III.
Hellebori uſus & cautelæ. 123. ad 126.
Hellebori uſus. 123, II.
Helleborus quotuplex? 123, I.
. . . . . quomodo generat convulſionem? 194, III.
. . . . . cur inducit convulſionem? 126, III.
Hepar ſi ictericis durum fiat, malum. 307.
Hepatis abſceſſus ſi pus bonum profert, ſalutem portendit. 370, I.
. . . . . dolor vehemens ſolvitur ſuperveniente febre. 377, I.
. . . . . hydrops ſi producat ventris hydropem, lethale. 380, I.
. . . . . inflammatio ſi producit ſingultum, malum. 342.
. . . . . vulnera. 283, VIII.
Hepati inflammato ſingultus ſupervenit. 251, IV.
Herpetibus exedentibus convenit calidum. 215, XI.
Hippocratis peritia & ſapientia excellens. 119, IV.
Horror ſolvitur vino aqua diluto. 381, III.
. . . . a ſudore non bonum. 329.
Humiditas oculorum, narium, & alvi in ſenibus, 110, XI.
. . . . . uteri ſterilitatis cauſa. 255, III.
Humorum decubitus periculoſi morbis melancholicis. 321, I.
Hydrops qualis morbis ſit. 273, I.
. . . . . ſupervenit leucophlegmatiæ. 399.

Hydrops ex mania, bonum. 330, II.
..... omenti ſolvitur urina multa. 379, I.
..... ventris ex hepatis hydrope, lethale. 380, I.
..... hepatis ſi producat ventris hydropem, lethale. 380, I.
..... vel lienteria ſi corripit lienoſos, longa dyſenteria laborantes, lethale. 308, III.
Hydropes autumno. 101, VI.
Hydropis ſolutio fit, ſi aqua ſecundum venas in alvum fluxerit. 279.
..... vel phthiſis periculum cur ex hæmorrhoidibus diuturnis ſanatis? 277, II.
Hydropicis ſi aqua acervatim evacuatur, cur mortem infert? 292, II.
..... tuſſis ſuperveniens, malum. 300.
..... ulcera in corpore orta, non facile ſanantur. 273, II.
Hydropicum ſi tuſſis habeat, deſperatus eſt. 372.
Hyems facilius fert alimenta. 18, IV.
..... quid faciat & quos morbos inferat. 102, I.
..... quibus morbis facilis vel difficilis? 82, II.
..... auſtralis, pluvioſa & tranquilla quid faciat. 91, I.
..... cui naturæ inimica. 81, III.
..... ſicca & aquilonia quid faciat. 90, II.
Hyemis & ætatis mediæ convenientia. 97, IV.
Hyeme an alvus ducenda? 114, III.
..... magis vitanda vomitoria 116, III.
..... an ventres calidiſſimi? 15, II.
..... maxime nocet vomitorium in lienteria. 122, III.
Hypochondria quænam partes dicantur. 305, I.
..... dura in ictero ex febre, non bonum. 174, III.
..... murmurantia unde in febribus. 183, I.
..... quibus elata murmurant an lac noceat? 257, IV.
Hypochondriorum dolores ſine inflammatione, quinam ſolvantur febre. 305, II.
Hyſterica quid notet. 228, I.

I.

Icteri definitio. 172, I.
..... ſpecies quænam ante ſeptimum diem in febribus veniens, malum. 172, II.
Icterici non admodum flatulenti. 265, I.
Ictericis ſi hepar durum fiat, malum. 307.

Icterus die critico in febre, bonum. 174, II.
. . . . . ex febre cum hypochondriis duris, non bonum. 174, III.
Jejunium facile fert ſenex, difficile puer. 13, II.
Ignis ſanat ea, quæ ferrum non ſanat. 409, III.
Ileus ſi producit vomitum, malum. 335, I.
. . . . . ſingultum, malum. 335, II.
. . . . . convulſionem, malum. 335, III.
Impetigines fiunt vere. 99, X.
Impotentia linguæ & apoplexia partis ex melancholia. 365, I.
Impura corpora non nutrienda. 35, IV.
Impuritas quid ſit. 35, II.
Inappetentia & faſtidium quantum differant. 127, II.
. . . . . an præſtantior quam appetitus in morbis? 57, IV.
. . . . . in convaleſcentibus? 57, III.
Inconſtantia ſunt, quæ præter rationem fiunt. 52, II.
Incrementum corporis an ab actione vitæ vel calido innato? 14, I.
. . . . . an a calido innato? 14, III.
Infantes quando naſcuntur infirmi? 91, V.
Inferiores partes quæ dicantur. 128, III.
Inflammato inteſtino recto ſupervenit ſtranguria. 251, I.
. . . . . utero ſupervenit ſtranguria. 251, II.
. . . . . hepati ſupervenit ſingultus. 251, IV.
Inflammatio hepatis ſi producit ſingultum, malum. 342.
Inflatio ventris in morituris. 417, I.
Inſanabilia exiſtimare oportet ea, quæ ignis non ſanat. 409, IV.
Inſaniæ & melancholiæ fiunt vere. 99, III.
. . . . . autumno. 101, XV.
. . . . . quæ ſpecies ſolvitur varicibus aut hæmorrhoidibus? 286, I.
Inſania aut lateris dolores acuti ex ulceris detumeſcentia. 358, V.
Intemperies an nequit eſſe ſterilitatis cauſa in maſculis? 256, I.
Intermittentibus febribus rigor. 156, III.
Intermittentium diæta. 11, IV.
. . . . . chronicorum diæta. 11, IV.
Intermittens febris tertio die vehementior, periculoſa. 153, III.
Interna ſuppuratio occultatur craſſitudine loci vel puris. 306, I.
Inteſtino recto inflammato ſupervenit ſtranguria. 251, I.

Inteſtinorum tenuium ſi aliquod diſſectum fuerit, non coaleſcit. 289.
. . . . . vulnera. 283, VI.
Invaſio longitudinem & brevitatem morbi præſagiens. 12, IV.
Judicare quando dicitur? 20, V.
Judicata quæ dicuntur? 20, VI.
Judicium difficile. 1, VI.
. . . . . difficile ex paroxyſmis rimari. 140, II.
Juvenes an frequentius, quam ſenes ægrotant? 64, III.
Juvenum ætas. 64, I.
Juvenibus quinam morbi fiant. 108, I.

L.

LAbia livida, aut etiam reſoluta & inverſa & frigida lethalia. 413.
Laborandum non eſt, ubi fames. 41, IV.
Labor quid faciat. 41, II.
. . . . in morbis quid ſignificet. 26, I.
Laboris conſuetudo quid in nobis faciat. 74, III.
Lac quid ſit. 232, I.
. . . quando generatur in mammis ex menſtruis retentis? 232, III.
. . . in capite dolentibus an malum? 257, II.
. . . an non dandum febricitantibus? 257, III.
Lac an noceat, quibus hypochondria elata murmurant? 257, IV.
. . . an non dandum ſiticuloſis? 257, V.
. . . num malum, quibus dejectiones ſunt bilioſæ? 257, VI.
. . . an nocet, quibus copioſa ſanguinis fuit facta egeſtio? 257, VII.
. . . convenit tabidis. 257, VIII.
. . . . . febribus longis & languidis. 257, IX.
. . . . . præter rationem extenuatis. 257, X.
Lactis examen. 257, I.
. . . . generatio. 232, II.
. . . . copioſior effluxus in gravidis cur fœtum infirmum ſignificat? 245, I.
Lachrymæ ex manifeſta cauſa nil boni vel mali præſagiunt. 162, II.
. . . . . ex latente cauſa in febre quid præſagiunt? 162, III.
. . . . . in aliis infirmitatibus quid notant? 162, IV.
Languidis & longis febribus convenit lac. 257, IX.
Laſſitudo laborioſa. 30, I.
. . . . . ſpontanea. 30, II.
. . . . . ſqualens. 30, III.
. . . . . laborioſa. 30, IV.
. . . . . ulceroſa. 30, V.
. . . . . tenſiva. 30, VI.
. . . . . phlegmonoſa. 30, VII.
. . . . . ſpontanea morbos denunciat. 30, VIII.
. . . . . per febres. 141, I.

Laſſitudo cur præſagit abſceſſum? 141, II.
Laterum dolores fiunt hyeme. 101, V.
Lateris dolores acuti aut inſania ex ulceris detumeſcentia. 258, V.
Lentoris mutatio varia. 22, III.
Lepræ fiunt vere. 99, IX.
Lethalia vulnera quæ dicantur. 283, I.
Lethargus adultis. 109, VI.
. . . . . fit hyeme. 101, III.
Leucophlegmatia ſolvitur a diarrhœa vehementi ſuperveniente. 354.
Leucophlegmatiæ hydrops ſupervenit. 399.
Lienes autumno. 101, V.
Lienoſi qui dicantur. 308, I.
. . . . cur his dyſenteria longa mala? 208, II.
. . . . dyſenteria longa laborantes, in hydropem vel lienteriam incidentes, pereunt. 308, III.
Lienoſis dyſenteria ſuperveniens, bonum. 313.
Lienteriæ cauſa. 122, I.
. . . . . diuturnæ ex qua cauſa? 266, I.
Lienteria adultis. 109, XII.
. . . . . autumno. 101, IX.
. . . . . a dyſenteria. 401.
. . . . . vetat vomitorium. 122, II.
. . . . vel hydrops ſi corripit lienoſos, longa dyſenteria laborantes, lethale. 308, III.
Lingua in omnibus inſpicienda. 410, I.
. . . . nigra & cruenta quid notet. 410, II.
Linguæ impotentia & partis apoplexia ex melancholia. 365, I.
Lipothymia aut convulſio in menſium fluxu, malum. 299, I.
Loci vel puris craſſitudo ſuppurationem internam occultat. 306, I.
Longitudo prædicitur ex ſudore in tempore non critico. 146, III.
. . . . . ex ſudore frigido in mitiore febre. 146, V.
. . . . . morbi prædicitur ex extenuatione. 53. V.
. . . . . ex caloris & frigoris mutatione. 150, I.
. . . . . ex caloris mutatione. 150, II.
Longitudinem præſagit abſceſſus in febribus. 161, III.
Longitudinis prædictio ex ſudore. 166, III.
Lucem averſans in acutis. 415, II.
Lumborum dolores fiunt hyeme. 101, V.
. . . . . dolor præſagiens urinæ copiam. 183, III.
. . . . . præſagiens alvi humectationem. 183, II.
. . . . . ex cacochylia. 130,

130, III.
Lumbrici pueris frequentes. 105, V.

M.

MAciei ſpecies & cauſæ. 32, III.
..... & extenuationis differentia. 133, I.
Macrocephali cingendo caput fiunt. 75, I.
Mammæ graciles abortum præſagiunt. 246, II.
..... duræ in gravidis quid præſagiunt? 246, III.
..... ſolidiores cur fœtum firmiorem indicant? 245, II.
..... ex improviſo graciles cur abortum præſagiunt? 230, II.
Mammarum cum utero conſenſus. 230, I.
Mamma dextra gracileſcens an abortum maris præſagit & viciſſim? 231, II.
Mania ex melancholia. 321, IV.
..... an praedicitur ex ſanguinis collectione ad mammas? 233, I.
..... ſi producit dyſenteriam, bonum. 330, I.
..... hydropem, bonum. 331, II.
..... ectaſin, bonum. 330, III.
Maraſmus quid? 32, II.
Mares fœtus quidem in dextris, fœminæ vero in ſiniſtris magis. 241.
Mas vel fœmina an ex colore gravidæ prædici poteſt? 235, I.
Medicus qualis eſt debeat. I, VIII.
Melancholia producit apoplexiam corporis. 321, II.
..... convulſionem. 321, III.
..... maniam. 321, IV.
..... coecitatem. 321, V.
..... curatio. 321, VI.
..... quo ætatis tempore præcipue generat apoplexiam? 322, I.
..... producit linguæ impotentiam & partis apoplexiam. 365, I.
..... ſurſum vel deorſum erumpens, lethale. 132, III.
..... cur præcipue in vena portarum colligitur? 119, III.
..... & inſania autumno. 101, XV.
Melancholiæ evacuatio in principio dyſenteriæ, lethale. 134, II.
..... cur quibuſdam poſt autumnum ſiccum? 93, VIII.
..... & inſaniæ fiunt vere. 99, III.
Melancholici cur uberius purgandi? 119, III.
..... humoris ſpecies. 131, II.

Melancholici qui dicantur. 119, II.
Melancholica materia deſcribitur. 119, II.
Melancholicis hæmorrhoides ſupervenientes, bonum. 276, I.
. . . . . morbis periculoſi, decubitus humorum. 321, I.
Melancholicum eſt, ſi metus & triſtitia multo tempore perſeverant. 288.
Melicratum quid notet. 75, III.
. . . . . mulieri exhibitum an ſignum graviditatis oſtendere valeat? 234, I.
Menſes decolores quinam dicantur. 229, I.
. . . . . inordinati. 229, II.
. . . . . & decolores cur purgationem indicant? 229, III.
. . . . . fluunt motu particulari. 249, I.
. . . . . ex quibus cauſis deficiant. 226, I.
. . . . . copioſiores quosnam morbos producunt. 250, II.
. . . . . non prodeuntes morbos uteri faciunt. 250, III.
Menſtrua ſponte ſubſiſtentia cum faſtidio ſine horrore & febre, graviditatis ſignum. 254, I.
. . . . . erumpentia cur ſolvunt ſanguinis vomitum? 225, III.
. . . . . retenta quando generant lac in mammis? 232, III.
Menſtruatio eſt evacuatio neceſſaria. 3, V.
Menſtruatione perſeverante, an fœtus ſanus manere nequeat? 253, I.
Menſium fluxui ſi convulſio aut lipothymia ſuperveniat, malum. 249, I.
. . . . . naturalis quantitas. 250, I.
. . . . . eruptio quid notat. 225, I.
Mens ægrotat, quid denotat? 31, V.
. . . præbet ſigna in morbis. 58, I.
Mentem valere in morbis bonum. 58, II.
. . . . . ſe bene habere ad ea, quæ offeruntur, bonum. 58, III.
Mentis torpor a calidorum uſu frequentiore. 209, VII.
Meraca dejectio ſi producit dyſenteriam, malum. 248.
Meracæ dejectiones in chronicis, malum. 331, II.
Meri potus qualem oculorum dolorem curat? 296, II.
Metaſtaſis obſervatio generalis. 302, I.
Metus & triſtitia ſi multo tempore perſeverant, melancholicum id ipſum. 288.
Metereologicæ tabulae forſan ab Hippocrate conſcriptae. 90, II.
Mictio noctu multa quid ſignificet? 193, II.
. . . . . an ſanitati conducat? 193, III.
Mictus cruentus quam partem affectam

fectam denotat? 185, I.
Morbus acutus quinam. 24, III.
. . . . . raro exigit purgans. 24, V.
. . . . . conſtans & inconſtans. 87, II.
. . . . . facilis & difficilis judicatu. 87, III.
. . . . . judicatu facilis ex conſtitutione temporis. 87, IV.
. . . . . difficilis ex conſtitutione temporis. 87, V.
. . . . . facilis & difficilis. 12, II.
. . . . . longus & brevis. 12, III.
. . . . . ex invaſione. II, IV.
. . . . . ex morbi natura. 12, V.
. . . . . ex temporibus anni. 12, VI.
. . . . . ex paroxyſmo. 12, VII.
. . . . . ex epiphænomenis. 12, VIII.
. . . . . ex ſputo 12, IX.
. . . . . ex urina. 12, X.
. . . . . ex alvi excrementis. 12, XI.
. . . . . ex ſudoribus. 12, XII.
. . . . . extremus. 6, II.
. . . . . periculoſior naturæ diſſimilis. 59, II.
. . . . . ex diſſimilitudine ætatis. 59, III.
Morbus periculoſior ex diſſimilitudine habitus. 59, IV.
. . . . . temporis. 59, V.
. . . . . morbo ſæpe ſupervenit. 51, I.
Morbi brevitas cognoſcitur. 10, VI.
. . . . longitudo cognoſcitur. 10, VII.
. . . . ex menſibus copioſioribus, quinam? 250, II.
. . . . ab utero fiunt a menſibus non prodeuntibus. 250, III.
. . . . vigor tenuiſſimam diætam exigit. 8, I.
. . . . ſæpe præveniuntur evacuatione boni. 3, V.
. . . . paroxyſmus tenuiſſimam diætam exigit. 8, VI.
. . . . qui fiant ex derepente diſparentibus tumoribus circa ulcera. 258, III.
. . . . principium. 24, IV.
. . . . incrementum qualem diætam exigit? 9, I.
. . . . facile & difficile ferentes hyemem. 82, II.
. . . . ex temporis mutatione. 80, II.
. . . . magis fiunt ſuis temporibus & magis exacerbantur. 98, III.
. . . . fieri poſſunt omni anni tempore. 89, II.
. . . . ex aëris mutatione. 80, III.

Morbi omnes neque egent neque vetant evacuationem. 2, XI.
. . . ex conſenſu & metaſtaſi. 258, I.
Moribundus jam eſt, qui in rabiem actus furit intrepide, & non agnoſcit, & neque audit, neque intelligit. 416.
Morituris ventres attolluntur atque inflantur. 417, I.
Mors ex acutis quomodo? 418, I.
Motus vitalis cur facilius quam animalis turbari poteſt? 67, III.
. . . . corporis dolores & laſſitudinem parit. 73, I.
. . . . derepente factus nocet. 76, VI.
. . . . major an faciendus in principiis? 54, II.
. . . . promovet vomitum. 125, II.
Movere quæ turgent. 22, IX.
Movenda non ſunt cruda. 22, VIII.
. . . . . ſunt cocta. 22, VI.
Movendum quid ſignificet. 54, I.
. . . . . corpus poſt datum vomitorium. 124, II.
. . . . . corpus an ſit ante cibum. 41, V.
Moventia vetantur in criſi perfecta. 20, IX.
Muci abundantia in coxæ articulo unde, & quid faciat? 324, II.
Mulieres præter naturam tenues quæ dicantur. 237, I.
Mulieres præter naturam tenues cur hæ abortiunt, priuſquam craſſeſcunt. 237, II.
Mulier non laborat podagra, niſi menſes ipſi defecerint. 294.
. . . . num ſit fœcunda vel ſterilis, an ſuffitu cognoſci poſſit? 252, I.
. . . . ambidextra non fit. 368.
Mulieri, menſibus deficientibus ſanguinis fluxus bonus. 226.
. . . . . ſanguinem vomenti cur menſtruis erumpentibus ſolutio fit? 225, III.
Multum naturæ inimicum. 76, VII.
Mutatio non ſubito facienda. 76, I.
Mutus ex qua cauſa derepente in ebrietate? 198, I.
. . . . ex ebrietate convulſus cur moritur. 198, II.
. . . . . ſolvitur febre. 198, III.
. . . . . loquela tempore crapulæ redeunte. 198, IV.

N.

NAres humidiores & genitura humidior cur minus perfectam ſanitatem indicant? 276, III.
. . . . . & genitalia ſicciora perfectiorem ſanitatem indicant. 267, IV.

Nares naturâ humidiores quid notent? 267, I.
Narium haemorrhagia in febribus quartanis, malum. 406, I.
. . . . . humiditas ſenibus. 110, XI.
Natura quid notet. 81, II.
. . . . quæ non fert hyemem. 81, III.
. . . . quæ non fert æſtatem. 81, IV.
Natura morbi longitudinem præſagiens. 12, V.
Navigatio cur nauſeam & vomitum inducit? 124, III.
Nauſea cur ex navigatione? 124, III.
Nephriticis hæmorrhoides ſupervenientes, bonum. 267, II.
. . . . . urina, cui pingue confertum ſupernatat & dolores circa muſculos ſpinales, ſupervenientia, abſceſſum præſagit. 361, I.
Nephritides ſenibus. 110, VI.
Nervis frigidum noxium. 211, II.
Nervus diſſectus an neque augetur neque coaleſcit? 284, IV.
Nigrores a frigido. 210, III.
Nocturna ſitis unde? 220, I.
Nox gravis ante criſin. 38, II.
Nutrientia confertim. 43, II.
Nutrimentum quot modis ingeritur? 36, II.
Nutrire quid denotet? 35, III.
. . . . quæ vetant? 40, VI.
. . . . quando licet? 40, VII.
Nutritio quid ſit. 22, II.
Nutritionis neceſſitas. 3, III.

O.

Occaſio celeris. 1, IV.
Oculi in ſomno obſervandi. 317, I.
. . . conniventes in ſomno, ex qua cauſa? 317, II.
. . . . . ſine alvi fluxu vel ductione praegreſſa, cur lethale? 317, III.
. . . rubri & ſingultus a vomitu, malum. 328.
Oculorum doloris cauſa. 296, I.
. . . . . dolor qualis curatur meri potu? 296, II.
. . . . . qualis curatur per balneum? 296, III.
. . . . . qualis curatur per fomentum? 296, IV.
. . . . . qualis curatur per venae ſectionem? 296, V.
. . . . . qualis curatur per purgationem? 296, VI.
. . . . . humiditas ſenibus. 110, XI.
Oculos mordent aquiloniae conſtitutiones. 96, VIII.
Omenti hydrops ſolvitur urina multa. 379, I.
Omentum os uteri premens, an ſterilitatis cauſa? 239, I.
. . . . . prolapſum in ventris vulneribus, cur citius putreſcit? 323, I.

Ophthalmiae cur fiant aeſtate? 100, VI.
. . . . . in ſiccitatibus. 95, IX.
. . . . . ſiccæ cur biliosis? 91, VII.
Ophthalmia ſicca poſt autumnum ſiccum & aquilonarem. 93, V.
. . . . . laborantem ab alvi profluvio corripi, bonum. 282.
Ordo curationis. 409, I.
Oris amaritudo cacochyliæ ſignum. 127, V.
. . exulcerationes cur fiant æſtate? 100, VIII.
Os an ſemper abſcedere faciunt ulcera vetuſta? 310, II.
. . diſſectum an neque augetur, neque coaleſcit? 284, II.
. . quodcunque, aut cartilago aut nervus in corpore diſſecta neque augentur, neque coaleſcunt. 353.
. . perſciſſum ſi in vacuum penetraverit, producit delirium. 349.
Offis abſceſſus a ſphacelo. 402.
. . . denudatio ſi producit Eryſipelas, malum. 344.
Offi ægrotanti ſi adſit caro livida, malum. 327.
Offibus fractis & denudatis convenit calidum. 215, VII. & VIII.
. . . . frigidum noxium. 211, II.
Oſcitatio ſolvitur vino aqua diluto. 381, II.

P.

PAroxyſmi quomodo difficile judicium ſuggerunt? 140, II.
Paroxyſmus longitudinem morbi præſagiens. 12, VII.
Pars tenuis genæ diſſecta an neque augetur, neque coaleſcit? 284, V.
Partes circa veſicam laborare ſignificat, ſi quis ſanguinem & grumos mingat, & ſtranguriam habeat, & dolor incidat ad perinæum & imum ventrem & pectinem. 364.
. . . . diſſectæ quænam, quæ neque augentur, neque coaleſcunt? 284, I.
. . . . ſuperiores & inferiores quæ dicantur. 128, III.
Partium circa ventrem diuturnus dolor ſi producit ſuppurationem, malum. 347.
. . . . . circa ventrem dolor vehemens ſi producit extremarum frigus, malum. 351.
. . . . . extremarum frigus in morbis acutis malum. 326.
Partus cur difficilis & periculoſus, ſi gravida corripiatnr febribus & vehementer attenuetur? 248, I.
Partui difficili ſuperveniens ſternutatio, bonum. 228, IV.
Pavores ex ſomno in febribus, malum. 177, II.

Pavores puerorum morbus, 103, VIII.
Pectoris dolor ab aquilone. 84, IV.
. . . . . dolores fiunt hyeme. 101, V.
. . . . . dolorem augent aquiloniæ conſtitutiones. 46, IX.
Pectori inimica frigida, velut nix, glacies. 217, I.
. . . . applicata frigida cur inducunt tuſſim, ſanguinis eruptiones, catarrhos? 217, II.
Peracutus morbus. 7, III.
. . . . . futurus conjicitur. 7, IV.
. . . . . exigit tenuiſſimum victum. 7, V.
Peripneumonia ſi producit phrenitidem, malum. 337.
. . . . . quomodo ex angina? 203, II.
. . . . . a pleuritide, malum. 336.
. . . . . adultis. 109, V.
Peripneumoniæ aut pleuritidi diarrhœa ſuperveniens, malum. 281.
. . . . . fiunt hyeme. 101, II.
Pernitioſiſſimi morbi qui dicantur. 88, III.
. . . . . morbi cur autumno? 88, V.
Pharynges ab aquilone. 84, IV.
Φρένες notat Diaphragma. 128, II.
Phrenitis a peripneumonia, malum. 337.
Phrenitides adultis. 109, VII.
Phrenitici qui fiunt ſupra quadraginta annos, non admodum ſanantur. 405, II.
. . . . . minus periclitantur, quorum ætati & naturæ morbus ſimilis fuerit. 405, III.
Phreniticis urina alba pellucida. 182, III.
Phthiſis quid & quotuplex? 32, III.
. . . . . autumno. 101, VII.
. . . . . quanam fit ætate? 202, I.
. . . . . futuræ ſigna. 118, IV.
. . . . . ab empyemate, quod intra quadraginta dies non expurgatur. 208, IV.
. . . . . vel hydropis periculum cur ex hæmorrhoidibus diuturnis ſanatis? 277, II.
Phthiſi confirmatæ & inſtanti nocet vomitorium. 118, III. & IV.
. . . . laborantibus ſi capilli de capite defluunt, hi alvi fluxu ſuperveniente, moriuntur. 205, I.
Phthiſicis ſputum olens carbonibus injectum & capillorum defluvium, lethale. 204, IV.
Pingue & confertum ſupernatans, unde? 360, I.
. . . . . cur ſignificat affectiones hepaticas & acutas?

cutas? 360, II.
Pituitosis quando fiunt Dysenteriæ? 91, VI.
Pleuritis adultis. 109, IV.
. . . . . si producit peripneumoniam, malum. 336.
Pleuritidis mutatio. 201, I.
. . . . . commutatio in empyema. 201, III.
. . . . . in peripneumoniam translatio triplex. 336, I.
Pleuritidi aut peripneumoniæ diarrhœa superveniens, malum. 281.
Pleuritides fiunt hyeme. 102, II.
Pleuritici non admodum fiunt, qui acidum eructant. 298.
Podagricis an conducit vere venam secare? 312, II.
. . . . . & arthriticis an conducit vere alvum ducere? 312, III.
Podagrici morbi quo tempore finiuntur? 314, I.
. . . . . morbi vere & autumno moventur utplurimum. 320.
πόνοι quid notet. 121, II.
Potu facilius quam cibo replentur corpora. 36, III.
Potus multus si producit rigorem & delirium, malum. 332.
. . . meri qualem oculorum dolorem curat? 296, II.
. . . vini solvit stranguriam & dysuriam. 373, I.
Præcordia. 60, II.
Prædictionis fons. 44, II.
Prædictio non omnino certa. 44, II.
Prædictio in acutis. 44, IV.
. . . . . difficilis est. 44, V.
Prægnans femina vid. *gravida.*
Præparatio quid significet. 34, II.
. . . . . in convalescentibus. 34, III.
. . . . . in acutis. 34, IV.
. . . . . in chronicis. 34, V.
. . . . . ad alvi ductionem. 34, VI.
. . . . . vomitus. 395, I.
Præputium dissectum an neque augetur, neque coalescit? 284, VI.
Præsagium abortus ex mammis ex improviso gracilescentibus. 230, II.
. . . . . in suppuratis sectis vel ustis ex pure peti potest. 369, II.
Præservatoria curatio. 312, I.
Præter rationem sunt inconstantia. 52, II.
. . . . . permanentia non sunt. 52, III.
. . . . . nec credenda nec timenda. 52, IV.
Principia morbi cur debiliora? 55, II.
Principiis morbi an antidota danda. 54, IV.
. . . . . moventia vel refrigerantia adhibenda. 54, II.
Principium morbi vid. *morbi principium*

pium.
Pruritus totius corporis in ſenibus. 110, x.
Pudendis convenit calidum. 215, xi.
Pudendorum putredines cur fiant æſtate? 100, ix.
Puer difficile fert jejunium. 13, ii.
. . . . . inter hos minime qui alacriores. 13, iv.
. . . non laborat podagra ante veneris uſum. 295.
Pueris humidus victus. 16, iii.
Puerorum morbi quinam? 103, iii.
. . . . . quo tempore judicantur? 107, ii.
. . . . . poſt dentitionis tempus. 105, i.
. . . . . circa pubertatem, aut menſtruorum eruptiones non ceſſantes perſeverare ſolent. 107, iii.
. . . . . & veris convenientia. 97, ii.
Pulſus fortis in ulceribus ſi producat ſanguinis eruptionem, malum. 346.
Purganda ſunt cocta. 22, v.
. . . . . non ſunt cruda. 22, vii.
Purgandi melancholici uberius. 119, iii.
Purgandum in cacochylia. 130, i.
Purgans veterum. 24, ii.
. . . . . cito reſolvit. 61, ii.
. . . . . an depurat? 61, iii.
. . . . . quando dandum in gravida? 111, iii.
. . . . . quomodo ſitim inducit? 129, i.
. . . . . raro in acutis. 24, v.
. . . . . cum qua cautione? 24, vi.
Purgantia vetantur in criſi perfecta. 20, x.
Purgantis potio ſi producit convulſionem, lethale. 350.
Purgare qualia oportet? 25, ii.
Purgatio qualem oculorum dolorem curat? 296, vi.
Puris generatio quid ſit. 72, ii.
. . . . . per quam actionem? 72, ii.
. . . . . ex qua materia? 72, iii.
. . . . . qualia ſymptomata infert? 72, iv.
. . . boni & mali ſigna. 369, i.
. . . vel loci craſſitudo ſuppurationem internam occultat. 306, i.
. . . ſputum a ſanguinis ſputo, malum. 340
. . . . . producit tabem & fluxum. 341, i.
Pus acervatim effluens in ſuppuratis cur mortem infert? 292, i.
. . . bonum in hepatis abſceſſu ſalutem portendit. 370, i.
. . . velut amurca mortem præſagit. 370, ii.
. . . unde in urina? 184, ii.
Puſtulæ ulceroſæ fiunt vere. 99, xii.
Putredo aut ſuppuratio ab Eryſipe-

ſipelate, malum. 345.
Putredines in pluvioſis. 95, IV.

Q.

QUantitas naturalis menſium, 250, I.
. . . . . evacuationis æſtimanda ad prædictionem. 404.
Quartana febris. 50, II.
. . . . . vernalis cur brevior? 50, III.
. . . . . autumnalis cur longior? 50, IV.
. . . . . ſuperveniens an tollit convulſionem? 263, II.
. . . . . correpti an non admodum convulſione corripiuntur? 263, I.
Quartanæ febres autumno. 101, III.
. . . . . cur fiunt æſtate? 100, III.
Quartanis febribus exiſtentibus, ſi ſanguis ex naribus fluxerit, malum. 406.
Quies humectat. 123, VI.
. . . . & ſomnus compeſcunt vomitum. 125, III.
. . . . ſubito inducta nocet. 76, VI.
. . . . curat laſſitudinem & dolores ex labore. 73, II.

R.

RAmentorum copia in alvi excrementis magnitudinem morbi declarat. 392, I.
. . . . . his confert, alvum inferne purgari. 392, II.
Ratio in morbis quid ſit. 52, I.
. . . . in curatione quænam ſit. 77, I.
Rationalis curatio. 77, I.
. . . . . non facile mutanda. 77, II.
Raucedo quid ſit. 65, II.
. . . . . poſt autumnum pluvioſum. 92, V.
Raucedines fiunt hyeme. 101, IV.
. . . . . & tuſſes fiunt vere. 99, VIII.
Recidiva quid ſit. 37, II.
. . . . . duplex. 37, III.
. . . . . a relictis poſt criſin. 37, IV.
. . . . . prædicitur poſt imperfectam criſin. 37, V.
. . . . . prædicitur ex ſudore in tempore non critico. 146, III.
Recidivat febris, quæ non dimittit diebus imparibus. 171, I.
Recto inteſtino inflammato ſupervenit ſtranguria. 251, I.
Refectio quid ſit. 32, II.
. . . . . quanta debeat eſſe in defectu. 3, X.
. . . . . poſt chronicos. 32, V.

Refectio poſt acutos. 32, IV.
Regio quid faciat ad cognitionem. 2, VIII.
. . . . ætatibus magis minuſque conveniens. 82, V.
. . . . determinat aſſumtionem alimentorum. 17, VI.
Regionibus omnibus an ventorum obſervationes quadrent? 84, II.
Remittentes febres producentes debilitatem, mortem præſagiunt. 159, II.
. . . . . motum faciei inducentes, quid præſagit? 159, III.
Remittentibus febribus ſputa multa, malum. 157, IV.
. . . . . qualis urina & alvi egeſtio bona & mala? 157, V.
. . . . . qualia ſputa mala? 157, II.
. . . . . qualia ſputa bona? 157, III.
Remittentium febrium ardor unde? 158, II.
. . . . . frigus unde in partibus internis? 158, III.
Renibus ſuppuratis ſtranguria ſupervenit. 251, III.
Renum & veſicæ vitia in ſenibus difficulter ſanantur. 271.
Repletio quotuplex? 47, II.
. . . . . & evacuatio an cauſa ſola convulſionis? 304, II.
Replere derepente malum. 76, III.
Repletionis morbi quinam? 47, II.
Repletionis morbi an omnes curantur evacuatione? 47, III.
Res externæ quales debeant eſſe. 1, XI.
Reſolutio qualis morbus. 68, I.
Reſolutionis cauſa. 68, II.
Reſpiratio conſumit aërem. 80, II.
. . . . . difficilis & delirium lethale in remittente. 160, 1.
Reſpirationes luctuoſæ in acutis affectionibus, quæ cum febre fiunt, malæ. 319.
Reſpirationis obſervatio in morbis. 178, I.
. . . . . interruptio in febribus, malum. 178, II.
. . . . . convulſionem indicat in febribus. 178, III.
Rigoris definitio. 156, I.
. . . . cauſæ. 156, II.
Rigor & delirium a multo potu, malum. 332.
. . . . ſuperveniens quando ſolvit ardentem? 168, II.
. . . . in febre intermittente. 156, III.
. . . . in debilitatis. 156, IV.
Rigores ſexto die cur mali? 139, II.
. . . . . cur magis ex lumbis incipiunt? 262, I.
. . . . . quotidie in febribus ſi fiant, hæ quotidie ſolvuntur. 173, I.
. . . . . febriles a frigido. 210, III.

Rigores mitigantur calidis. 215, v.
Risus si adsit in delirio, securius: studium vero, periculosius. 318.
Ructantes acidum non admodum pleuritici fiunt. 298.
Ructus acidus in lienteria diuturna bonum signum. 266, II.
Ruptiones quæ ex dorso ad cubitum descendunt, quomodo solvuntur venæ sectione? 287, I.

S.

Sanguis quando mittendus gravidis? 111, IV.
. . . . . in cavitatibus effusus an semper suppuratur? 285, II.
Sanguinis collectio ad mammas an maniam prædicit? 233, I.
. . . . . eruptiones a calidorum frequentiore usu. 209, VII.
. . . . . eruptio a forti pulsu in ulceribus, malum. 346.
. . . . . eruptio quomodo alvum humectat? 137, II.
. . . . . eruptiones a frigido pectori applicato. 217, II.
. . . . . evacuatio sursum vel deorsum quæ bona & quæ mala? 135, I.
. . . . . fluxus quando solvit febrem? 170, II.
. . . . . in quibus mensibus deficientibus bonus? 226, II.
Sanguinis fluxus adolescentibus. 106, IV.
. . . . . adultis. 109, XIII.
. . . . . si producit delirium aut etiam convulsionem, malum. 334.
. . . . . fluxiones fiunt vere. 99, V.
. . . . . missio an sanis conveniat? 62, II.
. . . . . missione sola an minuenda abundantia? 3, VIII.
. . . . . sputum si producat puris sputum, malum. 340.
. . . . . vomitus sine febre, an salutare? 362, I.
. . . . . cum febre, malum. 362, II.
. . . . . an adstringentibus & refrigerantibus curandus? 362, III.
. . . . . cur solvitur menstruis erumpentibus? 225, III.
. . . . . copiosam egestionem passis an noceat lac? 257, VII.
Sanguini multo effuso, convulsio, aut singultus superveniens, malum. 196, I.
Sanguinem spuere quando dicitur? 206, I.
. . . . . cur ex pulmonibus? 206, II.
. . . . . sponte mingere quid significet. 188, I. an ex renibus. 188, II.

Sanguinem quibus de venis auferre conducit, his vere venam ſecare oportet. 378.
Sanas carnes habentibus cur hellebori uſus periculoſus? 126, II.
Sanis an conveniat alvi ductio? 62, III.
. . . . . diureticum? 62, IV.
. . . . . ſudoriferum & diaphoreticum? 62, V.
. . . . . diæta rigidiſſima? 62, VI.
. . . . . venæ ſectio? 62, II.
. . . . diæta tenuis. 4, V.
Sanitas definitur. 3, II.
. . . . an egeat curatione? 3, II.
Satietas definitur. 29, II.
. . . . . non bona in morbis. 29, IV.
. . . . . acutis. 29, V.
. . . . . chronicis. 29, VI.
Satyriaſmi pueris frequentes. 105, VIII.
Scotomos cacochyliæ ſignum. 127, IV.
Secretio ſpeciale exigit organum. 21, III.
Secundæ an expellendæ ſternutatorio? 242, I.
Sedi convenit calidum. 215, XI.
Sedimentum bilioſum in urina ſuperne tenui, in febribus acutum morbum ſignificat. 357, I.
Sedimentum urinæ farinoſum longam infirmitatem ſignificat in febribus. 356, I.
Senectutis diviſio. 65, I.
Senex facilius fert jejunium. 13, II.
Senes cur egent calefacientibus? 14, V.
. . . . an rarius quam juvenes ægrotent? 64, III.
Senum & æſtatis convenientia. 97, III.
. . . . naturalis mutatio, & morbi. 110, I.
. . . . . ætas. 64, I.
. . . . . morbi diuturni cur ad mortem durare ſolent? 64, IV.
. . . . . vitia in renibus & veſica difficulter ſanantur. 271.
Senibus cur gravedo & raucedo frequens? 65, IV.
. . . . . non concoquuntur? 65, V.
. . . . . an non fiunt febres acutæ? 14, VI.
Senioribus cur catarrhi? 91, VIII.
. . . . . nimium purgatis ſi ſingultus ſuperveniat, non bonum. 366.
Sentire quid ſit. 31, II.
Septi tranſverſi vulnera. 283, V.
Siccitas aëris quid faciat. 86, I.
. . . . cur producit febres acutas? 86, II.
. . . . uteri ſterilitatis cauſa. 255, IV.

Signum ex cute, an æger cum vel ſine ſudore ſit moriturus. 264, I.
Singultus ab ileo, malum. 335, II.
. . . . . ab hepatis inflammatione, malum. 342.
. . . . . & convulſionis convenientia. 304, I.
. . . . . & convulſio an a ſola repletione & evacuatione? 304, II.
. . . . . aut convulſio ſanguini multo effuſo ſuperveniens, malum. 196, I.
. . . . . purgationi immodicæ ſuperveniens, malum. 197, I.
. . . . . & oculi rubri a vomitu, malum. 328.
. . . . . ſolvitur ſternutationibus ſupervenientibus. 278.
. . . . . ſi ſuperveniat ſenioribus nimium purgatis, non bonum. 366.
. . . . . ſupervenit Hepati inflammato. 251, IV.
Siticuloſis an non dandum lac? 257, V.
Sitis minuitur in ardentibus tuſſi ſicca 164, III.
. . . conſtans febris ardentis ſymptoma. 164, I.
. . . nocturna unde? 220, I.
. . . quando per ſomnum optime ſedatur? 220, II.
. . . quomodo a purgante? 129, I.
Somnus in morbo. 26, IV.
. . . . . in acutis. 26, V.
. . . . . in chronicis. 26, VI.
. . . . . in delirio. 27, I.
. . . . . quid facere debeat in febribus. 177, I.
. . . . . laborem faciens. 26, I.
. . . . . juvans. 26, II.
. . . . . & quies compeſcunt vomitum. 125, III.
. . . . . vigilia, utraque modum excedentia, morbus. 396.
. . . . . modum excedens. 28, II.
. . . . . in acutis. 28, III.
. . . . . in chronicis. 28, IV.
. . . . . an multo alimento egeat? 15, III.
Somno & ardore multo detentus in acutis, deſperatus. 415, III.
Somni effectus. 26, III.
Spaſmi & tetani differentia. 167, I.
Sphacelus quid ſit. 375, I.
. . . . . cerebri qualis poſt triduum ſanari poteſt? 375, II.
. . . . . producit oſſis abſceſſum. 402.
Spinali medullæ frigidum noxium. 211, II.
Spumoſæ egeſtiones quæ dicantur & unde oriantur. 355, I.
. . . . . an ex pituita a capite defluente? 355, II.
Spumoſa urina ex qua cauſa? 359, I.

Spumoſa urina cur renum affectiones ſignificat? 359, II.
. . . . . cur longam fore invaletudinem ſignificat? 359, III.
Sputum carbonibus injectum olens quid notat? 204, II.
. . . . . olens cur tabidis lethale? 204, IV.
. . . . . longitudinem & brevitatem morbi indicans. 12, IX.
. . . . . quomodo curat empyema? 208, III.
. . . . . retentum in tabidis mortem inſtare ſignificat. 341, II.
. . . . . multum in remittentibus malum. 157, IV.
. . . . . puris a ſanguinis ſputo, malum. 340.
. . . . . producit tabem & fluxum. 341, I.
Sputa qualia mala in remittentibus. 157, II.
. . . . . bona in remittentibus? 157, III.
Sterilitatis cauſa an eſt omentum os uteri premens? 239, I.
. . . . . an nequit eſſe intemperies in maſculis? 256, I.
. . . . . uteri frigiditas. 255, II.
. . . . . uteri humiditas. 255, III.
. . . . . uteri ſiccitas. 255, IV.
. . . . . uteri caliditas. 255, V
Sternutationis cauſa. 376, I.
Sternutatio fit ex capite, percalefacto cerebro, aut perhumectato, quod eſt in capite, vacuo. 376, II.
. . . . . in hyſterica paſſione. 228, II.
. . . . . in ſecundinis retentis, bonum. 228, III.
. . . . . in partu difficili, bonum. 228, IV.
Sternutationes a ſingultu detento ſupervenientes, ſolvunt ſingultum. 278.
Sternutatorium an exhibendum ad expellendas ſecundas? 242, I.
Stertor & vocis defectus poſt capitis dolores derepente natos in ſanis, ex qua cauſa? 316, I.
. . . . . cur hi moriuntur intra ſeptem dies, niſi febris apprehenderit? 316, II.
Strangulatio qualis morbus? 68, I.
Strangulationis cauſa. 68, II.
Strangulati & reſoluti non ſunt mortui. 68, III.
. . . . . ſe non recolligunt, quibus ſpuma circa os. 68, IV.
Stranguria autumno. 101, VIII.
. . . . . ſenibus. 110, IV.
. . . . . quomodo producit volvulum? 309, I.
. . . . . ſupervenit inteſtino recto inflammato. 251, I.
. . . . . utero inflammato. 251, II.

Stranguria ſupervenit renibus ſuppuratis. 251, III.
. . . . . & Dyſuria ſolvitur vini potu. 373, I.
Stranguriæ in ſiccitatibus. 95, XI.
στόφοι quid notet. 121, II.
Strumæ pueris frequentes. 105, IX.
Studium ſi adſit in delirio, periculoſius; riſus vero, ſecurius. 318.
Stupor aut delirium a plaga in caput, malum. 339.
Sudamina cur fiant æſtate? 100, X.
Sudor unde in febribus. 166, I.
. . . . febricitanti ſuperveniens, febre non deficiente, malum. 166, II.
. . . . talis ſignificat longitudinem. 166, III.
. . . . . multam humiditatem. 166, IV.
. . . . frigidus in acuta febre prædicit mortem. 146, IV.
. . . . . in febre mitiore prædicit longitudinem. 146, V.
. . . . multus cur in æſtate veri ſimili? 85, II.
. . . . ſi relinquit horrorem, non bonum. 329.
. . . . multus a ſomno quid indicat? 151, I.
. . . . . ab uberiore potu. 151, II.
. . . . . ſine uberiore alimento an evacuatione egeat? 151, III.
Sudor multus ſemper fluens, malum. 152, I.
. . . . . & frigidus majorem morbum indicat. 152, II.
. . . . . & calidus ſemper minorem morbum indicat. 152, III.
. . . . . calidus aut frigidus, ſemper fluens, humidi redundantiam ſignificat. 386, I.
. . . . an hæc abundantia educenda? 386, II.
. . . . criticus quo tempore? 146, II.
. . . . partis detegit latentem morbum. 148, I.
. . . . longitudinem morbi præſagiens. 12, XII.
. . . . die non critico præſagit laborem, longitudinem & recidivam. 146, III.
. . . . diebus criticis unde veniat. 407, I.
Sudores in diebus criticis oborientes, vehementes & veloces, periculoſi. 407, II.
. . . . . ex fronte velut guttæ & aquæ ſalientes & frigidi valde ac multi, periculoſi. 407, III.
. . . . frigidi quinam dicantur? 146, II.
. . . . . cauſa. 146, III.
Sudoriferum an conducit ſanis? 62, V.
. . . . . an exhibendum tempore

pore critico? 146, IV.
Suffitus aromatum muliebria ducit. 221, I.
. . . . . ad alia ſæpius eſt utilis, niſi capitis gravitates induceret. 221, II.
. . . . . an dignoſcere valeat, num mulier ſit fæcunda vel ſterilis? 252, I.
Suffocationis ex improviſo cauſa. 144. I.
Sumen. 60, II.
. . . . . quæ viſcera recondit. 60, III.
. . . . . melius eſt craſſitudinem habere, quam eliquari. 60, V.
Superiores partes quæ dicantur. 128, III.
Suppuratio quid ſit. 285, I.
. . . . . ex ulcerum detumeſcentia. 258, VI.
. . . . . a dolore diuturno partium circa ventrem, malum. 347.
. . . . . ſeptimo die ex angina. 203, III.
. . . . . interna occultatur craſſitudine loci vel puris. 306, I.
. . . . . aut putredo ab Eryſipelate, malum. 345.
Suppuratis renibus ſtranguria ſupervenit. 251, III.
. . . . . ſectis vel uſtis, ex pure peti poteſt præſagium. 369, II.
. . . . . ſi pus acervatim effluat, cur mortem infert? 292, I.
Suppuratus coxæ incumbens uterus. 240, II.
. . . . . quid producat. 240, III.
. . . . . curatio. 240, IV.
Surditas ex minuta alvi egeſtione biliosa, malum. 138, IV.
. . . . . quænam tollitur alvi fluxu biliosa? 138, II.
Surditatis in febribus cauſa. 170, I.
Symptoma vehemens & mite quid differat. 9, VI.
Syncope quid ſit. 66, I.
. . . . . cur minus periculoſa, quam apoplexia. 67, II.
. . . . . prehenſus cur improviſo moritur? 66, II.

T.

TAbes vid. *Phthiſis.*
. . . . . quid? 98, II.
. . . . . purulenta. 89, III.
. . . . . catarrhoſa. 89, IV.
. . . . . colliquativa. 89, V.
. . . . . cruris & claudicatio in coxæ luxatione, quomodo? 325, I.
. . . . . & fluxus a puris ſputo, 341, I.
. . . . . juvenibus. 108, III.
. . . . . in ſiccitatibus. 95, VIII.
Tabidis convenit lac. 257, VIII.
Temperamenta uteri. 255, I.

Tempeſtatis mutatio quid producit? 90, v.
Tempeſtates ſiccæ vel humidæ, quæ præſtantiores? 94, i.
Tempeſtas alimentorum aſſumtionem determinat. 17, iv.
Tempora ætatibus magis minuſve convenientia. 82, iv.
. . . . . anni præſagientia morbi longitudinem. 12, vi.
. . . . . anni conſtantia & inconſtantia. 87, i.
Temporis diviſio. 80, i.
. . . . . mutatio maxime parit morbos. 80, ii.
. . . . . conſtitutio morbos judicatu faciles producit. 87, iv.
. . . . . difficiles facit. 87, v.
Tempus quid faciat ad cognitionem evacuationis. 2, ix.
Tenebricoſa vertigo in acutis. 415, i.
Teneſmus mulieri in utero gerenti ſuperveniens, abortire facit. 352.
Tenues præter naturam quæ dicantur. 237, i.
. . . . . cur hæ abortiunt, priuſquam craſſeſcunt? 237, ii.
Tenuium inteſtinorum ſi aliquod diſſectum fuerit, non coaleſcit. 289.
Tertiana exquiſita quænam dicatur. 169, i.
. . . . . ſeptem paroxyſmis ſolvitur. 169, ii.
Tertianæ febres cur fiunt æſtate? 100, ii.
. . . . . intermittentes periculo vacant. 153, iv.
Teſtis dexter frigidus & convulſus, lethale. 411.
Tetanus qualis morbus? 199, i.
Tetano correpti in quatuor diebus pereunt. 199, ii.
. . . . . quartum diem effugientes, ſervantur. 199, iii.
Tetanus aut convulſio ab ardoribus vehementibus, malum. 338.
. . . . . ex impetu & calore majore. 214, ii.
. . . . . & convulſio ex ulcerum detumeſcentia. 258, iv.
Tetani & ſpaſmi differentia, 167, i.
Tonſillæ pueris frequentes. 105, ii.
Tranſlatio Eryſipelatis ad interna, non bonum, 290, ii.
. . . . . ad externa, bonum. 290, iii.
. . . . . pleuritidis in peripneumoniam triplex. 336, i.
Tranverſi ſepti vulnera. 283, v.
Tremores in ardentibus unde? 291, i.
. . . . . quomodo ſolvuntur delirio? 291, ii.
Triſtitia & metus ſi multo tempore perſeverant, melancholicum id ipſum. 288.
Tuberculis alvi excrementa bilioſa, 40, iv.

Tuberculis urina bilioſa. 40, v.
Tubercula fiunt vere. 99, XIII.
. . . . . ad articulos vel dolores ex febribus longis, iis qui utuntur cibo copioſiore. 155, I.
. . . . . quibus diutina, aut ad articulos dolores ex febribus fiunt, hi cibis utuntur copioſioribus. 389.
Tuberculum quibus fit in fiſtula urinaria, his ſuppurato eo & perrupto, ſolutio fit. 382.
Tubercula quænam pueris frequentia? 106, X.
Tumor ex qua cauſa intus rumpitur? 333, I.
. . . . & rubor ab angina detento in pectore ſuperveniens, bonum. 374.
Tumore intus rupto, exſolutio, vomitus, & animi deliquium. 333, II.
Tumores quibus apparent in ulceribus, non valde convelluntur aut inſaniunt. 258, II.
. . . . . ſi fuerint rubicundi circa ulcera, ex ulcerum detumeſcentia dyſenteriam pariunt. 258, VII.
. . . . . nulli in magnis & pravis vulneribus & contuſionibus, ingens malum. 259, I.
. . . . circa ulcera derepente diſparentes quos morbos pariunt? 258, III.
. . . . . & dolores articulorum ſine ulcere, magna ex parte affuſio multa frigidæ levat. 218.
. . . . . molles boni, duri vero mali. 260, I.
Tumorem fieri in collo, in angina bonum. 302, II.
Turgentia evacuare & movere. 22, IX.
Turgeſcentia quando dicatur. 120, II.
Tuſſis ab aquilone. 84, IV.
. . . . poſt autumnum pluvioſum. 92, V.
. . . . a frigido pectori applicato. 217, II.
. . . . fiunt hyeme, 101, IV.
. . . . ſi habeat hydropicum, deſperatus eſt. 372.
. . . . hydropicis ſuperveniens malum. 300.
. . . . puerorum morbus. 103, VI.
Tuſſes & raucedines fiunt vere. 99, VIII.
. . . . ſiccæ paululum irritantes in ardentibus unde fiant. 164, II.
. . . . . in ardentibus minuunt ſitim. 164, III.
Tympanitis quomodo generari poſſit. 121, III.
. . . . . cur poſt ventris tormina? 121, IV.
Tympanitidem præſagientia ſigna 121, I.

V.

VArices magni an non fiunt calvis? 299, I.
. . . . . ſupervenientes an calvos faciunt capillatos? 299, II.
. . . . . aut hæmorrhoides quamnam ſpeciem inſaniæ ſolvunt? 286, I.
Vena frontis ſecta an curet capitis dolorem? 261, I.
. . . . portarum cur præcipue colligat melancholiam? 119, III.
Venæ ſectio quibus conducit vere? 312, II.
. . . . . an conducat podagricis? 312, II.
. . . . . quomodo ſolvit ruptiones, quæ ex dorſo ad cubitum deſcendunt? 287, I.
. . . . . qualem oculorum dolorem curat? 296, V.
. . . . . ſolvit difficultatem urinæ: ſecandæ vero internæ. 301.
Venam ſecato in doloribus oculorum, poſtquam merum bibendum dederis, & multâ calidâ laveris. 371.
Ventriculi vulnera. 283, VII.
. . . . . oris morſus ſignum cacochyliæ. 127, III.
Ventris ſignificatio. 15, II.
. . . . . æſtus & cardiogmus in febribus malum? 175, IV.
. . . . . ardor in febribus unde oriatur. 175, I.
. . . . . dolores elevati quare mitiores, non elevati, vehementiores? 272, II.
. . . . . hydrops ex hepatis hydrope, lethale. 380, I.
. . . . . inflatio in morituris. 417, I.
. . . . . tormen a cacochylia. 130, II.
. . . . . tormina quomodo generant tympaniam? 121, IV.
. . . . . vulneribus ſi omentum prolapſum ſit, cur citius putreſcit? 323, I.
Ventres an hyeme & vere copioſius calidum innatum habent? 15, IV.
. . . . . an calidiſſimi hyeme. 15, II.
Ventus quid ſit. 84, I.
Ventorum obſervationes an omnibus regionibus quadrent? 84, II.
Ver facilius fert alimenta. 18, V.
. . . ſaluberrimum & minime exitiale. 88, VI.
. . . quales morbos producat. 99, II.
. . . ſiccum & aquilonium quid faciat poſt hyemem auſtralem pluvioſam. 91, III.
. . . . . cur faciat abortum frequentiorem. 91, IV.
. . . pluvioſum & auſtrale quid faciat. 90, III.
Vere & autumno utplurimum moventur

ventur dolores podagrici. 320.
. . . quibus conducit venam ſecare? 312, II.
. . . . . alvum ducere? 312, III.
Veris & puerorum convenientia. 97, II.
Veratrum vid. *Helleborus.*
Vermes ſæpe in pueris. 105, VI.
Vernales nonnulli morbi cur etiam fiant æſtate? 100, I.
Verrucæ pueris frequentes. 105, VII.
Vertebrarum luxationes pueris frequentes. 105, III.
Vertigo fit hyeme. 101, VII.
. . . . tenebricoſa cacochyliæ ſignum. 127, IV.
. . . . . in acutis. 415, I.
Vertigines ſenibus. 110, VII.
. . . . . faciunt auſtrinæ conſtitutiones. 96, XI.
Veſica perfecta. 283, II.
Veſicæ & renum vitia in ſenibus difficulter ſanantur. 271.
. . . . calculus an cognoſcatur ex ſedimento arenoſo? 189, II.
. . . . adjacentium partium laborantium ſigna. 190, I.
. . . exulcerationis ſigna. 191, I.
. . . ſcabies ex urina furfuracea cognoſcenda. 187, I.
Victus ætatibus magis, minuſve conveniens. 82, V.
. . . . conf. *Dieta.*
Vigilia puerorum morbus. 103, VI.
. . . . modum excedens in acutis. 28, V.
. . . . . in chronicis. 28, VI.
. . . . ſomnus, utraque modum excedentia, morbus. 396.
. . . . ſi producit convulſionem aut delirium, malum. 343.
Vigor cur omnia validioria habeat. 55, III.
. . . . febris quietem indicat. 54, III.
Vini potio an ſolvit famem? 46, II.
. . . potus ſolvit ſtranguriam & dyſuriam. 373, I.
Vino aqua diluto ſolvitur anxietas. 381, I.
. . . . . ſolvitur oſcitatio. 381, II.
. . . . . ſolvitur horror. 381, III.
Viris an cutis rarior, quam mulieribus? 262, II.
Viſcerum dolores fortes & convulſiones in acutis, malum. 176, I.
Viſciditatis dentium cauſa. 163, I.
Viſciditas dentium cur ſignum febris vehementioris? 163, II.
Viſus caligo ab auſtro. 84, III.
. . . exſtinctio in remittentibus mortem præſagit. 159, IV.
. . . hebetudo in ſenibus. 110, XII.
Vita brevis. 1, II.
Vitæ generi an aſſueſcendum? 75, III.

Vitiligines fiunt vere. 99, XI.
Ulcera circum glabra maligna. 269, I.
. . . . . vetuſta. 310, I.
. . . . . an ſemper os abſcedere faciunt? 310, II.
. . . . . cur relinquunt cicatrices cavas? 310, III.
. . . . . hydropicis in corpore orta, non facile ſanantur. 273, II.
Ulceribus frigidum mordax. 213, II.
Ulceris fortis pulſus ſi producit ſanguinis eruptionem, malum. 346.
Ulcerum detumeſcentia parit convulſionem & tetanum. 258, IV.
. . . . . parit inſaniam, aut lateris dolores acutos. 258, V.
. . . . . parit ſuppurationem. 258, VI.
. . . . . parit dyſenteriam, ſi rubicundi fuerint tumores. 258, VII.
Umbilicalis regio. 60, II.
. . . . . regio quæ viſcera recondit? 60, III.
Umbilici inflammationes puerorum morbus. 103, IX.
Ungues nigri quando lethale ſignum? 412, I.
Vocis defectus & ſtertor poſt capitis dolores derepente natos in ſanis, ex qua cauſa? 316, I.
Volvuli autumno. 101, XIII.
Volvulus quomodo ex ſtranguria? 309, I.
. . . . . quibus ex ſtranguria ſupervenit, cur ſeptem diebus pereunt? 309, II.
. . . . . quomodo hi liberantur, ſi febris ſupervenit, & urina abunde fluit? 309, III.
Vomitoria frequentiori in uſu veteribus. 116, I.
. . . . . in gracilibus & facile vomentibus danda. 116, II.
. . . . . hyeme magis vitanda. 116, III.
Vomitorii generales effectus. 118, II.
. . . . . exhibitio qualis in non facile vomentibus? 123, III.
Vomitorio exhibito quid dein faciendum? 124, I.
Vomitorium qualem præparationem exigit? 123, IV.
. . . . . dandum in cacochylia. 127, I.
. . . . . in præhumectato corpore. 123, VI.
. . . . . nocet in lienteria. 122, II.
. . . . . maxime hyeme. 122, III.
. . . . . nocet phthiſi confirmatæ. 118, III. & inſtanti. 118, IV.
. . . . . an dandum in doloribus ſupra diaphragma. 128, V.
Vomitus cur fiat æſtate? 100, IV.
. . . . . an concitandus æſtate? 114,

114, II.
Vomitus præparatio. 395, I.
. . . . . quando permittendus? 2, XIII.
. . . . . puerorum morbus. 103, V.
. . . . . cur ex navigatione? 124, III.
. . . . . promovetur motu. 125, II.
. . . . . compeſcitur ſomno & quiete. 125, III.
. . . . . exſolutio & animi deliquium a tumore intus rupto. 333, II.
. . . . . aut alvi profluvium ſponte ſupervenientia a diuturno alvi profluvio detento, ſolvit morbum. 280.
. . . . . ſi relinquat ſingultum & oculos rubros, malum. 328.
. . . . . ab ileo, malum. 335, I.
. . . . . atræ bilis, lethale. 132, III.
. . . . . bilis & febris ex cerebri læſione. 315, I.
. . . . . cruentus quid notet. 225, II.
. . . . . malus. 135, II.
. . . . . ſanguinis ſine febre, an ſalutare? 362, I.
. . . . . cum febre, malum. 362, II.
. . . . . an adſtringentibus & refrigerantibus curandus? 362, III.
. . . . . cruentus cur ſolvitur menſtruis erumpentibus? 225, III.
Urethræ tuberculum quid faciat? 192, I.
Urina copioſa & tenuis, in febre cacochymica, bona. 179, III.
. . . . . cur præcipue ſi talis redditur iis, quibus ab initio, vel non multo poſt ſedimentum ineſt? 179, IV.
. . . . . conturbata qualis jumentorum, quæ dicatur. 180, I.
. . . . . jumentoſa quomodo generatur? 180, II.
. . . . . in febribus. 180, III.
. . . . . his capitis dolores adſunt vel aderunt. 180, IV.
. . . . pellucida quæ dicatur. 182, I.
. . . . . & alba mala. 182, II.
. . . . . cur maxime phreniticis? 182, III.
. . . . craſſa pilos continens quid notat? 186, II.
. . . . furfuracea cur veſicæ ſcabiem indicat? 187, I.
. . . . craſſa, pauca, grumoſa, quid notat in febre cacochymica? 179, II.
. . . . ſpumoſa ex qua cauſa? 359, I.
. . . . . cur renum affectiones ſignificat? 359, II.
. . . . . cur longam fore invaletudinem ſignificat? 359, III.

Urina multa ſolvit hydropem omenti. 379, I.
. . . . biliosa in tuberculis. 40, IV.
. . . . . in faucium morbis. 40, III.
. . . . inæqualis in febribus vehementem turbationem ſignificat. 358, I.
. . . . an ſit ſanis ſimilis vel diſſimilis, videndum. 391, II.
. . . . ſanis diſſimilis morboſa, ſanis vero ſimilis minime morboſa. 391, III.
. . . . unde pus continet? 184, II.
. . . . cui pingue confertum ſupernatat, & dolores circa muſculos ſpinales, ſupervenientia Nephriticis, abſceſſum præſagit. 361, I.
. . . . ſi abunde fluxerit, & febris ſi ſupervenerit volvulo ex ſtranguria, quomodo liberat? 309, III.
. . . . ſuperne tenuis cum biliosò ſedimento in febribus acutum morbum ſignificat. 357, I.
. . . . qualis liberat ab articulorum abſceſſu. 184, I.
. . . . longitudinem & brevitatem morbi præſagiens. 12, X.
. . . . noctu multa quid ſignificet. 193, II.
Urinæ inſpectio neceſſaria. 391, I.
. . . . arenulæ unde veniant. 189, I.
. . . . ſedimentum arenoſum an notet veſicæ calculum? 189, II.
Urinæ difficultatem venæ ſectio ſolvit: ſecandæ vero internæ. 301.
. . . . copia præſagitur dolore lumborum. 183, III.
. . . . caruncuiæ quid notant? 186, I.
. . . . nubecula quid ſit. 181, I.
. . . . . rubra quid ſignificat? 181, II.
. . . . . quarto die apparens cur notat criſim ſeptimo die futuram? 181, III.
. . . . ſedimentum farinoſum longam infirmitatem ſignificat in febribus. 356, I.
. . . . inſpectio neceſſaria. ibid.
Uterus coxæ incumbens ſuppuratus. 204, II.
. . . . . quid producat. 240, III.
. . . . . curatio. 240, IV.
Uteri caliditas ſterilitatis cauſa. 255, V.
. . . cotyledones muco plenæ an abortum faciant? 238, I.
. . . eryſipelas an diſtingui poſſit ab inflammatione? 236, I.
. . . . . cur prægnanti lethale? 236, II.
. . . cum mammis conſenſus. 230, I.
. . . os durum cur clauſum? 247, I.
. . . . . clauſum an graviditatis ſignum? 244, I.

Uteri temperamenta. 255, I.
... frigiditas ſterilitatis cauſa. 255, II.
... humiditas ſterilitatis cauſa. 255, III.
... ſiccitas ſterilitatis cauſa. 255, IV.
... caliditas ſterilitatis cauſa. 255, V.
Utero inflammato ſupervenit ſtranguria. 251, II.
... convenit calidum. 215, XI.
Vulnera extenuationem inducentia. 133, V.
..... magna & prava atque contuſiones ſi nullos tumores habeant, ingens malum. 259, I.
..... quæ dicantur lethalia. 283, I.
..... cerebri. 283, III.
..... cordis. 283, IV.
..... ſepti tranſverſi. 283, V.
..... inteſtinorum 283, VI.
..... ventriculi. 283, VII.
..... hepatis. 283, VIII.
Vulneri ſuperveniens convulſio lethale. 195, I.
Vulneribus ventris ſi omentum prolapſum ſit, cur citius putreſcit? 323, I.

EMEN-

EMENDANDA.

Aph.	2. par.	1. Lin.	2. abortis. l. obortis.
	5.	4.	11. fit. l. ſit.
	10.	1.	1. 8. l. 7.
	ibi.		2. eandem l. eundem.
	ibi.		3. & deleatur.
	16.	1.	13. humida copioſius. l. humida ſi copioſius.
	18.	2.	1. æſtate ſolis. l. æſtate ob ſolis.
	26.	3.	13. compactos. l. compacti.
	27.	5.	8. evacuantur. l. evacuentur.
	29.	9.	6. graviorum. l. graviorem.
	35.	4.	12. emacietur. l. emaciabitur.
	36.	2.	5. deferentiam. l. differentiam.
	36.	4.	9. quoque deleatur
	44.	4.	2. ſeleget. l. ſelegit.
	53.	5.	6. deſinere l. adeſſe.
	54.	1.	9. majorem. l. major.
	54.	1.	10. motum faciendum. l. motus faciendus.
	54.	3.	13. incipit. l. incipiunt.
	55.	2.	10. mutabilis. l. mutabile.
	55.	3.	16. per tam. deleatur.
	57.	1.	16. morbi. l. morbi ſed.
	57.	3.	11. medicorum. l. medici.
	57.	4.	30. regulam generalem. l. regulæ generali.
	57.	5.	29. veniens. l. venientes.
	60.	1.	7. externe l. externa.
	60.	2.	4. relinquens. l. relinquit.
	60.	3.	2. eſſet. l. eſt.
	62.	2.	ult. regulam generalem. l. regulæ generali.
	62.	3.	ult. hanc regulam. l. huic regulæ:
	6 .	3.	16. ferunt. l. fert.
	63.	5.	7. nunquam. l. unquam.
	64.	2.	9. iſtas. l. iſtos.
	65.	3.	ult. exaptare. l. exagitare.
	68.	2.	31. utcunque. deleatur.
	82.	2.	4. ventus. l. venti.
	82.	5.	9. quum. l. quam.

E M E N D A N D A.

Aph.	82. par.	6. Lin.	7.	quoque. deleatur.
	83.	1.	ult.	fiant. l. fiunt.
	84.	3.	5.	motum. l. notum.
	84.	4.	2. & 9.	Belgia. l. Belgio.
	84.	5.	1.	ventus. l. venti.
	89.	2.	penult.	detractatione. l. detrectatione.
	89.	6.	19.	quæ. l. qua.
	90.	1.	18.	ſolo. l. ſole.
	90.	1.	27.	voluiſſe. l. voluiſſe tradere.
	90.	5.	19.	minus. l. nimis.
	93.	5.	2.	æſtatem. l. hyemem.
	93.	5.	11.	calida. l. calidus.
	94.	3.	9.	non. l. nam.
	ibidem.			veres. l. vires.
	95.	12.	3.	reliquia l. reliqua.
	95.	12.	11.	natas. l. natos.
	98.	3.	6.	morbum. deleatur.
	101.	9.	15.	contenta & præparata alimenta. del.
	105.	6.	13.	denegare. l. degenerare.
	105.	6.	17.	inteſtinorum. deleatur.
	109.	13.	26.	facilis. l. facile.
	110.	3.	1.	aër. l. acer.
	119.	2.	19.	multis. l. multorum globulorum.
	120.	1.	10.	quæ. l. qua.
	128.	3.	18.	corripi. l. concipi.
	219.	1.	5.	integra doctrina. l. integram doctrinam.
	221.	1.	6.	myrrham. l. myrrha.
	221.	1.	26.	oromata. deleatur.
	224.	2.	17.	paruiſſe. l. peperiſſe.
	232.	3.	21.	morboſa. l. morbo.
	250.	3.	12.	menſibus. l. menſium.
	256.	1.	27.	ſterilitatem. l. ſterilitas.
	257.	1.	24.	circulantibus l. circulanti.
	257.	2.	ult.	medemur. l. medeamur.
	258.	1.	11.	ſuperioribus. l. ſuperioribus demonſtravimus.

Reliqua quæ occurrunt vitia typographica, B. L. facile corriget.